GAUDEO
J. C. B.

John Carter Brown.

20.11

G. 149—VI.

G. VIII. 12.

2 leaf 2 · Vignettes only

IOANNIS

GENESII SEPVLVEDÆ

CORDVBENSIS

Sacrosanctæ Theologiæ Doctoris, Caroli V. Imperatoris, Historici.

1009

OPERA,

quæ reperiri potuerunt

OMNIA.

Quorum elenchum vide lector pagina quinta.

NVNC PRIMVM SINGVLARI STVDIO in Hispania, Italia, & Gallia ad publicam vtilitatem conquisita, & iam simul in lucem edita.

Adiectus est copiosus rerum memorabilium index.

COLONIAE AGRIPPINAE,

In Officina Birckmannica, sumptibus Arnoldi Mylij.

ANNO clɔ. IɔcII.

Cum gratia & priuilegio Sac. Cæs. Maiestatis.

AMPLISSIMO, DOCTISSIMOQVE VIRO,

MARCO VELSERO

DVVMVIRO AVGVSTANO

Salutem.

DIloſophandi rationem, vt te omnium minime fugit, ampliſs. ac doctiſſ. VELSERE, cum ab Hebræis diſceſſeris, Græci primum tractarunt, poſt, ſerius tamen, Romani Ciceronis ætate, vſque ad Boethium Seuerinum, indeque Arabes eam, vt rerum eſt omnium viciſſitudo, cum Mathematicis diſciplinis arripuerunt, denique in Europam penitus Philoſophia peruaſit: & quis credat, ab vltimis ferè Septemtrionis oris Lutetiam, indeque porro in Italiam, cum Scholaſtica quam vocant, Theologia, denique in Hiſpaniam delata eſt: quæ gens hodie in his ipſis diſciplinis ſic regnat, vt, abſit verbo inuidia, familiam ducere, qua ſubtilitate ingenij, qua laboris conſtantia videatur. In his ſi qui forte iudicio cæteris antecelluerunt, Eloquentiam Philoſophiæ arctiſſimo vinculo colligatam adiunxerunt: rati quod eſt, ſenſa eloqui commodè non poſſe, ſed ruſticè & inquinatè proferre, id demum eſſe, vt in Tuſculanis diſputationibus M. Tullius ait, hominis intemperanter abutentis & otio & litteris. Equidem duos præcipuè gentis huius, parentum memoria, hac in re claruiſſe obſeruaui, ex quo libros tractare cœpi IOANNEM GENESIVM SEPVLVEDAM Cordubenſem, cuius tibi ſcripta lubens merito offero dedicoque, & SEBASTIANVM FOXIVM MORZILLVM Hiſpalenſem, Bæticum vtrumque, id eſt acutum ac diſertum. Hunc quidem in Belgio floruiſſe memini, familiaritate vſum Pet. Nannij, ac Cornelij

nelij Valerij Eloquentiæ Doctorum Louanij in Collegio Trilingui Busslidiano: Ille vero in Italia clarus, Bononiæ ac Romæ quæ didicerat Ciceronianæ in primis dictionis studiosus, litteris consignauit, testantur id ad eruditos epistolæ, quas hic damus. FOXIVS Peripateticam ac Platonicam Philosophiam Latinis litteris consignauit, & orbem disciplinarum, quem Græci ἐν κύκλῳ παιδείαν nominant, tradidit, domumque accitus à regijs, vt Principis iuuentutis Hispanicæ studijs præesset, naufragio, pro dolor, perijt, & nisi iuuenis diligenter à se cogitata euulgasset, idem sane Oceanus nomen, qui corpus obruisset. GENESIVS Hispanorum in Bononiensi Academia Gymnasium historico stylo in vita AEgidij Albornotij Card. descripsit, & Aristotelem potissimum admiratus POLITICORVM libros octo & vertit & Commentario illustrauit. Cum iam *parua*, vt vocant, *Naturalia* opuscula Latinè reddidisset, & Petrum Alcyonium speciosè magis quam verè reddentem, longè superasset. Alexandri quoque Aphrodisiei interpretum omnium principis Commentarios εἰς μετὰ τὰ φυσικὰ, hoc est in primam Philosophiam conuersos Clementi VII. Pontif. Maxi. obtulisset. His nos POLITICORVM libros duos adiungendos Kyriaci Strozæ hominis Græcè doctissimi, coronidis vice curauimus, quibus quæ deerant, supplere conatus est. huius quoque *Genesij* opera valde adiutos, vel ipsorum confessione animaduertas, qui post eadem Stagiritæ Politica Latinè facta scholijs illustrarunt: Ioachimi quidem duo: Gallus alter, alter Germanus, vt & Mart. Borraus, Ludouicus Strebæus, & Nic. Gruchius, Lambinus, Galli, & Ioannes Casius Anglus, & de Italis Petrus Victorius vir vndecunque doctissimus. Reliqua verò SEPVLVEDAE monumenta, quæ σποράδην edita in Hispania, Italia, Gallia, ac Germania circumferebantur, quæq; in vltimis Hispaniæ finibus reperiebantur, à singulari amico, tuique imprimis studioso And. Schotto veluti naufragij tabulas collecta, ad nosque in Vbios missa, & vno fasce colligata nominis tui auspicio damus: cum quod à sacris, vt pius, minimè abhorreas, quæ & hic grauiter diserteque tractat; tum quod vnus propemodum in Germania litteras litteratosque foueas.

Solus enim tristes hac tempestate Camœnas
Respicis:

Equi-

PRAEFATIO.

Equidem si hæc tibi grata accidisse cognouero, erit cur maiora tibi me debere ingenuè profitear, domique adornem. Vale. nosque amare perge. Coloniæ Vbiorum, ipsis IDIB. Ianuar. noui anni cIↃ.IↃ cII. qui, vt tibi feliciter eueniat, opto.

D. T.

deditissimus

Arnoldus Mylius

ELENCHVS OPERVM IOANNIS GENESII SEPVLVEDAE.

De vita & rebus gestis Aegidij Albornotij Card. lib. tres pag. 1.

Descriptio collegij Hispanorum Bononiensis p. 63.

De regno & regis officio lib. tres p. 71.

Epistolarum lib. septem pag. 119.

De correctione anni & mensium Romanorum pag. 289.

Dialogus de appetenda gloria, qui inscribitur Gonsalus pa. 310.

De honestate rei militaris qui inscribitur Democrates, libri tres pag. 339.

Apologia pro libro de iustis belli causis, suscepti contra Indos, pag. 423.

Oratio ad Carloum V. vt bellum suscipiat in Turcas pag. 446.

Dialogus de ratione dicendi testimonium in causis occultorum criminum, qui inscribitur Theophilus p. 460.

De ritu nuptiarum & dispensatione lib. tres pag. 492.

De fato & libero arbitrio contra Lutherum lib. tres pag. 536.

Antapologia pro Alberto Pio comite Carpensi in Erasmum pag. 594.

DE VITA SCRIPTISQ.
IOAN. GENESII SEPVLVEDAE CORDVBENSIS.

E scriptis eius & epistolis collecta.

IOAN. GENESIVS SEPVLVEDA Cordubæ honestis parentibus, antiqua Christianorum apud suos genere natus, Anno Christi opinor cIↃ. cccc. xci. puer liberaliter institutus, primisque literis in patria est imbutus, ad quas rapi se natura, genioque videbat. Est autem Corduba vlterioris Hispaniæ in Bætica, vrbs celebris, & non modo frugum, optimorumque equorum feracissima, sed & ingeniorum parens, & militarium virorum vt astutorum copia felix: in his olim Fernandus Gunsaluus fuit, Dux Regum Catholicorum, qui rerum gestarum gloria Magni cognomentum retulit. Genesius verò, Complutum, Carpetanorum frequentem Academiam, (hodie *Alcala de Henares* à flumine nominatur,) à parentibus ad vberiorem ingenij cultum, tanquam ad mercatum mittitur: deditque operam in Dialecticis & Physicis Xantho Mirandæ, egregio eius ætatis Philosopho ac Theologo, & acerrimo disputatori, vt solus pæne in scholis regnare putaretur. Decursis iam triennio Philosophiæ humanæ spatijs, ad sacram illam scientiarum dominam, animum conuertit, vt Ecclesiæ Dei vtilem nauare operam posset. Ne verò parentibus oneri amplius esset, vacaretque Bononiæ alumnis Hispaniæ locus, eò se non inuitus Sepulueda contulit, quo vt Philosophiæ, sic & Theologiæ culmen superare, Deo beneiuuante, aliquando posset. Cuius de Collegij Bononiensis fundatoris, Aegidij Carilli Albornotij vita, rebusque domi, militiæ gestis, Latinè & eleganter, rogatus à sodalibus, eò postea scripsit libentius, quo grati animi testificationem apud posteros exstare cupiebat ardentius. Adiecit & Collegij illius Hispanensis originem, doctosque homines recenset, qui ad eum diem, tan-

em, tanquam ex equo Troiano, inde prodijſſent. Totum hic ſe Theologicis ſtudijs ac S. Scripturæ, qua diſputando, qua lucubrando ſic tradidit, vt & Philoſophica interdum retractaret & horis ſubſeciuis Græcas litteras, (quas iam inde à puero adamauerat, & eloquentiæ Ciceronianæ iungendas arbitrabatur,) reſpiceret: confectoque iam ſacrarum literarum curriculo, Romam vltro honoris gratia eſt euocatus in familiam Alberti Pij Carporum Principis, viri non modo natalium ſplendore, ſed & Philoſophiæ ac Theologiæ ſcientia adeo excellentis, vt æqualium cederet fortaſſe nemini. Huic libenter ſtudiorum ſeſe ſocium Geneſius adiunxit, qui, vt in Apologia aduerſus Eraſmum teſtatum ipſe reliquit, tam honorificè ſemper, tamque amanter, multos annos eum tractauit, nihil vt honoris, vel benignitatis, vel denique fauoris, cuiquam ſuorum tribuerit, quod illi non fuerit ſane libens impertitus. Erat in docta illa familia, ſeu Ahenæum appellare libet, doctorum hominum, non aſſentatorum copia: Aldus Manutius Romanus, & Marcus Muſurus Cretenſis: quo quidem Græcæ linguæ, vt illo Latinæ vſus doctore Albertus fuerat, Triphon Byzantius vtriuſque peritus linguæ, Petrus quoque Pomponatius, & Ioannes Monſdocus Hiſpalenſis: qui poſt Philoſophiæ magiſtri publicè inclaruerunt: ille Bononiæ, hic Piſis, & Patauii. Theologi quoque complures alij hic cernebantur. Igitur otium nactus, liberaliter Geneſius ad commentandum, litteriſque mandandum quæ pridem meditata haberet, animum appulit. Cumque magnam eſſe oratoris laudem in interpretando didiciſſet, & penes Græcos Philoſophiam eſſe, quæ muta adhuc apud Latinos iaceret, careretque litterarum lumine, Ariſtotelis Peripateticæ ſcholæ principis libros quoſdam, Bononiæ primum, poſt etiam Romæ in illa viginti duorum annorum Italica peregrinatione, Latinitate donauit. Animaduerterat enim elegantius quoſdam quam verius, ſenſa Philoſophi reddere, & Ciceronianos quam Ariſtoteleos, videri ſe maluiſſe, vt Alcyonium, vt Perionium. Conuertit enim duos *de Ortu, & Interitu* libros, & quattuor *Meteorologiæ*: quorum alteros Adriano VI. Pont. Max. alteros Carolo V. Cæſari obtulit. Libellos quoq; ad animantiũ naturã pertinẽtes, qui vulgo *parui Naturales* nominãtur. *de ſenſu & ſenſibilibus, de memoria ac recordatione, de ſomno ac vigilia, de inſomnijs, de diuinatione per ſomniũ, de vitæ lõgitudine ac breuitate, de iuuẽta ac ſenecta, vita ac morte, de ſpiratione, de motu animaliũ, de eorum deniq; in*

ceſſu.

ceſſu: quos ad Albertum Pium Principem miſit: Græcorum ſcholijs in ijs adiutus Alexandri, Simplicij, Philoponi, ac Michaelis Epheſij. *De mundo* quoque libellum aureum ad Alexandrum, quiſquis tandem auctor eſt, Latinum etiam fecit, in gratiam Herculis Gonzagæ Mantuani Principis. Præterea Clementis VII. P. M. voluntate ac iuſſu, doctiſſimam Alexandri Aphrodiſiei enarrationem, in duodecim Ariſtotelis libros περὶ τῶν μετὰ τὰ φυσικὰ *de prima Philoſophia* Latinè reddidit: nam duos qui reſtant, Alexandri libros Græcè exſtare audio Patauij, apud nobilem iuxta atque eruditum virum Vincentium Pinellum; poſt Ariſtotelis *de optimo reip. ſtatu* libros VIII. non ſolum è Græco in latinum ſermonem, veterum & caſtigatorum exemplarium fidem ſecutus conuertit, ſed eorum difficiles quoque locos breuibus ſcholijs explanauit. Ethica quoque Νικομάχεια maiorum vigiliarum opus Paraphraſi, quæ tamen lucem non aſpexit, illuſtraſſe videtur, & Argyropoli verſionem caſtigaſſe hortante Io. Matthæo Giberto, Veronenſi Epiſcopo, *apparet ex epiſtola VI. & VII.* Qua commentatione natam ſibi ſcribit illam Quæſtionem, quam & profligauit, ad exitumque adduxit, *De conuenientia militiæ cum Chriſtiana religione*, & *Democrates* inſcribitur Dialogus: nam altera huic affinis, & longe difficilis quæſtio acceſſit, cui titulus, *Democrates alter*, ſiue *de iuſtis belli cauſis*. Quæſitum enim, *iuréne an iniuria Barbari apud Indos in Hiſpanorum ditionem redigerentur*. Aſſerebat nimirum Geneſius, noui orbis incolas, quos Indos vocamus, in Chriſtianorum ditionem armis redigi ius faſque eſſe. Non in ſeruitutem tamen, ſed ditionem abducendos: non bonis ſpoliandos, ſed ſine iniuria conſeruandos: non heriliter eis, ſed regiè ac ciuiliter, ad illorum vtilitatem eſſe imperandum. Edituſque olim hac de re Romæ libellus, paucis admodum exemplaribus, curante Antonio Auguſtino V. C. Pontificij tum tribunalis, quam *Rotam* à forma vocãt, auditore, *vt ait epiſtola LXIX. & LXX.* verũ quod conſtanter à reliquis contradici videret, premi & intercidere paſſus eſt. Apologiã tamen eius, qua rationes ſententiæ ſuæ apertius reddebat, in Italia nacti ſumus, *vide Epiſt. LXVII. & LXXXI.* Diſputauit & ipſe hac ipſa de re coram iudicibus, cum Dominicanæ familiæ Theologis, qui & ipſi de hoc iure ſententiam ſuam copioſe explicarunt, Franciſcus Victoria, Dominicus Soto, & Bartholomæus Chapæ in India Epiſcopus. Sed & Complutenſis Acãdemiæ doctores, à Sepulueda diſſenſiſſe, didici lib. VIII. Aluari Gometij

Gometij de vita Franciſci Ximenij Cardinalis. Cõſulebatur autem vt præſtans eius ætatis Theologus frequenter, difficileſque ad eum nodi ac ſcrupuli reijciebantur, quos diſertè ipſe diſſoluit, & quidem ferè Dialogorum ritu, Platonis, & quem ſtudiosè ſectabatur, M. Tullij exemplo. *Sic de gloria appetenda, de fato, & libero arbitrio: de nuptiarum ritu, ac diſpenſatione: denique de teſtimonij dicendi in occultis criminibus ratione.* qui ſunt in manibus libelli, citanturque & in rem præſentem adferuntur, à ſummo Iureconſulto Martino doctore Nauarro. Cæterum cum Eraſmo, nouis rebus ſtudente, & ambiguè atque occulte Eccleſiam oppugnante, ſic edita Apologia contendit, vt & modeſtiæ nunquam ſuæ oblitus, & veritas altercando quæſita videretur. Iactarat ille eius libri auctorem (quem Albertus Pius Carporum Princeps, pro Catholica religione in eius errores euulgarat) Sepuluedam eſſe, *vt epiſtola XVIII.* refert: quodque frigide illum in Ciceroniano ſuo Batauus, ac veluti ſpei bonæ iuuenem prædicaſſet, cum grandis iam natu eſſet, editiſque libris clarus, in alia omnia Geneſius diſceſſit, & Ciceronem vnum, vt eloquentiæ parentem, non quoſuis imitandos eſſe, rectè cenſuit, *epiſtola X. & XXXIX.* Quemadmodum vero in anni menſiumque correctione (de qua pauci tunc egerant, hodie verò plurimi, inſtaurato à Gregorio XIII. P. M.) diſſenſit à noſtro Gaſpar Contarenus Card. Venetus, Mathematicus & Philoſophus egregius, *epiſtola XXV. XXVI. XXVII.* Sic & ille à Fredenando, Nonio Pinciano diſcrepat, in ſaltus Pyrenæi terminis apud Plinium, motuque Solis per ſigniferum, *epiſtola XLVI. XLVII. XLVIII.* & ne quid diſſimulem, in Aeræ Hiſpanorum etymo, hallucinari Geneſium docuit, doctus Luſitanus Andreas Reſendius epiſtola ad Io. Vaſæum Brugenſem data, indeque Didacus Couaſruuias, variarum Reſolutionum Lib. IIII, & in Anni emendatione Scaliger. Sed hæc hactenus. Poſt cum annos amplius viginti ἀποδημίᾳ per Italiam peregrinatus eſſet, qua in re Vlyſſem illum Homericum ſuperauit, tandem aliquando, magna ſuorum, ciuiumque exſpectatione in patriam reuertit Geneſius, collecta iam ingenti gloriæ adorea foris parta. Multi enim, inquit ille, extra patriam bene rem geſſere, domi obſcuri atque inglorij futuri. Patriam enim ſuos Prophetas honorare ſolitam negat Chriſtus. Cæſar illum Carolus V. verè Auguſtus, ex Italia per Germaniam ſponte adductum, nihilque tale ambientem, vltro in domeſticorum numerum

retulit,

retulit, & Hiſtorici titulo cohoneſtauit: *epiſtola VIII. IX. & XXIX.* Cuius etiam Imperatoris, res præclarè domi, foriſq; geſtas, vt ſumma fide diligentiaq;, ſic & elegãtia pari, litteris prodidit: aſſeruariq; aiunt, eos Commentarios à Regibus Catholicis, qui inanis gloriæ contemptum, ijs hactenus latere iuſſis, declarant, dum tempore vt ſit inuidia decedat: poſteri enim incorruptius ferè iudicant. Climactericum agens annum tertium & ſexageſimum, pleriſq; fatalẽ, graui morbo, ad medicorũ deſperationem conflictatus, Dei benignitate, qui ad maiora eũ reſeruaret, incolumis euaſit *vt ait epiſt XXCVII.* Grauis iam annis, octogenario enim maior erat, atq; in affecta, feſſaq; ſtudijs ætate, è Carpetanis Vaccæiſq; Cordubam rurſum ſeceſſit, vt vbi ſpiritum primo hauſerat, ibidẽ redderet. Igitur in prædio Mariano vt animum defatigatum relaxaret, ruſticabatur: in quo & otij, & ſtudiorum gratia perinde verſabatur, atq; in Tuſculana ſua villa diſputationibus nobilitata M. Tullius. Is eius fundus erat ad conuallem Mariani montis, qua Cordũbæ imminet, Galliq; cognomentum habet, diſertè deſcriptus *epiſt. LXIV. LXVII. & LXXXIV.* Fratrem habuit Bartholomæum Sepuluedam, qui multis & ipſe annis Cæſari militauit, fratriſque alterius filium, Petrum Sepuluedam Cordubenſis Eccleſiæ Sacerdotem: cœlebs perpetuo vixit & continenter, ſacerdotia minimè ambiuit, in ſtudijs acquieſcens, ſuoq; ſucco, ac Cæſaris liberalitate priuatus viuens: qua & priſcos Philoſophos beatam metiri vitam non ignorabat. Ad ſtylum quod attinet, poetica leuiter tinctus fuit, ſoluta oratione Ciceronem ſemper æmulatus, Hiſpanos inter excelluit, cõiuncta cum ſapientia vera eloquẽdi facultate, vt & apud Luſitanos Hieronymus Oſorius præſtitit. Oratio eius ſuauis, diſerta, ac grauis, vt iudicio Philoſophum excelluiſſe, vel hinc agnoſcas, vberior tamen eſt ac venuſtior, quam Philoſophorum aut Theologorum noſtri temporis. Epitaphium inſcripto marmoreo lapide, ſepulchro ſuo, hoc ſibi viuens fecit, (exſtatque *epiſt. LXXXVI.*) Quod in Putalbani Municipij æde ſacrorum maxima, & primario ſacello Antiſtitis, & Preſbyterorum conceſſu, ſibi fratrique ac poſteris deſignauit.

D. X. S.

IO. GENESIVS SEPVLVEDA
QVI SE ITA GERERE STVDEBAT
VT IPSIVS ET MORES PROBIS
PIISQ.

IOA. GENESII SEPVLVEDAE VITA PIISQ. VIRIS ET DOCTRINA SCRIPTIQ. DE THEOLOGIA ET PHILOSOPHIA HISTORIARVMQ. LIBRI DOCTIS ET AEQVIS PROBARENTVR

S. V. F.

VIXIT ANNOS LXXXI.
OBIIT ANNO cIↃ. IↃ LXXII.

ELOGIA DOCTORVM VIRORVM.

De Ioa. Geneſio Sepulueda.

Paulus Iouius in elogijs doctrina illuſtrium.

HOdie proculdubio IO. SEPVLVEDA Cordubenſis, ipſam eximiæ laudis arcem obtinet, qui Græcæ peritus linguæ & ſcientiarum propè omnium validis inſtructus præſidijs, dum aſſiduè atque adeo feliciter ſtylum exercet, eloquentiſſimus euaſit.

Idem in Petro Alcyonio Cap. CXIII.

CVm aliqua ex Ariſtotele perperam inſolenterque Petrus vertiſſet, in eum SEPVLVEDA vir Hiſpanus, egregiè de litteris meritus, edito volumine, iacula contorſit, non Hercule indigna tãti Philoſophi vulneribus, ſi vindictæ nomine merita pœna mulctaretur, tanto quidem eruditorum applauſu, vt Alcyonius ignominiæ dolore, miſere conſternatus, Hiſpani hoſtis libros in tabernis vt cõcremaret, graui pretio coemere cogeretur.

Franciſ. Floridus Sabinus in Apologia Latinæ linguæ.

IOan. Sepuluedam Hiſpaniæ, ſeculique noſtri decus, Philoſophũ Theologumq; egregium, prout par eſſet celebrare, maius eſt opus, quam vt à nobis commode præſtari poſſet. Siquidem eius ſcripta exactam rerum cognitionem, mirumque in Latinitate candorẽ præferunt.

Petrus Curtius in Apologia pro Italis aduersus Erasmum.

QUid tu GENESIVM SEPVLVEDAM Hispanũ, qui Philosophiã ac Theologiam, Græcis Latinisque litteris, gnauiter persecutus, vtramque etiam orationis vbertate, & vitæ grauitate decorauit, ad scribendum contra te, traxisse cogitas, nisi officium? nisi pietatem?

L. Gregorius Gyraldus Dial. II. De poëtis sui temporis.

GENESIVS Sepulueda Græcè ac Latinè, & bonis omnibus artibus est eruditus, in primisq; Philosophia ac Theologia, &c.

Alfonsus Garsias Matamorus Hispalensis lib. de asserenda Hispanorum eruditione.

IOA. GENESIVS SEPVLVEDA Cordubensis natura fuit admirabili, exquisita doctrina, & singulari industria: qui cùm multis rebus excelleret, sic in omnibus tamen eminuit, ac si totum otiũ in singulis reposuisset. Latine vertit Aristotelem, & Alex. Aphrodiseum in libros XII. τῶν μετὰ τὰ φυσικά: & quæ à doctis Græcis accepit, si digna existimauit in quibus elaboraret, multo quam in ipsis fuerant explicata autoribus meliora reddidit. Genus orationis illi fusum, tractum, & cum lenitate quadam profluens, quale Historia, auctore Cicerone, postulare videtur. Quo factum, vt in tam admirabili aureoque Eloquentiæ flumine, quantum in *Genesio Sepulueda* attoniti intuemur, spiritum aliquem ampliorem desiderent, calorẽ intensiorem quærant, & flammas maioris incendij postulent: non intelligentes fusioribus numeris placidam, quietamque orationem reddi. Sit igitur hoc GENESII proprium, perpetuumque elogium, celebratum encomijs à Paulo Iouio, sublatum in cęlum à Lilio Gyraldo Ferrariensi: neminemque vnum esse ex his qui *de claris doctrina viris* ætate nostra conscripserunt, qui non Hispanorum primum GENESIVM Sepuluedam nominet: satiusq; foret de aucta eius dignitate Historici Cæsaris Caroli V. loqui, quam de artibus & studijs, de quibus nemo paullo eruditior vnquam dubitauit.

(··)

AD IL.

AD ILLVSTREM ET

MAGNIFICVM, D. D. LVDOVICVM CARILLVM ALBORNOTIVM, IN AEGIDII ALBORNOTII gestorum Librum IOANNIS GENESII SEPVLVEDAE CORDVBENSIS.

PRAEFATIO.

VM illustrium Virorum res gestas, et fortunæ, omnibus reb. dominantis, temeritatem, consîdero, vt præclarè in primis cum his actum esse videri solet, quibus illustrium factorum suorum illustres scriptores contigere, sic eorum conditio mihi quadamtenus videtur miseratu digna, quorum gloria post præclara ab ipsis viuentibus edita facinora, obruta, obliuione in obscuro iacet. Quam calamitatem maioribus nostris, id est, Hispanis, scriptorum inopia contigisse, satis scitè Mena conterraneus meus suo carmine deplorauit. Quid enim miserabilius, quam post plurimos labores, ingentia q3 exhausta pericula, summam virtutem suo præmio fraudari? Est verò cum aliarum virtutum commune præmium honor, tum magnitudinis animi, teste Aristotele, maxime propriũ. Qui honor eo cuiq3 vberior defertur, quo ad plurium hominum, pluriumq3 ætatum memoriam eius laudes monimentis litterarum propagantur. Senserat hanc iniuriam multos annos AEGIDIVS ALBORNOTIVS Vir sine cõtrouersia suæ memoriæ decus, & gloria. Qui cum pacis belliq3 artibus viuẽs summam claritatem adeptus esset, nemo tamen eius præclarè gesta, nisi auarè, & dum alias res agit, memoriæ tradiderat. Donec prouenêre grati homines in collegio Hispaniensi, quod eius auspicijs Bononiæ honestus generis nostri iuuenibus litterarum studia æmulantibus conditum est. Qui, vt tantum virum deq3 se optimè meritum ab ea iniuria vendicarent, perlectis, ac consideratis epistolis Pontificum, ac AEGIDII vltrò citroq3 missis, quarum maxima copia in collegij scrinijs etiã nunc asseruantur, quosdam velut Cõmentarios eius rerum gestarum, summo, vt credibile est, labore confecere. Et vt in historiæ formam redigeret, cuidam Ioanni Garzoni Bõnienſi, cuius eloquentiæ, erat tunc

non mediocris opinio in hac ciuitate, prouinciam oblata satis honesta conditione delegarunt. Ita horum opera effectum est, ut AEGIDII *nomen, quod diuturna obliuione velut oppressum tenebatur, è maligna luce in apertum emergeret, hominumq; notitiam prodiret. Sed scriptor ille disertus, vt putabatur, iniunctum munus tam negligenter obiuit, vt difficile dictu sit, industriane, an eloquentiæ minorem laudem meruerit. Qui nulla sæpe nec temporum, nec locorū habita ratione, vt quæ quæ in manus venerāt, scribebat. Quo factū est, vt quædam non satis sibi constantia, nonnulla eadem haud vno in loco confusa, inculcata q; reliquerit. Nam quod ad stilum attinet, tantum abest, vt historicum characterem tenuerit, vt nunquam, dicam enim quod sentio, historiam legisse videatur, atque adeo vtinam quæ voluit, satis latinè, dixisset. Quæ nō ob id hercle à me commemorantur, vt homini probo alioquin, vt accepimus, nec inerudito, cui vel eo nomine habenda gratia est, quod pleraq; res tam diffusas, tamq; dispersas in vnum velut corpus vtcunq; congesserit, inuidiam faciamus, cum mortuis laruarum more luctantes, sed vt interim constet, nō temerè hunc laborem à nobis fuisse susceptum. Huiusmodi nanq; vitia non ferētes cruditi iuuenes mei sodales in Aegidiano collegio, qui dum, vt ego interpretor, mutuæ inter nos beneuolentiæ indulgent, ingenio meo, quod equidem intelligo quam sit mediocre, tantum tribuunt, quantum ego nec agnosco, nec postulo, à me familiariter petiuerunt, vt rudem & barbaram historiam in mitiorem cultum, & humaniorem, si enim aiebant, formam redigerem. Ego verò & meæ tarditatis conscius, nec ignarus, quod Cicero testatus est, historiam nec institui nisi præparato otio, nec exiguo tempore absolui posse, diu equidem repugnaui. sacrarum literarum, & Aristotelicæ doctrinæ studio seueriore, quod me multos iam annos teret, occupatus. Sed cum tanto illi magis vrgerent, & mihi velut ingratitudinem exprobrantes* AEGIDII *erga nos merita comemorarent, accessit summi et grauissimi viri authoritas Bernardi Caruaial Cardinalis, qui Sanctæ Crucis inscribitur, qui, vt est, cum illustrium virorum suiq; similium, tum in primis* AEGIDII *Albornotij laudum (vt ita dicam) adamator, id mihi munus missis litteris iniungere tanti putauit. Prouinciam ergo non tam perficiundi spe, quàm negandi verecundia suscepi. Et succisiuas horas, quas literarum Græcarum studio in quo aliquandiu versatus sum, impendere solebam, huic operi destinaui. Quod Ludouice Carille Albernotie tibi potissimum iustis de causis dicamus. Non ob id tantum, quod quidem magnum est, quod inter Principes Hispanos ita generis claritate, et omni virtute, nulli cessurus excellis, vt ad illustrāda scripta nostra nomen tuum per se satis fore videatur, sed quia cū tu sis Albornotiæ familiæ princeps, ac proinde gloriæ, ac laudum* AEGIDII *legitimus hæres, nefas duxi, quidquā*

à me

à me rerum gestarum huius diuini Viri memoriæ prodi, quin sub tuo patrocinio in lucem emitteretur: vt dum te hoc officio colimus, quod quantulumcunque est certè Principes & honestum sibi, & glorioſum putare ſolent, ipſi quoque AEGIDIO, cui ob ingentia eius in nos merita, hoc officium præſtamus, hac quoque parte gratificemur. Quem nemini ſuorum geſtorum hiſtoriam nuncupari, quam tibi malle credibile eſt. Suſpice igitur opus grato animo & maiorum tuorum illuſtria facta recognoſce, vt hæc legendo, ſimul tui generis gloria fruaris, ſimul ad æmulandam illam uirtutem (quod facis) tanto magis exciteris. Ita te quamlibet rudis et nuda narratio iuuare, et opus quoquo modo ſcriptum aliqua ex parte delectare poterit, cum ſe tibi parum labore noſtro commendabit. Quanquam mehercule teſtari poſſum multum me in id operæ poſuiſſe: non modo vt orationi Latinæ aliquem nitorem adderem, licet ne hanc quidem partem, quantum in me fuit neglectam reliquerim, ignarus quantum ea opera fuerim conſecutus, ſed multo magis in reuoluendis illis ſcriptis quorum fidem, ſed præpoſterè ſecutum fuiſſe Ioannem Garzonem ſupra memoraui: vt aliqua ſaltem locorum, ac temporum ratio conſtaret, & pleraque quæ deſiderabantur excerperem. Qua mihi parte hærenti, ac diu laboranti dum implorata auxilia comparantur, opus intermititur, Et quod otium huic impendebam: vertendis è Græco in Latinum exponendisq; quibuſdam Ariſtotelis voluminibus tradidi, quæ propediem edere cogitamus. Donec Gometius Carillus frater tuus, Vir præclarus et qui magno animo magnaq; ſapientia Conchenſem Eccleſiam Theſaurarius moderatur, quoque alumno collegium noſtrum merito gloriatur, à me literis conſultus multa è fidelibus monimentis excerpta ſuppeditauit, quæ me magnopere iuuerunt: qua occaſione inuitatus, cum quæ intermiſeram, reuocaſſem, abſoluta vt recognoſcerem, ac edere inciperem me hortati ſunt cum alij mei ſodales AEGIDII eiusq; gloriæ amantiſsimi, tum in primis Iacobus Pontius de Leon noſtri collegij Rector, Vir integer, et grauiſsimus; qui, vt de eius multiplici doctrina taceam, cũ priuatus, tũ maximè in eo magiſtratu conſtitutus ſuo ſe nomine, ſuaq; clariſsima familia perquam dignum exhibere perſeuerat. Horum igitur authoritatem ſecuti, vt obiter immaturæ forſitan editionis inuidiam authoribus leuemus, librum quem ipſi nondum maturuiſſe putabamus, ac iuſto fortaſſe crudiorem emiſimus. Hac tamen fiducia, quod tibi dicatur, tutiorem ab iniurijs in manus hominum proditurum. Vale.

RERVM GESTARVM.

ÆGIDII ALBORNOTII CARILLI, CONCHENSIS S. R. E. CARDINALIS ET ARCHIEPISCOPI TOLETANI, DVCIS CLARISSIMI LIBRI TRES.

In quibus, qua ratione tyrannica oppressam seruitute ITALIAM *in libertatem asseruit, Ecclesiæq; restituit, & Pontifices Auenione velut exulantes,* ROMAM *reduxit, legisse operæ precium fuerit.*

A IOANNE GENESIO SEPVLVEDA CORDVBENSI conscripti.

LIBER PRIMVS.

Natales Aegidij Albornotij.

AEGIDIVS ALBORNOTIVS natione Hispanus, patria Conchensis, ex clarissima Albornotiorum familia, patrem habuit Garsiam Aluarum Albornotium principem virum, & multis populis dominantem, qui genus ab Alphonso quinto Legionensium Rege perpetua stemmatis claritate repetebat. Matrem Teresiam de Luna, quæ eadē summo loco nata genus ducebat à Iaimo, seu Iacobo, rege Arragonum. Is cum iam inde ab ineuntibus annis literarum studio deditus, magna futuri profectus præbuisset documenta, ætate adultior in Tolosanum, florentissimum id temporis gymnasium, à patre, optima spe concepta, mittitur. Vbi ingenij felicitate, pertinaci erga literas studio, eo processit eruditionis, vt breui inter paucos iuris pontificij peritissimos, nec extremo loco numeraretur, quam doctrinam cum eximia morū sanctitate & singulari religionis obseruantia illustrasset, in patriam reuocatus nactusq; familiaritatem Alphonsi Castellanorum Regis, qui Algeziras vrbes quondam nobilissimas haud procul sitas à freto Herculeo à Mauris recepit, summis virtutibus hominum de se vicit opinionem:

Re-

Regi adeo charus & sanctimonia venerandus, vt interfuturus ille sacrificijs à nemine mallet, quàm ab AEGIDIO iam sacris initiato rem diuinam peragi. Quibus artibus cum à Rege summam gratiam iniuisset, haud ita longo interiecto tempore, Archiepiscopatu Toletano, amplissima dignitate, ab eodem auctus est: non multò antè præliũ illud nobilissimum, quo ab hoc Alphonso victus est & fugatus Benamarinus Rex Maurorum potentissimus, qui bellum Hispanis illaturus, innumerabilem penè exercitum in Bæticam traiecerat. Quod prælium Rex initurus AEGIDIO rem diuinam facienti religiosissimè interfuit, & cum CHRISTI corpus adorasset & venerabundus ab eius manibus sumpsisset, ab eodem sese arma indui popoſcit: cuius ille precatus, vt res feliciter eueniret, non modo corpus ferro, sed animum etiam summa spe ac ingenti fiducia armauit, dum fortiter gestorum, inuictæque ipsius maiorum virtutis admonet, & multa non insultæ impietatis in Deum CHRISTVM exempla commemorat. Et commisso certamine, Regem alios hortantem, ipse lateri proximus adhortationibus incendebat. Sed parta victoria, receptisque Algeziris, quæ fugato Benamarino, paruo negotio victori cesserunt, dum Gibraltare obsideret, morbo correptus Alphonsus diem suum obijt. Regnumque dissimillimus filius, atque adeò pestis humani generis, Petrus ille excepit, cui facta *Crudelis* cognomen merito peperere. Hic initio rerum nondum ferina sæuitia sese efferente, AEGIDIVM, vt parerat, eodem familiaritatis loco recepit, quem apud Alphonsum obtinuerat: eiusque adhortationes & monita admittere visus est: adeò, vt hoc magistro morum non paruam spem de se hominibus principio rerum exhiberet. Sed cum se paulatim pestis detexisset, cum virtutibus cœpit odisse magistrum. nam cum primum castigationis dolorem animo repugnante, tamen altius suppressisset, paulo pòst victus insita feritate, iusta consilia detrectabat; & cum cætera grauissimè pateretur, illud ferre non potuit ab AEGIDIO sibi toties exprobari. Quod fastidita Blanca vxore pudicissima, cuidam Mariæ de Padilla effrenata libidine assuesceret. Erat enim AEGIDIVS cum omnis generis vitiorum acerrimus insectator, tum libidinis vel maximè, à qua tantum abhorruit, vt fama constet, nunquam eum hoc crimine, quoad vixit, fuisse pollutum. Rex ergo dissimillimum hominem sua sponte palàm exosus, pellicis quoque, quæ grauem censorem capitaliter oderat, precibus incensus, necem AEGIDIO molitur. Ille verò cognitis insidijs, quæ gratiosum in primis hominem diu latere nequiuerunt, causa simulata, missionem efflagitat. quam cum vix ad tempus impetrasset, Concham vrbem patriam peruenit. Vbi parumper commoratus, comparataque profectione, ad Clementem VI. P. M. Auenionem, sedem id temporis Ecclesiæ Romanæ, contendit. A quo libentissimè

Regi Alphõso Castellæ fuit à sacris.

Donatur Archiepiscopatu Toletano.

Regis Alphõsi obitus.

Anno Christi 1351.

Regis Alphõsi F. Petro Crudeli inuisus, quod ipsius libidinẽ reprehenderet.

Concha Auenionem ad Clementem VI. P. M. proficiscitur.

mè exceptus ſummoque in honore habitus, paruo interiecto tempore, Cardinalis factus eſt. Clementi ſucceſſit in Pontificatu Innocentius VI. Vir integerrimus, ſingularis conſtantiæ & ſeueritatis. Apud hunc AEGIDIVS ſanctitate & moribus perſimilis, multò etiam magis gratia & authoritate valuit. Quandoquidem iam non ſapientia tantum, & pacis artibus cenſebatur, ſed magnis etiam virtutis indicijs ſpem concitauerat, non minus præſenti ſe animo ad bella gerenda futurum, quàm acri ingenio fuiſſet ad litteras capeſſendas. Opprimebatur eo tempore à tyrannis magna pars Italiæ, quæ Eccleſiaſticæ ditionis erat, inſtimulante ad id, non modo fauente, Ludouico Bauaro Imperatore, quem propter ipſius ſcelera, Innocentius quoque poſt ſuperiores Pontifices anathemate reuinxerat. Quippè cum occupaſſet cum multis alijs oppidis Viterbium, Ioannes Vicus: Ariminum, Piſaurum, Fanum Malateſta de Malateſtis: Vrbinum, Antonius Philaretus. Ac ne ſingulos perſequar: quota pars erat Imperij Eccleſiaſtici, quæ à tyrannis non teneretur? Ad eas igitur ciuitates recipiendas, quæ ſuperiorum Pontificum negligentia magna ex parte amiſſæ fuerant, etſi quædam alia Innocentium ſtimularent, poſcentibus nonnullis earum idipſum per legatos, multum tamen AEGIDII virtutem conſiliumque inuitaſſe creditum eſt. Plerisque igitur rebus opportunè congruentibus, Pontifex nihil cunctandum ratus, AEGIDIVM ad ſe vocat, conſilium ſuum exponit: multos eſſe in Italia populos ab Eccleſia per vim tyrannicam alienatos, cum magna rei Eccleſiaſticæ iactura & Pontificum dedecore, fore, niſi ſerpenti indies malo quàm primum occurratur, vt cæteri eorum exempla ſecuti, ab Eccleſia propediem deſciſcant: tanto magis, cum Ludouicus Imperator Eccleſiæ infeſtiſſimus hoſtis, eas ad defectionem ſollicitare nunquam deſiſtat. Commemorat deinde quantam ipſe & Cardinalium collegium ſpem & præſidium in eius ſapientia, fide, ac virtute collocauerint. Summam eius belli contra Tyrannos adminiſtrandi ad eum communi omnium ſententia ac conſilio deferri. Proinde ſe honeſtiſſimæ ſimul & honorificæ rei accingat, quàm peractu non ſe credere tantæ virtuti & induſtriæ difficilem fore, nonnullis iam ciuitatibus Tyrannorum ſæuitiam deprecantibus. Quæ ſint ad expeditionem neceſſaria, diſpiceret, milites omnis generis, pecunias, commeatus, abundè ſe ſuggeſturum pollicetur, quibus rebus ille amiſſas Eccleſiæ opes valeat reſtituere, & ſibi immortalem gloriam comparare. Hac oratione delectatus AEGIDIVS, quod videret oblatam ſibi occaſionem in difficili quidem, honeſtiſſima tamen cauſa, virtutem ſuam & conſilium oſtentandi, prouinciam libenti animo ſuſcepit. Quin etiam gratias ſe habere reſpondit Pontifici, quod ſibi potiſſimum eas partes iniungeret. Nam etſi rei onus ſentire, nihil tamen ſibi potiu-

ab eodem Card. creatur.

Italia à Tyrānis oppreſſa.

Ab Innocentio VI. Card. Alborn. pontificij exercitus dux eligitur.

s

tius, nihil antiquius esse, quàm Ecclesiæ ac Pontifici suum officium impartiri: cuius rei causa nullos labores, nulla discrimina, deprecari sibi iampridem indixisset. Bonam spem conciperet, daturum se operam, sperareque, vt debellatis tyrannis, omnes ciuitates, quæ vnquam Ecclesiæ paruissent in eiusdem redigerentur potestatem. In haben- *Militum de-*
do igitur delectu vix mense absumpto, iustum exercitium diuersarum *lectus &*
nationum Gallorum, Teutonum, Cimbrorum, Britannorumque AE- *duces.*
GIDIVS comparauit. Vsus adhoc magna ex parte opera Gomecij Albornotij nepotis ex fratre Aluaro Garsia Albornotio, viri & strenui & rei militaris bene periti. Proficiscenti addit se Comitem Lupus *Episco Ca-*
Archiepiscopus Cæsaraugustanus, vir sapiens & alto consilio. Quem *sarauguста-*
AEGIDIVS multis magnisque beneficijs deuinxerat, suorumque *nus & Pa-*
consiliorum arbitrum adhibebat. Secutus est, & Aphonsus Toletanus *censis belli*
Pacensis Episcopus, auctus ea dignitate à Pontifice AEGIDII pre- *socij.*
cibus exorato: erat enim ei veteri fidaque familiaritate coniunctus. Quin etiam ab Hispania huius expeditionis fama celerrima nonnullos exciuit. In primis Blascum Fernandum, & Garsiam Albornotium AEGIDIO consanguinitate propinquos. Qui iam sub Aphonso Rege Castellæ militantes, suæ virtutis præmium, amplos honores fuerant consecuti, & post AEGIDIO operam egregiam, vt suis locis referemus, in bello gerendo nauauerunt. Erat ea tempestate Archiepiscopus, princepsque idem Mediolanensis Ioannes Matthæi filius, in huius fauore conciliando magnum fore momentum ratus AEGI- *Mediolanū*
DIVS, Mediolanum iter suscepit. Quo cum appropinquare nun- *proficiscitur.*
ciaretur, Archiepiscopus, multis honestissimis viris, ac fermè nobilissimo quoque longius præmissis, ipse obuiam cum magno comitatu ad duo millia ab vrbe passuum officij gratia procedit, ac demum splendidè magnificèq; hospitio accepit: edicto per vrbem, vt AEGIDIO eiusque vniuerso exercitui cibaria abundè sine vllo pretio suppeditarentur. AEGIDIVS literas, quas à Pontifice attulerat principi reddit: harum summa fuit AEGIDIVM Legatum, quem à latere suo in Italiam cum exercitu mitteret, ad recipiendas à tyrannis vrbes, quæ ditionis essent Ecclesiasticæ, ipsi etiam atque etiam commendare, quidquid fauoris & auxilij in eum contulisset, sibi fore quam gratissimum: non se solere acceptorum beneficiorum memoriam deponere, aut esse in referenda, vel cum fœnore gratia paratiorem. Postero die, qui fuit decimus septimus Calend. Octob. cum lecta Epistola princeps adesset, AEGIDIVS insuper Pontificis mandata exponit, quanta, quamque iusta esset Pontificis indignatio in tyrannos, qui nullo, nec Christianæ religionis, nec legum humanarum respectu, Ecclesiasticas vrbes occupassent. Ad hos depellen- *Aegidius Ar-*
dos magnam in ipsius Archiepiscopi fide spem Pontificem, cum eam- *chiepiscopo-*
pē implorat.

expe-

expeditionem moliretur, collocasse. Proinde obtestari, vt Christi vicario, omnia de ipso sibi promittenti, ne deesset: Ecclesiæ, cuius ipse bona pars esset, laboranti, & in ruinã præcipiti succurreret. Quibus auditis, princeps multa simul animo agitans, pugnante videlicet cum petitione honesta, eo timore, ne debellatis tyrannis, ipse quoque Bononiam, quæ itidem ab ipso occupata ad Ecclesiam pertinebat, amitteret, semper se, respondit Pontificis voluntati fuisse obsequẽtissimum, quia tamen ea res ardua pergrauisque esset, ad deliberandum se diem sumpturum. Postridiè reuersus incertum, an rei honestate victus, an quod à Pontificis voluntate non auderet dissentire, respõdit. Bellum quidem, quod contra multos simul & potentes tyrannos, quique partim iam in armis cum manu non contemnenda essent, iniretur difficilimum videri, se tamen, quẽcumque euentum fortuna tulerit, quidquid in se opis et auxilij fuerit, in Ecclesiæ dignitatem libenti animo esse collocaturum. Pergrata fuit AEGIDIO principis responsio, eo magis, quod intellexerat, paucis antè diebus Francisci Estensis & Malatestarum ad Archiepiscopum Legatos Mediolano discessisse, & proximè à Ioanne Vico et à tyrannis Foriliuij, Rauennæ, Fauentiæ adueniſſe. quid Legati cum Archiepiscopo egissent, valde metuebat. Nec enim dubitabat à tyrãnis suo aduentu commotis, ad captandum principis fauorem, hos fuisse dimissos: licet Archiepiscopus interrogatus aliam cæterorum aduentus causam simulatè reddiderit: nam Principum Fauentiæ et Foriliuij Legati, ex consilio, vt creditum est, Archiepiscopi, alijs fortasse recusantib. AEGIDIVM conuenerunt, quasi ad ipsum fuissent Legati, renunciantes, Principes suos paratos esse imperata facere, si modo æqua conditio, citraque detrimentum offeratur. Quibus AEGIDIVS haud ignarus, quo animo dicerentur, pro tempore quæ uisa sunt, spe pacis interiecta, respondit. Triduo ibi commoratus facilè intellexit, Archiepiscopum vereri, ne si ipse per Flaminiam iter faceret, Bononia, quæ nullo, aut paruo præsidio tenebatur, in discrimen traheretur. Hanc vt ei solli citudinem explicaret, simul quod allatum erat Malatestam, qui bellũ tunc gerebat cum Gentile Molíano, cum mille quingentis equitibus, haud procul à Ferraria castra posuisse, qui cum ad præsens confligere, nõ erat consilium, iter se in agrum Pisanum carpturum, Archiepiscopo id ipsum suadenti, secretò affirmauit. Petitque ab eo duos viros authoritate graues, consilio præstantes sibi dari. quorum opera in legatione mittenda ad Ioannem Vicum vteretur, quique simul ipsum de Archiepiscopi voluntate erga Summum Pontificem edocerent, vt intelligeret nullam sibi ad resistendum spem esse debere à Principe Mediolanensi. Datus est cum Occino à secretis, Guilielmus Iuris legumque scientia clarus: ambo consilio ac virtute præstantes. Proficiscentem Archiepiscopus muneris ergô duobus poculis argẽteis, tertio aureo, magni pretij pro-

Iter exercitus Aegidij.

ij profecutus est. Cum ad oppidum qui Sãctus Dominicus appellatur, peruenisset, legatos à Marchione Estensi obuios habuit, qui omne eius studium operamque polliciti, ita excusarunt, quod promissa auxilia Hugoni misso rogatum suppetias non præstitisset, vt iusto eum metu exclusum, non voluntate defuisse ostenderent. Nam præterquam, quod Malatesta propius Ferrariam castrametatus esset, multos etiam ciues in ipsius caput conspirasse: daturum tamen operam, vt quod verbis professus esset, re aliquando declararet. Accepta AEGIDIVS excusatione, respondit, gratiam se habere Marchioni Estensi, quod eo animo esset erga se Summumque Pontificem, fore, vt eum instituti consilij nunquam pœniteret. Hoc responso legatis redeuntibus. Legati quoque à Malatesta Ariminensi ad Furnum nouum, quod oppidum est in agro Parmensi, agmen consecuti, cum huiusmodi mandatis adsunt: Aegro animo sese tulisse, quod AEGIDIVS à Flaminia iter auertisset. Qua id ratione fecisset magnoperè mirari, tantò magis cum ipsius studium animusque in Ecclesiam nunquam fuisset dubitabilis: quibus tamen verbis cũ iniqua postulata addidissent, re infecta, sed cũ pacis futuræ spe, redierunt, tandem itinere non intermisso quinis denis castris Florentiam peruenit, fuitque à Florentinis splendidè ac magnificè exceptus, nulloque officio sociæ & amicæ ciuitatis prætermisso, ceritũ quinquaginta equites ei auxilij causa, hæc ciuitas decreuit. Iam hinc AEGIDIO, quos viros ab Archiepiscopo Mediolanensi accepisse, demonstrauimus, legatos ad Ioannem Vicum mittere placet, quibus mandat, vt exposita Archiepiscopi voluntate, ac consilio erga susceptam expeditionem, Pontificis suisq; verbis ei renuntient, oppida, vicos, castella, quidquid demum occupasset, quod iure ad Ecclesiam pertineret, Pontifici sine vlla mora restitueret. Habiturus si ita fecisset, omnium præteritorum malorum à Summo Pontifice veniam. Sin recusaret, aut quouis modo tergiuersaretur, vt Ecclesiæ Pontificisque hosti bellum indicerent, & minis conterrerent. A Florentia AEGIDIVS magnis itineribus Senas ire contendit, huius enim ciuitatis primores cognouerat, vehementer tumultuare, dum alteri Ioanni Vico, alteri Pontifici Maximo studerent: cuius aduentu, operaque & prudentia Episcopi Senensis celerrimè effectum est, vt composita seditione omnes in Ecclesiæ partes adducerentur, & communi consilio centum auxiliares equites AEGIDIO ea ciuitas daret. Interea allatum est hostiles copias non longè abesse à Meuania & Monte Falisco rum, quare ea oppida non contemnendis præsidijs muniri placuit. Influxerat Italiæ temporibus illis perditorum multitudo, qui à Germania non domicilium, aut nouas sedes captandi gratia, vt Cimbros olim fecisse legimus, sed bellandi prædandique studio conciti, Montem Regalem & Comitem Laudinum duces sequebantur.

Legati Marchionis Estensis.

Florentiam Aegidius aduenit & subsidiũ accipit.

Legati ad Ioannẽ Vicum.

Senam Aegidius venit

His belli gerendi ea ratio erat,vt ſigularum ciuitatum agros hactenus infeſtarent,ociumque earum ſollicitarent, donec populi magno precio ab eis pacem redimere,cogerentur: qua immanitate cum in populos Eccleſiaſticæ ditionis potiſsimum vſos conſtaret,non tamen AEGIDIVS ad præſens eos bello laceſſere in rem fore,ducebat:ne ſe Ioanni Vico id ipſum magnis præmijs pollicitationibusq; ſuadenti ſocia arma iunxiſſent,hoſtium numerus magna multitudine augeretur. Erat enim ea ſocietas, nam ſic vulgo dicebatur, armatorum octo admodum millia, quorum tria tantum pedibus,cæteri omnes equis militabant: quin potius in ſuas partes adducere omni ratione enitendum ratus,Carolo Aduadulæ,& Ioanni Alberto, viris magna, & authoritate & prudentia,negotium dat,vti Germanos adeant, eorum animos tentent,quid conſilij cœpiſſent explorato, conentur à Ioanne Vico ad exercitum Eccleſiaſticũ auertere. De conditionibus verò pacis & ſocietatis nihil ſe inconſulto paciſcantur.Sub hæc Peruſini, exorta inter ciues magna ſeditione, Legatos publicè ad AEGIDIVM mittunt,qui ipſum edocerent, quanta in diſſenſione populus ille verſaretur. Quæ cum accedentibus odiorum, vt fit,in dies nouis cauſis,magis ac magis aleretur,poſitum eſſe in eius aduentu ac authoritate, ne ciues cum ciuibus confligant:propterea comprecari, iter ad ipſos quantum maximè poſſet acceleraret. Fore eam rem populo Peruſino magnopere ſaluti, AEGIDIO non mediocri fortaſſe vſui ad bellum gerendum. Cui petitioni, cum AEGIDIVS libenter acquieuiſſet, magna cum celeritate Peruſium contendit, exceptusque cum ingenti lætitia pacem breui inter ciues compoſuit,atque omnium animos in Eccleſiæ, & Pontificis ſtudium conuertit. Interea legati, qui fuerant ad ſocietatem miſsi,re infecta redeuntes, hoc tantum reſponſi à Germanis attulerunt.Statuiſſe ſe liberè vagari,nec cuiuſquam Imperio, aut voluntati ſe addicere. Quod reſponſum cum AEGIDIVS ad concilium retuliſſet, cui adhibuit primos quosque Peruſinæ ciuitatis, omnes in eam ſententiam venerunt.In primis habendam eſſe rationem, ne Germanorum ſocietas ſeſe hoſtibus aggregaret. ad hoc vnam potiſsimam viam patêre,ſi cum tota adduci non potuerit, aliqua ſaltem eius pars cum Duce Monte Regali magnis pollicitationibus, & qualibet grandi mercede conduceretur, vt altero Ducum conciliato, alterius opes non forent extimeſcendæ. Sed de his rebus legatione miſſa, reſponſum eſt à Germanis: Se fide data acceptaque & iureiurando ſanxiſſe, nulla ſocietatis partitione facta, omnes eandem ſemper belli fortunam experiri:quibus reſponſis Legatis redeuntibus,tertio AEGIDIVS ad Montem Regalem legatos cum his mandatis mittit.Quando ſocietati nullis præmijs perſuaderi poſſet, vt aut tota, aut aliqua ipſius pars ſub ſignis Eccleſiæ militaret,dum liberè vagari, ac neutiquam ſe iungi

Peruſiæ tumultũ ſedat Albernotius.

Germanorũ reſponſio.

Germanorũ altera ſeſſponſio.

iungi iureiurando ſtatuiſſe,profiteatur, ab eo poſtulare primũ, vt copias quę agrum Tudertinũ infeſtarent,inde quamprimũ abduceret,deinde ciuitates ditionis Eccleſiaſticæ,ne bello,néue alia iniuria laceſſeret. Poſtremò rogare,ne hoſtib.ſuis Pontificisq́;,pręſertim Ioanni Vico prę ſtaret auxilium.Quæ ſi ita feciſſet,magnam illi ſecum et cum Pontifice Maximo,gratiam futuram,acturumq́; ſe pollicetur cum Summo Ponti fice,vt fratrem eius, hominẽ Eccleſiaſticum & vtriuſq́; iuris non Imperitum cum honeſtis reditibus Epiſcopali dignitate augeret: ſin minus hæc impetraret,quæ tam iuſta & honeſta eſſent, cum non minus hoſtes Eccleſiæ vlciſcendi,quàm amicos & clientes conſeruandi curam ſuſcepiſſet,non ſeſe commiſſurum, vt horum iniurias neglexiſſe, videretur. Ad hæc Mons Regalis paucis reſpondit. Iuſta eſſe AEGIDII poſtulata,& accepta conditione, nihil ſe deinceps acturum pollicetur, quod intellexerit, AEGIDIO Summoque Pontifici moleſtiam, aut incommodum allaturum, ſtatimq́; exercitum à Tuderto promotum in Picenum perduxit. Hæc eodem tempore AEGIDIO reſponſa factaque referebantur,et legati,quos ad Ioannem Vicum miſerat,redibant: qui hæc reſponſa ab ipſo reportarunt, AEGIDII poſtulata grauia ſe, & periniqua cenſere, et in quæ ſine magna opum ſuarum iactura, ſuoque dedecore deſcendere nequiret. Pacem tamen cum eo, ac Summo Pontifice,certis conditionibus libentiſsimè eſſe facturum.Quibus conditionibus cum eas periniquas eſſe conſtaret, minimè acceptis, AEGIDIVS,cum primum per anni tempus poſſet,eum bello perſequi ſtatuit, tunc verò affecto autumno parte exercitus Romam miſſa, quæ populum in officio contineret, locum hybernis deligendum,in omnia quæ vſui belli futura videretur, comparanda exiſtimauit. Abolita igitur inter Peruſinos diſcordia, ſua præſentia, animisque in Pontificem confirmatis, populum eo nomine liberali oratione collaudatum hortatur,vt in ea ſententia, & fide perſiſteret, tum quod in ſe tam officioſi extitiſſent,gratias egit.Poſtremo Florentinorum, ac Senenſium exemplo cõmemorato, petit, vt ipſi quoque ſe aliquo auxilio iuuare officij ducerent. Tunc Peruſini per primores ciuium omnem ſuam operã fidemque polliciti, equites ei ducentos dant, quibus loco prætoriæ cohortis vteretur. His copijs AEGIDIVS auctus necdum tamen Ioanni Vico militum numero par, in Montem Faliſcorum, quòd oppidum,quia nec ab hoſte longè aberat,& erat in edito colle ſitum,hybernis opportunum cenſebatur, hyemandi cauſa XVII.die antè Calendas Decembris contendit.Tribus ibi menſibus traductis, cum nec pecunię à Pontifice ſubmitterentur, nec commeatus conuecti ſuppeterent,cœpit exercitus fame laborare, nec enim ab AEGIDIO in maius tempus rei frumentariæ potuerat prouideri : quandoquidem ad nummorum inopiam, ea quoque mala acciderant, vt Patriarcha

Legati à Ioanne Vico redũt.

Exercitus Pontificis fame laborat.

Aquilegienſis, & Epiſcopus Tudertinus, cum reliquis, qui exercitui commeatus ſupportare, fuerat polliciti, fidem metu hoſtium excluſi fallerent. Naues etiam quæ à Corſica & à Sardinia frumentandi cauſa miſſæ redibant, interciperentur. Quo malo cum multi milites diſcedere cogerentur, Eccleſiaſticus exercitus indies minuebatur. In tanta omnium rerum iniquitate, AEGIDIVS Pontificem de cunctis certiorem faciendum ratus, Epiſcopum Pacenſem cum mandatis & literis mittit: Vt ipſum edoceret, quàm in anguſto res eſſet, & quanta non cõmeatus modò, ſed militum etiam indigentia exercitus verſaretur. Quibus malis ni ſubueniretur maturè, timorem eſſe, ne deficiente Eccleſtico exercitu, atq; indies decreſcente, hoſtibus contra, ex his rebus maiorem audaciam, maioresq; ſpiritus ſumẽtibus, eæ quoq; ciuitates, quæ hactenus Eccleſiæ ſine controuerſia paruiſſent, diſcrimen adirent. Se verò eo ſemper animo perſiſtere, ſcribit, vt pro Pontifice, & Eccleſia nullum laborem, nullum diſcrimen eſſet deprecaturus. Sed nec Imperatorem ſine exercitu bellum gerere, nec exercitum ſine ſtipendio, aut contineri, aut reparari poſſe. In eam ſe neceſsitatẽ eſſe compulſum, vt cæteris abſumptis ex inſtrumenti ſui vaſis argenteis aureúe, nihil ſibi reliquum fecerit, omnia aut diſtraxiſſe, aut oppignoraſſe. Multum præterea æris alieni contraxiſſe, vt milites in officio contineret, et parum profeciſſe. Magnam etenim partem ex hybernis, cibariorum inopia diſceſsiſſe. At ſibi à Monte Faliſcorum copias idcirco non eſſe promotas, quod dubium non eſſet in tanta militum paucitate, ſi inde diſceſſerit, hoſtem, qui quotidie infeſtus adeſſet, oppido potiturum, quod ad ducendum bellum, natura ſitus magnam faceret occaſionem: cuncta tamen damna poſſe reſarciri, ſi ab ipſo pecuniarum, quantum ſatis eſſet, ſuppeditaretur. Iam enim ſe in Aethruriã, ac Galliam Ciſalpinam dimiſsiſſe, qui militum delectum haberent. Paucis interiectis diebus allatum eſt, Vrbeuetanos, quæ ciuitas, cum tota Pontifici pareret, tamen in duas factiones Muffatam & Marchulinam ſcindebatur, inteſtino bello acriter agitari. Nam extra multa data, acceptaque vulnera, plurimos ciues interfectos fuiſſe, nunciabatur. Ad quas diſcordias ſedandas, virum authoritate grauẽ, & rebus geſtis inſignem mittit, qui ciues grauioratione caſtigatos, ad concordiam omnibus rationibus hortatus eſt. Et cum perpetuam pacem impetrare, difficile eſſet, factis in annum inducijs, obſides vtriusque factionis principibus imperauit, accepitque. Domeſticis ſeditionibus leuati Vrbeuetani, bellum omnes Ioanni Vico inferendi, conſilium inire cœperunt.

Vrbeuetanos Ioannes vi- expugnat

Quo cognito, Ioannes Vicus adeò commotus eſt, vt collatis omnibus viribus, in Vrbeuetanos totum bellum conuerterit. Quibus ſuperatis expugnataque vrbe, multis promiſcuè necatis, in primos quosque ciuitatis multifariam ſæuitum eſt. Poſtremò magna vi pecuniarum

vniuer-

vniuersis imperata, quosdam secum captiuos duxit . Qui postea libertatem ab eo octo millibus ducatorum redemerunt . Quo tempore Vrbeuetani bellum aduersus Ioannem Vicum moliebantur , eodem Viterbij, cui Petrus Vicus Ioannis frater præerat, ingens animorum commotio facta est. Quidam enim ex primoribus ciuitatis, conspiratione in Tyrannum facta , cum trecentorum armatorum manu, quam occultè coêgerant magno clamore excitato , populum ad libertatem vocare cœperunt. Quo cognito, Petrus Vicus extemplò amicorum cohorte, quos satis paratos habuit, comparata, forum occupauit. Vbi acre prælium commissum est, ac demum populares in fugam coniecti. Quorum multi comprehensi, & supplicio affecti sunt. inter quos quattuor ex nobilitate securi percussi : alij verò timore perterriti fuga mortem vitauerunt, quorum omnium bonis publicatis, magnum inde Ioannes Vicus pecuniarum numerum congessit. His rebus fiebat, vt eius indies authoritas ac opinio crescèret, & exercitus augeretur . Quæ cum AEGIDIO non sine ingenti eius dolore nunciarentur , nondum tamen cum hoste prælio decernere, à quo tã longè numero militum superabatur, ex vsu esse ratus, sese hybernis continebat: expectans, dum auxilia, quæ à Pontifice mittenda erant, se cum cætero exercitu coniungerent. Sed cum diutius hæc morarentur, longumque videretur expectare, nec suam pati dignitatem. vt impunè Ioannes Vicus agrum Falisco rum crebris incursionibus quotidie vastaret, fluctuans animo, ac tota mente agitans , si qua ratione æquari posset , quod viribus deerat , hoc cunctis consilijs præferendum statuit. Intellexerat robur exercitus Ioannis Vici in equitatu esse. Cum huius primoribus magno præmio , ac magnis pollicitationibus, per occulta colloquia paciscì conatur, vt copias ad se traducerent: quod horum plerisque persuadere, tanto minus fuit difficilè, quod multorum populorum tyrannum ac hostem Ecclesiæ deserentium defectio , non magni facinoris inuidiam , sed pietatis potius speciosum titulum, apud honestissimos quosque & Christianos homines habitura videbatur. Quingenti igitur equites, signis repentè sublatis, ad AEGIDIVM transierunt. Quorum defectio Ioannis Vici audaciam vsque adeò fregit , vt Vrbeueteri contentus, nullam deinceps incursionem facere auderet. AEGIDIVS verò cum iam virium non pœniteret, relicto in Monte Falisco rum firmo præsidio, cui Carolum Aduadulam præfecit, milites ex hybernis educit. Cœpitq; hostem bello prouocare. Templum erat Laurentio dicatum haud procul ab Vrbeueteri, opere ac natura ita munitum, vt arcis locum, speciemque præberet. Hoc, quia Ioannes Vicus alta fossa circunducta, valido militum præsidio firmauerat, AEGIDIVS in primis expugnare statuit. Ac Iordani cum parte copiarum id negotium dat. Is properè admotis machinis, ac tormentis dispositis, se ita strenuè gessit, vt quo die oppugnari

Viterbij tumultus excitatus.

Defectio equitum Ioannis Vicii ad Aegidiũ.

Templum S. Laurentij captum.

cœptum ab eo eſt,eodem quoque fuerit expugnatum . His autem, qui templum cuſtodiebant,venia data,& abeundi facta facultate,Concharatum, & Albertatium Richaſulum , ac Benedictum Ormarium cum centum quinquaginta militibus cuſtodiæ loco relinquens, ipſe cum reliqua manu Vulſinum oppidum proficiſcitur.Quæ cum Ioanni Vico renunciata eſſent, cum peditibus nonnullis ſed omni equitatu vrbe egreditur,experiundi gratia , an templum ſicut celeriter fuerat amiſſum,ita properè poſſet recuperari . Templum prætergreſſus cum nemo ſe illi obieciſſet ſpeculatores mittit,qui cognoſcerent,ecquid propè lateret inſidiarum.Qui renuntiarunt, haud inde procul hoſtium viſa quinque ſigna, quo metu ſubſiſtere agmen iubet, nec eſt auſus vltra progredi . Eccleſiaſtici verò nunciato,quo loco Ioannes Vicus extra oppidum vagaretur,ei ſe celeriter oſtendunt:& commiſſo prælio,cum acriter vtrinque pugnaretur,qui templum tenebant , hoſtes à tergo adorti, tantum eis terrorem incuſsêre , vt turbato ordine, multis occiſis,pluribus vulneratis,& vno ſigno amiſſo , cæteri in fugam verterentur.Cum quibus Ioannes equo ſaucio in oppidum ſeſe recepit . Corſidium deinde oppugnari placet , quoniam ex eo oppido Eccleſiaſticos commeatu prohibere facultas erat . Ergo à circumiecta manu vbi tela iaci cœpta ſunt , & propugnatoribus nudatus murus,admotis ſcalis milites conſcendunt,& vi oppido celerrimè potiuntur.Qua oppugnatione oppidanorum nonnullis occiſis , cæteros nulla affectos iniuria AEGIDIVS in ſuam fidem recepit. Paulo pòſt vrbem Toſcanellam cum arce,oppidanis ad deditionem oppugnatione , & Corſidienſium exemplo compulſis , recepit.Interea pecuniarum à Pontifice præmiſſis ſubſidijs,equites etiam trecenti peruenere.Miſſa ſunt itidem auxilia à Ioanne Archiepiſcopo Mediolanenſi,quæ prætereunti AEGIDIO fuerat pollicitus . Quæ res vt exercitum Eccleſiaſticum numero viribusque auxerunt,ita hoſtibus magnum iniecere terrorem. Prorſus, vt multi tyrannorum auxilijs,quæ Ioanni Vico ſubminiſerant , reuocatis, in ſuas quiſque res omnes curas intendere cœperint , & neceſſaria ad ſui defenſionem comparare. Cum ſeptingentis equitibus, peditibusque pro numero equitum Ioannes Vicus in oppidum,quod Aquãpendentem appellant, ab Vrbeueteri profectus eſt, reparandi exercitus gratia,& quod locus ille opportunior ad trahendum bellum videbatur . Quo cognito AEGIDIVS Andreæ Salamoncello, viri magni animi & conſilij , cuius in bello gerendo ſingulari opera ſæpe vtus eſt, imperat, cum equitatu, & parte copiarum eum anteuertat,ac itinere prohibere contendat.Qui celerius omni opinione, quod iuſſus erat, executus, viam occupat, & procedere pergenti hoſti ſeſe acie directa opponit.Quam pugnam cum Ioannes minimè detrectaſſet, infeſtis ſignis acriter vtrinque concurſum eſt:pugnatumque diu eſt æqu

Corſidium ab Aegidio capitur.

Toſcanella Aegidio dit.

Ioannes Vicus Aquam pendentem proficiſcitur.

mart o

marte,hos cladis nuper acceptæ indignatione, illos priſtinæ victoriæ gloria accedente. Poſtremò Ioannes multis ſuorum amiſſis, cum reliquis funditur fugaturque;coactusque eſt iterum in Vrbem reuerterem ſeſe recipere.Poſterò die ad Arcem abbatiæ producto exercitu, vbi oppugnare fruſtra tentaſſet,viſumq; eſſet oppidum inexpugnabile,obſidione cinxit.Quam cum diutinã fore,oppidani intelligerẽt, & ſibi perniciosam,deſperatis Ioannis Vici rebus,ſeſe Andreæ dediderũt. Quorũ exẽplum ſecuta multa oppida finitima,quæ ſita in montibus, fuerant à Ioanne Vico præſidijs munita,admoto tantum ſibi exercitu Eccleſiaſtico, ſe AEGIDIO dediderunt. Tunc verò multarum ciuitatum,quæ tyrannis ſeruiebant,Legati ad AEGIDIVM venerunt. Gratiſſimum ſibi primò fuiſſe nuntium,quando AEGIDIVS cum exercitu in Italiam aduentare,nunciatus eſſet. Nam tunc demum ſuæ libertatis ſpẽ aliquam concipere auſos fuiſſe. Victorias deinde ab eo de hoſtibus partas vehementer gratulari. Nam & ſi pleraſque vrbes Eccleſiæ amiſſas à tyrannis bello recepiſſet. magis tamen ex ſuo, quam vel Pontificis vſu eueniſſe,ſeſe non ignorare.Cum ille amiſſas vrbes, ipſi libertatem, quo nihil melius eſſe in rebus humanis,recuperaſſent.Proinde ſuis malis edoctos,quam ſit calamitoſum tyrannis ſeruire, ſe ſuaque AEGIDII Pontificiſq; fidei ac poteſtati tradere. Quidquid imperaſſet,libentiſſimè ſe eſſe facturos,tantum ſe à violentia ac iniuria tyrannorum tueretur. AEGIDIVS liberali oratione Legatos proſecutus, eorum animos ſermone ſic confirmauit. Pontificem vt id bellum ſuſciperet, non magis amiſſæ partis Eccleſiaſtici Imperij indignationem,quam infœlicium ciuitatum,in quas ſceleſtiſſimi homines tyrannidem exercerent, miſerationem impuliſſe. Sperare ſeſe quam maximè à facinoroſis hominibus,hoſtibus Eccleſię,qui omnia iura diuina,humanaq; violaſsẽt, tantorum ſcelerum pœnas quam primum ſumpturum:ac omnes ciuitates,quæ aut vi tyrannica inuitæ ſuppreſſæ fuiſſent,aut ſponte hactenus ſeruientes,aliquando reſipiſcerent,in libertatem vindicaturum. Satis enim liberos eſſe, qui Eccleſiæ tantum ac ſummi Pontificis legibus inſeruirent. Quod ſi qua ciuitas eo ſtultitiæ ac dementiæ procederet, vt oblatam libertatem recuſaret, ei non impunè, non magis quam ipſis tyrannis fore. His reſponſis Legati lætabundi diſcedunt. A quorum ſententia Cornetani tam longè aberant, vt pro Ioanne Vico ſe Pontificis hoſtes eſſe haud obſcurè profiterentur. Quo cognito AEGIDIVS,ne eius ciuitatis pertinacia exemplo quoq; nocere poſſet, hos omnium maximè bello perſequi, & prima quaque temporis opportunitate agrum Cornetanum vaſtare ſtatuit.Quare Iordanẽ & Blaſcum nepotem ſuum Romam properare iubet,& copias quæ hybernandi ac præſidij gratia eo miſſæ fuerãt,in agrum Viterbienſem deducere. Quod conſilium vbi Ioanni Vico nunciatum eſt, Reuerium Victorium

Cornetanorũ pertinacia.

quem

quem vnicè diligebat,& quod erat ad nectendos dolos mirus artifex, magni faciebat, cum centum quinquaginta equitibus Cornetanis subsidio mittit. Is non ignarus quantam Ecclesiasticis ad bellum gerendū, opportunitatem Mons Faliscorum faceret, consilium inire cæpit, vt Carolo, quem oppido præfectum ab AEGIDIO diximus, cum præsidio circumuento, interfectoque oppido potiretur. Ratio hæc fuit. Arx erat munitissima, quæ à Monte Faliscorum circiter tria millia passuum aberat, Arx Castellacij appellata, cum huius arcis præfecto consilium cōmunicat, monetque, vti literas, nunciumque secreto per speciem proditionis ad Carolum mittat, quibus polliceatur in arcem ipsum cum armatis accipere, si ad diem dictam magno cum silentio paulo ante lucem præsto fuerit. Quibus cum Carolus, magnæ sibi gloriæ oblatam occasionem, quam diu captauerat, ratus, rescripto annuisset, præstituto die, qui fuit vndecimus ante Calendas Maias, Reuerius Victorius ipse cum magno equitatu peditatuque proxima silua occultatus, Carolum expectabat, vt prætergressum à tergo adoriretur. At Carolus, qui hostis pollicitis fidem non sine suspicione insidiarum habebat, consilia ad omnes casus comparabat. Nam militibus paucis ad tutelam oppidi relictis, cum cęteris omnibus benè instructis, ac ordine seruato, de tertia vigilia proficiscitur. Signo accepto, equites decem cum centum & quinquaginta peditibus præmittit, qui fidem arcis præsidis periclitarentur. Ipse cum reliquo agmine haud ita longo interuallo, in via subsistit. Præfectus antecursores propè arcem conspicatus cœpit magna voce *Ecclesiam Ecclesiam* inclamare, simulque ab arce in eos tela conijciebantur. Quo signo hostes subitò è silua exorti concurrunt, nec multis paucos circunsistere, & compræhendere fuit perdifficilè. At Carolus, qui auribus animoque intentus euentum rei subueritus, expectabat, exaudito clamore, & hostium insidijs intellectis, aduolat, & impetu facto hostem in se conuertit, & cum diu fuisset acriter dimicatum, tandē insidiatores profligati se fugæ mandarunt, quos Ecclesiastici insectati, multis interfectis, equites viginti, cumque his arcis præfectum, cœperunt. Reuerius accepto vulnere cum paucis euasit. Carolus his gestis, ac suorum paucis amissis in Montem Faliscorum se recepit. Hac clade AEGIDIVS Cornetum defensoribus multum exhaustum fuisse arbitratus, confestim eo rapit agmen, cœpitque magno impetu oppidum oppugnare, vt iniecto terrore, oppidanos ad deditionem compelleret: quod cum parum procederet, erat enim oppidum militibus differtum misso iterum auxilio à Ioanne Vico, cui præerat Ludouicus eius frater, peruastato agro, copias inde abducit, & in Celenum, Vetralam, & reliqua oppida, quę circa Montem Faliscorum Ioanni parebant, conuertit: magna itidem his populatione incommoda inferendo. Cum præsidiū Romanum se cum reliquo Ecclesiastico exercitu coniunxisset, inter duos vi-

sidiæ Ioan Vici ad montem Faliscum non esserunt otato.

Cornetum oppugnat Albornotius.

ditio in hos.

os viros nobiles alterum Romanum, Germanum alterum, tanta seditio in castris exorta est, vt à Romanis Germanisq;, dum suo quiq; fauẽt, ad arma conclamato, aliquandiu fuerit pertinaciter prælio dimicatum. quod nullius oratione commonitioneué ante dirimi valuit, quã nonnullis interfectis, pluribus vulneratis, reliquæ copiæ ex AEGIDII imperio se ex transuerso inter volantia tela, facto impetu, intulissent. Ad hunc modum seditione sedata, moxque facta pace, & gratia inter vtrosq; reconciliata, AEGIDIVS copias propius Viterbium mouet, & crebris incursionibus magnum hostibus timorem inferebat. Interea Ioannes Vicus vrbem repetit, cum nullo eam Ecclesiastico præsidio teneri, intellexisset, ac nemine prohibente ingressus magnam in locupletes auaritiam, & crudelitatem exercebat : nam qui imperatam magno numero pecuniam denegassent, omnia in eos exempla cruciatus edebat. Cuius immanitatis latius fama dissipata, quarundam ciuitatum animos ab ipso multum auertit : Viterbiensium in primis. Horum enim plerique (quorum fuerunt qui arcem custodiebant) auxilio AEGIDII, qui propè aderat, freti, die quodam sub solis exortum; ingenti clamore sublato, Ecclesiam incœperunt conclamare. Quo audito AEGIDIVS properè arma sumere, machinas admoueri, scalis arcem conscendere iubet. Omnia tamen tyranni prõptitudo ac diligentia, irrita fecit qui antequàm cæteri oppidani conuenirent, qui clamorem excitarant, ex templo compræhensis, & magno supplicio affectis, cæteros ab instituto deterruit, & qui arcem tenebant animis consternati, eam tyranno reddiderunt. Simulque milites dispositerat, qui subeuntes Ecclesiasticos à muris repellerent. At AEGIDIVS cum Viterbium, nisi longiore obsidione, haud facilè expugnari posse, intelligeret, ne dum ibi tẽpus terit, alia oppida in discrimen thaherentur, populabundos agros, exercitum propius Germanorum societatem, de qua supra dictum est, promouit. At ex itinere cum Vrbem Veterem oppugnare, si forte resisteret, moliretur, portis patefactis, omnes oppidani obuiam ei procedunt, Vrbemque tradunt. Ingressum, cum oppidum vacuum habitatoribus reperisset, magna eius ciuitatis miseratio incessisse fertur. Nam ex numerosa multitudine, qua oppidum illud non pridem abundabat, vix trecenti homines, qui arma ferre possent, numerabantur. Postridie re diuina ritè perpetrata, cum omnibus benedixisset, pacem perpetuam inter Muffatos & Marculinos, factiones, vt diximus, contrarias fecit. Iubetq; omnes ciues, qui à Ioanne Vico eiecti fuerant, suæ ciuitati restitui. Vrbetanorum exemplum Tusculani secuti, mox legatione missa se AEGIDIO dediderunt. Ioannes Alerianus Ameriæ tum temporis Tyrãnus erat, qui licet amicitiam cum Ioanne Vico confirmasset, non tamẽ ab AEGIDIO palàm audebat discisscere. Huic igitur AEGIDIVS pau-

Ioannes Alerianus Ameriæ tyrãnus.

pauliſper in Vrbe veteri commoratus, denunciatum mittit, ad ſe quàm primum venire properaret : habere, quæ cum eo de re communi colloqui vellet, qui ſi renuiſſet, ſibi eodem loco, quo Ioannem Vicum futurum. Illè verò, cum ſe humiliorem ſciret, quàm vt AEGIDIO reſiſtere poſſet, & Ioannis. Viciopes afflictas videret, dicto audiens Vrbem veterem peruenit, multa meditatus, quibus dum AEGIDIO fruſtra perſuadere conatur, vt ſe miniſtro in populo Amerino gubernando vteretur, Ioannes, Albertus & Magnus Præfectus Legati clam miſſi Ameriam perueniunt: qui populum omnibus rationibus hortati, vt ſe Pontificis imperio redderent, adduxerunt. Tunc AEGIDIVS magna propoſita pœna, interdicit Ioanni Aleriano, imperatque, ne mille omnino paſſibus propius Ameriam de cætero appropinquaret. Interea ſocietas in agro Tudertino vagari ab exploratoribus renuntiatur. quã rem ægrè ferens AEGIDIVS Legatos ad principes eius mittit. Quod in eum locum copias cum magna Eccleſiæ clientum iactura deduxiſſent, iniquè eos agerè. Qua id ratione feciſſent, mirari ſeſe. Poſtremò rogare, agmen inde ſine ciuitatum ditionis Eccleſiaſticæ iniuria ſubmouerent. Ad hæc Germani pauca, ſed inſolenter reſponderunt. Nemini ſuæ vitæ rationem in Italia ignotam eſſe debere, quibus cum cætera deſint vectigalia, præda ac rebus bello partis vitam ducere neceſſe eſſet. Multas ciuitates pacem ac ſuorum agrorum incolumitatem magna vi pecuniarum à ſe redemiſſe. Proinde, ſi vellet AEGIDIVS ſe ſollicitudine, populos Eccleſiaſticos ea moleſtia ſubleuare, earum ciuitatum ſequeretur exemplum, quæ pecunias numeraſſent. Et magnam vim pecuniarum petunt. Hanc Germanorum inſolentiam grauiter admodum tulit AEGIDIVS, præſertim quia ſuſpicabatur, Germanos Ioannis Vici voluntatem ſecutos, in id audaciæ ac improbitatis aduerſum ſe proceſſiſſe. Cum ille victus neceſſitatibus, vnã ex filiabus ſuis Anibaldo Montis Regalis fratri cum grandi dote ſpopondiſſet, exiſtimans ſic vniuerſam ſocietatem poſſe in partes ſuas adduci. Ergo Legatos iterum ad ſocietatẽ cum his mandatis mittit. Mirari ſeſe quæ cauſa ipſos ſua Eccleſiæq; Romanæ amicitia repudiata, eo iniuriarum & in tam iniqua poſtulata compuliſſet, cum ſe hoſte non contemnendo, amico fortaſſe nõ inutili, eis liceret vti. Tantò magis cum Mons Regalis ſuperiore anno, fide data, pollicitus fuiſſet, ſocietatem ſe ab inferenda iniuria ciuitatibus Eccleſiaſticis contenturum. Nam quod ſibi pecuniarum vim extorqueri poſſe putarent, non modo iniuſtè eos facere, ſed etiã imprudenter. Neq; enim earũ ciuitatũ, quas pacem à ſe magno precio redemiſſe iactarẽt, & ſuã conditionem ſimilẽ eſſe. Illas namq; multò plus ſi reſiſtere vellent, in nouũ exercitũ conficiendũ, fuiſſe collaturas, & cum magno, tum vniuerſi populi, tum ſingulorũ incommodo, à pacis negotijs auocãdas: ſe verò in armis eſſe, & ea pecunia honeſtiº, libea-

Germani graſſantes rebellant.

Ad Germanorũ petitionem reſpondet.

libentiusq; nouum militem, ad propulsandas iniurias, si opus esset, conducturum, quam ad id satis superq; roboris, ac virium sibi esse in veteri & exercitato milite sperare. Se ita esse, semperq; fuisse animatum, vt vltrò nunquam nouum hostem esset quæsiturus: lacessitus autem dignitatis suæ ac ciuitatum, quarum patrocinium à pontifice suscepisset, commoditatis rationem haud segniter habiturus. Proinde iterum iterumq; rogare, monereq; per Deum iusti belli semper fautorem, vltoréque iniusti, Ecclesiasticis finibus nulla amplius illata iniuria, cedere maturent. quæ si feciſſent magnam se illis gratiam habiturum, & quæ Monti Regali superiore anno fuisset pollicitus, quàm primum opere præstiturum: sin minus impetraret, ita sibi persuaderent, rebus se suis & Ecclesiæ clientibus, socijsq; gnauiter esse consulturũ. Quibus auditis Germani, partim rei honestate, partim timore victi, per Ecclesiasticos terminos à maleficio temperantes in agrũ Senensẽ iter suscipiũt. A quibus exorta pecunia, deinde à Florentinis, in Pisanos terminos peruenerunt. Paulò pòst Germanorũ discessum AEGIDIVS Eugubium, cui Ioannes Cancutius imperitabat, legatos mittit: qui omnibus modis oppidanos, vt pontificis fidẽ sequantur, cohortentur. Quibus responsum est ab Eugubiensibus, sese paratos esse imperata facere, & prima quaque occasione oppidum AEGIDIO tradituros. At cum interiecto tẽpore, diem de die proferentes, à promissis discedere viderentur, iterum AEGIDIVS legationem, subsequentibus copijs mittit. Tunc verò Eugubienses, nulla facta mora, patefactis portis oppidum arcemq; Legato tradunt. Omanum quoq; ditionis Ecclesiasticæ Stephanus occuparat. is, vt iusti imperij titulum Tyrannidi prætenderet, cum AEGIDII quæstorem nummorum inopia premi intellexisset, cum eo mille nummum aureorum pactus est, vt oppidi redditibus, in mutui compensationem, sibi frui liceret quadriennio: existimans scilicet id conuentum AEGIDIO ratum fore. qui tamen cum pactum resciuit, improbata re, Stephano, vt intra sex dies oppido cederet, denunciatum mittit. Ille dicto audiens cum imperatum feciſſet, nummos cœpit instãter à quæstore repetere. Tunc verò AEGIDIVS dimidium ei reddere censuit: reliquos, quia satis cõstabat ex vectigalibus Pontificijs plus etiam ab eo fuisse perceptum, non item. His gestis in Montem Faliscorum versus ab Vrbeueteri promouit, relicto illi, custodis loco, & cum potestate oppidanis etiam iuris dicendi Albornotio Richasulo, cui ducentos equites & quadringentos pedites attribuit. Harum rerum fama diuagata, complures ciuitates, quæ principio Ioanni Vico coniurauerant, de deditione ad AEGIDIVM Legatos mittunt. Quarum defectione Ioannes Vicus vehementer fractus animo, cum nec ab his, nec à Germanorum societate spes esset, tot continuis acceptis incommodis, rebus denique desperatis, legationem & ipse, de se dedẽdo, nẽ cogitat.

Aegidius legatos mittit Eugubium.

Eugubienses se dedunt.

Ioannes Vicus deditionem cogitat.

& quæcunq; occupaſſet, ad AECIDIVM mittit. Et in fidei teſtimonium, alterum dare filium obſidis loco pollicetur. Preces addit magis quàm pacta. Quoniam ita tuliſſet fortuna, vt imperio & opibus amiſſis, ad quas res non dolo irrepſiſſet, aut prorupiſſet vi, ſed aut iubente Ludouico Bauaro quàm ſi ſuo iure poſſet, aut ipſorum populorum voluntate, & ſuperioribus Pontificibus quadamtenus cõſentientibus, eue ctus eſſet, in ſummam omnium rerum inopiam redigeretur, ab eo petere, niſi forte Ioannem Vicum, poſt omnia vitali quoque aura interdicendum ſtatuiſſet, depoſita ſua clementia & mauſuetudine, quam in aliorum malis cognouiſſet, tantiſper, dum in ipſum ſæuiret, ſi tamen conſeruandum decreuiſſet, obſecrare, aliquam ſaltem miſero vitam trahendi, alendiq́ue infœlices cum coniuge liberos, reliquam faceret facultatem. Oppidulum permitteret cuius penſiuncula ad priuatæ vitæ neceſſitates parca mediocritate ſuppeteret. Accepit conditionem AEGIDIVS, & precibus acquieuit. Acceptoque obſide, Ligerium Androtum ciuem Peruſinum, cuius fidem ſummam coniunctam pari prudentiæ erga ſe perſpexerat, qui Viterbij præturam gereret, cum ducentis equitibus præmittit. Poſtero die Luppum Archiepiſcopum Cæſarauguſtanum, & Alphonſum Epiſcopum Pacenſem, cum equitum duobus millibus, & multis peditibus, qui oppidum reciperent, ſubmittit. Qui portis patentibus ingreſſi, claues portarum, turrium, arcisq; traditas acceperunt. Poſtridiè Ligerius Androtus, vt iuſſus ab AECIDIO fuerat, aduocata oppidanorum concione populum, qui frequens conuenerat, in hunc modum ad pacem hortatus eſt. Non ſe dubitare, quanta eo die cum expectatione populus Viterbienſis ad indictam ſibi concionem conueniſſet. Nam præter multa ac propè innumerabilia incommoda quæ cunctis, qui bellum gerunt accidere neceſſum eſſet, duo eſſe maxima mala, quæ homines potiſſimum vrgere ſoleant. Quoniam, vt bello pendente, illam cunctis ineſſe perpetuam curam ſummumq́ue timorem, ne quomodo, aut à quouis hoſte tandem ſuperentur, ſic poſtremò victis illum teſtare timorem difficillimum, atque haud ſcire, an omnium maximum, quali victoria in victos dedititiosq́ue victor ſit vſurus. Cuius cum iure belli ſumma ſit facultas in eos animaduertendi, quos iuſto bello deuicerit, neminem laterè à multis, in eos etiam, quos iniuria debellaſſent, ita fuiſſe atrociter ſæuitum, vt meritò omnes victi euentum victoriæ deberent exhorrere. Viterbienſes autem ſi nulla antiquorum exempla, quorum eſſe plena omnia, mouerent, at certè recentia ſupplicia, quæ ille Ioãnes Vicus, (præſtò enim aderat) de Vrbeuetanis ſuperioribus diebus à ſe victis ſumpſiſſet, conterrere debuiſſe. Qui Ioannes vicus ex his, quos expugnato oppido in poteſtatẽ ipſius

Ad viterbienſes Aegidij de pace oratio.

ipsius veniſſet,alios ſecuri percuti iuſſiſſet,alios egiſſet in exilium, omnibus magna vi pecuniarum imperata, quorundam bona prorſus diripuiſſet.Et ea quidem omnia iure belli ipſum ſibi licere putaſſe,quæ Viterbienſibus,quàm Vrbeuetanis tantò magis fuiſſe extimeſcenda,quantò iuſtius bellum AEGIDIVS gereret,quam Ioannes Vicus.Tibi enim,inquit,Ioannes Vice,quoniam huic concioni,quam nos ad populum Viterbienſem AEGIDIVS habere iuſsit,intereſſe,nec nobis inuitis,voluiſti, aliqua ſunt audienda minimè quidem fortaſſe auribus tuis iucunda,ſed vera vſque adeò,vt ne tu quidem poſsis inficiari. Si tu enim qui de miſeris Vrbeuetanis, quod vrbem ſuam tibi non proderent,dum ſibi eam, ac ſummo Pontifici conſeruare conarentur, quod facere omni iure tenebantur,tam graues pœnas ſumere,non graue putaſti,qui tot in ciues Romanos dudum cruciatus edebas,quicunq; imperatam à te pecuniam dare,aut poſſe,aut velle negaſſent, aut quidquàm facere ad nutum tuum renuiſſent,ſi tu, inquam, qui modo deorũ ope,quibus aduerſis bellum gerebas,& AEGIDII virtute ac prudentia victus iaces,hanc vrbem deuiciſſes,victorq́ ingreſſus,concionem aduocaſſes:quo animo,credimus,hos omnes fuiſſe conuenturos?Certè alios cum bonorum publicatione exilia,alios capiti metuentes, minimè autem conſcios,relegationes tantum ſperantes,aut quantamuis pecuniarum mulctam.Vos autem viri Viterbiẽſes, AEGIDIVS victor pro ſua clementia ac manſuetudine omnem metum gaudio lætitiaq́ue iubet hodierno die commutare.Et hanc victoriam non tam ipſi Pontificiq́ue,quàm vobis partam putare. Libertatem modo veſtram vobis, otiumq́ue perpetuum,ſi bona veſtra cognoueritis,reſtitui, exiſtimare. Nullam vobis pecuniarum imperat vim,nulla iniqua tributa imponere veſtræ ciuitati cogitat.Tantum à vobis petit,quod vos cunctis votis, ſi ſapitis,exoptare debetis,pacem ametis perpetuam,otium quietum diligatis. Quas res hoc vno aſſequi poteſtis,ſi fidem Eccleſiæ, ac ſummo Põtifici debitam perpetua conſtantia obſeruabitis.Et eos patriæ iudicabitis hoſtes,quos rebus nouis ſtudere cognoſcetis. Quæ vt faciatis viri Viterbienſes,non magis vobis fides ipſa,quæ eſt omnium virtutum fundamentum,& diuina humanaq́ue iura,quibus eſtis obligati,quàm propria veſtra, ac peculiaria commoda perſuadere debent. Ea verò quot, quantaq́ue ſint in pace degentibus,tunc magis perſpicietis,quum incõmoda & detrimenta,quæ bellum comitantur,alta mente,& intentis oculis fueritis contemplati. De quibus multa mihi hoc in loco eſſent: fortaſſe dicenda,niſi ſatis ſuperq́; veſtra vos mala hoc tempore docuiſſent,quàm ſit miſerum bellum ſuſtinere. Quod eſt enim calamitatis genus,quod veſtra hoc tempore ciuitas non perſenſerit? Pecora veſtra hoſtibus prædæ fuerunt,Villæ incenſæ,Pagi diruti,Agri funditus deuaſtati.Quibus detrimentis ad quam omnes inopiam redacti ſitis, ipſi videtis.

detis. Iam verò quotus quisque vestrum numerabitur, cuius pater, filiusue, aut frater, aut ex his quæ horum loco sunt, aliquis prælio non fuerit desideratus. Omitto negotiorum intermissionem vrbanorum & rusticorum, quæ vel sola & opulentis indigentiam parere potest. Nihil dico de laboribus, fame, solicitudine, quæ omnia comites bellorũ sunt. Atque hæc quidem infortunia, quanquam per se grauissima sunt, & quæ nullam non ciuitatem debeant à suscipiendo bello deterrere, sed quia temporalia intelliguntur, possunt quodam modo leuiora videri. Illos verò cruciatus æternos, quis non exhorrescit? quis non cogitando contremescit? quibus apud inferos torquentur, ac sine fine torquebuntur eorum animæ, qui in huiusmodi bello ac perfidia interempti sunt. Formidandis summi Pontificis, Christi vices gerentis, execrationib. ad loca damnatorum spirituum deuoti. Nisi fortè vos, quod absit, Christiani nomine tenus, adeò estis stupidi, & ab omni humanitate abhorretis, vt nullum esse Deum credatis, nec bonos gloria, nocentes pœna affici putetis; Ac demum Christi loco Pontificem esse negetis. Si tamen Deus est, vt est, si Deus curat mortalia, si Christus in cœlum aduolans, Pontificem maximum Ecclesiæ suæ præfecit, quid tandem eos expectare conuenit, qui Ecclesiam quam ille construxit, labefactare conantur, aut conantibus auxilium præbent? Hæc & illa ciues Viterbienses ante oculos ponite; hæc tota mente versate, quæ vos seu victores, seu victos futuros, indubitata manent, quoties de rebellione aduersus summum Pontificem facienda, cogitabitis. Nec speretis cum iterum victi essetis, vt certè essetis, nemo enim aduersus Deum sine sua pernicie pugnauit, tam mansuetum victorem esse experturos, quàm modo AEGIDIVM. Quin potius timendum est, ne præsentis victoris clementia, vestram tunc inuidiam & futuri indignationem adaugeat. Siquidõ quanto modo huius mansuetudo maior in vos est, tanto illius erit tunc in ingratos, iustior indignatio. Quæ oratio magno populi assensu gaudioque excepta est. Et à Ioanne Vico, qui præsto, vt dictum est, aderat cum fratribus, & vultu & sermone comprobata. Huius ciuitatis statum deinde sic AEGIDIVS disposuit. In primis Ioannem Vicum cum tota ipsius familia Viterbio eiusque finibus in duodecim annos interdicit. Pœnam addit quinque millium ducatorum, quoties contra imperium feciſſet. Quinque præterea factiosis hominibus, & quos fuisse intellexerat, semperq; fore rerum nouarum cupidos suspicabatur, ne in posterum ciuitatis fidem, otiumque sollicitarent, ex vrbe eiectis, cæteris omnibus dat veniam, & expulsos à Ioanne Vico iubet restitui. Tum omni cura in populi gubernationem statuendam conuersa, Conss. nouem æquo imperio, senatores ducentos creat. Quinam dicerent quot satis visum est, constituit. Cohortem prætoriam, quæ Præfecti ciuitatis latus clauderet, & magistratus cæteros tutaretur, tercen-

Viterbiensiũ res cõpositæ.

tercentum armatorum esse voluit. Et, quia Viterbium totius Vmbriæ velut caput esse videbatur, operæ pretium id fore ratus, arcem præmunitam erigendam curauit, quæ mediocri præsidio firmata, eam ciuitatem posset in fide continere. Hęc cum summo Pontifici nunciata essent, ingens Auenione gratulatio facta est. Quando Ioanne Vico tyrannorum maximè formidabili deuicto, spes cunctos incesit, cæteros omnes facilè posse AEGIDII virtute debellari. Tunc Pontifex ad AEGIDIVM literas mittit, laudibus, gratulatione, ac exhortatione plenas. Paulò pòst AEGIDIVS ab Arnaldo eiusque fratre Ioanne Sutrium recepit, cum arce, quam ipsi ibi de suo ædificauerant, Iussis oppidanis eos sumptus illis rependere. Deinde Interamna vrbs, à situ sic appellata, deditione facta in AEGIDII potestatem peruenit. Tunc Narnienses legatos de se dedendo miserunt. Item Celerium & Cipignanum oppida in agro Viterbiensi. Spoletani quoque, missa legatione, eo pacto ne in quenquam animaduerteretur, sẽ dedũt. Oppidi arcem AEGIDIVS triplici muro cinxit, medio crebris turribus munito: arcem deinde cum aduerso monte, qui non longe aberat ponte commisit: & per superinstructum aquæ ductum fontem qui in monte scaturiebat, ad arcem deriuauit. Fontem ipsum lapideo propugnaculo muniuit, ac præsidio firmauit, quo tutius opus ab iniurijs redderetur. Assisium deinde Episcopus Assisiensis legatus publicè tradit, idem est tunc à Nucerinis factum. Veientana vrbs, quam nunc Castellanam ciuitatem appellant, editissimo colle præruptis vndique saxis sita, adeò est natura munita, vt absque vllo humano opere satis per se reddatur inexpugnabilis. Hanc occupauerat Petrus Vicus, qui perterritus exemplo fraterno, ne contra AEGIDIVM sibi quoque pugnandum esset, vrbem Lucę Sabellio vendidit. Sed quia solutio differebatur, deposita est apud Iulianum ciuem, donec precium solueretur. Hęc cum AEGIDIO nunciarentur, literis nunciosque Lucam ad se accersiuit. Qui cum se ad imperatum venturum negasset, nec vllum oppidani deditionis præberent indicium, AEGIDIVS detestatus conceptis execrationibus Petrum Vicum, & Lucam cum toto populo Veientano vicis incensis, ac deuastatis agris, oppidum obsidione cinxit, ac demum ad deditionem, desperato auxilio, compulit. Bartholotius Hispellum diu tyrannide oppressum tenuerat: aliquando tamen oppidani, sæuitiã tyranni pertesi, eum vrbe eiecerunt, seque AEGIDIO dedunt. Ille verò coacta manu, ab vico quodam, quod aberat ab Hispello duo millia, crebris incursionibus agrum Hispelli reddebat infestum. Quod cum esset ad AEGIDIVM delatum, equitum peditumque præsidio summisso, tyrannũ longè summouit. Eodẽ tempore alatũ est, in plerisq; Campaniæ, atq; eius ore maritimæ, ditionis Ecclesiasticæ ciuitatibus quosdam imperandi cupiditate reb. nouis studere, & nonnulla oppida

Sutrium deditur.

Interamna vnde dicta.

Assisium occupatum.

Petrus Vicus deuictus.

vulgo

vulgo à tyrannis occupari, eaq; incommoda culpa, atque ignauia prætoris euenisse. Quibus malis, cum ignauo & imperito, strenuus & prudens prętor, cum armatorum pręsidio, ab AEGIDIO subrogatus fuisset, facile fuit obuiatum. Interim Ioannem Vicum Corneti Vicarium in duodecim annos AEGIDIVS creat. Nō tantū vt fidem instanter re petenti præstaret, sed multo etiam magis, vt suæ liberalitatis ac mansuetudinis fama per Italiam dissipata, reliquos tyrannos, spe tutioris conditionis, ad pacem & deditionem alliceret. At summus Pontifex, vt erat paulo seuerior, & Ioannem Vicum vehementer oderat, nuncio ac literis AEGIDII factus certior, rem perinique tulit, eumq; per literas monuit, vt primo quoq; tempore Ioannem Vicum Corneti pręfectura submouere curaret. Nec enim par esse, vt ei aliquis honos haberetur, qui Ecclesiam tamdiu, tantisq; incommodis pertinaciter vexasset: nec verum esse, eius fidem sanctam fore, qui semper infidus extitisset. Ad quæ AEGIDIVS in hunc maximè modum respondit. Siquidem odio suo, quo Ioannem Vicum prosequeretur, indulgere, quàm imminentibus difficultatibus consulere maluisset, non modo Ioannē Vicum nulla dignitate ornaturum se fuisse, sed grauissima de eo supplicia sumpturum, nec enim ignorare, quàm malè semper ille de Ecclesia Romana meritus fuisset. Sed cum supplicium de eo sumptum, qui se suaq; in deditionem fidei ac potestati Ecclesiæ permisisset, cæterorum tyrannorum animos à Pontifice auersurum, honor habitus ad pacem impulsurus visus esset, omne odium & indignationem publicæ ac maiori vtilitati posthabendum putasse. Imperatores clarissimos magno vsu id consilium vsurpasse, commemorat. Annibalem imprimis, hominem alioquin crudelissimum, de quo sic Liuius scriberet, in captiuos ex tradito præsidio, vt fama clementiæ in principio rerum colligeretur, nihil sæuitum est: & qui, post victoriam ad Trasimenum de Romanis partam, captiuos nominis Latini sine precio dimisisset. Cæsarem in bello Gallico, Alexandrum Macedonem in subiuganda Asia multo plus clemētia in dedititios, quàm pugnando, si vera essent historiarum monimenta, profeciisse. Præterea Ioannem Vicum multum affinitatib. consanguinitatibusq; valere, quippè cuius affines ac propinqui plusquam triginta oppidis multarum virium imperarent, pręsenti eius conditione quiescentes. Quos tamen, si quicquam grauius Ioanni Vico cōtra fidem datam statueretur, omnes suas opes aduersus Ecclesiam collatum ire, nemini dubium esse debere. Cum in propinqui simul atque amici vltionem, tum verò vt se à simili iniuria tuerentur. Non esse committendum, vt ea hostibus imponatur necessitas, vt desperationem in virtutem conuertant. Huc accedere periculum, ne Cornetum, & multa alia oppida, quæ factionis Gibellinæ, & summi in Ioannem Vicum studij, eius voluntate fuissent recepta, non seruata ipsi fide sibi in Eccles rebel-

Ioannes Vicus Corneti vicarius.

Clementiæ principum exempla.

rebellare licere putarent. Nam quod de Ioannis fide timeret, non esse dubitandum, datis obsidum loco charissimis liberis, quin ille vltrò nihil vnquam esset moturus. Atque eas potissimum esse rationes, quibus initio Ioannem Vicum indulgenter habendum putasset, & tunc nihil aduersus id factum innouandum censere. Quæ si Pontifici non tanti essent, vt Ioannem Vicum eo statu viuere, quo animo pateretur, ab eo petere, ac per Deum obsecrare, ne se ministro ad eum vlciscendum vteretur, qui suam fidem secutus, se suaque Romanæ Ecclesiæ commisisset.

ÆGIDII ALBORNOTII CONCHENSIS DVCIS CLARISSIMI, VITAE, AC RERVM PER EVNDEM GESTARVM, LIBER SECVNDVS.

SIC Vmbria recepta, AEGIDIVS omnes suas curas & consilia cœpit in bellum Malatestæ inferendum intendere. Satis enim constabat, illo superato, facilem fore de cæteris tyrannis victoriam. Sed dum ad hoc necessaria compararet, ex literis Pontificis cognouit, se apud ipsum fuisse ab Archidiacono Anconitano insimulatum, quod cũ Malatestis inita gratia fœdera percussisset. Adeo viros optimos, qui calumniaretur, nunquam defuit. Quam calumniam AEGIDIVS tanto iniquiore animo tulit, quãto longius aberat à crimine, quod ipsi obijciebatur. Ergo Pontifici rationem consilij reposcenti ita respondit. Non se mirari, si, cum tot hominum inimicitias Ecclesiæ causa suscepisset, non deessent qui se, factaque sua criminarentur. Illud molestè ferre, quòd propter quam rem magnam à cæteris hominibus laudem, à summo Pontifice gratiam quoque non paruam speraſſet, eam apud ipsum AEGIDIO pro crimine obijcere quisquam sibi licere putasset. Non quod pacem vllam feciſſet cum Malatestis, nec enim vnquam tantam authoritatem fuisse sumpturum, vt hoc integrum sibi esse putaret. sed quod ab hoste minimé contemnendo, per speciem spemque pacis bellum tamdiu vitare non imprudenter sciuisset, dum Ioannem Vicum satis per se potentem hostem debellare posset. Cui rei nisi à se maturè fuisset prouisum, & vterque tyrannus opes coniunxisset, quod maximè timendum fuisse, non esse dubitandum, quin aut neuter eorum vnquam superaretur, aut bellum difficilimum aut diuturnum esset futurum. Sæpe ad se legatos à

Malatesta Tyrannus oppugnatur.

Alborrotius à calumnia se purgat.

Malateſtis bellum peprecantes veniſſe, pacem cum eis feciſſe nunquam, ſpem pacis ſemper præbuiſſe. Tunc id agere, vt Malateſtas omni auxilio & ſpe à Ioanne Vico deſtitutos aggrederetur. Quæ ſi culpanda eſſent, ſi digna cenſura viderẽtur, nihil ſe habere, quod pro ſe poſſet reſpondere. Hæc reſponſa Pontifici allata comprobataque multum, vt par erat, apud ipſum AEGIDII opinionem auxerunt. Interea Malateſta cognito AEGIDII conſilio, vel quia bellum ſibi inferendum, ſuperato Io. Vico, coniectura proſpicere facile erat, duo de vigeſimo menſe, quam fuerat bellum initum, legatos ad AEGIDIVM mittit, qui ſic cum ipſo egerunt. Si pacem ſecum ſummus Pontifex faceret, & vrbes quas obtinerent, relinquendas ſtatueret, decem ducatorum millia in ſingulos annos Apoſtolico fiſco dare paciſci, & ad bellum gerendum AEGIDIVM ducentis equitibus duobus menſibus auxilio eſſe. Negante illo licere ſibi in ea pacta deſcendere, duodecim millia ducatorum in annos ſingulos, equitum trecentum auxilium in tres menſes pollicentur. Ad quod AEGIDIVS reſpondit: Nullas ſibi à Malateſtis conditiones pacis accipere dicereue, Pontifice inconſulto, integrum eſſe. Si velint bellum deprecari, legatos ad Pontificem mittant, ſeque interceſſore vtantur, non ſe dubitare pro eius iuſtitia, quin quæ honeſtè poſcerent, ſint impetraturi. Tunc legati, immò idipſum ab eo petere, obſecrareque, vt ipſe de his conditionibus Pontificem certiorem literis & nuncio faceret, ſuumque conſilium & authoritatem interponeret, ac interim bello ſuperſederet. Id cum impetraſſent, diſcedunt. Quod cum eſſet ad Pontificem ab eo relatum, nullas eſſe leges pacis reſpondit, ciuitatibus in tyrannorum poteſtate relictis. Proinde Malateſtas & cæteros Flaminiæ vel Piceni tyrannos bello inſectari pergeret. Qua renunciatione accepta AEGIDIVS, nihil cunctatus ad bellum, ineunte vere, capeſcendum, pro rei magnitudine pergit neceſſaria comparare. Inprimiſque, cum intellexiſſet inter Gentilem Molianum, qui Firmianæ ciuitati imperabat, & Malateſtam continenter bella ſuperiori tempore interceſsiſſe, rationem cœpit inire, vt alterius opibus alterum debellãdum vteretur: Et ad Gentilem Molianum legatos mittit, qui in Malateſtarum inuidiam eius amicitiã captarent: darentque operam, vt inter ſe ac Gentilem pax non iniquis conditionibus fieret, & ſocietas coiretur. Ille verò conditionem amplectitur, ſuæ infirmitatis conſcius, ſimulque vt occaſionem arriperet vlciſcendi Malateſtas, à quibus multa magnaque acceperat detrimenta. Pacem ergo his conditionibus accepit, vt paucis ſuo iuri permiſis caſtellis, nec ijs magnis, cætera omnia redderet Pontifici, ac obſides daret. Quod factum cum Malateſta reſciuiſſet, hoſtis iam Eccleſiæ iudicatus, cæterorum omnium inimicitias odiaque inſtantidiſcrimini poſthabendas ratus, pro magnitudine periculi cœpit inire con

Malateſtæ pauci volũtũ Aegidio.

Gentilis Moliani cũ Aegidio ſocietas.

re consilia: ac legationibus quoquo versus dimissis ad omnes Flaminiæ & Piceni tyrannos, nouos amicos conciliare, confirmare veteres. Ille verò & hostes reconciliare communi periculo omnibus proposito, à cunctis auxilium petere: suam inuicem opem aduersus Ecclesiasticos polliceri. In primis habendam sibi rationem statuens, vt Gentilis Molianus ab amicitia AEGIDII auerteretur, atque ad suas reuocaretur partes, triginta ei ducatorum millia per legatos mittti. Omnia oppida agri Firminani se illi reddere, & per liberorum connubia affinitatem paciscitur, si datis acceptisque obsidibus, sese mutuo auxilio aduersus communem hostem iuuarent. Et cum vtriusque eadem esset causa, eundem belli euentum experirentur, commune esse periculum docet, vtiliorem magisque fidam suam Gentili amicitiam fore quàm AEGIDII. Qui cum bellum pro Pontifice suscepisset, neminem eorum qui oppida Ecclesiasticæ ditionis occupassent, hostem non esset iudicaturus. Nam & si ad præsens amicitiam cum eo gerere simularet, vt facilius contra cæteros bellum gereret, fore, vt alij superatis ipsum postremò excogitata causa, vel etiam non quæsita, omnibus bonis sine repugnantia expoliaret. Quibus auditis, Gentilis vehementer est perturbatus. Nec quid consilij caperet, satis sciebat. Turpè videbatur fidem AEGIDIO datam fallere, sed magna erant & munera & promissa Malatestæ, consiliumque eius longè tutius reputabat. Et hæc quidem pars proculdubiò vicerat, nisi quidam ex Frmianis ciuibus quibus Malatestæ sũmo erant, odio restitissent. qui cum ex populi sententia legati publicè ad AEGIDIVM missi de ancipiti Gentilis animo docuissent, AEGIDIVS ad Gentilem legatos misit, qui partim pollicitationib. partim territando, eius animum ab incepto reuocarunt. Qui in fidei testimonium filium atque nepotem obsides dedit, & duo castella Morosium, & Sanctum Benedictum tradidit. Tandem legati missi à Malatesta re infecta redierunt. Nec ea tantum res fecit, vt rei benè gerendæ, & Malatestam desperatio non parua, & AEGIDIVM magna spes incesseret, sed illud multò magis quod superiore tempore idem Malatesta à Germanorum societate, de qua suprà demonstratum est, triginta millibus ducatorum pacem emerat: magnaque præterea stipendia erogauerat militibus, quos ex eo conduxerat, qui fuerant supra mille quingentos equites, multique pedites, cum bellum aduersus Gentilem Molianum gerebat: quibus sumptibus maximè exhaustum nũmis esse Malatestam nemini videbatur dubitabile. Quum tamen nihilo secius abundare ipsum numero militum constaret, augendum sibi exercitum AEGIDIVS censebat, etiam reclamantibus, eam diligentiam nimiam esse, nonnullis, qui multum in rei militaris scientia

Malatesta conatur Molianũ abducere à societate cũ Aegidio.

sibi

sibi tribuebant, dum ad hostis indigentię suspitionem illud adijcerent, eius exercitum necessario ineunte bello esse minuendum, deductis ad oppidorum custodiam militum præsidijs. Quibus rationibus AEGIDIVS respondere solebat. Stulti esse Imperatoris ex dubio hostis consilio, aut futura infirmitate pendere, dum posset ipsum multitudine militum superare. Nam cum fortuna belli nimis esset anceps, difficilius esse victo bellum reparare, quàm cedentibus suis aut laborantibus, fessisq; integros & recentes ex multitudine submittere. His accedere, quod expugnatis oppidis præsidia imponi ex paucitate subducta sine magno incommodo non possent. Denique temeritatis esse in hostem excitatum, consilio fortasse non inferiorem, qualem esse Malatestam, victoria velut explorata, irruere, si militum numero supereris. Hoc inito consilio, per Vmbriã Latiumq; delectũ haberi iubet, vt omnia, ineunte vere, ad bellum in Picenum transferendum essent comparata. Interea Tudertini per legatos imperata facturos polliciti, centum equites cum pari numero peditum subsidio mittunt. His rebus aucto numero ex hibernis copias deducit: quarum parua parte sibi relicta, reliquis Blascum Fernandum præficit. Iubetque in Flaminiam Picenumque inferre signa, & quæ fieri vellet docet. Hunc vt Petrus Farnesius, Bonifacius Vrbeuetanns, Henricus Fessa, Viri nobiles & armis exercitati subsequantur, imperat. Huius profectionis fama cum celerrimè Picenum & Flaminiam permanasset, multi ex tyrannis per occultas legationes, aut litteras pacem, alij alijs conditionibus ab AEGIDIO petiêrunt. Quorum duo maximè opulenti Rodulphus Camerinas, & Ismedicius Seuerinas, etiam si societatem inierant cum Malatestis, metu tamen perterriti indubitati periculi de deditione occultum miserunt nuncium. Cum Camerino Blascus appropinquaret, Rodulphus, Ioanne fratre longius præmisso, ipse ad duo millia passuum obuiam progreditur, atque in vrbem eum cum exercitu introducit, ipsumque cum oppidis ac castellis subiacentibus eius potestati permittit. Paulo pòst Gentilis quoque Molianus, Blascum Fernandum cum exercitu Firmum admisit, eique oppidum tradidit. Arce tamen in aduentum AEGIDII sibi reseruata. His rebus gestis, necdum tamen Auenioni nunciatis, allatæ sunt à Pontifice litteræ, ne AEGIDIVS ab Vmbria promoueret, quo minus Ioannes Vicus cæteriq; eius regionis tyranni inuitante occasione rebus nouis studerent. Quamobrem consulenti Blasco per litteras an Malatestas iam bello lacessendos censeret: AEGIDIVS respondit. Abstineret à bello in vigesimum diem, tantisper videlicet, dum de Pontificis voluntate quicquã certius afferreretur. Inter hanc sollicitudinem, qua AEGIDIVS nimium angebatur, vt qui amplissimam & exploratam victoriam è manibus emittere iuberetur, superuenere literæ ab eodem Pontifice,

Tudertum deditur.

Rodolphus Camerinas & Ismedicius Seuerinas se dedunt.

tifice, qui rerum in Piceno gestarum certior iam factus fuerat, quibus litteris, laudato consilio AEGIDII, & Blasci virtute, vt pergeret bellum Malatestis inferre, hortabatur: daret modo operam, ne Vmbria interea in discrimen traheretur. qua re delectatus AEGIDIVS Blascum Fernandum per literas monet, vti oppida inuadat agri Firmiani, quæ occupata erant à Malatestis. Ille nihil moratus & de tertia vigilia Firmum egressus in Phalatonem oppidum contendit. & primo impetu tradito simul & expugnato potitur. Sancti quoque Angeli castellum deinde simili modo recepit. Morus etiam, id oppidi nomen est, electo præsidio sibi imposito à Malatesta, deditionem fecit. Tria præterea oppida, quæ ab Ancona non longè absunt, à Malatestis deficientia in Blasci potestatem peruenere. Interea AEGIDIVS profecturus in Picenũ sic Vmbriæ statum cõstituit. Iordanem & Angelum quæstorem, quorum in populo Viterbiensi summa erat gratia, ei potissimum ciuitati præficit: sed & totius Vmbriæ Latijque curam & gubernationem iniungit. His quadringentos equites, pedites ducentos, attribuit. Arci Montis Falisco rum Ioannem Vrbeuetanum præesse iubet. In arce Tuscanella veterem probatæ fidei præsidem confirmat cum militum supplemento. Ioannem Albertum Florentinum cum centum equitibus & peditum pari numero in Vrbeueteri custodis loco relinquit. Et ne esset interea, qui aliorum animos ad rebellionem sollicitare posset, per honoris & amicitiæ speciem proficiscens iubet, nobilissimum quemque se in bellum subsequi. Vt autem Ioannem Vicum, si minus fides data, at certè cara pignora in officio continerent, Franciscum eius filium viginti equitibus præpositum secum adducit: relicto fratre, qui datus erat obses, in arce Montis Falisco rum. Fulgineum modo peruenerat AEGIDIVS, & se, cum reliquo exercitu coniunxerat, cum Episcopus Vicentinus & Senitius Comes Palatinus à Carolo quarto legati adsunt vti Romam veniret, impositurus ex more coronam auream Imperatoris capiti, qui ad compescendam Ludouici Bauari insolentiam autore Clemente VI. P. M. creatus erat. Qua de re non erit hoc in loco ab instituto nostro alienum, pauca verba facere, quoniam & in superioribus de Ludouico Bauaro facta est mentio, & fiet in sequentibus de Carolo. Mortuo Henrico Imperatore, magna fuit inter electores Imperatoris controuersia, quibusdam Federico Austriæ, alijs Ludouico Bauariæ ducibus suffragantibus. In tanta igitur electorum dissensione candidati ipsi concurrunt ad arma. qua in pugna cum Ludouici res superior fuisset, maiore exercitu confecto, inuito Ioanne XXII. qui tunc erat Pontifex Maximus, in Italiam irruere parat, ius fore ratus quidquid per violentiam rapuisset. Primum ergo accepta, ex more, corona ferrea Mediolani, cui ciuitati Vicecomites tunc temporis auxilio eius imperabant, Romam peruenit. Cui duo ex nobilitate Romana Stepha-

Vmbriam cu stodiri mandat Pontifex

Carolus IV. Imperator à Clemente creatus.

Ludouici Bauari de imperio contentio, cũ Papa.

nus Columna & Nicolaus Comes tunc moderabantur, qui magistratus Vicarij Imperatoris Romani nuncupabantur. Absente itaque collega ab Stephano Corona aurea insignitus est ad ædes Laterani, iubente clero P. Q. R. Tunc verò magna sumptaa udatia, per contemptum non hominum tantum, sed Dei etiam immortalis Antipapam creat, in æmulationem Ioannis. XXII. quendam Petrum Corbarienſem ordinis minorum, humili loco natum, non indoctum illum quidem, nec ignauum, sed scelestum & nefarium hominem, & qui contra iura diuina humanaque, reclamante vxore, religionem; quam pessimè prophanaret, professus fuerat: sed relictus Pisis, abeunte Ludouico in Germaniam, capitur à Bonifacio Comite Pisano, & Auenionem perductus, & Pontifici traditus, in carcere miserrimè obijt. Ludouicus autem ipse, qui nullam occasionem prætermittens, omnes suas cogitationes in Pontificis Maximi & rei Ecclesiasticæ perniciem conferebat, multos tyrannos in ciuitatibus Ecclesiasticis aut veteres confirmauit, aut denuo præposuit. Cuius hominis impietatem non ferens Clemens sextus, qui fuit tertius à Ioanne XXII. author fit, vti Carolus Ioannis Regis Vngariæ filius, designaretur Cæsar. qui virtute & opibus suis Ludouici conatibus obstaret. Is igitur legationem ad AEGIDIVM mittit, cupiens ab ipso potissimum coronari. At summus Pontifex, ne AEGIDIVS cum incommodo rei Ecclesiasticæ à tantis negotijs anocaretur, tres Cardinales cum potestate eo nomine miserat, qui paulo pòst Carolum consecuti, peruenêre in vrbem, ipsumq; authoritate Apostolica coronauerũt. Ea igitur res AEGIDIO iam antea cognita, pro responso legationis fuit. Cumq; nunciaretur Carolus Senas appropinquare, AEGIDIVS officij gratia, simul si posset ab eo quiddam auxilij impetrare obuiã procedit. A quo liberaliter, indulgenterque exceptus, cum ducentos equites auxiliares obtinuisset, Fulgineum vnde venerat redijt. Paucis ibi diebus traductis, dum finitima quædam oppida reciperet, quorum fuere Nuceria, Gualdum, Cæsarium, Carolus in Germaniam regreditur. Percusso fœdere cum Principe Mediolanensi: qui cum arma deposuisset, multosque tum equites, tum pedites dimisisset. Malatestæ ac Franciscus Ordelaphus, cæterique eius belli socij duo millia equitum, milleq; pedites ex illis mercede conduxerunt. Adeoque tyrannorum exercitus auctus est, vt præterquam quod multitudine peditum abũdaret, quattuor millium numerum equitatum excedere constaret. Qua occasione fiduciaq; persuasus Gentilis Molianus, quem antea non tã fides quam metus in officio continuerat, ab AEGIDIO defecit, seque tyrannis aggregauit: qui coactis viribus magnaque sumpta audacia, non dubitauere sese Ecclesiastico exercitui opponere & sponte ad pugnam prouocare. Prorsus, vt cum Nicolaus Acciaolus vir reb. gestis insignis & summa au-

thori-

Petrus Corbariensis Frãciscanus Antipapa contra Ioannem XXII & eius mors infr. lib. 3.

Carolus regis Vngariæ filius Cæsar creatur contra Ludouicũ Bauarũ.

Gentilis Moliani defectio.

thoritate grauis, quem vulgo magnum Architriclinum Regis Siciliæ appellabant, conaretur inter vtrosq; bellum dirimere. Malateſtæ, qui nuper omnibus precibus bellum deprecabantur, tunc velut explorata victoria, magno faſtu pacem repudiarent. Quo cognito AEGIDIVS, etiam ſi nummorum inopia premeretur, qui nimis parcè à Pontifice ſuppeditabantur, ex hauſto, vt ipſe dicebat, ærario, tamen vel proprio ſumptu nouum militem conducere ſtatuit. Et quidem ſatis opportunè accidit, vt ſexcenti equites, qui Bononiæ præſidij gratia hyemauerant, paulò autè à Principe Mediolanenſi dimiſſi, & conductorem expectantes in eadem vrbe commorarertur. His itaque conductis, peditum etiam habito delectu, ſuppleuit quidem exercitum, ſed adhuc hoſtibus numero militum impar conandum ſtatuit, ſi qua ratione hoſtiũ copiæ poſſent diſtineri. Ipſe igitur ſuas partitur. Maiori parti Alphonſum Toletanum præficit, & in agrum Ariminẽſem ducere, omniaq; ferro flammaq; vaſtare imperat. Ille non ſegnius, ac iuſſus fuerat imperata executus, & obuia quæq; populatus, duobus ab vrbe millibus caſtra metatus eſt. Indeq; crebris incurſionibus agros infeſtabat: nec quenquã vrbem ingredi, egrediué patiebatur. Quod cum eſſet tyrannis perlatum, resque ad conſilium referretur, omnes in hanc ſententiam iêre: primò quoq; tempore ſubueniendum eſſe Ariminenſibus, ſed habendam eſſe rationem, ne interea reliqua pars exercitus Eccleſiaſtici liberè vagaretur, & cæteræ ciuitates in diſcrimen traherentur. Quare placet copias bifariam partiri, vt minor pars finitimis oppidis præſidio eſſet, alteram Galeotus Malateſta in agrum Ariminenſem duceret, vrbemque obſidione ſolueret. Nec hoſtibus, ſi poposciſſent, pugnandi copiam facere, recuſaret. Cognito AEGIDIVS Galeoti diſceſſu, iubet properè cum ſilentio caſtra moueri, & vt ſe reliquo exercitui coniungeret, ſumma celeritate contendit prorſus: vt non prius hoſtis in agrum Ariminenſem perueniſſet, quam copiæ Eccleſiaſticæ congregarẽtur. Cũ ſe exercitus in mutuũ conſpectum dedêre, vterq; pugnã capeſſere paratus, inſtruunt, educuntque acies duces ſtrenuè, vt quidem par eſt credere, ſed quo potiſſimum modo, non eſt traditum. Tunc AEGIDIVS cohortandos militũ animos oratione prẹmiorũq; pollicitationibus accẽdendos ratus, in hunc maximè modũ aduocata cõcione, locutus eſt.

Alphonſus Toletanus Ariminen. ſem agrum populatur.

Iuſtiſſimi piiq; belli Viri fortes, quod pro Repub. Eccleſiaſtica, proq; religione Chriſtiana, quæ nobis patria longè charior eſſe debet authore Deo Chriſto contra tyrãnos, Chriſtiani nominis hoſtes, gerimus, bona pars diuina ope veſtraq; virtute nobis confecta eſt. Recepimus Latiũ, Vmbriã ſubegimus, Aethruſcorũ dubios animos in fide ac officio confirmauimus. Nec ſolũ cæteri eius tractus tyranni vobis ſuccubuere, ſed Ioãnis etiã Vicityranno-ũ & potẽtiſſimi & maximè formidoloſi opes veſtræ virtuti ceſſerũt. Iã verò vt piiſſimo ſacroq; bello finis imponatur, vt pax ſit rebus, vt Eccleſiæ ſtatus veſtra opera à perfidorũ violentia vindicetur, vosq; veſtra virtute digna præmia faciatis, tan-

Aegidij Albornotij ad milites oratio.

tum

tum supereſt, vt Piceni Flaminiæque tyrannos debelletis: quæ victoria quam ſit nobis in expedito numine diuino poſita, ſi eã hodie virtutẽ præſtatis, quàm ſuperiorib. prælijs præſtituſtis, vel me tacente vobis ſatis exploratum eſſe debet. Mihi enim principio, cum hanc expeditionem comparabam, rei magnitudinem reputanti, multi labores hauriendi, aut magna diſcrimina ſubeunda occurrebant. Quippè ſi tyranni muris foſsisque contenti, nobis ſigillatim forent expugnandi, longa duraque obſidionum faſtidia, malaque animo præcipiebam Sin cum vniuerſis, coactis viribus, quod magis fore putabã, prælio eſſet decernendum, veſtræ quidem virtuti, mihi multis magnisque periculis cognitæ, ſummoperè confidebam, ac ſtrenuitate recreabar, anceps tamen fortuna belli, dubiusque euentus, indubitatam multitudinem hoſtium animo præcipientem me anxium habebat. Nunc cum res eo deducta ſit, vt tyranni, qui vniuerſas opes non inutili conſilio contulerant, ſatis gnari, haud aliter ſuis viribus noſtrum exercitum eſſe tolerandum, diuiſis copijs pugnare cogãtur, quid tandem exiſtimandum eſt, niſi Deum CHRISTVM, pro cuius Eccleſia bellum gerimus, vindicem adeſſe? & ſuorum hoſtium animis tenebras obfudiſſe? vt de regibus Ammoreorum ſacris literis proditum eſt. quos turbauit Dominus à facie Iſrael, & contriuit plaga magna in Gabaon. Qui cum parte copiarum noſtrarum confligere rati, ſolidum exercitum adeſſe, tunc demum ſentient, cum ſera pugnæ pœnitentia ſubeunte, non niſi fugæ locus erit: quam tamen pleroſque eorum non inuitos arreptam ire certum habeo. Nec enim genus belli nobis ignotum eſt, aut hoſtis ignoratur. Cum his eſt vobis milites dimicandum, qui tyrannos exoſi duces: vt hominum fert natura, trahuntur magis ad execrandum bellum, quam ducuntur, nihil magis quàm fugere, ſi id impunè liceat, parati. Taceo quod veterani milites, cum tyrone exercitu pugnaturi eſtis. Religioſi & animis ſpiritibuſque ob honeſtatem cauſæ pleni & confirmati, cum ſceleratis, & ſuæ impietatis conſcientia profligatis. Sed, vt intelligatis milites CHRISTI, quanta animi contentione pugnam capeſſere debeatis, ponite ante oculos quanta rerum momenta diſcrimine huius certaminis vertantur, Vobis enim hodierno die CHRISTVS Eccleſiam ſuam, ſibi ſuo, & innumerabilium Martyrum ſanguine partam committit, vt eam veſtra virtute è nefariorum hominum impiorumque latronum manibus aſſeratis. qui ſi ſuperiores, quod abominor, euaſiſſent, fruſtra, credite mihi, ſuperioribus prælijs viciſſetis. Siquidem cum inexplebilem ſitim noſtro piorũque ſanguine ſatiaſſent, erectis ſceleris ſocijs, qui veſtra virtute iacent, non dubium eſt, quin Eccleſiam, ac religionem Chriſtianam, ipſorum ſcelere labefactatam funditus eſſent euerſuri. At ſi victi erunt, vt erunt, noui enim veſtram virtutem, & præſens numen adeſſe ſentio, laceratam Eccleſiam reficietis, captiuam in libertatem aſſeretis, & Chriſtianam religionem vltimum diſcrimen adeuntem, priſtinæ dignitati reſtituetis. Cum Deo ergo bene iuuante Viri fortes arma capite, veſtri laboris certiſsima præmia capturi. quibus enim hoc ſacratiſsimo prælio oppetere continget, hi paratos habebunt angelos Dei, qui ipſius militum beatas animas cum glorioſis martyrij coronis excipiant: qui verò pugnæ victores ſuperfuerint, pro ſuis quidem quiſque facinoribus editis, quæ latere minimè poſſunt, digna præmia reportabit omnibus tamen ſine diſcrimine pro hac victoria duplex militiæ ſtipendium. Sed nec Galeotus Malateſta in cohortandis militibus ſibi defuit: quem huiuſcemodi habuiſſe orationem accepimus. Captatam iam pridem nobis facultatem milites cum hoſte aperto marte decernendi, en vltrò hodie neſcio quæ bona fortuna attulit non ſperantibus. Video enim hoſtes educta acie, pugnam capeſſere paratos: quàm cùm diu, nobis poſcentibus, iunctis viribus ſuis, totoque exercitu turpiter detrectauerint, certum habeo, nunc partitis copijs, neceſsitatis non ani-

Ioſue. 10.

Altera oratio Malateſtæ.

morum

morum hoc esse consilium. Atque equidem mea sententia institutum ducis, si militum animos haberet consentientes, non esset admodum improbandum, qui cum locus effugij minus adesse intelligat, quo se tuto possit recipere, mauult suum exercitum quantulacunque spe præter ignominiam vinci, quam inter fugam & trepidationem turpiter occidi, sed parum animaduertit, quo genere militum, & contra quos difficillimam pugnam sit inituru. Opponere molitur mercenarios milites, milites autem, immò verò latronum colluuiem, qui nulla gloria accensi, nulla, præterquam prædæ, aut mercedis spe ducti, bellum gerunt, qui cum neque pro sua dignitate, nec pro libertate patria dimicare cogantur, deserunt potius signa, quàm nisi exploratam habuerint victoriam, vllum Martis discrimen substinere inducant animos. Hoc genus, inquam, militum educit in aciem contra vos, quibus vtinam pro gloria tantum & decore, non etiam pro opibus, pro libertate, pro salute antè mœnia vestra esset dimicandum. Nec enim timeo, ne nobis, qui vestræ libertatis duces sumus, fraudi, aut vobis errori sit, quod in nostram inuidiam callida improbitate excogitauit, iactatque versutus hostis, dum nobis tyrannidis nomen obiectat. qui vobis volentibus, atq; adeo magno consensu petentibus, vestrarum ciuitatum patrocinium, contra improborum hominum auariciam notasque fraudes suscepimus, contra eorum dolos, & cõpilationes, quos religionis, quam omni turpitudine profanant, specioso nomine, suas sordes & scelera prætexentes, non pudet honestis viris, ac suæ libidini obsistentibus tyrannidis (quam ipsi affectant, exercentque) nomine inuidiam facere, & vanis execrationibus detestari. Quasi, Deum immortalem, quem nos sanctius ac religiosius reueremur, colimusque, suis sordibus ac criminibus consentientem, & conspirantem habeant, & non potius iratum, quod videat, suam religionem, & Ecclesiam, quæ sanctimonia, frugalitate, terreni imperij opumque despectu, ex exemplo CHRISTI ac beati Petri tuenda erat, in ambitionem & auaritiam conuersam scelere eorum, quibus commissa esse videtur. qui sacerdoti, virtutum olim & sanctitatis non tam præmia, quàm exercitamenta, nunc ab ipsis in mercaturæ formam coacta, quo carius emunt, eo turpius ad colligendam pecuniam abuuntur. Et si quis imperatam pecuniam pendere renuerit, aut ipsorum libidini parere iussus, vt est hoc genus hominum imperiosum, minus obtemperauerit, hunc protinus sacris interdicunt, horrendis deuotionibus detestantur, quibus ignauos homines & superstitiosas mulierculas, deterreri compererunt. idem cum erga viros fortes, prudentesque, nec ignaros quam vana sint ista territamenta, nisi iustissima sint, intellexerunt, terras mariaque miscent, & non tam marte quam plutone agitante bellum inferunt: scilicet, vt beatum Petrum, cuius clauibus se imperare iactant, imitentur, qui in suæ posteritatis exemplum piscatorium instrumentum, quo solo suam paupertatem tolerabat, iubente CHRISTO, abiecit, vt doceret, præter virtutem & Religionem, omnes res humanas futuro CHRISTI vicario, non modo non esse appetendas, sed etiam abijciendas. Atque equidem horum & habendi, & dominandi inexplebilem auiditatem vtcunque tolerandam esse censerem, si vllum modum seruare scirent. Atque adeo legatos præ hac nostra modestia, sæpe ad eos de pace misimus, multa de iure nostro, multa etiam de libertate remittentes, ea offerentes annua tributa, quibus, si scirent auaritiæ temperare, satis superque debuerunt esse contenti. Sed dij immortales, quo fastu, qua insolentia respondêre! Deditionem sine conditione volumus. Cedite patria, relinquite opes, manus date, misericordiam supplices implorate, nostrum sit in captiuos summum ius, nostra sit summa in dedititios necis iuxta, & vitæ potestas. Quid turpius, erata mancipia ab importunissimis Dominis audire, quid grauius expectare solent? Ita cum sit aut pugnandum, aut miserè seruiendum, vel mortem fortibus viris ante seruitutem ponendam statuimus.

Ergo viri fortes memores vestræ libertatis, sic hodie pugnate; vt memineritis huius prælij discrimine, vestra, patriæque libertatem, opes, salutem denique verti. Reputantes qualem virtutem hodie præstiteritis, talem imposterum statum, fortunamque vos, ac ciuitates vestras habiturum. Sic vtrinque accensis militibus, committendi prælium signum datur. magno impetu initur certamen, diuque peruicaciter ancipiti victoria pugnatum est. Donec Galeotus, vt laborantibus suis subueniret, admisso equo, in hostes irruens & ab his fortissimè exceptus, vulnerato lethaliter equo prosternitur, capiturque. Quod, cum esset passim diuulgatum, fecit, vt Ecclesiastici pro victoribus essent, hostes pro victis, qui metu dissipati fugam capessunt. Ecclesiastici, fugientes confectati, magnas strages ediderunt. Quo in prælio Blasci Fernandi militis simul, & ducis munera exequẽtis, virtus & strenuitas summoperè emicuit, dum hostẽ repellit, laborãtibus suis subuenit, & opportuna appellatione militẽ cohortatur. Nec minor fuit in Rodulpho Camerinate, nec industria, nec animi promptitudo, quin & Alphonsus Toletanus & Carolus Aduadula præcipuam eo die laudem meruêre. Nanque AEGIDIVS ipse non pugnando, sed imperando vincebat, & instructa acie, magis suam censebat decere dignitatem, Deum immortalem interea cunctis precibus obtestari, vt res fœliciter eueniret, quam vt ipse inter tela versaretur. Hac parta victoria, pleraque omnia oppida, quæ circum Ariminum sita sunt, partim facilè expugnata, partim spontanea deditione in AEGIDII potestatem peruenere. Inter quæ Aesim vrbem expugnauit Blascus, Maceratam Fedus tradidit sponte, qui ei hactenus imperitauerat: quem oppidanis petentibus, AEGIDIVS eidem oppido præfecit. At Galeotus Malatesta, quem à militibus captum fuisse demonstrauimus, adhuc in eorum potestate permanebat. Nec, vt eum traderent AEGIDIO vlla ratione adduci poterant, donec sibi, vt promissum erat, duplex stipendium, quæ summa erat, quadraginta millia ducatorum exolueretur. Non quod de præstandis pollicitis dubitarent, sed impatientes moræ, ne solutio in longum traheretur, verebantur. plerisque enim nota erat AEGIDII indigentia, quem superiore solutione decem millia ducatorum de suo erogasse constabat. Quæ res cum AEGIDIO suam authoritatem minuere videretur, in hæc pacta descendit, vt milites apud Rodulphum Camerinatem in vigesimum diem deponerent Galeotum, haberentque obsides pro eo Blascum Fernandum: Vngarum Saxoferratum: Ioannem Albertum: Albertatium Ricasulum, quibus militibus, si citra præstitutum diem satisfactum esset, traderetur Galeotus AEGIDIO, sin aliter, redderetur ipsis, essetque eorum in captiuum summũ ius summaq; potestas. Ergo AEGIDIVS, omni cura in conquirendã pecuniã conuersa, à Perusinis octo millia ducatorũ mutuatus est, ab Eugubiensibus tria. Quæstorem præterea

Pugna committitur.

Aegidij in pugna officium.

terea Florentiam properare iubet, & pecuniam sibi longo tempore debitam à Florentinis exigere. Ipse verò quidquid habuit vasorum aureorum, argentorumque & annulorum Albergotio Fabriensi viro id temporis valde nummoso oppignorauit, accepta pecunia quæ summæ deerat, qua militibus numerata Galeotus Eugubium, vbi AEGIDIVS commorabatur, iussu eius deportatur, daturque custodiæ. Tanta clade fractus Malatesta, optimum factu esse statuit ad Pontificis Aegidijque misericordiam confugere, & quorum erga vtrunq; summam esse gratiam, aut authoritatem intelligeret, horum maximè precibus ad componendam pacem vti. Ergo paucis interiectis diebus, Nicolaus Acciaolus, de quo suprà mentionem fecimus, à Carolo Cæsare, & Cardinale Hostiensi nuncius adest cum litteris, quibus ab AEGIDIO magnoperè contendunt, vti cum Malatestis, futuris in posterum Ecclesiæ tributarijs, fidissimisque clientibus, fœdus tolerandis conditionibus feriret. Nec vellet antiquam, nobilissimamque familiam, & sibi amicitia coniunctam funditus abolere. Nec grauaretur, si Malatesta ad ipsum venire vellet, tutam colloquij facere facultatem. fore eã rẽ sibi gratissimam, & à dignitate ipsius, cõmodoq; rei Ecclesiasticæ minimè alienam. Inquam sententiã cum multa Nicolaus addidisset, ab AEGIDIO impetrat, vti sua voluntate liceat Malatestæ ad colloquium venire: qui postridie eius diei, literis Nicolai accitus adest, & introductus ad AEGIDIVM, ad eiusq; pedes obuolutus crimen fatetur, ad ipsius clementiam cõfugere, quam nemo nunquàm frustra imploraſſet. Erratorũ veniã, & pacẽ petere. Cuius sermone interpellato, Nicolaus: Hoc, ait, à te Malatesta petit, clementissime Imperator, in quo & Carolo Cæsari & Cardinali Hostiensi nimiũ gratificaberis, vti ea oppida, quæ in Flaminia obtinet sibi liceat tua voluntate retinere, nec id quidẽ vt domino, sed vt Põtificis, Ecclesiæq; tributario clienti. Reliqua omnia summi Pontificis tuæq; potestati permittit, quibus AEGIDIVS respõdit. De graui reno se, ni post maturã deliberationẽ responsurũ. Postero die cũ rem ad consiliũ referens, quid Malatesta postularet, exposuisset, cæterorum huic congruere sententiæ, nullas conditiones pacis à Malatestis esse accipiendas, eisué dicendas. Nam qui nuper tam superbè pacem renuissent, necessitate eos non potentia ad pacta descendere. Non esse ambigendum, tanta clade accepta fractos animis viribusq; omnino suis rebus diffidere vt qui minimè valeant bellum reparare. Vecordis esse aspiranti deesse fortunæ. Ad hæc tyrannorum fidem cũ fortuna commutari: quippè quorum nihil interfit, quibus artibus dominentur Ergo optimum esse, Malatestarum familiam ab Ecclesiasticis finibus exterminare. Ad quod ni occasio præsens prætermittatur, nihil negocij supereſſe. Hæc & pleraque alia in hanc ſententiam dicta, ſatis ſpecio-

Galeotus custodiæ traditur.

Malatestæ cum Aegidio colloquium.

Vrbes retinere Malatestæ postulat.

Aegidio consilium potius clementiæ quam seueritatis placet.

sa iactabantur, quæ tamen AEGIDII animum haud satis explebant, multa variaque simul agitantem. Quippè ne Cæsaris animum offenderet,& Cardinalis Hostiensis amicitiam parui facere videretur metuebat,si vterque tanto studio,pacem fieri, ab ipso frustra contendissent. Præterea nunciatum erat Patauinos,Perusinos,& Mantuanos cum Malatestis amicitiam cóiunxisse.Huc accedebat nummorum penuria,quæ exhausto Pontificio ærario ad ducendum bellum minus suppetebant, quod si Malatestæ æqua inopia laborarent,ac certè difficile fore reputabat,expugnare Ariminum,Anconam vrbes munitissimas, & congestis commeatibus abundantes,& quorum oppidanos tyrãnis studentes, cũ ipsi Ecclesiasticæ factionis homines è proprijs sedibus expulissent,totis viribus,priuatisq; opibus restituros, non erat dubitabile: metuentes scilicet posse,ad ipsos simile malum recidere.Nec parũ mouebat,quod cæteros tyrannos,qui collatis cum Malatestis viribus ad summam belli non parui erant momenti, horum opibus destitutos infirmos fore, certum erat.His igitur persuasus, simulq; ne tantis precibus, rem honestam denegare videretur,pacem cum Malatestis faciendam statuit, sed quoniam de ea re consulendus erat Pontifex,quanquam à se dissensurũ non verebatur,duorum mensium concedit iuducias.Quarum tertius agebatur dies,cum à Pontifice, non alienas à voluntate AEGIDII literas PetrusEpiscopus Turiasonensisdefert: quarum hoc fuit exemplũ.

Clem.VI. ad Aegidium epistola.

In eam sumus inopiam redacti,adeoque ærarium exhaustum est, vt minimè ducendo bello sufficiamus. quin etiam,vt tandiu suffecerimus tuæ,magna ex parte, prudentiæ, atque iudustriæ ferimus acceptum proinde bello Italico finem aliquando imponere censemus. quod etiam si rebus tuis gestis comparatum,breuè admodum possit videri, nobis tamen qui summa inopia premimur longum est,sed nec finiendi deest occasio. Malatestæ omnibus precibus bellum à nobis deprecantur.Pacem cum his facito quibus conditionibus,modo Ancona vrbe cedant,nihil præscribimus.Tu quid rei Ecclesiasticæ expediat,quidque à nostra dignitate non abhorreat,vt soles,dispicies. Galeotus, quem captiuum ducis, redimat,censemus libertatem medietate stipendij militibus duplicati.Pace facta cum Malatestis cætera tuæ virtuti ac prudentiæ in expedito erunt. Ac cæteris quidem tyrannis, qui supplices pacem orauerint,æquiorem te præbeas licebit.Gentili Moliano,vt sit non inultæ perfidiæ,atq; inconstantiæ exemplum,nullas conditiones pacis,nisi vt finibus Ecclesiasticis omnino cedat, dicas. Finito bello, ita tibi proxima cura sit, vti vrbibus oppidisque viros & prudentes,& probatæ fidei præficias.postremò,vt arces muros q; dirutos reficiẽdos cures.Hæc vbi feceris ad nos venire properato,tua opera atque consilio indigentes.

Pacis fœdera.

His literis lectis, quæ nullo modo pacem morabantur, pax his conditionibus facta est. Vt Malatestæ Ariminum, Fanum, Pisaurum, Forum Sempronij, in decem duntaxat annos retinerent, singulisque sena millia ducatorum Pontifici duabus pensionibus. VIII. Calend. Ianua.&, III. Calend. Iulias, tribuerent, Reliqua omnia oppida Flaminiæ, Piceni, Massæ Trebariæ, Sanctæ Agathæ, quicquid

deni-

denique præterea ditionis Ecclesiasticæ occupassent, restituerẽt. Quod si qua ciuitas earum in Ecclesiam interim rebellasset, Malatestæ cẽtum equitum auxilio Ecclesiasticos tribus mensibus iuuare tenerentur, & ad præsens tres itidem menses eodem equitum numero auxiliarentur. Galeotus ad hæc, cum triginta millia ducatorum exoluisset, tum demum liber esset. Has conditiones pacis sic constitutas, & sanctissimo iureiurando firmatas, vbi Episcopus Turiasonensis et Albertius Ricasulus ad Pontificẽ detulissent, nõ modo ipse ratas habuit, sed AEGIDII consilium in pace facienda, nihilo se minoris, quàm virtutem in bello gerendo, facere, non semel in concilio Cardinalium professus est. Finito bello cum Malatestis, oppidisque ab ipsis receptis, AEGIDIVS optimum factu fore statuit, copias partiri. vt vno tempore plurib. tyrannis, haud breui abiunctis interuallo, bellum inferretur, quos non putabat prælio dimicaturos, vt qui per se infirmiores essent, sed vrbibus cõtentos muris se, & vallo à violentia tutaturos. Ergo cum res non vno impetu sed agrorum populationibus, obsidioneq; gerenda videretur, copias in tres partes distribuit, vni Blascum Fernandum præfecit, et cõtra Gentilem Molianum mittit: alteram Alphonsum Toletanum in fines Cæsenatium inducere, iubet, eosque vastare, et vrbi infestum adesse: tertiæ Bonifacium Vrbeuetanum præesse placet. Et quia summus Põtifex, qui inextinguibili odio in Ioannem Vicum ardebat, multis sæpè literis AEGIDIVM commonuerat, vti eum Corneto, cui ab ipso fuerat præfectus, expellendum curaret, Bonifacio imperat, Cornetum proficiscatur, & quidquid Pontifex iusserit in Ioannem Vicum, exequatur. Se verò his rebus, quas Ioanni Vico fide data concessisset, hominem expoliandi nequaquam authorem, quod sæpe testatus esset, futurum. At Blascus nulla interposita morà in agrum Firmianum rapit agmen, quem cum decem continuis diebus populatus esset, dispositis machinis, cœpit magno impetu urbem impugnare, In cuius murum, cũ partim deiecisset, cæterum progugnatoribus nudasset, iubet milites, qua murus patebat, ingredi, & qua facilior videbatur ascensus, scalis conscendere. Illi nihil sibi reliqui ad celeritatem facientes, imperata faciunt, quos cùm vidissent oppidani intra vrbem admissos, Ecclesiam vna voce sæpius conclamant. At præsidium nihilo segnius intra vrbẽ redintegrato prælio fortissimè repugnat, & in tertiam horam certamen trahit: sed tandem victi hostes in arcem confugiunt. quam cũ Blascus duodecimo iam die obsideret, Gentilis expers victoriæ, desperatoq; auxilio, cum ne fugæ quidem locus esset, se suosque dedit, & Blasci misericordiæ permittit. A quo non modo seruatus est incolumis, sed ipso deprecatore impunitatem ab AEGIDIO impetrauit: qui cum nunciata victoria, ac deditione Firmum peruenisset, vt erat singularis in dedititios clementiæ, iussum modo finibus Ecclesiasticis excedere Gentilem,

Ecclesiastic⁹ exercitus in tres partes diuiditur.

Firmum oppugnatũ & captum.

Moliano Ecclesiæ finib. interdicitur.

lem, munusculis etiam & viatico prosecutus est. Huius vrbis muros dirutos refici statim iubet AEGIDIVS, arcémque reparari, quæ non mediocriter tormentorum ictibus concussa fuerat. Cum statui ciuitatis huius prospexisset, Blascum qui imperata administraret, cum destinato præsidio reliquit, ipse vero Anconam ire contendit. Interea Alphonsus Toletanus fines Cesenates populatus, Sanctum Archangelum, et Sauignanum, haud ignobilia oppida, receperat. Paulo post AEGIDIO ab expolatoribus, quos occultè per omnes tyrannorum vrbes dispositerat, nunciatur, Bernardinum Poletanum quem Rauēnam obtin uisse demonstrauimus, audita victoria de tantis tyrannis, maximo metu trepidare, ac proinde posse facilè ad deditionem compelli. Ergo Patriarcham Aquilegiensem cum exercitu Rauennam proficisci iubet, portis vrbis insistere, ac omni ratione tyranno metum injcere Qui cum strenuè imperata administrasset, tyrannus deditionem facere parat: qui hac duntaxat excepta conditione, ne vrbe pelleretur, magnam vim auri in præsentia dare profiteretur, & dum cæteri tyranni pacarentur, centum quinquaginta equitibus Ecclesiasticos iuuare. Qua de re consulius AEGIDIVS conditiones accepit non grauatè, quibus firmatis Rauenna recepta est, & Ceruia, quæ eidem tyranno subiacebat. At Franciscus Ordelaphus et Ioannes Manfredus, quorum hunc Fauentiæ, illum Foriliuij, et Cesenæ tyrannos esse, supra demonstrauimns, reliquum bellum sibi potissimum impendere intelligentes, milites vndique omni studio conquirunt, & auxilia summis precibus implorant. Itaque societatem illam Germanorum, de qua supra mentionem fecimus, cum duce Laudino magna mercede conducere nituntur. quod cum minus processisset, magno precio eos adducunt, vt Picenum incursionibus prædarentur, eo scilicet consilio, vt Ecclesiastici à Flaminia auerterentur, & ad Regem Pannoniæ, et ad Barnabouem, eiusque fratrem, qui in principatu Mediolanensi Ioanni Archiepiscopo inde mortuo successerant, subsidia comprecatum mittunt. quibus rebus cognitis AEGIDIVS Pontificem per litteras de statu rei certiorem facit, hortaturque, vti primo quoque tempore Regem Pannoniæ & Principes Mediolanenses dimissis literis roget, obtesteturque, ne improbis tyrannis, & Ecclesiæ Christique hostibus præstent auxilium. Porrò ipse dispersas copias cogit, & relictis Alphonso Toletano centum equitibus & ducentis peditibus cætero exercitui Blascum Fernandum præfecit, iubetque in Aprucium accellerare, & Germanos, qui transitum in Picenum parabant itinere prohibere. s, cum eo magnis itineribus contendisset, oportuno loco castrametatus, se Germanis opponit, qui cum, ne tunc quidem incepto desistere, animos inducerent, sed vlterius progredi, coactis viribus pu- [illegible] decernere. nisi quod fine imperio AE-

Cesenatum fines Alphonsus Toletan⁹ ingredit.

Rauēna & Ceruia recepta.

in Aprusium exercitus mittitur.

GIDII non licebat, ex vsu rei putabat. At AEGIDIVS factus ab eo sui exprimorum exercitus consilij certior litteris, consultusque respondit. Abstineret prorsus à pugna, sed occupatis superioribus locis Germanos sua præsentia deterreret, & factis pro re & tempore incursionibus, longius vagari ne pateretur. Neque enim cum his esse in ancipitem pugnam, nisi necessariò descendendum, qui si superentur, victorem nullum, aut certè minimum emolumentum sit consecuturum, si victores euaserint; maximam iacturam sint illaturi. At qui si Germanos deuicerimus, vlciscemur quidem flagitiosos homines, sed post cruentam victoriam exercitu nostro (quod euenire necesse est) minuto, quæ oppida? quos populos propterea Ecclesiæ, quo nomine bellum gerimus, recipiemus? Nam si ab ipsis victi essemus, timendum esset, ne sumptis ex infirmitate nostra & spiritu & viribus, iacentes tyranni excitarentur, & longo labore parta momento temporis amitterentur. Se tamen supplementum missurum scribit, vt aucto exercitu multitudinis terrore hostem auertat, aut si pugnare fuerit necesse, non sit victoria dubitabilis. Tunc euocari præsidia iubet, superioribus diebus per oppida disposita. paucis admodum ad arcium custodiam relictis, quæ celerrimè ad Blascum perucnêre. Simulque legatos ad Germanos mittit conquestum de fœdere violato, quod secum percussissent, quibus mandat, minas precibus addant, & omni ratione nitantur, ab eo consilio deterrere. Interea Franciscus Ordelaphus arrepta occasione, quod videbat Flaminiam Ecclesiastico milite vacuam, cœpit Ecclesiastica oppida crebris incursionibus infestare. Quo intellecto AEGIDIVS iubet Aphonsum Toletanum cum coacta vndecunque manu tyranni violentiam compescere. Malatestis scribit, pacta subsidia suppeditêt. ad cuius imperatũ Galeotus cũ centũ equitibus mittitur. qui cum ad Alphonsum perueniisset, alia oppida circumuagari & eis præsidio esse iubetur : ipse verò Quilianum contendit, quippè cui oppido maius periculum à Francisco Ordelapho imminere constabat. At Franciscus despecta etiam tunc paucitate, non contentus incursionibus cœpit Quilianum oppugnare, illi verò eruptione facta inopinantes adorti turbant, cædunt & in fugam conijciunt, Franciscus cum his qui stragi superfuere, se in Forum Iuiij recepit. Hac parta victoria, manuque non contemnenda coacta, Galeotus se, cũ Alphonso Toletano cõiunxit, & communi senttentia placet Modianam, quod oppidum Francisco subiacebat, oppugnare, cum à primoribus Montis Velij, oppido id nomen est, conditio offertur Alphonso, si octingẽti ducati sibi cõferãtur, oppidum sese ipsi traditurros. Simul igitur & de oppugnãdo Modianã, & de emẽdo Mõte Velio ad

Prudens Aegidii consilium.

non temerè cum latronibus confligẽdum.

Franciscus Ordelaphus agros populatur.

Modianam oppugnare parat.

AEGIDIVM referre, satius est visum: qui respondit, Nec esse tempus conterendum in oppugnatione oppiduli, quod in Foro Iuij posset expugnari, nec in venalis oppidi emptionem pecuniam profundendā, quippè oppida pecunia facile parta, facile pecunia amitti solere. Eam curam deponerent, & relicto Galeoto cum parte confectæ manus ad præsidium partorum oppidorum, Alphonsus cum reliquis militibus ad Blascum properaret. Quod eo consilio fieri voluit AEGIDIVS, quo supra euocasse præsidia diximus, cum inter ipsum & Germanos de conditionibus pacis parum conueniret. Nam societas, perditorum hominum colluuie crescebat indies, & tyrannorum studijs efferebatur. Sed tandem aucto Ecclesiastico exercitu in hæc pacta AEGIDIO petente descenderunt, vt ipse quinque millia ducatorum Germanis numeraret, illi verò citra duodecimum diem fines Ecclesiasticos, temperantes à maleficio excederent, nec ante sex menses cuipiam ex hostibus Ecclesiæ quacunque ratione auxilio essent, ac fœdere non violando depositis decem ducatorum millibus, adiuratusque Comes Laudimus caueret. Quibus ita constitutis, Germani Flaminiam versus proficiscuntur, præcedēte cum sexcentis equitibus Perucio Pepo, subsequenti Alphonso cum cætero Ecclesiastico exercitu, qui ipsos ab iniuria & maleficio prohiberent, donec finibus Ecclesiasticis exeessiissent. quo itinere comes Laudimus cum Alphonso colloquutus profitetur, si æqua offeratur conditio Ecclesiastica stipendia mereri. Quod cum esset AEGIDIO delatum, non censuit flagitioso & notæ perfidiæ homini habere fidem. Ea cura AEGIDIVS solutus totum bellum in Ioannem Māfredum conuertit, & quia Blascus Fernandus Firmum redire atque ea loca tutari iussus fuerat, Alphonsus Episcopus cum exercitu ad oppugnandam Fauentiam mittitur. Ille verò adiunctis sibi cum milite auxiliari Galeoto Malatesta & Bernardino Bolentano Fauentinum agrum populatus oppido infestus adest. At Ioannes Māfredus, qui nec animo defecerat, & numero militum abundabat, indignum duxit in prospectu vrbis agros ab hoste se vidente agi ferrique, & oppidum iam propè obsidione cingi, se verò, velut muris tantum fidentem, intra mœnia cōtineri. Ergo milites hortatus aciem educit, & Ecclesiasticis pugnæ potestatem facit. Alphonsus verò hostem extra mœnia conspicatus, paratum prælio decernere, vix oculis habita fide, suos & ipse hortatus, partarum victoriarum, & pristinæ ipsorum virtutis admonens, in hostem fiducia plenus irruit: pugnatumque est diu, summa contentione, sed demum hostes terga vertêre, & se in oppidum recepêre. Quo in prælio non paucis Ecclesiasticis, pluribus ex hostibus desideratis, captus est inter cæteros vir quidam non obscuro loco natus, sed eius nomen non est traditum, cuius consilio maximè vti solitum esse Ioannem Māfredum constabat. Hunc ad se AEGIDIVS, nunciata victoria, adduci iubet,

Germanorū cum Aegidio fœdus.

Bellum in Ioannem Manfredum.

Fauentia bis oppugnata & capta.

iubet, nec hominis cõueniẽdi cuipiam facultatem fieri, eum verò, qui ipsum cepisset, centum ducatis donari. Eo prælio fractus Ioannes Manfredus ad Episcopũ huiusmodi legationem mittit. Si liceat sibi, saluis opibus priuatis, ab omni publico munere Fauentiæ abdicatum, vitam ducere priuatam, oppidum se AEGIDIO dediturum. Quam legationem cum ad AEGIDIVM retulisset Episcopus, hoc ab eo responsum tulit. Qui talia retulissent, eos putare se, per speciem legationis exploratum in castra veniisse. Eadem enim Ioannem Manfredum ante illam victoriam frustra contendisse. Proinde Legatos iuberet quàm primum castris excedere. Et si qui præterea venerint, ne pateretur diu commorari. interimque suorum fidelissimum quemque eorum lateri adhærere iubet, qui occulta, & pernicioſa colloquia fieri prohiberet. Ipse verò Fauentiam oppugnare pergeret. Legatis itaque re infecta redeuntibus, Episcopus cœpit Fauentiam oppugnare. Cuius cum partem muri tormentorum ictibus dirutam conspexisset Ioannes Manfredus, & propè esse, vt Ecclesiastici subirent, quibus ipse cum paucis militibus resistere non potérat, legationẽ mittit de se dedendo, et pacem his conditionibus impetrauit: vt ipse Fauentiam, & cætera oppida, vicosque, et castella ditionis Ecclesiasticæ, qui ab ipso fuissent occupati statim AEGIDIO traderet, & intra duos menses proximos, compositis rebus suis, tota Manfredorum familia nunquàm reuersura, Fauentia, & eius finibus excederet. Interea obside filio dato de excedendo intra præstitutum tempus, caueret: & ad hunc modum Fauentia in AEGIDII potestatem peruenit. Interea à Iordane Perfecto Vmbriæ, et à Bonifacio, quem contra Ioannem Vicum missum fuisse demonstrauimus, AEGIDIO literæ afferuntur, vastato agro Cornetano, atque obsesso oppido Ioannem Vicum paratum esse deditionem facere, nisi admodum iniquæ conditiones dentur. Proinde quid agendum esset, imperaret. Quibus AEGIDIVS respondit, se verò illius belli inferendi nunquam authorem extitisse, quin dissuasorem potius, multò minus igitur gerendi futurum. Proinde Pontificem consulerent aut si longum videretur, quod illi gratum fore existimarent, id efficerent. Victo Ioanne Manfredo, & cum familia de oppido eiecto, ne per occasionem ab officio discederet proxima cura erat, Franciscum Ordelaphium debellare. His igitur rebus Ecclesiastico exercitu in Flaminia occupato, Gentilis Molianus cum Rogero filio, adiuncto sibi cum latronum cohorte Guarelino latrone, id temporis famosissimo, crebris incursionibus, aut grassationibus potius per occasionem factis, cœpit Picenum infestare. Quo nuncio commotus AEGIDIVS partem copiarum contra eos mittit, à qua comprehensi, & ad AEGIDIVM adducti, capite pœnas dedêre: et sic tandem notissimus ille tyrannus Gentilis Molianus, qui scelus sceleri addiderat, tanta perfidia, tantisque

Molianus Picenum agrũ infestat.

Moliani mors.

que flagitijs condigna morte miserrimè obijt. Dum hęc apud AEGIDIVM geruntur, Alphonsus Toletanus, qui exercitum Foroliuij admouerat, cœpit vsque ad portas incursiones facere, si posset Franciscũ Ordelaphium, vt superioribus diebus Ioannem Manfredum ad pugnam elicere, qui se hactenus intra oppidum continuerat. Ille verò, ne exemplo quidem illius perterritus, pugnam detrectauit, & pugnatum est summa contentione, postremò victus Franciscus est, & in Forumliuij sese recepit multis vtrinque interfectis, captis nonnullis inter quos Ioannes Lazarus ex Franciscj Ordelaphij intimis familiaribus capitur & ad AEGIDIVM defertur. Qui, cum ab eo AEGIDIVS sciscitaretur, quid cõsilij Franciscus cepisset: quibus opibus fretus, cuiusúe auxilij spe molem belli sustinere speraret, incertis responsis, nec sibi satis constantibus percontantem illudebat, tandem, cum AEGIDIVS tormenta minaciter intentaret respondit. Omnem spem Franciscj Ordelaphij positam esse in Principibus Mediolanensibus, qua si destitueretur, nihil esse, quod posset eius deditionem morari, quin & magnam partem militum, quorum opera ad præsens vteretur, magis Ecclesiasticorum, qui exitu eos intercluisssent, metu, quàm officio continere. Quibus responsis, congruêre literæ à nonnullis ciuibus Bononiensibus rei Ecclesiasticæ studiosis, quibus nunciabatur AEGIDIO, appropinquare auxilia missa à Barnaboue Francisco Ordelaphio, quin & ipse Barnabos AEGIDIO scripserat deprecatus, vt se aduersus Frãciscum Ordelaphium mitiorem gereret. His igitur malis AEGIDIVS ratus occurrendum, ad Barnabouem huiusmodi literas conscribit. *Audio uos Ioannis Manfredi, Ecclesiæ Christíque hostis, qui cum bellum gerimus, tyrannidem fouere, iamque missa ipsi à vobis auxilia iter ingressa appropinquare. Et quidem non tantum mea caussa molestè fero, quod affectum iam auxilio diuino bellum mihi ad alias res properanti diuturnius facere paratis, sed vestro etiam nomine non mediocriter moueor. Nam cum Luchini patris vestri, Ioannisque Archiepiscopi fratris eius summa semper in Romanam Ecclesiam fides, summum studium fuisset, nec minor inter Archiepiscopum meque amicitia, multis vtrinque firmata beneficijs interceßisset, putabam, sperabamque, vos illorum non minus virtutum atque amicitiarum fore successores, quàm principatus, fortunarumque hæreditatem adituros, tanto magis cum omnes opes vestras & imperium, ac demum quidquid estis, Pontificibus acceptum referre debeatis, si principia requiritis à memoria nostra non ita remota, quandoquidem Benedictus XII principatum Mediolani Luchino patri, & Ioanni patruo vestro, nullo successionis iure debitum primus detulit, existimans eos, eorumque posteros tanti beneficij memores summo semper studio erga Ecclesiam futuros, nec ea eum spes hactenus fefellit habuit. Nam vt vetustiora taceamus, nuper Ioannes Archiepiscopus ineunti mihi bellum Italicum aduersus hostes Ecclesiæ magno opitulatus est auxilio, quem Mediolano tranſeuntem gratißimis precioßisque muneribus prosecutus fueram. Atque adeo post ipßius mortem reputanti mihi fortunæ bellicæ viceßitudines, si quid detrimenti acceptum esset id resarciendi, vel etiam agendi spes nihilominus in Principibus Mediolanensium reponebatur. Nunc verò quod tantum vos ab eorum moribus, & inßitutis deßciscatis, vt ipsorum hostes pro amicis, & amicos pro ho-*

Ordelaphius pugnavict⁹.

Aegidij ad Barnabouẽ literæ.

pro hostibus habere subsineatis, magnoperè doleo. Quid enim aliud his factis assequimini, nisi vt simul & maiorum vestrorum sententiam damnare, aut vestram inconstantiam turpiter profiteri, & Deum spernere videamini: quorum altero insignem vobis inter homines infamiam paritis, altero diuinam iram concitatis, quæ solet inimicos suos non leui iactura vlcisci. Vos igitur pro mutua beneuolentia quæ nobis cum patre patruóque vestro coniunctissima fuit, hortor, & per Deum immortalem obtestor, turpes conatus reprimatis. Nec vnius tyranni, eiusdemque infirmissimi amicitiam Pontificis de vobis meritis, ac nostræ necessitudini præponatis. Quæ si feceritis, gratissimo vtrumque nostrum beneficio demerueritis, sin aliter, mementote hominum, ac Dei simul iram vobis esse eximescendam. Alphonso quoque Toletano scribit, laxaret oppidum obsidione, vt militibus Francisci Ordelaphij, si discedere vellent, facultas esset, & Ariminum versus agmen reduceret, ibique se iubet expectare. His litteris dimissis iussisque nuncijs aduolare, AEGIDIVS summam spem in celeritate ponens si res accellerando, antequam auxilia conuenirent, confici posset, cum prętoria cohorte, & manu, quę tumultuario delectu confici potuit, Ancona profectus, magnis itineribus Ancona profectus, magnis itineribus Ariminum venit, vbi Alphonsum Toletanum cum exercitu obuium habuit, inde Fauentiam peruenit, & firmo præsidio oppidum firmat, cui Episcopum præesse voluit. Ipse nihil moratus in agrum Cæsenatem rapit agmen, vt eo oppido expugnato, quod minus firmo præsidio tenebatur, facilior esset Foriliuij expugnatio, socia ciuitate amissa, & adiecta dubijs militum animis desperatione. Vastato igitur agro, & oppido pluribus partibus simul cœpto impugnari, oppidani ne quid grauius paterentur, se dedunt. Accepta in deditionem Cæsena, AEGIDIVS Abbatem Cluniacensem custodis loco ibi reliquit, cui firmum præsidiũ attribuit, ipse exercitum Foroliuij admouet, quod oppidum cum oppugnare cœpisset, oppidani vel inuito Francisco Ordelaphio deditionẽ facere parant, is tamẽ desperatis reb. & auxilijs retardatis haud magnoperè repugnauit. Missa igitur legatione, imperata se facturos, vrbemq; tradituros profitentur, ea cõditione, vt nullũ nec capitis, exilijúe supplicium de quopiã oppidanorũ sumeretur, opũúe irrogaretur multa. Quib. cum AEGIDIVS respondisset. Cęteros facilè sepassurũ, nullo accepto incõmodo, in oppido permanere, modo Franciscus Ordelaphius vrbe statim excederet, accepta conditio est, & oppidũ traditũ. At Franciscus Ordelaphius Mediolanũ ad Barnabouẽ cõfugit & sorte suã miseratus ab eo cõtendit, vt agat cũ AEGIDIO, aliquam sibi facultatem relinqueret, qua posset vitam tolerare. Cuius misertus Barnabos, et Galeatius fratres huiusmodi ad AEGIDIVM epistolam mittunt,

Cæsena oppugnata & Forum liuij mox capitur.

Venit nuper ad nos Francisc⁹ Ordelaphius, patria pulsus, luctu, & mœrore plenus; qui, multa de sua infœliciss ima sorte miserãdũ in modum questus, ita nos affecit, vt non secus ac eiusdem calamitatis socij cum eo doleremus. Demũq; cũ se à tãto dolore paulũ recepisset, nos obsecrauit, quanaequidẽ auxilio nostro, in quo summã spẽ posuisset, cassa vestra destitutus, principatu amisso, eo infœlicitatis ve-

Barnabouis & Galeatij ad Aegidiũ epistola.

nisset,

nisset, vt præter miseram animam, nihil sibi relictum esset, tecum ageremus, precaremurque, vti sibi, quem nuper cum deuicisses viuum excedere passus esses, aliquam vitam ducendi rationem reliquam faceres. Quod & propter mutuam amicitiam, et pro cætera tua humanitate à te impetratum iri non dubitabat. Quippè rem non sine exemplo fore. Nam superioribus diebus in Ioannem Vicum, Malatestas, Bernardinum Poletanum, & plerosque alios à te deuictos, quos ob eandem causam hostes habuisses, summa te vsum clementia demõstrabat. Quibus rationibus, quaque fiducia ducti has ad te literas scripsimus, tibique eum summe commendamus, nec iniqua poscentem, & nobis magnis studijs coniunctum. Ne homo claro loco natus, nuper potens & oppulentus, à quo si tyranni nomen abstuleris, nihil vel in præteritum, quod magnoperè culpare possis, inuenias, nunc in opprobrium fortunæ mendicare cogatur. In quẽ si quo præter cæteros priuato odio vtereris, id vti nostræ amicitiæ condonares præcaremur, relaturi cum reposceris, vel etiam si non reposces gratiam, quodcumque beneficium in Franciscum Ordelaphium conferis.

Aegidius magna pompa Auenionẽ a Clemente. Pontifex acceptus.

Quibus lectis AEGIDIVS, & consuetudine sua & vicecomitum precibus ductus duo oppida Ioanni Manfredo permisit, quæ Ecclesiæ nomine teneret, ac eorum reditibus aleretur. Sic confecto bello Italico, cum singulis ciuitatibus probatæ fidei viros præfeciisset, necessariaque adhibuisset præsidia suffecto sibi Androino Abbate Cluniacensi, Auenionem contendit. Exceptusque est honorificentissime, ingenti omnium lætitia. Appropinquanti enim Summus Pontifex cum vniuerso Cardinalium collegio ad duo millia ab Vrbe passuum obuiam officij gratia procedunt. Vbi in palatium Pontificium deductus est, locuplete oratione rerum gestarum AEGIDII summam complexus Pontifex, ipsum pro suggestu magnoperè laudauit, & Ecclesiæ Patrem cum magno omnium assensu appellauit: & tandem iubet eum omnium rerum Italicarum curam cum summa potestate habere, & Androinum, quem successorem habuisse demonstrauimus AEGIDIO in cunctis quæ imperasset obtemperare, siquidem dignum esse eo honore qui tot laboribus susceptis tam benè de Ecclesia meritus esset, & si quid consulto, factoúe opus esset, per eum maximè Italiam optimeque retineri posse, per quem recepta fuisset.

Androinus abbas Cluniacensis Aegidio succedit.

ÆGIDII ALBORNOTII,
CONCHENSIS DVCIS CLARISSIMI,
VITAE, ACRERVM PER EVNDEM GESTARVM,
LIBER TERTIVS.

VINTVM decimum iam mensem AEGIDIVS Auenione apud Pontificem morabatur, cũ domesticis cognatorum seditionibus euocatus easq; sedare cupiens, profectionem in Hispaniam comparabat. Qui quo tempore à Pontifice missionem efflagitabat, eo potissimum crebri rumores afferuntur, pleraſque ciuitates Italiæ vehementer tumultuare, quibusdam hominibus nouis imperijs studentibus, alijs veteribus inhiantibus. Quibus rumoribus cum litteræ nuncijq; ab studiosis rei Ecclesiasticæ eadem nunciantibus consentirent, causam huius mali perquirens Pontifex, ignauiam potissimum esse reperiebat Androini, qui parum administrandis publicis rebus idoneus esset. Vnumque esse AEGIDIVM, cuius vel sola præsentia tyrannorum violentia cohiberi, ac populorum inconstantiam stabiliri nullo negotio posset: quippè quem tyranni summoperè formidarent, ciuitates diligerent, simul & vererentur. Cum igitur de mittendo Androino successore Pontifex ad patres retulisset, vna fuit omniũ sententia, remittendũ esse AEGIDIVM, cuius prudẽtia, virtusq;, multis maximisq; periculis sibi æque, atque hostibus nota esset, è cuius harum rerum opinio ad continendos in officio populos satis esset per se potens, modo AEGIDIVS more suo, ne grauaretur priuatis negocijs publicam vtilitatem anteferre. Porrò in alio deligendo inexpertæ, aut industriæ, aut strenuitatis periculosissimè in ea rerũ perturbatione peccari posse, At AEGIDIVS, qui ab officioso itinere comparata iam profectione abstrahi iniquo animo ferebat, cum res suas gestas efferẽtibus gratias egisset, & sua ipse facta extenuasset, quidquid gessisset Dei auxilio acceptum referens, qui tyrannis hostibusq; Ecclesiæ impunè esse non fuisset passus. Multos esse ostendit sapientia, simulque virtute præstantes, quibus summa eius expeditionis optimè, ac tutissimè deferri posset. Se verò, si nullo magno negotio distineretur, tamen post tot laborum discriminumque cursum hominem affecta ætate, velut militem veteranum, eius muneris vacationem emeritum videri posse. Quamquam, cuiusmodi esset in Ecclesiam animi studijq;, ne has quidem causſas obstituras fuisse, quo minus id

Androini gubernatio ignauior.

Aegidii felicitas & fortitudo.

id quod supereſſet ætatis bono publico, & Eccleſiaſticæ dignitati impartiretur, ſi ipſius opera vtilis fore Pontifici patribuſque viſa fuiſſet, non, ſi eoſdem labores remeare, totiesque cum hoſtibus iterum depugnare iuberetur. Tunc verò neceſſario ſe in fratres & cognatos officio euocari, qui cum magno & pertinaci diſſidio ad vulnera vſque proceſſiſſent, ipſeque ſolus tantis malis occurrere ac mederi poſſe crederetur, non eſſe committendum, vt ea cura depoſita, cognatos ac fratres deſeruiſſe videretur, qui ipſius aduentum expectatione operirentur. Proinde Pontificem patresque etiam atque etiam deprecari, vt cum multi ex patribus eſſent, quibus plurium rerum vſum, & magnitudinem animi longè præſentiorem ad id munus obeundum concederet, paterentur, ſe in ſumma neceſſitate propinquis, ac fratribus ſuum officium impartiri, quod Eccleſiæ, cum licuiſſet ſine inſigni criminis nota, libentiſſimè præſtitiſſet. At ſummus Pontifex, qui in tantis difficultatibus ſummam ſpem in AEGIDIO collocauerat, quantò ille conſtantius negocium recuſabat, tanto ipſe magis deſiderio accendebatur, cauſasque AEGIDII potiſſimum mittendi inueniebat. Neque enim modo præſentiam eius animi, fœlicitatemque in certaminibus reputabat, ſed meminerat etiam multo maiora bella conſilio eius fuiſſe confecta, quam alter magnis viribus pugnando confeciſſet. Sed nec illud parum mouebat, reputare in quanta ſæpe omnium rerum indigentia milites continuiſſet, ſuſtinuiſſetque grauia bella, tum commeatib. parcendo, tum de ſuo ſine cunctatione ſuggerendo, tum demum iniecta ſapienter ſpe animos militum fouendo. His accedebat, quod ab omnibus iactabatur, AEGIDII nomen tyrannis eſſe formidoloſum, & in gratia ſumma apud omnes ciuitates Eccleſiaſticas. Omni ergo ratione conatur in ſuam ſententiam adducere, oſtendit denique, ac multis confirmat exemplis, ſi neceſſitas optionem dederit, cognatos potius, quã aut patriam, aut religionem eſſe deſerendos. Porrò Eccleſiam cunctorum piorum patriam eſſe, & religionem, aut certè patria multo cariorem eſſe debere, quæ ſi ſacrilegis & ſceleratis hominibus per contemptum agenda ferendaq; permitteretur impunè, non eſſe dubitandum, quin breui religio Chriſtiana ſummum detrimentum eſſet acceptura. Atqui à ſapientibus illud Ciceronis laudari. *Qui non defendit aut obſiſtit, ſi poteſt iniuriæ, hunc tam eſſe in vicio, quàm ſi parentes, aut amicos, aut patriam deſerat.* Quod ſi fratres & cognati inteſtina diſcordia agitarentur, poſſe eam ſeditionem, & per litteras, & per amicos, principes viros ſedari, eamq; curam ſibi ipſe depoſcit, & ſuam ſe gratiam, & authoritatem ad rem conficiendam collaturum pollicetur. Tot rationibus, tantisque precibus AEGIDIVS, admodum alioquin exorabilis, & ſummi in Eccleſiam, Pontificemq;, ſtudij victus, prouinciam ſuſcepit, & profectione comparata, magnis itineribus in Italiam contendit. Cuius aduentu adeo

In Hiſpaniã cogitat vt cognatos diſſidentes componat.

Aegidij nomen Tyrannis formidoloſum.

De offic. lib. 1.

Aegidius de nua belli cura ſuſcipit.

adeo omnes,qui rebus nouis ſtuduerant, perterriti ſunt, vt non iam de imperijs occupādis,ſed magis de capitib.ſuis, proprijſq; fortunis retinēdis ſolliciti eſſēt; Admiſſ°itaq; ſine repugnātia in ſingula Eccleſiaſtica oppida,sūpto ſupplicio de his,qui tyrānidē affectarāt, collaudatisq; ciuitatibus,quod eorum conatibus obſtitiſſent,omnium populorum animos in Eccleſiā magnoperè confirmauit. His rebus geſtis AEGIDIVS,qui nullam Eccleſiæ iuuādæ occaſionem prætermittebat, totū animū,omnesq; curas ad religionē conuertit,ſi quomodo abolere poſſet nefarium illud ſcelus,quod multū ea tempeſtate vocati Fraticelli inter facinoroſos homines,& credulas fatuasq; mulierculas per ſpeciē religionis diſſipauerāt. Quādoquidē,mortuo miſerrimè in vinculis Petro Colutio,quē à Ludouico Bauaro in æmulationem Ioannis XXII. Pōtificis Maximi Antipapā Romæ creatū fuiſſe,ſupra demonſtrauimus, non defuêre ſceleſti homines,qui Ioannē XXII. eiusq; ſucceſſores, nec iure, nec ſanctè Pontifices factos fuiſſe cōtenderent,& in contemptū religionis Chriſtianę flagitioſam quandā,ſimul & turpiſſimam ſectā excogitarent. Nā conuenientib. in antris,locisq; abditis, quos in eā turpitudinē allexerant,Viris fœminisq;,qui inter ipſos ſacerdotes habebantur, vt crimen honeſtate prætexerēt,diuinas laudes Chriſtiano more pręcinebant. Quib. intēpeſta nocte peractis,ſacerdos pro concione quædā prę-fatus ad confirmandos in nefario errore hominum animos,in eo maximè erat occupatus colendam eſſe ante omnia charitatē,quā eſſe omniū virtutū caput ſacræ literæ teſtarentur. Porrò potiſſimum hanc inter homines authore Deo cōciliari poſſe, Si ſpirituſancto inuocato bini maſcul°fœminaq; Venereo cōplexu iūgerentur. Cū ergo quā quiſq; oculis prænotarat,extinctis luminibus viciaſſet,tunc demū peracta ſacra cenſebantur,quo cōpreſſu ſi qua concepiſſet, deportari ad ſe partum ſacerdotes iubebant,qui ſolemni more in loco ſacrificijs dicato conuenientes,infantulum ſubiecto igne ad cineres vſq; comburebant, quos vrna exceptos ceu rē ſacram reponebant, cumq; erat aliquis collegio ſacerdotum cooptandus,illis cineribus cum vino epotis initiabatur. Credo vt pœnitētiæ nullus locus relinqueretur,& quem religionis perſuaſio continere nō poſſet,criminis ſaltē ſocietas retineret. Quod ſi Pontificem eorū Maximū mori contigiſſet,vt omnis abeſſet inuidia,& res non humano,ſed diuino conſilio agi videretur,hic erat in demortui alterius ſubrogādi,ſtatutus modus. Infantē illo flagitio conceptum ad locum ſceleribus deſtinatū iuſſa mater haud inuita deportabat, & vbi vulgo aſtante,ſacerdotes conſederant,tā diu illum per comprimentes manus in orbem tradebant,donec miſerrimus infans pernecatur, & cuius in manibus animam exhalaſſet,is Pontifex Maximus diuino numine factus eſſe cenſebatur. Quo in loco admirari ſuccurrit,quo procedat improbitas cordis humani pudoris ſemel atque honeſti fines egreſſa. Tā-

Fraticellorū in Italia hæreſis.

Lib.II.pag. 30.

Fraticellorū impietas.

Modus eligendi pontificē interipos.

tam

tam ne feritatem in mortales cecidisse, vt quemadmodum in homines sæuirent, non modo peccati, sed etiam intellectus expertes, excogitarent? Et si cæteros nullus humani generis amor tangebat, nulla humanitas à tanta sæuicia retardabat, non saltem matres, vel feras multo iã mitiores imitantes, visceribus suis peperciſſe, quarum plerasque non siccis tantum oculis, sed hilari etiam vultu, filiorum cruciatus, necesq; spectasse constat. His ergo quæ non dubio multorum sermone afferebantur, commotus AEGIDIVS, cupiensque tanta infamia non modo Christianam religionem, sed genus etiã humanum vindicare, Neapolim cum exercitu proficiscitur, qua in regione potissimum ea pestis homines inuasisse nunciabatur. Sed & eo proficiscendi causis illa quoq; accesserat, quod multi viri principes eius regi in Ioannam Reginam palám conspirauerant, contra quos cum Regina à Pontifice auxilium imploraſſet, datum est AEGIDIO negocium, vti pacem inter ipsos faceret gratiamque reconciliaret. Quo cum peruenisset, precibus addendo minas facilè principes in Reginæ sententiam traduxit, pacemque firmauit. Tunc conquisitis vbique Fraticellis, sic enim sacerdotes illi nefarij vulgò appellabantur, eorumque complicibus, factaque de quibusdam quæstione ac socijs proditis, magna turba comprehenditur virorum mulierumque qui omnes ingenti rogo combusti tanti facinoris pœnas dedêre, & Presbyteros qui parum flagitijs istorum obstitisse comperiebantur, dignitatibus ac sacerdotijs eis abrogatis, muneribus, si quibus publicè fungebantur, sese cogebat abdicare. His rebus gestis, AEGIDIVS cum in Flaminiam iter conuertisset, obuios habuit legatos à Ioanne Olegio, Bononiæ id temporis imperitante. Qui cum initio huic vrbi à Barnaboue fuisset præfectus, quæsita paulo post causa, Vicecomitis imperata spernere cœpit: ac ciuitatem suo arbitratu, suoque nomine non tam moderabatur, quàm diripiebat. Hic igitur bello à Barnaboue agitatus, ad AEGIDIVM huiusmodi legationem mittit. Bononiam se cum magno ciuium consensu ipsius potestati permissurum, modo suis militibus superioris temporis mercedem numeraret, quæ summa satis magna erat, seque vni cuipiam Piceni ciuitati præficeret, quod se facere dicebat Barnabouis tyrannidem pertæsum, & Bononiensis ciuitatis misericordia tactum, quæ multa indigna, magnaque detrimenta, auaritia atque improbitate Barnabouis, se inuito perferret. Tum etiam adduci se religione, & studio quo Ecclesiam prosequeretur, ad quam iure Bononiam pertinere non ignoraret. Audita legatione AEGIDIVS, ne quid vel cupidè, vel iniustè fecisse videretur, non putauit quidquam iniussu Pontificis sibi esse conandum. Nam & si sciret Bononiam esse iuris Ecclesiastici, tamen quo minus repeteretur, obstabat fœdus non pridem factum inter Clementem sextum, & Ioannem Archiepiscopum simul, & Principem Mediolanensem. Cum enim

Neapolim proficiscitur Aegidius vt sectam istam reprimeret.

Ioannam Reginam cum principibus conciliat.

Fraticelli publicè puniti.

Bononia Aegidij opem implorat.

enim superioribus diebus Bononia ab Ecclesia ad hunc Ioannem defeciſſet. Clemens sextus, qui tunc rerum potiebatur, miſſo in Italiam oratore, Florentinos & Maſtinum Scalam in Mediolanenſem concitauit. At mortuo Maſtino, qui Vicecomitum Mediolanenſium conatibus nimium obſtabat, Ioannes captata amicitia huius filij, qui patrem nomine tenus referebat, Canis Grandis appellatus, omnes Gibilinæ factionis homines in Flaminia & Hetruria cum eo ad ſuam amicitiam ſocietatemq; traduxit. Ac miſſo Barnaboue ex fratre nepote Bononiam, qui cum magno præſidio oppidanos in officio contineret, recipiendæ vrbis Pontifici ſpem multum ademit. Ioannes verò cum ſucceſſu rerum Florentinos bello perſequi perrexiſſet, ipſi adiunctis ſibi Senẽſibus, & Aretinis Peruſiniſq;, Vicecomitum tamẽ eiuſq; ſociorum coactis opibus, & potentiæ minimè pares externa auxilia in Italiam conuocabat. Quo cognito Pontifex Maximus, qui eius belli ineũdi author extiterat, cum parum eſſet in rebus ſpei, atroxq; bellum imminêre intelligeret, niſi malis ſerpentibus occurreretur, vt Italiæ quieti conſuleret, Vicecomiti Bononiam in duodecim annos ea lege permittit, vt ille annua tributa duodecim millia ducatorum Pontifici penderet, ſic facta eſt pax inter Florentinos, & Vicecomites, & vtriuſq; partis ſocios. Hæc cum AEGIDIVS animo repetiſſet, collaudato Ioanne Olegio, pro ea pietate, cuius ſe in Eccleſiã eſſe profiteretur, nulla ſe reſpondit mandata de rebus Bononienſibus à Pontifice accepiſſe, eam tamen legationem ſe ad Pontificem primo quoque tempore relaturum, & quæ imperaſſet, adminiſtraturum. His reſponſis redeuntes legatos AEGIDIVS ſuo more amplis muneribus proſecutus eſt Protinusq; Pontificem literis, nuncioq; de Ioannis Olegij voluntate, & ciuitatis Bononienſis, ſimulq; de immanitate & auaritia Barnabouis certiorem facit, & quid fieri velit, vt ſe doceat, perquirit. Quod cum Pontifex ad concilium retuliſſet, multum eſt ſententijs inter patres diſcrepatum. Quidam enim ſeruare fidem Vicecomitibus cenſebant, quibus Bononia in duodecim annos permiſſa eſſet, nec longam eſſe peractis iam octo, quatuor expectare: poſt quod tempus ſine cuiuſpiam perfidiæ nota, & ſine repugnantia ea ciuitas ad Eccleſiam eſſet reditura. Cui ſententiæ alij adijciebant, Vicecomitum potentiã adeò opibus, & clientelis increuiſſe, vt difficilè videretur, traditum oppidum poſſe retineri, in quod recipiendũm illos, omnes ſuas, amicorumq; vires collaturos, non eſſet dubitandum: his accedere, quod ærarium Eccleſiæ adeo ſuperioribus bellis exhauſtum eſſet, vt huic ducendo, quod diutinum fore videretur, ſuffecturum non eſſet. Sed potior apud Pontificem eorum fuit ſententia, qui fœdus fœdifrago ſeruare non cenſuerunt. Porrò Vicecomites præterquam quod primò contra ius fasque alienam vrbem rapuiſſent, poſt inita pacta, in quæ Pontifex magis neceſſitate,

Qua ratione Bononia ad Mediolanẽſes deuenerit.

Aegidij ad Pontif. Clementem literæ.

Deliberatio facta de Bononia.

quã consilio descendisset, pactum tributum pendere intermisisse, ac idcirco fœdus eum violasse videri, quæ causæ si minus subessent, tamen Barnabouis tyrannidem non esse ferendam, qui ciuitatem Bononiensem nullo æqui boniq; respectu quotidie compilaret. Nam qui putarent oppidum non posse retineri, timidè eos id temporis Ecclesiasticas vires metiri, parumque AEGIDII exercitus Ecclesiastici Imperatoris inuicti virtutes intelligere, deque eo nimium ingratè sentire, quem, contra præpotentes hostes tot ac tantis oppidis ab ipso nuper expugnatis, non putarent Bononiam aduersus quancunque potentiam, cũ fuisset admissus, tutaturum, Quod verò de numorum indigentia iactarent, posse id malum mutuata pecunia, vel oppignoratis alijs oppidis, resarciri, nihil enim oportere inexpertum relinqui, vt Bononia Flaminiæ opulẽtissima nobilissimaq; ciuitas reciperetur. Quę recepta non modo ad imperij Ecclesiastici vires, sed multo etiam magis ad opinionem qua maximè possent cæteræ ciuitates contineri, esset, adiectura. Cùm hæc itaque sententia viciisset, Pontifex ad AEGIDIVM scribit. Si Ioannes Olegius Bononiam sibi tradere voluerit, ne recuset, cumq; eo, vt sibi ex vsu rei Ecclesiasticæ visũ fuerit, paciscatur. Stipendijs verè militaribus, quæ Ioannes Olegius pacisceretur erogandis, & si quid Barnabos mouisset, conducendo nouo militi, quamuis oppida oppignorandi potestatem tribuit. Quibus literis allatis, AEGIDIVS ita pepigit cum Ioanne Olegio, vt inuicem suæ potestati permittendæ Bononiæ militibus Ioannis Olegij stipendia ipse persolueret, atque illum Firmo præficeret. Omni ergo cura ad conquirendam pecuniam conuersa, opportunè accidit, vt eo potissimum tempore triginta ducatorum millia AEGIDIO ex suis vectigalibus ab Hispania portarentur. Quibus numis, & quod potuit, oppignorato instrumento congerere, Ecclesiæ mutuatis, cum stipendia militaria numerasset, exercitus Ecclesiasticus duce Gometio Albornotio in vrbem admissus est. Hæc cum essent Barnaboui nunciata ægerrimo animo tulit, Missaque legatione multa de iniuria in se ab AEGIDIO illata conquestus, vrbem iure sibi debitam ex pactis à Clemente sexto cum Ioanne Archiepiscopo patruo suo reddi postulat. Quæ nisi impetrasset, iam tunc graue bellum indicere. Quibus AEGIDIVS respondit. Se verò nullam iniuriam in Barnabouem intulisse. Nam & se Pontificis imperata administrasse, & Pontificem suo iure imperare potuisse. Siquidem cum multa ipsius crudeliter atque auare facta in ciuitatem Bononiensem commemorasset, quam ob rem imperium abrogandum ei videretur, Perperam ait percussa fœdera Barnabouem allegare, quæ toties ipse violasset, multifariam quidem, sed vel eo maximè, quod pacta tributa aliquot annis pendere intermisisset. Quare si iure agere vellet, iudices eligeren-

Pontificis responsum de occupanda Bononia.

Bononia occupata.

gerentur, iuris ac legum periti, qui si iudicassent, Barnabouem iniuriam accepisse Bononiam ei se absque mora redditurum. Sin aliter, æquo animo contentus esset. Nec putaret licere sibi aliena retinere, Pontificem sua repetere iniquum esse. Re igitur permissa honestorũ virorum, illiusq; memoriæ iuris peritissimorum arbitrio pronũciatum est: Barnabouem iure ab imperio Bononiensi fuisse submotum. Ac tunc demum AEGIDIVS Bononiam inuisere constituit quod ante hac facere, ad suæ iustitiæ opinionem non putarat interesse. Ne si non expectato iudicio, oppidum fuisset ingressus, adeo rebus Bononiensibus incumbere videretur, quasi iure vel iniuria imperium retinere statuisset. Appropinquãti, cum Senatu totus fermè Populus Bononiensis summo cum gaudio, summaq; gratulatione obuiam procedit, à quibus adeò splendidè exceptus est, vt nihil ad summam magnificentiam ea ciuitas reliqui fecerit, cum ad ædem Petronij deductus est. Gollinum Gallutium, Iacobum Ramponem, Gerardum Confortũ, Albertum Gallutium accinctos ensibus solenni more à Galeoto Malatesta, equites auratos esse iubet, ac demum magno cum populi plausu ad Pontificias ædes deducitur. Pergratum fuit AEGIDIO officium sibi præstitum à Bononiensib. ex quorum ingenti gaudio & vultu tyrãnorum improbitatem non fuit factu difficilè agnoscere, de quorum administratione perquirens, ita reperiebat, nullam ab his tyrãnicam immanitatẽ fuisse prætermissam. Nam præter ingentem pecuniam sæpe imperatam ciuitati, singulorum etiam multa bona publicata, insidiarum aut criminis causis excogitatis. Ad hæc ex nobilitate honestissimum quenque & eos præcipuè, quorum virtutes tyrannicæ libidini obstituræ videbantur, in exilium missos: & ne quid huic ciuitati malorum abesset, ex contagione tyrannica morum etiam noxam non paruam traxisse, nec enim tantum lenonibus, scortis, latronibus, iuuentutis corruptoribus refertam esse, sed etiam iniquis fœneratoribus redundare. Tantorum ergo malorũ iniquitate laboranti Bononię vt subueniret, non solum innatus æqui honestiq́ue amor, & miseræ ciuitatis lachrymæ AEGIDIVM adduxerunt, sed illud magnoperè compulit, quod iam tunc collegium scolasticorum Hispanorum in ea vrbe, ob florentissimum omnium disciplinarum Gymnasium condere cogitabat, quod esset sui nominis insigne monimentum, occasionemq́ue arripiebat demerendi multis beneficijs populum Bononiensem, vt si quando id collegium quapiam difficultate affectum eius patrocinium imploraret, ipsius in se meritorum memores ab omni iniuria tutarentur. Omnes igitur qui iniuria proscripti, vel in exilium missi fuerant, iubet in patriam reuocari. Quorum fuisse accepimus Toniolum Paschalem, Nerium Pilatum, Porinellum Suzolinum, Berturellum Lapum,

Aegidius lætè à Bononiensibus excipitur.

Collegiũ Hispanorum Bononiæ condere cogitat Aegidius.

Quicbuid in ciuitate antea à Tyrannis male actum est, emendat.

Lapum, Guilielmum Pilatum, Belttandum Guandonem, Ramponem Magardum, Alexium Buellam, Scarabellum Donducium, Iacobellum Lantpasium, nobiles omnes & de patria optimè meritos. Bona præterea publicata dominis in integrum præcipit restitui. Fœneratores, quicunque soluendo essent, rusticis etiam aut vrbanis prædijs distractis, exacta fœnera cogit plenè restituere, constituta exilij pœna, si quis in posterum crimen repetisset. Sed quoniam inueterata iam possessione aliena reddere plerique grauissime ferebant, quidam etiam in summam inopiam redigebantur, vt vtrisque & creditoribus & debitoribus, quoad fieri posset satisfaceret, per summam liberalitatem magnum numerum pecuniarum de suo largitus est. Edicit tandem, vt scortatores, ganeones, sicarij & cæteri id genus homines cuncti oppido eueſtigio cederent, capitis pœna constituta, si quis deinde repertus esset, cuius honestæ vitæ ratio non constaret.

Ad hunc modũ reddita sibi Bononia, receptaque AEGIDII beneficio pristina dignitate, magno tamen bono carebat, non solum ad pulchritudinem & ornamentum, sed etiam ad quotidianos vsus necessario. nullo siquidem fluuio interlabente Bononiam, sed ne præterfluente quidem propius passuum tribus millibus, assiduo dispendio longius ab vrbe oppidanos excedere ad conficiendum frumentum necesse erat. Res non modo grauis, sed bellum gerentibus minimè tuta. Quo animaduerso AEGIDIVS, vt Bononienses suo beneficio à tanto incommodo liberaret, vtque vrbs honestior simul, & munitior redderetur, partem Rheni, qui Bononiam à tertio lapide præterlabitur, magno labore magnisque suis impensis per mediam vrbem deriuauit. qui fluuius in plurimos magnosque vsus ciuitatis cessit, nam molæ æquariæ frequentes intra mœnia ædificatæ, pistrinorum necessitatem, & longius excedendi molitionis causa incommodum sustulerunt. Machinæ præterea constructæ sunt ad secandam mira celeritate materiam ferra trusatili, quæ aquæ vi sursum deorsumque agitata vna multorum hominum operas adæquaret. Quo nec minus vtile, & maiore etiam admiratione dignum est frequens Bononiæ machinamentum ad polienda concinnandaque textui fila serica, quo machinamento aquæ impulsu circumacta supra quatuor millia fusorum interdum miro ordine & incredibili artificio simul versantur. Quin ad salutem loci plurimum contulisse flumen indubitato experimento didicerunt Bononienses. Nullis enim fontium riuis vrbem discurrentibus, putealis tantum aquæ copia & vsus erat, qua fluuiatilis tanto dulcior est, tantoque salubrior, vt huic comparata putealis humano potui damnetur à Medicis. Nam quod merces onerarijs cymbis Ferrariam vsque secundo flumine deportentur reportenturque aduerso, commune id & Bononiæ & Ferrariæ emolumentum est. Quibus rebus occupa-

Rhenus fluuius Bononiam inductus.

Machinæ variæ constructæ sunt in ciuium commodum.

occupatus AEGIDIVS dum Bononiæ commoratur, Barnabos, apud quẽ iura, quatenus modo conatib. ipsius subscriberẽt, sancta erãt, iniquo animo ferens deijci se ab spe retinendæ perpetuo opulentissimæ ciuitatis, spreto arbitrorum iudicio, ad arma recurrit, & quam iure nõ poterat, bello repetere constituit: sed quia AEGIDIO in ea commorante difficilè admodum reputabat vrbem expugnari, inito consilio Anchinum Bongarbum cum exercitu in Picenum mittit. Iussum ciuitates Ecclesiasticas bello lacessere, vt hoc irritamento AEGIDIVS à Bononia eliceretur. Anchinus celerius omni opinione in Picenum rapit agmen, à nullo temperans maleficio, ac tria oppida Corialtum, Buscharetum, Montem nouum oppidanis haud admodum repugnantibus prius suæ ditionis fecit, quàm planè AEGIDIO de aduentu eius enunciari potuisset. Tantusque terror inopinato bello Picentibus incussus est, vt vrbibus contenti, vix satis ipsarum viderent muris, quãobrem Epistolas ad AEGIDIVM dimittunt timoris & sollicitudinis plenas, multa etiam vero periculo adijcientes, quæ rumoribus metus affinxerat: quo nuncio AEGIDIVS accepto, & si Barnabouis consilium virum prudentissimum non lateret, tamen laborantibus ciuitatibus subueniendum ratus, cum populum Bononiensem aduocata concione ad fidem & officium longa oratione cohortatus esset, Gometium Albornotium Bononiæ firmo attributo præsidio, iubet præesse: ipse cum reliquo exercitu in Picenum eo consilio proficiscitur, vt si Barnabos, quod fore non dubitabat, Bononiensibus bellum intulisset, liberius commodiusque posset suis atque oppidanis auxilium submittere. Magnis itaq; nocturnis diurnisq; itinerib. ad ea oppida, quæ capta nunciabantur, peruenit: cuius aduentu Anchinus perterritus, vel quia sic fuerat ipsi à Barnaboue imperatum, dum AEGIDIVS in recipiendis oppidis, ne hostibus, quos bello persequi instituerat perfugium essent, est occupatus, comparata fuga silentio noctis aufugit. AEGIDIVS verò oppidis sine repugnantia receptis, in nonnullos oppidanorum animaduertit, quos dedendi oppida authores fuisse reperiebat. Interea Barnabos de abscessu AEGIDII à Bononia certior per exploratores factus, cum latis magno exercitu superioribus diebus comparato in agrum Bononiensem, peruenit. qui cum Vicos aliquot et Castella suæ ditionis feciſſet, paucis post diebus motibus Gallorum euocatus Mediolanum reuertitur, permissa huius belli summa Ioanni Bizaulo, is ad Rheni ripam locatis castris quotidie portis vrbis infestus obequitabat, dum Ecclesiastici numero militum inferiores se vrbe continebant. Quibus rebus nunciatis, AEGIDIVS Galeotum Malatestam & Petrum Farnensem cum duobus equitum millibus, & quingentis peditibus laboranti ciuitati propere subsidio mittit, qui secunda vigilia in vrbem hostibus ignorantibus accepti, tantum roboris oppidanis præ-

Bellũ à Barnaboue in agro Piceno excitatũ vt ita Aegidius Bononia excederet.

fidioque addiderunt, vt statim Gometius de conferendis cum hoste cominus signis cogitauerit, Prius tamen non alienum ratus Bononiensium animos in fide oratione confirmare, & excitare ad pugnam: Concionem ipsis in posterum diem indicit, quæ cum frequens conuenisset, ipse pro suggestu, cum multa & magna beneficia AEGIDII in ipsos commemorasset, illudque omnium maximum, quod Bononiensem ciuitatem à tyrannica & inmani seruitute vindicasset, tyrannorum crudelitatem & inexplebilem auaritiam, quæ mala non pridem tanto cum suo dolore non semel experti essent, iubet ad memoriam reuocari, iniurias sibi illatas, accepta incommoda perpendere. Quæ mala cum multa, indignaque fuisse demonstrasset, multo tamen grauiora impendere, ni viri fuerint, docet. nam qui nulla lacessiti iniuria, sed summa cum indulgentia in vrbem accepti, sua sponte ac suopte ingenio se tales præbuissent in eos, qui imperium ipsis nullo iure debitum detulerant, quid ab his sperandum esse defectione ac rebellione exasperatis, denique multifariam irritatis? si vrbem, qua exacti essent, vt & armis recepissent, an non eos hostili more vrbem direpturos? & nobilitate è medio sublata plebem, si qua gladio superfuisset, in mancipiorum formam redacturos? Porrò vinci vtcunque miserrimum esse, at non pugna sed obsidione superari multo esse turpius. Nam strenuè pugnare virtutis esse, superare fortunæ. at fossa murisque hostem distinere nisi longè paucioribus non esse virile. Se verò superioribus diebus non sine maximo suo dolore tulisse eam indignitatem, vt hostes per agros libere ac impunè populabundi vagarentur, ac vrbi infesti adessent. ipse verò, auxilia indies expectans, se intra muros contineret, quæ cum aduentassent, ac spem dedissent, satis superque virium esse ad prælio decernendum, statuisse se postero die acie dimicare. Proinde se Bononienses pro sua salute, proque sua libertate ad pugnam compararent, ac postridie armati & instructi in forum accepto signo conuenirent, qui si suam fidem ac virtutem præstitissent, satis scire victoriam in expedito esse de hostibus, qui non tam suæ virtuti confiderent, quàm sperarent inter Bononienses discordiam fore, quos cum viderint suæ libertatis memores concordi acie pugnare paratos, inscissa spe animis defecturos. Qua oratione erecti Bononienses, indignatione simul & spe accendente animos, discedunt. Postridie omnes, qui arma ferre poterant, accepto signo in forum armati conueniunt, quorum parte ad vrbis præsidium relicta, cæteri cum Auxilijs Gometium sequuntur, qui cum eo deduxisset agmen, vbi Rhenus ponte maiore committitur, seque in mutuum hostium dedisset conspectum, ad hunc modum aciem instruxit. Veteranos milites in fronte collocat. Ad vtrunque cornu equites consistere iubet. Læuum attribuit Blasco Fernando, ipse sibi dextrum assumit, & leuis armaturæ milites

Cometij Albornotij ad Bononienses concio.

Acies ad pugnam instructa.

milites in medio locat. Galeotus Malateſta, cuius potiſsimum consilio Gometicus vtebatur, cum oppidanis ſubſiſtere iubetur, nec primo impetu inuadere, ſed laborantibus ſubuenire, aut feſsis ſuccedere. Equitatus partem iubet extra ordinem vagari, vt quid facerent molirenturúe hoſtes ab editioribus locis ſpecularentur, & ſi quid opus eſſet facto non turbato ordine in expedito eſſent. Sed nec hoſtes detrectauere pugnam, cuius dux erat, vt ſupra memorauimus, Franciſcus Eſtenſis. Qui veteranus ipſe quoque in fronte pugnaciſsimum quemq; militem oppoſuit. Gometio Vincentius Laudenſis, Garſiæ Fernando, Ludouicus Albenſis cum equitatu obijciuntur. Signo vtrinque dato magnis animis concurritur. Initium certaminis equitum, fuit, Læuum cornu hoſtium tantiſper Eccleſiaſticorum impetum tulit, donec Vincentius Laudenſis cum pleriſque alijs obtruncatur. Deinde ea parte acies inclinari cœpit. Gometius accepto vulnere nõ prius deſtitit à prælio, quàm largius manante ſanguine viribus deſtitui cœpiſſet. tunc verò milites hortatus, ne victoriam iam penè partam è manibus emitterent, pugna excesſit. Iuſſo Petro Farneſio in ſuum locum ſuccedere, cui & ipſi protinus vulnus illatum eſt. Hæc cum eſſent paſsim per aciem diuulgata, inclinata hoſtium acies ſpiritum recepiſſe viſa eſt, maioreque animo prelium redintegratur. Tũ Fernandus, qui in læuo cornu ſtrenuè pugnãciebat, ſuos hortatus magno impetu in confertiſsimos hoſtes irruit, & à ſua parte repulit ille quidem hoſtem, ſed dum auidus Ludouicum Albenſem ſequitur, telis obrutus occiditur. Tunc Franciſcus Eſtenſis, feſsis ac cedentibus ſuis integros ſummittit. contra quos Galeotus, haud amplius expectandum ratus, procedere iubet Bononienſes. Qui magnis animis irruentes hoſtes in fugam vertunt. & dux ipſe Franciſcus Eſtenſis inter fugam, cum in Eccleſiaſticos, qui vias obſederant, incidiſſet viuus capitur. Quo in prælio cecidere ex hoſtibus ſeptingenti; mille centum vulnerati ſunt; capti nongenti quadraginta. Ex Eccleſiaſticis circiter ducenti deſiderati, atque omnibus ſepulturæ datæ, ex quibus Fernandus Hiſpanus in æde Franciſci conditur. Galeotus inter paucos vulnus accepit. In captiuos nihil eſt ſæuitum, quin imò cunctis libertas, primoribus & arma reddita ſunt. Huius belli præmium cum Bononienſes, qui diu tyrannica ſeruitute preſsi fuerant, libertatem eſſe ſtatuiſſent tanta victoriæ partæ lætitia animis eorum inceſsit, vt placuerit publico decreto diem, quo hoſtem ſuperaſſent poſteritati celebrem fieri. Statutumque eſt, id quod etiam nunc perpetua celebritate vſurpatur, vt xij. Calendas Iulias magno propoſito præmio equorum pernicitate contendatur. Inter hæc AEGIDIVS longis laboribus curisque fatigatus febre ardentiſsima implicatur. Quæ cum ægritudine animi ingraueſceret, tyrannos non lætos modo fecit, ſed plenos etiam ſpe poſſe reci-

Pugna ad Bononiã commiſſa.

Cæſorum numerus.

Quando victoria parta.

Aegidius ægrotat.

se recipi, quæ industria & strenuitate illius amiserant: cœptumque est à nonnulis nouis rebus studere. Hoc vbi nunciatum est, AEGIDIVS vix dum morbo explicitus, nec planè viribus receptis, conscenso equo in conspectum suorum venit, quo nuncio tyrannorum motus facilè supprimitur, & ipse paucis post diebus vigori redditus pleraſque ciuitates obiuit, vt animos sua præsentia atque verbis in fide confirmaret. Per id tempus de Pontificis obitu nuncius affertur. Simulque multorum amicorum literæ redditæ sunt AEGIDIVM ad comitia pontificialia reuocantium. Tanta enim erat AEGIDII apud omnes cunctarum virtutum opinio, vt plerisq; omnibus visum fuerit haud dubitabile, eũ, si Auenione adesset, fore candidatorum maximè gratiosum. Quibus ipse in hunc maximè modum respondit. Se verò illorum beneuolentiæ ingentes gratias habere. Cęterum si tunc temporis relicta Italia Auenionem ire pergat, pleraque oppida scelere et inconstantia tyrannorum magnorum magnum discrimen aditura. At qui non esse tãti se pontificatu maximo: qui melius fortasse iustiusque ad alium deferretur, augeri, vt quæ longo tempore multoque & labore & sanguine parta, sua potissimum præsentia retinerentur, discedendo hostibus tradere videretur, qui huiusmodi occasionibus imminerent: darent modo ipsi operam, vt summo virò & omnium maximè digno summa dignitas defereretur. Se Ecclesiasticæ reipublicæ suum officium præsturũ. Delatus itaque fuit pontificatus Guilielmo Chrysauro, qui mutato de more vocabulo Vrbanus est dictus, huius nominis Quintus, vir summæ virtutis, & integritatis. Qui accepto imperio statim ad AEGIDIVM literas mittit laudi & adhortationis plenas, ac multis verbis suo & Ecclesiæ nomine gratias agens, iubet se expectare cupientem, parantemque Italiam, quod iam ipsius beneficio pontificibus liceret, inuisere, & Romam sedem antiquam repetere. Quo magis miror quosdam memoriæ tradidisse ab hoc Pontifice AEGIDIVM Italiam fuisse missum: sed & in quibusdam alijs parum his rationem illorum temporum fuisse exploratã, indubitato testimonio deprehendimus. quippè multis breuibus literis à Pontificibus ad AEGIDIVM missis, quas ipsi perlegimus, sed narratio redeat eo vnde digressi sumus. Interea Barnabos Vicecomes acceptam nuper ad Bononiam cladem ægerrimo ferens animo, & tantæ vrbis recipiendæ desiderio flagrantior effectus, bellum omni ope reparare nunciatur. Quare AEGIDIVS Francisci Estensis amicitiam, et quarundã ciuitatum societatem occupare in rem fore statuens, Lupo de Luna auunculo hanc prouinciam delegauit. Cuius industria operaque effectum est, vt cum hoc principe viro, et cum Patauinis, Veronensibus, Florentinis amicitia & societas iniretur. Sollicitato Francisco Estẽsi eo prẽmio, vt in decenniũ Nonãtulæ & Bozano agri Bononiẽsis oppidis iure dominaretur. A quibus

Clemens VI. Pont. Max. moritur.

Suffectus Vrbanus V.

Barnabos bellum instaurat.

bus missis auxilijs,par hostium copijs exercitus comparatur , huic Lupus de Luna præficitur.Cui, cum aduentare Barnabouem exploratores retulissent,in occursum ducit agmen,& ad oppidum,cui nomen est Salatolo, qua hostibus iter erat,castra metatur . Barnabos haud prælium detrectaturus castra castris opponit. Sed quia interfluente amne ne incursiones quidem faciendi facultas erat, aliquantisper prælio abstinuerunt,vtrique tamen in alteros irruendi occasionem expectantes: vt si fortè hostes vado traijcere cœpissent, diuisos & impeditos adorirentur.Hac cunctatione paucis traiectis diebus,speculatores referunt,impedimenta castris hostium egressa longo agmine retrocedere . Quod factum cum timentium hostium fugamq; parantium indicium , ab Ecclesiasticis interpretatum esset, placet Lupo amnem , quanta maxima posset celeritate,ponte committi . Quo sine periculo traiectis copijs, cœpit hostes prælio lacessere.Castra oppugnaturus si se intra continuissent. Illi verò & si timentibus quod audierant Ecclesiasticum exercitum multum inualuisse, illud quòque timorem adiecerat , quod tanta fiducia flumen traiecissent , prælio tamen decernere cunctis cónsilijs anteponunt:quippe cum fuga non modo turpis , sed instantibus hostibus plena periculi videretur : ac vt castris contenti fossa valloq; obiectis bellum traherent,præmissis impedimentis, ac commeatibus erepta facultas esset.Eductis ergo copijs prælium committitur.sed non diu Ecclesiasticorum impetum ferentes hostes in fugam vertuntur,quos illi insecuti magnam stragem edidere. Multos beneficio noctis interuenientis fuga subtraxit.Ex Ecclesiasticis pauci vulnerati sunt : interfectus vnus tantum,sed qui pro multis fuit,Garsias Albornotius AEGIDII nepos ex fratre,vir manu forti, promptoque animo, & qui multa suæ virtutis iam antè præbuerat documenta , & tunc cum in confertissimos hostes irruisset,non antè spiritum emisit , quam multos ex his qui promptius resistebant,trucidasset. Tam præstanti animo commilitonem in flore iuuentæ sublatum,non sine magno dolore tulit totus exercitus.Illo quoque adijciente molestiam, quod non ambigebatur patruo,qui ipsum,cum ob generis propinquitatem,tum ob eximias virtutes loco filij amabat,grauissimum nuncium futurum. Et profectò constat AEGIDIVM nihil vnquã grauius ea morte tulisse.Siquidẽ cũ perẽpto superiore prælio Blasco Fernãdo,quẽ summoperè diligebat,maximã ac penè vnicã posteritatis spẽ in hoc summæ indolis adolescente collocasset, nõ poterat non ægro animo ferre,hac se quoq; spe iniquitate fortunę fuisse defraudatũ & in hoc ictu fortunæ, illud quoq; vulnus recrudescebat.Hæc vbi sunt ad Põtificẽ delata, casum amici miseratus, huiusmodi quoq; literis eũ cõsolari officij duxit. *Victum tuis auspicijs, tuorumque virtute ac industria, fugatumque magna accepta clade cum exercitu suo Barnabouem , non sine magna voluptate accepimus , & tuorum in Ecclesiam meritorum*

Pugna iterũ commissa.

Garsias Albornotius interfectus.

Aegidium Pont per literas consolatur.

perpetuam seriem non ingrato animo recoluimus. Verum enimueroillud nobis fuit permoleſtum, ac victoriæ lætitiam quodammodo ſuppreſsit, quod ſimul intelleximus Garſiam Albornotium fortiſsimum adoleſcentem nepotem tum eo prælio concidiſſe. Cuius mortem te ægro animo ferrè non miramur. Summa enim virtus cum florente iuuentute extincta affectis animis merito miſeranda videtur: ſed te fortiſsimum ſapientiſsimumque virum minimè decet dolori ſuccumbere, quo accepta damna gliſcere ſolent, non reſarciri. Adde quod in hoc caſu multa ſunt, nec ea mediocria ſolatia, quæ meritò poſſint omnem moleſtiam abolere. Primum quod pro Eccleſia, quæ nobis, id eſt, Chriſtianis patria antiquior eſſe debet, fortiſsimè dimicans, & vt audio, egregiè virtus occubuit, Deinde quod victor ſuo ſanguinè victoriam ſuis peperiſſe videri poteſt. Qui vt vnus omnium trucidatus eſt, ita omnium maximè hoſtem propuliſſe conſtanti voce nunciatur. Poſtremò quod honeſtiſsimam vitam ſummæ ſpei plenam, quam nulla deformi nota coinquinauerat, pulcherrima morte, velut firmiſsimo quodam ſigillo, concluſit, obſignauitque. Sunt enim vt rerum, ita morum quoque viciſſitudines, ac interdum qui optimè vixerit, vno vicio totam obfuſcat, dehoneſtatque vitam. Prorſus, vt qui vitam cum laude clauſere, ij ſoli valeant ſine fuci ſuſpicione laudari.

Androinus Abbas Cluniacenſis, Cardinalis factus, mittitur ad Barnabouem, vt cedat iure Bononiæ.

Duobus prælijs fractum Barnabouem facilè ad pacem adduci poſſe Pontifex ratus, Androinum iam Cardinalem factum ad ipſum, tunc quoque bellum reparantem, legatum mittit, à quo paruo negotio perſuaſus eſt, vt iure cederet vrbis Bononiæ, quod ſe habere iactabat. Hac ab ipſo excepta conditione, vt legatione Bononienſi ſe AEGIDIVS abdicaret: ſcilicet ingratam rem huic ſe facturum arbitratus, ſi quam ciuitatem impenſe amare, & multis beneficijs demeruiſſe conſtaret, ea ſe authore cogeretur excedere: quod cum eſſet AEGIDIO, non ſine præfatione, denunciatum, hoc adiecto, daret id quoque Eccleſiæ, ne amatæ ciuitatis grauatè deponeret adminiſtrationem: Sibi verò reſpondit, minimè id fore moleſtum, quod ſi aliqua ſua merita in eam ciuitatem extarent, hoc quoque fieri cumulatiora velle, vt pro ipſius libertate, ac pace nihil ferret ægro animo: & ad Gometium Albornotium præfectum Bononiæ conſcribit, vt tradita ſucceſſori vrbe, ad ſe quam primum veniret. Quem proficiſci parantem ciuitas non immemor beneficiorum ab ipſo acceptorum communi conſilio pulchro ſimul, & præcioſo munere proſecuta eſt: quod eſſet grati erga ipſum animi teſtimonium. Hæc corona fuit gemmis in orbem ambientibus frequens, impoſita galeæ ſerico intectæ, in cuius cono criſta erat, à qua imaguncula argentea prominebat ſimilis angelo, dextra gladium, ſiniſtra aureum pomum tenenti: velut teſtata Bononia libertatem, facultates, ac demum precioſiſſima quæque bona reddita ſibi fuiſſe gladio, ac virtute Gometij. Quo potiſſimum miniſtro AEGIDIVS res Bononienſes pace belloque adminiſtrauerat. Tam gratũ fuit Gometio Bononiẽſiũ donũ, vt eius imagine inſignia ſua perpetuo decorari glorioſum duxerit qualia modo viſuntur Bono-

Gometio donum à Bononienſibus offertur.

niæ in

niæ in ædibus collegij Hiſpanorum auſpicijs AEGIDII conditi, in lapide inciſa ſupra valuas, quæ introeuntibus ſecundo loco obijciuntur. Interea AEGIDIVS, qui Italiæ proſpiciendi omnifarias occaſiones captabat, quod à curis bellicis dabatur ocij, id omne in conſeruandam, augendamque pacem conferebat. Itaque vt ciuitates, quas à tyrannis iniuria aſſeruerat, bonis etiam legibus, ac moribus formaret, ſumpta à Pontificibus authoritate, neque enim paucorum dierum id opus fuit, leges condidit, quæ conſtitutiones Aegidianæ appellantur, tanta ſapientia, vt cum magno populorum conſenſu receptæ, parem Pontificijs, & Canonicis inſtitutis vim & authoritatem vſque in hodiernum diem obtinuerint. His rebus geſtis finis iam bello Italico impoſitus eſſe videri poterat, cum à tyrannis nihil moueretur. Ecce nuntius affertur latronum exercitum. quem Ambroſius quidam Vicecomes ductabat, Flaminiam, & finitima loca depopulari, deprædarique, à quibus Eccleſiaſticis oppidis non mediocrè periculum atque damnum immineret. His malis vt occurreret AEGIDIVS magnis itineribus ea verſus loca contendit, quæ latrocinijs infeſtabantnr: & ſe cum Gometio, quem obuium habuit coniunxit. Hoc vbi Ambroſio allatum eſt, à finibus Eccleſiaſticis agmen abduxit. Qui nuncius non tam gratus AEGIDIO fuit, quam ille moleſtus; alterum exercitum longè maiorem, qui ſub Florentinis meruerat pari furore prædabundũ circa agrum Camerinatem debacchari. Britanni erant iſti, & Pannonij, mixta perditorum hominum Italorum turba. Quibus vel per ſe ſatis potentibus, Ambroſium, quem ſcilicet ſuarum virium pœnitebat, velle ſuam legionem aggregare, rumor afferebatur. Huic peſti omni ope occurrere AEGIDIVS antè omnia ſtatuit. Quippè non erat dubitabile, eos pro ſanis nihil eſſe facturos, & à nullo maleficio, modo vires ſuppeterent, eſſe temperaturos. In rem itaque fore ratus, ad hos legatos mittit, qui magnis pollicitationibus ac iuſta mercede conducendos curarent: ſed fruſtra auidos prædæ animos ad ſanitatem reuocare tentauit, qui obuia quæque populati, per Camerinatem agrum Fulginatemque, ſuperatis montibus, fines Montis Regalis pertinuerunt. Hic legati iterum ab AEGIDIO miſſi, qui nihil voluit intentatum relinqui, agmen conſecuti, & ſi maioribus præmijs maioribuſque pollicitationibus negotium tentaſſent, re tamen infecta redierunt. At illi ad Aquilam, oppido id nomen eſt, caſtra poluêre, & ingenti abacta præda cœperunt fruſtra oppidum impugnare. Nam præſidium paucis ante diebus ab AEGIDIO miſſum tam promptè cum oppidanis reſtitit, vt non mediocre damnum fuerit ab hoſtibus acceptum. Tunc AEGIDIVS, qui omnia prius experiri, quam armis rem gerere conſtituerat, cum intellexiſſet magnam gratiam Gometio cum pleriſque Britannorum intercedere, in eadem militia ſuperio-

Eiuſdem inſignia in Hiſpanorũ collegio.

Conſtitutiones ab Aegidio factæ, quæ hinc Aegidianæ dicuntur.

Latronum exercitus.

Britannorum & Pannonum copiæ in agrum Camerinatem debacchati.

Gometij ad Britannos illos legatio.

perioribus annis,conciliatam, ipsi imperat eos adeat, coneturque omni ratione adducere in partes Ecclesiæ, ac Ioannæ Neapolitanorum Reginæ quæ suorum inconstantiam verita, firmo præsidio regnum tutari statuerat ad continendos in officio principes,quorum conatus paulò antè repressos fuisse ab AEGIDIO commemorauimus. Ille verò cum in castra peruenisset,amicos agnoscit,omnes ferè, qui ordines ducebant, vicissimque agnoscitur ab ipsis:ac post multa dicta factaque, vt solet,amicè,priuatim singulis quorum summam esse inter ipsos authoritatem intellexerat, quid venisset, exposuit, suasit, precatus est, quos demum cum persuasos intelligit,concilium poscit.Quod cum frequés conueniisset, quæ priuatim singulis dixerat publicè vniuersis elocutus facilè in sententia animos eorum confirmauit. Ad summam pax & societas his conditionibus conuenit. Vt AEGIDIO Reginæque sex menses hæ copiæ auxilio essent,atque imperata facerent, acciperentq; pro mercede ducatorum centum quinquaginta millia duabus solutionibus.Quod vbi AEGIDIVS resciuit Gometio imperat, vti primo quoque tempore agmen illud cæteris copijs coniungeret, & ad Vrbem ueterem promoueret,& Anichinum Ambrosiumq;, (qui paribus copijs coniunctis eum tractum latrocinijs infestabant,& nonnullis oppidis oppugnatis,quosdam tyrannos patria exules se secutos spe vana erigebant,)bello persequeretur. Ille nihil moratus ad ea loca perduxit agmen,vbi statiua hostes habebant:iubetque protinus suos hostilia castra obequitare,eo consilio,vt nisi possent hostes ad pugnam elicere, castra oppugnare adoriretur. Tunc verò Anichinus suas vires æqua æstimatione metitus,nihilque temerè agendum ratus, communi consilio legationem de pace mittit.Quæ his conditionibus data est.Vt oppida Ecclesiastica,quæ occuparat statim AEGIDIO redderet: vtque se copiasque suas iure iurando obstringeret, ne intra triennium auxilium hostibus,aut Pontificis aut Neapolitanorum Reginæ præstarent. neue horum clientibus quoquo modo iniuriam inferrent. Tunc verò iusta merce de his ipsis auxilio futuri Gometium ducem sequerentur. Inuicem ipsis,qui summa inopia laborabant,ne deprædari cogerentur,pecuniarum certa summa pacta est.Sed hac paucis post diebus numerata, Britannorum ac Pannóniorum animos suspitio incessit, ne hæc solutio suam cuius tempus instabat,moraretur. Itaque non expectato die, amicitiæ fideique obliti temerarium simul & scelestum consilium inire cæperunt, vt Gometium in custodiam conijcerent, tam diuque coercerent,donec pactum stipẽdium sibi numeraretur. Quod vbi est Gometió enunciatum, per quendam è Britannis arcta & veteri amicitia ipsi coniunctum,multis ipsorum dictis factisque nuntio consentientibus,indubitata initi consilij signa conspicatus,per speciem commeatus qui parcè suppetebat, prospiciendi, in Vrbemueterem sese recepit, vt præ-

Gometius Anichinum Ambrosiumque tyrannos ad Vrbẽ ueterem bello persequitur.

Pax inter ipsos quomodo inita.

Perfidũ Britannorũ consilium.

præsentem barbarorum feritatem vitaret: quem sui admoniti consilij subsecuti sunt. Hoc cognito Barbari se deceptos arbitrati tanto furore correpti sunt, vt cœperint non modo vndique prædas agere, sed agrum Vrbeuetanum & finitima loca igne ferroque vastare. Tantam immanitatem non ferens Gometius coactis vndique auxilijs ipsis quoque Anichino Ambrosioque accitis, partem barbari exercitus comparauit, atque eos persequi contendit: qui accepto nuncio in agrum Perusinum diuerterant, ibique castra munierant. Quo cum ventum est, Ecclesiastici castris adequitando hostes ad pugnam prouocabant. Illi cum diu cunctantes, quod numero iam, nõ modo causa Ecclesiasticos superiores effectos cognouerant, se intra castra continuissent, cœptumque esset fame laborare, silentio noctis castris elabuntur. Hoc vbi est Gometio ab exploratoribus renunciatum, ipse cum equitatu prægressus, vt fugientes moraretur, cæterum agmen summa celeritate subsequi iubet, nec longe progressos assecuti à nouissimo agmine lacessunt. Illi verò multis suorum amissis, continenti fuga in quoddam agri Perusini castellum se recipiunt: Frumento cæterisque commeatibus adeò vacuum, vt obsessi vix biduo potuerint famem tolerare. Tandem rebus desperatis permiserunt se Gometio. Qui sumpto capitali supplicio de his qui caput, authoresque tantorum malorum extiterant, vt essent latrocinij ac perfidiæ non inultæ documentum, cæteros accepta fide, se primo quoq; tempore finibus Italicis sine iniuria excessuros, impunè abire permittit. His ita debellatis nihil supereſſe videbatur, quod posset ocium pacemque sociorum & clientum Ecclesiæ sollicitare, præter Perusinos qui quorundam ex primoribus impulsu rebus nouis studebant. Iamque Assisium ditionis suæ fecerant. Horum igitur vt motus inhiberet AEGIDIVS præfecto Blasco nepote, qui Piceni & Flaminiæ curam gereret, in Vmbriam proficiscitur. Et vbi Assisium peruenit, Perusinorum eiecto præsidio ciuitatem suæ reddidit libertati. In qua, æde Francisci restaurata sacellum intus iussit ædificari, & in eo monimentum quo mortuus conderetur, extrui. Tantisque beneficijs monachorum collegium prosecutus est, vt se ipsi sanctissimo statuto constrinxerint, singulis mensibus quarta & vicesima quaque die eius animæ iusta se in perpetuum celebraturos quod officium pari de causa Bononiæ anniuersario sacro præstant eidem in æde Ioannis in Monte, XXV. Augusti religiosi Monachi, qui Augustini regulam profitentur. Sed dum Assisij AEGIDIVS commoratur, cupido incessisse animum fertur corporis sanctissimi Francisci visendi: quod cum venerabundus conspexisset, & impressa Christi vulnera norasset: exclamasse dicitur. Vel solum Franciscum ad confirmandam Christi religionem satis fuisse. Post hæc Perusium peruenit acceptusque in vrbem cum authores malorum partim capitali supplicio multasset, partim in exilium misisset, cæteris collauda-

Pœnas dant perfidiæ.

Perusium & Assisium bello vexata ab Aegidio liberantur.

Aegidius sibi mortuo monimentũ in quo conderetur, extruit.

S. Francisci corpus visit Aegidius.

tis ac liberali oratione confirmatis, Viterbium peruenit. Tunc verò cum vniuersam Italiam sua opera pacatam considerasset, nullumque nec à tyrannis nec à latronibus periculum imminere, intelligeret, Gometium ad Pontificem cum quatuor nauibus proficiscí iubet. Et quo in statu Italia esset nunciare, omnia tanquilla pace frui. Si vellet Romam, quod ante significauerat, inuisere, tuto secureque iam inde licere. Gratissimum sibi fuisse nuncium aduentumq; Gometij Pontifex non verbis tantum, quib. AEGIDII virtuti ac industriæ gratias egit, sed multis etiam beneficijs declarauit. Siquidem inter cætera ipsi Gometio Esculi, quod oppidum est in Piceno, ius & vectigalia in decennium tribuit. Fratres AEGIDII literis & nuncio ab Hispania iubet accersiri, nõ alijs professus velle se præfectis administratoribus, quàm his Italiam tueri ac gubernare: statimq; discessu comparato, in Italiam proficiscitur. Cum ad Viterbium ventum est, vbi AEGIDIVS eius aduentum expectabat, paulisper hic commoratus, quindecim annorum administrationis & vectigalium rationem quorundam inuidia & impulsu, reposcenti Pontifici claues vrbium arciumq; à se receptarum vix capiente curru AEGIDIVS pro ratione obtulisse fertur. Cui Pontifex, admiratus eius magnitudinem ac constantiam, *Et hercle*, inquit, *AEGIDI tã amissam rem Ecclesiasticam haud magno impendio nobis receptam esse fatemur, & tuæ pr̃citati gratias habemus.* Paucis post diebus AEGIDIVS ad vrbem Romam Pontificem comitatus, longi muneris vacatione impetrata, Viterbium redijt: vbi mortalitatis memor, ac velut instantem mortem animo præsagiens posteritatiq; consulens, testamentum rarissimi exempli sanctissimè ac religiosissimè condidit. & conuocatis amicis, collegij in vrbe Bononia Hispanis condendi, de quo mox seperatim dicemus, præcipuam curam delegauit, & tribus mensibus quàm Viterbium redierat exactis, vitam cum morte commutauit. Anno gratiæ Millesimo Trecentesimo Sexagesimo septimo. Tanti viri mortem Pontifex tam acerbè tulit, vt accepto nuncio continuum biduum nihil aliud, quam mœrori indulserit, nec sui conueniẽdi copiam cuiquam fecerit: corpus eius vt ipse iusserat, Assisium elatum, & in æde Francisci depositum est. Inde Toletum vbi modo ossa eius iacent, paruulo admodum impendio humeris deportatus est. Nam Summus Pontifex hoc tribuit eius meritis, vt quicunq; lecticam quantulocunq; spatio supportaret, peccatorũ remissionem perinde consequeretur, ac si Anno Iubilei Apostolorum Petri & Pauli ædem inuisisset: quod officiũ AEGIDIO cum locupletissimo ipsius meritorum testimonio ab Henrico Rege, qui Petro fratri à se interfecto successerat, suisq; purpuratis præstitum accepimus.

Romam Aegidius Pontificem inuitat pacata Italia.

Romam pontifex proficiscitur.

Viterbij testamentum condit & moritur Aegidius Anno 1367.

BRE-

BREVIS BONONIENSIS COLLEGII HISPANORVM DESCRIPTIO, ET QVORVNDAM QVAE ad ipsum pertinent, commemoratio.

ED, vt pollicitus in calce historiæ gestorũ AEGIDII dicere seperatim de Bononiẽsi Hispanorũ Collegio, promissũ exoluã, pauca hoc in loco de eo verba mihi faciẽda sunt. Si prius de nobili, & memorabili eius testamẽto, quo cõstat, collegiũ cõdi ab AEGIDIO fuisse iussũ, nonnihil attigero. Resignato Testamento quod conditum est, anno gratiæ Millesimo trecentesimo sexagesimo quarto, multa, quę eius sanctitatis, religionis, ac summæ iustitię documento esse possunt, reperta sunt. Ex quibus quæ memoratu dignissima sunt visa, & monumentis prodenda, silentio præterire non putaui ex officio fore: cætera qui desiderabunt, petant licet ab eodem Testamento, quod iam pridem editum, impressumque circumfertur. Principio iubet sibi quinquaginta missarum millibus primo quoque tempore parentari. Centum virginibus maritandis Toletanæ & Conchensis diœcesis trecenos Marapetinos distribui. Qui nummus, vt accepimus, id temporis in Castella tanti erat, quanti nunc regalis nummus, aut in Italia Marcellus. Redimendis captiuis Christianis è dominatu Mahumetæorum triginta eorundem nummorum millia legauit. Porrò cum sex sacerdotia, quas Capellanias appellant, in Ecclesia Toletana statuisset, duabus dotandis, quas indotatas relinquebat, huic Ecclesiæ triginta millia. Præterea Conchensi pleraſque possessiones, prædia suburbana, pascuaque instituendis in eo templo duabus capellarijs in sacello, vbi parentes ipsius iacent Cui sacello calicem argenteum auratum, ac preciosa & decora sacerdotalia vestimenta legauit. Adhæc multa eidem Ecclesiæ preciosa, ac in primis pluuiale suum margaritis distinctum. Item monasterio Francisci in Assisio tres tapetes magni precij, ac ædificationi eius ædis mille florenos. Item Anconæ in Ecclesia cathedralitia, statuit vnum sacellum dicandum Clementi martyri. In eadem vrbe, in æde Magdalenæ duas capellanias: ibidem Monachis prædicatoribus ad ædificandum centum florenos legauit. Heremitis totidem: Monachis, quos minores dicunt, ducentos item ad ædificandũ. Iã domesticos singulos quanta, pro cuiusque conditione, liberalitate profe-

Collegij origo.

Testamentũ Aegidij pietatis plenũ.

Assisio quid legauerit.

profecutus fuerit, longum eſt enarrare. Hoc quoque magnificum, quod à ſuo obitu nouem continuos dies iubet, quicunque iuſtis ſoluendis interfuiſſent ipſius ſumptibus ali. Et duo millia pauperum panno ipſorum ordini conueniente veſtiri, ſed de his hactenus. Nam ingentia legata, quæ propinquis ac conſanguineis, præſertim Gometio Albornotio nepoti reliquit, referri non eſt operæ. Venio ad Collegium quod ex reſiduo bonorum ſuorum magnificè cõdi iubet Bononię, ob florentiſſimum omnium diſciplinarum Gymnaſium, & ſuum vniuerſalem hæredem inſtituit. Et moriens inuictiſſimo Hiſpaniarum Regi, & Cardinalium Hiſpanorum Romæ degentium antiquiſſimo cuique commendauit: à quibus ſuſcepto patrocinio, vt ſolet eſſe religioſum huiuſmodi officium à defunctis iniunctum negligere, in magnis ſæpè neceſſitatibus ipſorum authoritate ſeruatum eſt, ſæpè etiam beneficio auctum. Aedes autem ædificandi, & prædia emendi negotium datum eſt Fernando Aluaro Abbati Valladoliti, & Alphonſo Fernando cubiculario. A quibus in ea parte vrbis conditæ ſunt, quæ meridiei ac occidentis medium ſpectat, non longè à porta, quam AEGIDIVS, mutato vocabulo Cæſarauguſtæ à nomine amatæ vrbis appellauit, cum prius Villianæ diceretur, & eam viam, quæ à collegio pertinet ad hanc portam, quadrato lapide ſtrauerat: qui poſt inde translatus eſt ad Rheni vrbem interfluentis alueum muniendum Conſulto Senatus Bononienſis, qui pro eo lapide laterib. coctis eam viam ſtrauit, profeſſus vt accepimus, publica fide eandem perpetuo ſternendo reficere. Sed in his ædibus ædificandis qui negocium ſuſceperant, non tam decoris, quàm firmitatis videntur habuiſſe rationem. Conſtant enim parietes omnes coctis lateribus, qui vt in altitudinem haud admodum ſublimes exſurgunt, ſic in latitudinem patent latiſſimè. Opus eſt vbique concameratum, vbique itidem latericium, ea demum firmitudine ſtabilitum, quæ citra reſarcionem videatur immortalitatem polliceri. Forma ædium ſi ad inſulam ſpectes, quam cum binis hortis, & domibus, quas collegium ſibi contiguas poſſidet, efficiunt, in orbem potiſſimum excurrere dicas, niſi quod paucis angulis interpellatur, ſi ad ipſum velut corpus collegij ſcholaſticorum vſui accommodatum, quadrata figura eſt. In huius medio cauædium patet raris conſitum arboribus lauris, buxis, & teſſiminis vulgò dictis. Hoc breuiuſculo pariete omni ex parte infrà ſupraq; periſtylio committitur. Sacellum quod Clementi dicatum eſt, cæteris ædibus altius exſurgit, quod à Septentrione commodè pro ipſarum ratione ædificatum, ingredientibus domum obijcitur è regione. In huius eminentiore turricula horologium nuper eſt fabricatum, quod per ſingulas horas & tintinabulo, & gnomone labentis temporis ſcholaſticos non modo, ſed viciniam quoque latiuſculè admonet. Triclinium contra ſacellum in parte ſuperiore ante ſexdecim annos in vſu erat diſcum-

Collegiũ hæredẽ ex aſſe inſtituit.

Aedificium firmiſſimũ.

Area & horologium.

Triclinium.

scumbendi, meridiem spectans, à quo per tres feneſtras quamdiu virent agri in Apenninum montem amœniſsimus proſpectus eſt : qui conſitus omnis generis arboribus ſe molliter ab ipſa protinus vrbe incipit attollere. Sed vt incommodum per longiuſculos anfractus à coquina, quæ ab Oriente iacet parte inferiore, in hoc cœnaculum, in quod per viginti ſex gradus conſcenditur, cibaria efferendi tolleretur, hoc in alios ceſſit vſus, & alterum anno gratiæ Milleſimo ducenteſimo ſexto, ab eadem parte, ſed paululum in dextram ingredientibus ſubductum, eadem ferè forma, & iuſta magnitudine loco inferiore ædificatum eſt. Quod lumen à meridiè duabus feneſtris admittit: ab Oriente focum habet, qui aſſiduo igne tota hyeme triclinium ingenio regionis humens, frigensque temperat. Reliquum diſpoſitis menſis vndique ambitur, niſi qua cælla promptuaria nuper facta recedit. Sub hoc triclinium ſuperioribus diebus aptiſsima ſimul & pulcherrima cella vinaria ſubterraneo loco, ſed latericia teſtudine intecta multis operis, magnoque impendio conſtructa eſt: ducta cloaca, per viam Cæſarauguſtæ, qua exſudans aqua, quæ hactenus optatum opus morabatur, effunditur, ſordesque doliorum egeruntur. Cubicula omnia infrà ſupraque concamerata anguſtioribus, ſed latericijs parietibus diſtinguuntur. Quæ Theologis aſſcripta ſunt, Orientem ſpectant vno excepto, quod vergit ad Septentrionem : Medicorum Occidentem: qui verò Pontificio, ciuilique Iuri ſtudent, vt ſunt numero longè plures, ſic cubicula infrà & ſuprà in omnem partem diſperſa tenent, eadem que vulgo ratione librorum capaciora. Communis bibliotheca, quæ ab Oriente ſacellum parte ſuperiore contingit, referta eſt libris non tam pulchris, quàm emendatis. Sunt enim vetuſtiſsimi magna ex parte, & manuſcripti, & quorum nonnullis ipſum AEGIDIVM dum in humanis ageret, vſum fuiſſe conſtat. Extra id quod Collegij velut corpus appellauimus, horreum eſt capaciſsimum, quo frumentum, & cæteræ fruges conduntur. Huic par cella altera vinaria ſubdita eſt. Tum lignorum repoſitorium, iuxtaque equorum ſtabulum. Deinde penè ſacellum ambientibus occurrit aptiſsimum Spheriſterium : quo in ſtudiorum inducijs, licet feriatis ſodalibus tuendæ valetudinis gratia exerceri, vt honeſto ludo corpore exercito, & animis relaxatis integriores vigetioresq; ad ſtudia redeãt. Ab hoc horti alteri proximè excurrũt, diſpoſitis arboribus conſiti, viribusq; ita ambientibus, vt amœna dum virent arbores, efficiant deambulatoria. Sed omnes hæ arbores nouellæ ſunt, & locus ipſe ædib. Hiſpanienſib. adiunctus ante quatuor annos, area publica erat inutilis alioquin, & parum decora. Hæc itaque à Senatu Bononienſi impetrata domui noſtræ acceſsio facta, ducto pulcherrimo muro, qui diſtingentibus pinnis viam publicam honeſtat : quæ vt pulchrior aſpectu redderetur, aliorum hortorum, qui à meridie a-

Cubicula.

Bibliotheca communis.

Spheriſterium.

Horti.

trio pariete medio committuntur particula pacto nobis adempta est. Hæc igitur forma est, hæ ferè partes ædium, quas hoc in loco à nobis quamlibet crassa Minerua describi, haud ita videatur importunum, si quis doctissimos, & eos summa grauitate viros meminerit, non dico vrbana palatia, sed rustica prædia, villasque suas, affectatè descripsisse, idq; memoriæ prodere tanti putasse. Constat autem conditũ fuisse Collegium, circiter annum à redempto orbe, Millesimo trecentissimo sexagesimo quinto, quod vix dici potest, quanto semper vsui, quantoque ornamento nostris hominibus fuerit. Ex hoc enim viri, quos enumerare longum esset, sapientia clari nulla nõ memoria prouenêre, qui tum singulas ciuitates, tum vniuersam Hispaniam doctrina & consilio summopere iuuarent. Et viuunt hodie haud ita pauci (ne quis putet effœtam huius Collegij feracitatem consenuisse, qui partim docendo, partim monumentis literarum, alij maximarum rerum administratione secula nostra exornant. Quorum sunt Antonius Nebrissensis, qui expugnata suo Marte Barbarie, quæ ab Hispania Latini sermonis exterminato nitore, regnum longè lateque obtinebat, nunc Regum Hispaniæ historiam fœlici, & antiquitatem prouocaturo stilo mandat monumentis. Et Fortunius Garsias Cantaber vtriusque Iuris peritissimus. Regius nunc, vt audio consiliarius, & qui in Regno Nauarræ magistratu fungitur, qui Regens appellatur: de cuius doctrina & virtutibus quid sentirem iampridem quadam epistola ad Iacobum Arrheagam sodalem meum, virum quoque vtriusque Iuris doctissimum testatus sum: quæ (vt video) edita in vulgus est, cum illis Commentarijs quæ ipse in l. Gallus, de li. & posth. ff. composuit. Adhæc Antonius de Burgis Salmanticensis, cui doctorum consensus primas in iure Pontificij cognitione defert. Cuius discessum mirum est, quàm ægrè tulerit Academia Bononiensis, vbi honestissima conditione Ius Pontificium publicè docebat, cum est à Leone decimo Pontifice Maximo huiusmodi opinionis fama commoto Romam accersitus, vt eius doctrina, ac iudicio in maximis rebus vteretur. Dignissimus quoque qui inter præcipuos numeretur Ioannes Montes doca Hispalensis: qui vt taceam, quàm in Theologia ad Scoticã subtilitatem, quam potissimũ æmulatur, proximè accedat, cum huius memoriæ philosophorum principibus æquo Marte certat de primo loco: quique nunc in celeberimo Gymnasio Patauino Philosophorum facile princeps annuo sexcentorum ducatorum salario naturalem doctrinam docet. Noster quoque est vir Theologica doctrina clarus Martinus Garsias, Episcopus Barcinonẽsis: qui (vt rei summam complectar) nulla maiorum suorum claritate adiutus, ex fortuna perquàm mediocri ad magnos processit honores, & ingenti ac multiplici virtute coniuncta pari sapientiæ, id est assequutus, vt Episcopali dignitati, quam suis sibi meritis, pepererat, non minus decori esse putaretur

vt Plinio minor lib. V. epist VI. Statius Papinio & Vitruuius.

Conditum collegium anno 1365

Qui potissimũ viri doctissimi inde proderint.

Antonius Nebrissensis Grammatic⁹.

Fortunius Garsias. I. C.

Antonius de Burgis Salmãticẽs. I. C.

Ioãnes Mõtes doca philosophus.

Martinus Garsias Episcop⁹ Barcinonensis.

retur,quàm ab eadem ipſe honeſtaretur : quæ multorum qui virum familiarius cognouerunt,conſtanti nobis ſermone relata,ſpem dederũt, poſſe hunc mihi fama tantum notum inter viuentes ſine inuidia nominari:Nam de quibus ante hunc mentionem feci, eos vt nominatim referrem,duæ me cauſæ potiſſimum impulere, altera quod alij viri eruditiſsimi,& memoratu digniſsimi, quanti ſint,audiui tantum, hos diuerſis quidem & locis,& temporibus præſens tamen colui,& ijs partim præceptoribus ſum vſus.Altera quod ijdem tum docendo in celeberrimis Gymnaſijs magno publicè propoſito præmio, tum editis ſuis operibus ſingularem ſuam doctrinam cunctis hominibus notam fecerunt,vt timor non ſit,ne dum horum excellentem doctrinam commemoramus, noſtris indulgenter fauiſſe videamur. Sed cum cæteros, qui ante hanc memoriam floruere ex induſtria taceam, ne tot virtutes & præclaram ſapientiam tanta breuitate, tamque iniquis ſpatijs coercendo in plurimos, eoſdemque ſummos viros iniuriam videar intuliſſe,vnum ſine flagitio prẽterire nõ poſſe videor:qui non doctrina tantum,& ſanctitate viuens excelluit, ſed mortuus etiã magnis multisque miraculis claruit. Petrus Arueus hic eſt, qui vulgo Magiſter Epillæ vſurpatur, quia fuit ſacræ doctrinæ Magiſter, & Epillæ, caſtello id nomen eſt in agro Cæſarauguſtano, natus: qui cum ob ſapientiæ opinionem,& parem morum ſanctitatem in ea ciuitate iudex,vindexque hæreticæ prauitatis factus eſſet:tam conſtanter, tam ſeuerè, tam denique religioſè crimen hoc ſcrutabatur, & vindicabat, vt ſummam in ſe hæreticorum inuidiam concitauerit.Eumque ipſis timorem iniecerit, vt illi ſatis ſibi perſuaſiſſent,hoc viuente, nihil ſibi eſſe de ſua ſalute ſperandum. Itaque deſperatis rebus,inſidias ei magnis ſtudijs tendebant. Quod cum eſſet eidem renunciatum ab amicis, vt parcius ageret admonentibus,reſpondiſſe fertur:Nihil ſe,quid ab hominibus ſibi poſſet accidere ſolicitum eſſe, modo Deo immortali & Chriſtianæ religioni ſuum officium præſtaret. Ita cum áliquando intempeſta nocte templum eſſet ingreſſus nocturnis ſacris interfuturus, quo officio ſine intermiſſu Canonicus fungebatur, duo armati ab hæreticis ſummiſsi hominem genibus flexis Deo more ſuo ſupplicantem adorti,trucidant. Qui,cum in Regno Arragoniæ nullum effugij locum ſibi fore ſatis tutum intelligentes, in Galliam transfugere ſtatuiſſent, finibus tamen Aragoniæ, quo ſæpius fugientes peruenerũt,omni ſtudio conãtib. excedere nõ fuit vlla ratione poſsibile,diuinitus séper, vt ferũt,in ipſo regnorum cõfinio torpentibus,& in veſtigio hærẽtib.quod ipſi paulo pòſt comprehenſi cum crimine falſi ſunt, quum ad ſupplicium traherentur. Multos dies ſanguinem interfecti ferbuiſſe, & [illegible]ſu conclamatis morbis fuiſſe expleitos, conſtanti voce

Petrus Arueus vulgò Magiſter Epillæ Theologus & Martyr.

Aruei martyrium.

ti voce fertur, Ergo cum hominum opinio in diuos ipsum refertur non dubitasset, tumulus ei ex pario marmore in honoratissimo templi loco, Senatus Populique consensu positus est : qui lampadum perpetuo igne illustratur, & magna populi pietate colitur. Ad quod multi plerumque venerabundi accedentes, fusis precibus, hoc intercessore honesta optata à Deo impetrasse crediti sunt. Ne singula persequar eius miracula, quæ plurima Cæsarauguſtana ciuitas testis locupletissima prædicare solet. Et profectò si gratissimis nec inuidè merita libeat interpretari, quod tot collegia splendidè ac magnificè in Hispania condita fuerint, in quibus studiosis scholasticis omnia ad præclaram sapientiam gratis, & abundè suppeditantur. AEGIDII Albornotij beneficium videri possit, qui primus hoc collegium in florentissimo Gymnasio condidit, cuius exempla cætera in Hispania condita fuisse non potest dubitari. Certè Ioannem Luppum de Mitina, virum summum & nunquam satis laudatum qui in Ecclesia Saguntina Archidiaconus fuit de Almazan, hoc spectato collegio, cum legatus à Rege Hispaniæ ad Pontificem Bononiam diuertisset, ad eius formam constat collegium commodissimè ternis denis scholasticis studia Theologiæ æmulantibus statuisse in suburbano Seguntiæ loco ab hominum cœtu omnique turba, vt Philosophos decet, sepositо : cuius nos adolescentes aliquam partem fuisse non modo non pœnitet, sed etiam gloriamur. Iam Petrũ Gonlũ Mendociũ, Franciscũ Ximeniũ Cardinales & Archiepiscopos Toletanos, quem nisi Aegidium æquè Archiepiscopum Toletanum & Cardinalem, qua parte vel religionem vel mortalitatem iuuêre, imitatos fuisse credimus? quorum alter Vallisoleti, alter nouissimè Compluti magnifica Collegia ad huius exemplum construxerunt, vt ante hos Salmanticæ vir inclytus Iacobus Anaia Archiepiscopus Hispalensis. Ex quibus complures viri eruditissimi, qui Reipub. Hispaniæ multifariam prodessent, extitêre, cum magna eorum gloria, quorum beneficio, eruditione, pariter & authoritate aucti essent. Quare sic existimo cum multiplex hominibus ad homines cum sua laude demerendos, aliaque alijs via pateat : nullam esse tamen ad immortalitatem magis compendiariam ea, quâ summi illi viri ingressi sunt, qui studia literarũ, & mortui tãtopere fouẽt : si mortui dicẽdi sunt, & nõ potius immortalitate donati, quorũ rectè facta doctorũ virorũ sermo quotidie vlurpat, & nomina circũsonãt aures sapientũ, ita nũquã ex eorũ animis discedit tantorũ virorũ recordatio. Neq; verò eos solũ venerãtur, ac loco numinis colũt, qui sui quorũq; Collegij authores fuerũt. Sed eos quoq; suspiciũt, qui vel industria, vel benignitate cõmodo, aut dignitati Collegij cõsulere. Vt nos Bononiæ Petrũ de Frias, Cardinalẽ virũ sanctissimũ, & de Collegio nostro optimè meritũ : qui cũ eiꝰ patrocinium antiqua lege susceptisset, idque improbitate & auaritia quorundam

Seguntinum collegium cuius Sepulueda alumnus.

Complutense & Vallisoletanũ collegium qui condiderint.

Petrus Friꝰ in collegium Bononiense beneficus.

rundam ſcholaſticorum labefactatum & penè profligatum offendiſſet, omni cura & diligentia, ſummaq; liberalitate duobus millibus ducatorum de ſuo erogatis, in priſtinum ſtatum reſtituit. Cuius beneficij memores inſtituto maiorum anniuerſario ſacro quotannis ei pridie Calendas Ianuarias libentiſſimè parentamus: vt Bernadinum Caruaial Cardinalem, qui ſanctæ Crucis inſcribitur, qui huius quoque Collegij patronus in multis ſæpè neceſſitatibus ei laboranti ſubuenit: & iniuris laceſſitum indentidem vendicauit, omniq; authoritate etiam nunc tueri perſeuerat. Vt deniqne (ne ſingulos perſequar) Aluarum Carrillum Albornotium ſummæ virtutis virum, & in cuius iuuenili ætate canam prudentiam & ſenilem conſtantiam, grauitatemq; merito deimireris, Et Xanthum Mirandam canonicum Ralaguritanum artiũ & theologiæ doctorem eruditiſſimum, qui multos annos Compluti, vbi nos ei præceptori triennium philoſophantes operam dedimus, publico ſalario Dialecticam & Phyſicam doctrinam, deinde Theologiam docuit, cum magna ſua gloria: acerrimus omnium, quos ego vnquam viderim diſputator, & qui in ſophiſtarum & phyſicorũ ſcholaſticis congreſſibus, quo tempore hæc ſtudia curabat, regnare dicebatur. Sed illã tantam gloriam audio iam ab eodem maióribus ſuis virtutibus & opinione Theologicæ ſapientiæ ſuperatam. De cuius virtutibus acriq; & flebili ingenio parcius agere illi timor admonet, ne amantiſſimo præceptori, & cuius in me reciproca beneuolentia multis extat teſtata documentis, quidquam me indulſiſſe, inuidia poſſit interpretari. Qui duo viri cum ſuperiore anno ab vniuerſa Hiſpaniarum Eccleſia ob ipſorũ præſtantiam ad pontificem legati Bononia tranſirent, Collegium noſtrum libentiſſimè inuiſerunt, & alter parentis AEGIDII monimẽtum celebre, & ſuæ familiæ magnum ornamentum cum ingenti gaudio preſens conſiderauit: alter diſcipulos amantiſſimos ſui lętabundus agnoſcit, & viciſſim agnoſcitur. Quibus nec ipſi honori debito habendo, nec officio noſtro præſtando defuimus. Ad ſummam ſuſcepta illi huius collegij cura Romæ omni ſtudio à Leone. X. P. Maximo, authoritate & nomine Hiſpaniæ Eccleſiæ contenderunt, impetraueruntq; illud nobis optatiſſimum ſimul & æquiſſimum Priuilegium, *vt quiſquis ritè aſcriptus huic Collegio Hiſpanorum, & ab Hiſpano condito iuxta eius ſtatuta doctoris, aut magiſtri dignitate Bononiæ auctus eſſet, perinde ad Eccleſiaſtica ſacerdotia, & cæteras dignitates in Hiſpania obtinendas idoneus cenſeretur, ac ſi Salmaticenſi, aut alio quouis celebri Caſtellæ Gymnaſio doctor, aut magiſter factꝰ eſſet.* Cæterũ ſatis ſumus diuagati. Venio ad prẽcipuas collegij conſtitutiones, quę merito in huiuſmodi narratione ſuam partem vindicabunt. Primum omnium quatuor ſacerdotes, qui præſint rebus diuinis & ſacra procurent, inſtituti ſunt ij bini ſingulis hebdomadis quotidie rem diuinam faciunt. Alter cum primum illucet, alter cum vulgo reditur ab vltimis lectionibus publicis.

Bernardinus Caruaial Card. S. Crucis.

Aluarus Carillus Albornotius.

Xanthus Miranda Sepulucdæ Cõpluti præceptor.

Priuilegiũ huius Collegij.

Res diuina ibidem peragitur.

publicis. Vt ſodalium qui alteris ſacris minus vacauerit, pro ratione ſtudiorum ſuoq; arbitratu valeat alteris intereſſe. Quæ nemo impunè negligit, præter Rectorem & œconomum, qui ſæpè hoc officio fungendo negocijs tum externis, tum familiaribus excluduntur. Veſpertinis autem & nocturnis ſeu matutinis ſacris omnes quatuor ſacerdotes interſunt. Sodales ſuo verò arbitratu aut impunè abſunt, aut non ſine præmio interſunt. Quod ad ſcholaſticos pertinet ſodalium, triginta vnius ad ſummum Collegium eſſe placuit. Qui tres omninò Arragones eſſent, vnus Portugalenſis, cæteri omnes Caſtellani. Prorſus, vt præter Hiſpanos, niſi in extrema noſtrorum inopia, qualis hactenus nunquam fuit, cæteris aditus ad collegium ſit interdictus. Quorum item octo, Theologiam quatuor, tres Medicinam, cæteri Ius Pontificium profiterentur. Horum veſtitus cætera doctorum Bononienſium ſimilis eſt. Caputio tamen appellato inſigniuntur, quali Salmaticenſes, qui à noſtris acceperunt, & Complutenſes ſodales vtuntur: niſi quod noſtrum tenui filo Amethiſtinum, illorum craſſiore, & colore natiuo, fuſco pallio concolor eſt. Patientia item, quæ dicitur, ſtaminea nunc peculiare noſtrum geſtamen eſt, quondam commune Bononiẽſium ſcholaſticorum erat. Sed ab illis vt ingratum & inutile impedimentum antiquatum, in nobis pertinacius reſedit. Qua nempè moleſtia, vt dicam quod ſentio, citra incommodum & indignitatem carere poteramus, & iam diu caruiſſemus, niſi quorundam moleſtè antiquariorum importunitas obſtitiſſet. Rectoris veſtitus non diſcrepat à cæteris, niſi quod ſplendidior eſt, & magnificentior, vt ſericeis ac coccineis veſtibus dignitatem honeſtet, & præ ſe ferat. Nobili ac certè antiquo Chriſtianorum genere ortis duntaxat Collegium patet. Aliter nemo vlla ratione aſciſcitur: aut ſi quis dolo fortaſſis irrepſerit, quod diu latêre non poteſt, fide & diligentia conquiſitoris, qui, cum res poſcit, in Hiſpaniam mittitur, turpiter exigitur, & crimen magnis pœnis vindicatur.

Sodalium numerus.

habitus.

Rectoris habitus ſplendidior.

IOANNIS

IOANNIS GENESII SE-
PVLVEDAE CORDVBENSIS
DE REGNO ET REGIS
OFFICIO.

LIBER PRIMVS.

AD PHILIPPVM HISP. REGEM.

VAmquam de regno, & regis officio ſcribere, & quęſtioni pro rei magnitudine ſatisfacere opus eſt vt maximum, ſic ad præſtandum difficillimum, & quod facilè poſſit in varias reprehenſiones incurrere, Philippe rex inuictiſſimè, & humaniſſime: tamen nõ alienũ ſtudijs, officioq; meo fore putaui, ſi quæ à sũmis viris, qui in hac philoſophię parte diligenter elaborarunt, conueniẽtia huic loco tradita, & per multos libros ſparſa ſunt ad te mittenda colligerẽ, & in pauca conferrẽ; quædã etiam adderem, quæ me lõgi tẽporis, multarumq; rerũ vſus, ac diligens obſeruatio docuit; dũ patris tui Caroli Maximi Imperatoris, tuaſq;, & gentis noſtræ res hac ætate geſtas latinis litteris potiſſimũ mandarẽ, & ſuperiorẽ regũ, temporũq; memoriã cognoſcendi gratia replicarem. Quarũ rerũ occaſionem mihi haud minimã præbuit diuturna Romæ primũ ad põtificiã, deinde in Hiſpania ad veſtrã aulã cõmoratio. Nam vtramq; vt diu colerẽ, & frequentarẽ me meorũ ſtudiorũ ratio, & pontificum, ac eiuſdẽ Imperatoris, tuaq; volũtas induxit, quo in opere hoc mihi maiorẽ curã, & diligentiã adhibendam ſtatui, quod ad te tantum regẽ ſcribo. Quãquam enim nihil eſt, vt arbitror, quod pro tua plane regia ſapientia cõſequi nequeas; tamẽ te multũ iuuare poterunt præcepta, & monita veterum ſapientiũ, quæ ipſe vndiq; diligẽter collecta in hũc librũ, quem ad te mitto, conieci. Sed quoniã omnis de regno diſputatio cũ cęterorũ reipub. generũ cõmentatione coniuncta eſt, aliqua nõbis erunt tũ vniuerſe de rep. tum de ſingulis eius generib. differenda. Qua in quęſtione ex Græcis philoſophis Ariſt. maxime ſequar, ſummũ virũ, & cuius doctrina in ciuili, omniq; morali facultate, aut nihil, aut perparum differt à Chriſtiana philoſophia. Nã vtraq; diſciplina morũ honeſtatẽ, atq; iuſtitiã, ordine naturali cõueniente legi ęternę metitur. Sequemur aũt non vt interpretes, vt pridẽ cũ ciuſdẽ philoſophi opus de repub. ex Græco in latinum ſermonẽ à nobis conuerſum, & ſcholijs enarratũ ad eundẽ Carolũ patrem tuũ miſimus; ſed ex fontib. eius iudicio, & arbitrio noſtro, quatenus videbitur haurientes.

Geneſius Caroli V. hiſtoricus.

Ariſtotelis laus.

Vt

Varia imperandi ratio.

VT igitur initium paulo altius repetamus, imperandi, parendiq́ue ratio,quam natura,cuius moderator ſummus DEVS eſt, ad rerum ſalutem molita eſt,tam late patet in omni genere; vt nihil vnum , & commune ex pluribus rebus,ſiue continentibus, ſiue diuiſis conſtitutũ ſit,quin in eo ſit aliquid quod imperet, quiddam etiam quod imperio iure naturæ pareat,non ſolum in animantibus,ſed etiam in rebus inanimatis.Quoniam vbiq́ue quod perfectius eſt , & maioris dignitatis imperium tenet,minus autem perfectum imperio paret lege naturę,vt etiam in rebus ſimplicioribus,quæ vocantur elementa,notare licet.Nã in igne,& item aqua formã præeſſe,materiam eſſe ſubiectam lege naturæ,ex eo facilè intelligitur,quod cũ omnium naſcentium, & intereuntium rerum eadẽ ſit,hoc eſt eiuſdem generis materia, tamẽ in igne materia ad imperium formæ in ſublime fertur,eadẽ; ſi aquæ vel terræ formã induat,ipſam ſequitur ad inferiora ducentẽ, & in cæteris eodẽ modo,quæ ratio in animantibus multo etiã apertius apparet, in hoc vero vtriuſque etiam imperij exemplũ animaduertere licet.Anima enim in corpus herile imperium, vt domina in ſeruum exercet,intellectus,ſiue ratio in appetitum,ciuile.Nam cum multiplex ſit imperandi ratio,aliter enim pater imperat filijs,aliter maritus vxori,aliter magiſtratus ciuibus aut princeps popularib.aliter dominus ſeruis;cuncti tamẽ imperãdi modi in duo genera cõtrahũtur,ciuile,& herile,quę Græci πολιτικὴν, καὶ δεσποτικὴν ἀρχὴν appellant . Ciuile imperium intelligitur , quod in liberos homines ad ipſorũ vtilitatem exercetur, herile aũt,quod in ſeruos ad cõmoditatem imperantis . Eadem ratione,eodemq́ue iure inter animantes homini datum eſt imperium,quippe cum homo probus in genere animantium ſit perfectiſſimus , nam improbus & iuſtitia vacans omnium peſſimus habetur , in luxu , & venere nequiſſimus : ex hominibus autem quo quiſque perfectior eſt , id eſt virtute ac prudentia inſtructior , hoc magis eſt ad imperandum aptus,contraq; ad ſeruiendum magis idoneus,quo hebetior & minoris intelligentiæ.Ita fit,vt quidam homines ad imperandũ,quidam ad ſeruiendum nati ſint,quorum imperandi, parendiq; munus, idcirco naturale eſſe declaratur, quia non ſolum iuſtè, ſed etiam vtriq; parenti, & imperanti vtiliter obitur, vnde ipſis mutuus quidam amor ingeneratur.Eſt autẽ natura dominus,qui virib.animi intelligentiaq; præſtat, corporis autem robore minus valet , ſeruus natura, qui corpore validus eſt ad obeunda munera neceſſaria,ſed hebes intelligẽtia,& ingenio tardus. Nam ceteri homines his duobus generibus interiecti,qui nec prudentia,ingenioq; præſtant,nec rurſus valde deficiunt, quæ magna multitudo eſt, nec natura domini ſunt, nec natura ſerui.

Herile et ciuile imperiũ.

Ciuile.

Herile.

Hominum inter ipſos imperium.

Dominus quis & ſeruus.

Cęterum vt in vno populo, vnaq; ciuitate,hæc hominum tria genera

notan-

notantur,sic inter aliquas totas,vniuersasq; nationes discrimen magnũ exiſtit, quarum quædam humaniores, & prudentiores habentur, quædam barbaræ,& inhumanæ,quæ ſcilicet vita,& morib. publicè probatis à ratione,longeq; naturali diſcedunt. Quarũ gentiũ ea conditio eſt, vt barbari humaniorũ,& cultiorũ imperio parere debeãt iure naturæ: vt melioribus legibus:& inſtitutis ab ijs,pro ipſorum iuſtitia,& prudẽtia gubernentur:qui ſi imperium iuſtũ,& ſibi vtile recuſent, bello poſſunt iure naturæ,ſi facultas adſit,ad parendi officium,& iuſtitiã cõpelli. Hoc iure Romani gens humaniſſima,& virtute præſtãs nationes barbaras in ſuã ditionẽ redegerũt,vt noſter Auguſtinus his verbis teſtatur, *Romanis Deus conceſsit maximum & illuſtriſsimum imperium ad domandum grauia mala multarum gentium.* Vt intelligas proauis tuis optimis, & religioſiſs. principibus Fernando,& Iſabellæ Hiſpanorum humanitate, ac omni genere virtutis præſtantis nationis regibus,vobiſque poſteris nouum orbem debellare,non modo per Chriſtianos, ſed etiam per naturales leges licuiſſe. Nã illud proauorum tuorum barbaros in ditionem redigendi conſilium, Alexander ſextus ſummus ſacerdos, & Chriſti vicari⁹ non modo probauit,ſed & laudib.per reſcriptum extulit, vtq; ab inſtituto nullo nec labore,nec periculo deterrerentur, adhortatus eſt eos, *quo ſcilicet Chriſti nomen per ſubditas gẽtes fidei prædicatione circumquaq; diſcurreret*: vt verbis vtar diui Gregorij, cuius auctoritatem ſecutus eſt Alexander,& talia bella iure naturæ ſuſcipi ſummi philoſophi declarant ab humaniſsima videlicet natione in gentes ſupra quam credi poſſet incultas,& barbaras,quæ litterarum nullam prorſus notitiam, nullum nummorum vſum habebant,nudi magna ex parte degebant; etiam fœminæ, idemque onera iumentorum vice ad quamlibet longa ſpatia humeris,dorſoque portabant.Sed hæc agreſtis vitæ, belluarumque ſimilis documẽta ſunt: illa prodigioſa,& execrãda,quod humanas victimas dæmonijs immolabant,humanis carnibus veſcebantur, vxores cũ principibus maritis demortuis viuas ſepeliebant, & hæc, ſimiliaq; flagitia naturali ratione damnata, quæq; audita reſpuunt aures humanarum gentium,atque animus exhorreſcit,quaſi piè facta publica approbatione patrabant, Itaq; huiuſmodi prodigioſa flagitia tollendi, & innocentes ab iniurijs prohibendi ratio vel ſola poterat vobis ius à Deo, naturaq; ductũ tribuere barbaros in ditionem redigendi. Nam vt eſt in Eccleſiaſtico *mandauit Deus vnicuique de proximo ſuo*, per legẽ ſcilicet naturalẽ. His accedit multarum vtiliſſimarum, maximeq; neceſſariarum rerũ facultas,quæ barbaris,cum ante nulla fuiſſet,magno noſtræ gentis, regumq; beneficio contigit. Etenim equos,mulos,boues,aſinos, oues, capras,arborum,leguminũ, olerum multa genera ne fama quidem ante noſtrorum aduentum nouerant, quarum rerum copia iam beneficio noſtrorum hominum abundant. Tot igitur bonis contributis, tot portẽ-

Gentes partim ciuiles, partim barbaræ.

Barbari an armis cogendi

de ciuit. Dei lib. 5.

Indiam iure debellata.

23. q. 4. c. Si non.

Indorum barbaries.

Eccl. 17.

Quæ in Indiam ab Hiſpanis allata.

tentis auctoritate vestra, nostræque gentis opera, iuduſtria, & virtute ſublatis, & pro impietate prodigioſa, Chriſtiana religione optimiſque legibus inductis; quibus officijs illæ nationes, quibus obſequijs tantum, tam varium, tamque immortale beneficium exæquabitur? Sed vt redeat, vnde digreſſa eſt oratio, cum iuſta imperandi, & parendi ratio rebus vbique ſalutem affert: tum ciuitatibus, earumque partibus eſt maximè ſalutaris: rurſus iniuſtum imperium pernicioſum, & exitiale. Sũt autem ciuitatis partes primum domus, quæ vt ſit perfecta, marito, & vxore, filijs, & cætera familia cõſtat, deinde vicus, qui quaſi colonia eſt ex domo deducta. Nam plurimorum vicorum perfecta conſociatio ciuitas eſt: quæ conſociatio tunc perfecta eſſe cenſetur, cum ipſa ſibi ſufficit, habetq; adiumentorum, quantum ſatis eſt ad vſus non modo neceſſarios, ſed etiam liberales. Quamquam enim homo natura gregalis eſt, & homines, vel ob hoc ipſum, vt ſimul viuerent, in vnum locum conuenirent: ciuitas tamen non viuendi, ſed rectè viuendi gratia conſtituta eſt: neq; verò ſolum domibus & vicis, ſed etiam alijs partibus, ex hominum generibus ciuitas conſtat. Eſt enim vna pars eorum, qui agros cuiuſque generis colunt, multitudo, quos vno vocabulo agricolas appellamus, altera opificum, tertia mercatorum, tabernariorum, inſtitorum, qui vno nomine forẽſes dicuntur, quarta mercenariorum, quinta militarium hominum, ſexta iudicum, ſeptima locupletum, octaua eorum, qui publicis muneribus, magiſtratibuſq; funguntur. Cæterum hæ partes huiuſmodi ſunt vt idem poſſit in multis partibus numerari: fieri enim poteſt, vt agricola ſit aliquis, & idem miles, idem iudex, & magiſtratus: vt autem pauper ſit idem, & idem locũples, fieri nõ poteſt, itaq; ciuitas in duas potiſſimum partes, & eas contrarias diuiditur; in diuites, qui pauci eſſe ſolent, & pauperes, qui multi, ex quorum alternis exceſſibus, & præſtantia varia genera rerum publicarum exiſtunt: quæ tamen in duo à quibuſdam redigũtur in paucorum potentiã: & ſtatũ popularẽ. Alio modo ciuitas diuiditur in nobilitatẽ, & plebẽ: quarum vtriuſq; multæ partes numerantur: quatuor enim ſunt genera nobilitatis. Nam quoſdam diuitiæ, alios, generis honeſtas, alios virtus, & res virtute geſtæ, alios egregia doctrina nobilitat. Plebis autem partes ſunt agricolæ, opifices, forenſes, nautæ, mercenarij, & cætera id genus turba; veruntamen non ſi quis in parte aliqua ciuitatis numeratur, protinus ciuis eſt habẽdus in quaq; rep. Nam propriè ciuis in ſua quiſq; ciuitate ſeu rep. intelligitur, qui iudicandi, aut deliberãdi particeps eſt. Iudicare aũt dicuntur, non ſolũ qui cõtrouerſias, liteſq; minuũt, ſed etiam quorũ ſuffragio mandantur magiſtratus. Nã ferendis ſuffragijs de candidatorum dignitate, & meritis iudicatur. eodemq; modo de virtute boni ciuis ſtatuẽdum eſt, non eandẽ eſſe in omni genere reip. Alia. n. virtute ciuis bonus in rep. populari cenſetur, alia in ſtatu optimatũ, alia

Ciuitatibus neceſſariũ eſt imperium.

Ciuitatum origo.

Ciuitatis finis vt rectè viuatur.

Ciuium diuiſio.

Ciuium duæ potiſſimum partes.

Reipublicæ formæ duæ.

Nobilitatis quatuor genera.

Plebis diuiſio.

Quis propriè ciuis.

Iudicare qui dicti.

lia in paucorum potentia. Nam bonus ciuis appellatur, qui pro ſua virili parte ciuitatis ſaluti rectè cõſulit, bonus autem non niſi virtute aliqua bonus eſſe dicitur. Itaq; facultas qualiſcunq; ea ſit, communi ſaluti reip. conſulendi virtus boni ciuis eſſe dicitur: ſed in rebuſp. deprauatis, alieno nomine per veræ virtutis ſimilitudinem, cum re vera ſit vitium & immane flagitium, vt virtus, quæ bonum archipiratam facit, nefaria ſcilicet aſtutia, & diligens, & execrabilis audacia, quę in malis, & iniurijs iuſti, prudentiſq; ducis in bello iuſto virtutem, & officiũ ęmulatur, vis enim ſeu facultas inſita ad finẽ, qualẽcumq; propoſitũ perueniendi, virtus ſolet appellari. Nã in rectis rebuſpub. præſertim in ſtatu optimatum bonum ciuem eadem virtus facit, quæ bonum virum, prudentia ſcilicet, iuſtitia, fortitudo, & temperantia, & cæteræ virtutes, quæ ad hos velut cardines, quibus tota viuendi ratio, & quaſi machina vertitur, referuntur: ſed cum alia ſit recte imperantis ciuis virtus, alia rectè parentis, cæteræ cõmunes videri poſſunt. Prudẽtia vero propria virtus eſt rectè imperantis, quę eadẽ facultas ciuilis appellatur. Nã idẽ habitus prudentia eſt, & ciuilis facultas, ratio tamen diuerſa. Prudentia enim dicitur, vt eſt habitus verus cum ratione actuoſus in ijs, quæ homini bona, vel mala ſunt: facultas vero ciuilis, quatenus idem habitus ad ciuitatẽ, eiuſq; partes moderandum refertur, *Eſt igitur ciuitas communio rectè viuendi, domib. atq; generib. perfectæ, & copioſæ vitæ gratia conſtituta.* Cũ ergo iuſto imperio, rectaq; adminiſtratione ſalus ciuitatis, & gentis cõtineatur, multiplexq; ſit adminiſtrãdi, & imperandi ratio, ſequitur, vt de generib. ipſi' differamus, vt quæ ſit optima gubernandi ciuitates ratio intelligatur. Ciuitas, vt vnius, vel paucorũ, vel multorũ hominũ imperio, ſummaq; poteſtate gubernetur, neceſſe eſt, ex qua diuerſitate varia genera rerum publicarũ exiſtunt; rectarũ, ſi ad publicũ ſubiectorũ bonũ; prauarũ, ſi ad imperantiũ vtilitatẽ, & libidinem omnis adminiſtratio referatur. Tria ſunt igitur rectarũ rerũ publicarũ genera, regnum, ſtatus optimatũ, quę græcè dicitur ἀριστοκρατία & quæ reſp. cõmuni vocabulo, eademq; *Timocratia* nominatur. Regnũ eſt ciuitatis aut gentis adminiſtratio, quæ vnius hominis virtute præſtãtis arbitrio ad ſubiectorũ cõmoditatẽ gubernatur; ſtatus optimatũ, vbi res cõmunis paucorũ optimorũ virorũ publicum bonũ ſpectantiũ cõſilio cũ ſúma poteſtate geritur; reſp. vero, ſiue Timocratia, vbi populus rem communẽ ad communem vtilitatem adminiſtrat. Deprauatæ reſp. quæ aberrationes potius rerumpub. ſunt, in totidem genera ſecantur, tyrannidem, paucorum potentiã, quæ Græcè eſt ὀλιγαρχία, & popularẽ, quæ δημοκρατία, & omnes hac maxima, & communi differentia à rectis differunt: quod rectarum omnis adminiſtratio ad publicã ſubiectorum commoditatẽ refertur, deprauatarum ad imperantium commodum, & libidinem ſpectat. Sunt & alia diſcrimina,

Ciuis bonus virtute præditus.

Prudentia imperantis virtus.

Ciuitatis definitio.

Optima gubernãdi forma.

Tres reipublicæ formæ.

Contrariæ his formæ.

De regno & tyrannide.

scrimina,quibus quæque priuatim à sibi opposita , cuius deprauatio,& aberratio est,discernitur:de quibus post hac summatim differemus, & primum de primis,hoc est,de regno,& tyrannide.Nam vt rectarum dignitate regnum,sic deprauatarum tyrannis improbitate principatum tenet,vt optimæ reip.deterrimam oppositam esse necesse est.Ioquor autem de regno,quod propriè intelligitur.Nam regnorum multa genera

Regnorum duo genera.

numerantur,quæ tamẽ cũcta in duo redigũtur.Horum alterũ est,in quo rex summam habet rerũ omniũ potestatẽ, Græcè παμβασιλεία dictũ;alterum,vbi certis in rebus imperium tenet, quod Laconicũ idcirco appellatur,quoniã Lacones id est Lacedemonij hoc regni genere vtebantur;quorũ reges in bello imperij summã obtinebant,vitęq; & necis potestatẽ habebant,& erat regnũ hæreditariũ.Cęterũ in pace legib. erant subiecti,eratq; ab ipsis ad Ephoros prouocatio. Huiusmodi autẽ reges,quoniã alij alijs maiorẽ potestatẽ in suis ciuitatib. & gentib. habent,idcirco eorũ multa genera memorãtur , sed quia cæteris in rebus sunt oẽs legib.subiecti,ideo legitimi reges appellãtur, omniaq; huiusmodi regna ad Laconicũ referũtur Sed quoniã Laconicũ,& cætera id genus imperia,& ciuiles administrationes,vt magni philosophi tradiderũt,non tã regna sunt,quã alia reip.genera,nã in quaq; rep.perpetua,& hæreditaria exercit⁹ præfectura constitui potest,idcirco cũ de rege differitur,eum propriè intelligere oportet,qui summã habet,& sine prouocatione rerũ omniũ potestatẽ; vt rex Castellæ,rex Francorũ,Rex Portugaliæ.Multa sunt igitur,quib.rex à tyranno discernitur, primũ quod

Rex proprie dictus.

Discrimẽ regis & tyranni.

tota regis administratio ad subiectorũ bonũ publicũ refertur; tyrãnica vero ad priuatã ipsius tyranni cõmoditatẽ, sed hoc discrimẽ commune est:vt diximus,quo rectæ resp.à deprauatis differunt.Deindè quod rex, qui quidẽ iure nominetur,est vir optimus,& prudentissimus,ad summã omni uirtutũ genere præstãs,tyrãnus pessimus,& versutus.Nã vt plurimis prodesse optimũ est,& diuinũ beneficiũ,sic iniuria plurimos afficere,impiũ,& sceleratũ.Tũ quod rex honestatẽ sequitur, & pro virtutis proximo præmio gloriã sibi proponit,nõ vanã,& inanẽ,sed verã, & solidã.Hæc aũt est,vt à viris prudentib.definitur, *consentiens laus bonorum,incorrupta vox bene iudicantium de excellente virtute* : qua gloria qui ducitur, is virtutẽ,vnde ipsa efflorescit,maxime colit,rectaq; via graditur ad felicitatẽ æternã;quæ finis vltimus est,quo gloria,& virtus à bonis & Christianis hominibus est referenda:tyrãnus vero voluptate ducitur,& pecunia,qua res voluptatis efficientes cõparantur,& præsidiũ necessariũ alitur.Præterea rex suorũ populariũ præsidio custoditur,tyrãnus externorum,propterea quod rex volentibus imperat,tyrãnus inuitis;quę est alia,& maxima differentia.Rex igitur fidũ suorũ præsidiũ habet, tũ ad insidias,& iniurias repellendas,tũ ad ciues improbos, & potentiores in officio continendos. Tyrannus se contra iustum odium suorum po-

Gloriæ definitio Cic. Tusc. quæst 3.

Finis hominis vita æterna.

pularium,

pularium, ciuiumque munit. Adhæc rex amicis, & ijs, quibus familiariter vtitur, maximè fidit, seq; rectissime cõmittit: tyrãna ab his maximũ periculum impendet. Nam cũ omnes tyrãnum de medio sublatũ velint, amici, & familiares maximã habent tollẽdi facultatem. Item in regno egregia virtute, aut facultate præstantib. viris honores, magistratus, ac dignitates præmia sunt proposita, quibus homines ad bonarum artium cultum excitantur: tyranno quo quisq; melior est, prudentior, bonis artib. & maiore ad res gerendas facultate instructior, quo maiore ingenio, & industria, hoc magis suspectus est, & form. dolosus. Rex nobilium, & opulentorum consuetudine gaudet: tyrannus hos maxime odit, quasi æmulos artis, vt *figulus figulum. faber fabrum*, vt est in prouerbio. Itaque commentum tyrannicum est, hos in primis tum latenter, tum palam necare, vel in exiliũ mittere, constat enim ab his potissimũ tyrannidis licentiam impediri: rex vt suorum saluti, & commoditatibus consulit, sic eis carus est, & tutus, securusque degit, & præter hostem neminẽ veretur: tyrãnus sollicitudine, & angoribus excedentibus animum, cum omnia timeat, omnia cauet. Itaque ciuium colloquia, & congressus fieri, ne qua detur occasio in ipsum cõspirandi vetat; & ciuiũ inter se concordiã suam esse pestẽ ratus, discordiã inter eos serere non desistit. Doctrinarũ studio, & doctis hominib. idcirco infẽsus est, quoniã harũ præsertim philosophiæ sciẽtia animos extollit, odiũ seruitutis, libertatis amorẽ, cõtemptũq; mortis maximè, quę miseriarũ finẽ afferat, ingenerat, magno Dionis Syracusani, Brutiq; Romani documẽto: quorũ ille Platonis auditor Dionysium, à quo fuerat ob timorem in exiliũ missus, inducta Græcorũ adolescentiũ manu vrbe cedere cogit; hic diu in Platonicis scriptis versatus conspirandi, ac Cæsaris opprimendi princeps, & auctor fuit. A qua suspicione Cęsar ipse nõ abhorrebat, qui ab amicis, vt à Marco Antonio, & Dolabella caueret admonitus, *non metuo*, inquit, *hos obesos, & cincinnatos, sed illos pallidos, & macilentos* Brutum scilicet ostẽdens, & Cassiũ. Ad summã rex patremfamilias imitatur. Nam vt hic domus, domesticorũq;: sic rex ciuitatis, ac ciuium cõmodis, & dignitati consulit. Tyrannus autẽ publicus hostis est, & bellũ cũ ciuibus cõtinenter gerit, & hoc agit, hoc vnũ molitur, vt ciues extenuet, & ad cõspirandũ infirmos reddat, multis quidem rationibus sed quę oẽs in tres conferri queant. Primũ vt ciues non elatos, sed demissos animos gerãt, nam sic affecti seruitutem ferre malunt, quam cum periculo insidiari. Deinde ne fidant inter se, neue alter alteri occultas, & periculosas cogitaitones audeant commitere; quo fit, vt viros probos, quia tũ inter se, tum etiã alijs fideles sunt, tyranni tamquã hostes capitales insectentur, eoq; magis quod hoc hominum genus libertati maxime studet, & honestam mortẽ seruiendi turpitudini præfert. Postremo ne, si velint quidẽ, & audeant, facta conspiratione tyrannidẽ euertere, perficiẽdi facultatem

An Philosophia mortem timere doceat.

Tyrannus quare ciues extenuet.

tem habeãt, quo pertinent delatorum calũniæ, locupletũ ſpoliationes & frequentes tributorũ exactiones. Atq; his quidẽ rebus tyrannus à rege differt: his artibus contrarijſq; rationib. alter regnũ fidum, & ſtabile conſeruat, & ſubiectos mortales ſibi mutua caritate deuinctos diuinis, naturalibuſq; legib. cõuenienter cũ ſua magna laude, & gloria feliciſsime moderatur. Alter tyrãnidẽ per ſummũ dedecus, & flagitiũ calamitoſè tueri nititur, animum ſubinde ſcelerũ cõſcientia, & timore velut furijs exagitãte, nec id quidẽ temere. Nã tales tyrãnos nulla data fides, nullum iuſiurandũ tuetur : quin eos de medio tollẽdi, opprimendiq; auctores in magna gloria ſint, & tanquã publici hoſtis, ac tacitis totius ciuitatis, ſingulorũq; ciuiũ ſententijs, publicaq; auctoritate dãnati occiſores, & cõmunis ſalutis, ac libertatis aſſertores ſũmis laudib. efferãtur. Itaq; Athenienſes ſtatuas etiã Harmodio, & Ariſtogitoni tyrãnicidis publicè poſuerũt. Alia ratio eſt eorũ. qui regnũ iuſtũ à patrib. traditum auare, & crudeliter adminiſtrant. Interdũ nãq; in regnis hæreditarijs reges exiſtũt natura ſuperbi, & inſolẽtes, imperioſi, & ad tyrãnidẽ procliues, qui cæcitate quadã, & ignoratione victi, quæ origo eſt omniũ malorũ, herileimperiũ ciuili, regioq; preferunt, ſeq; pro regib. tyrãnos gerere gaudent: quorũ importunitas patiẽter eſt, chriſtianis tolerãda, exſpectandaq; emendatio, & pie, recteq; factis ira diuina placanda. Sæpe enim Deus populorũ peccata per reges iniuſtos vindicauit, ignaros ſcilicet volũtatis diuinæ. Nam ſi ſciẽtes ſe vindices præberẽt diuinæ iuſtitiæ, iuſto pioq; miniſterio fũgerẽtur, nec ea crudelitas eſſet, & auaritia: ſed iuſte, pieq; factũ, quale illud Moſis, de quo eſt in hiſtoria ſacra, vbi ſtrages viginti triũ milliũ populariũ per Leuitas propinquos, & amicos, Moſe auctore, edita memoratur. Reges igitur, qui ſe tyrãnicè gerũt, ac idcirco tyrãni nominãtur, patienter ferendi ſunt, tanquã domini dyſcoli, vt eſt in epiſtola Petri, in quos nihil eſſe conãdũ, præterquã auctoritate publica, ac ne ſic quidem, niſi cum eſt eorum importunitas intolerabilis; grauiſsimi auctores, & in his Thomas prodiderunt, vt ſententia illa de tyrãno impune necãdo in quã partẽ à Concilio Conſtãtiẽſi ſeſſione. 15. accepta, damnataq; ſit intelligatur. Nam tyrannus propriè dictus, de quo primo loco memorauimus, qui libertate ciuitatis, aut gentis oppreſſa, vi aut dolo tyrãnidẽ inuaſit & inuitis heriliter imperat, vt eſt, ſic loco publici hoſtis philoſophorũ cõſenſu, & more gentiũ habetur. Ergo malorũ regũ culpa factum eſt, vt regis nomen odioſum, atq; ſuſpectum eſſet nonnullis nationibus, maxime Romanis, qui poſt Tarquinium ſuperbum, exactosq; reges pro tyrãno regem, & regnare dicebant, ſi quis tyrannidem exerceret. Hiſpanis contra regis nomẽ ſemper magnum fuit, ac venerabile. Vtriuſque exemplum eodem loco intueri licet in hiſtoria Romana vbi P. Scipio magnis rebus in Hiſpania geſtis multiſq; maximi, & optimi viri documẽtis editis, recepta noua Carthagine memoratur maximis beneficijs Hiſpanos cum affeciſſet, & à circũfuſis

Tyrannicidæ apud Græcos laudati.

Reges hereditarij.

Cur Deus per reges punit populos.

Geneſ. 32.

1. Pet. 2.

Quousque Tyrannus tolerandus.

Regis nomen Rom. olim inuiſum.

Hiſpani reges amant.

fusis Hispanis virtutum eius magnitudinem in omni genere demiranti bus ingenti consensu rex appellari cœpisset, ille silentio per præconẽ facto sibi maximũ nomẽ imperatoris esse dixisse, quo se milites sui appellassent, regium nomen alibi magnũ, Romæ intolerabile esse, regalẽ animum in se esse, si id hominis ingenio amplissimũ ducerẽt, taciti iudicarẽt, vocis vsurpatione abstinerent. Eandem rationem secuta esse videtur scriptura sacra in iure regio commemorando, cum ait: *Agros quoque vestros, & vineas, & oliueta tollet, & dabit seruis suis, sed & segetes vestras, & vinearum reditus addecimabit. vt det eunuchis, & famulis suis, seruos etiam vestros, & ancillas, & iuuenes optimos, & asinos auferet, & ponet in opere suo greges quoq; vestros addecimabit, vosque eritis ei serui.* Hæc igitur nõ quasi probi regis officia proponit historia sacra, sed vt improbi & tyrannici peccata. Itaque licentiam, quam mali Reges sibi sumunt, ius regis appellauit, vt ius tyrãnicũ dicitur & ius paucor. potẽtiæ, quod ad cõseruadas huiusmodi rerũpub. corruptiones cõducit. Ceterũ vt rex per abusũ nõnũquã dicitur, qui re vera tyrãnus est; sic Græcorũ veteres scriptores probos etiã reges tyrãnos sæpe nominabãt, quod Isocratẽ oratorẽ plerũq; factitasse cernimꝰ. Nos aũt Arist. philosophor. facile principis morem sequimur, qui propriè his nominib. vititur, & regem a tyrãno, quib. notis diximus discernit. Nõnunquã igitur Reges existũt, qui se pro tyrãnis gerere malũt, & simile faciũt vt siquis cũ liceat in otio, & pace cũ gloria, & laude lætã, & securã vitã feliciter agere, bellũ quærat periculosũ, & infame; aut si quis cũ in portu tutissimo, & cõmodissimo nauigare vel se cõtinere possit, spõte se in fœdã tẽpestatẽ conijciat, quod furoris est, & extremæ demẽtiæ. Nã Reges tyrãnici, vt vitã turpẽ sollicitã, deoq;, & hominib. odiosã degunt; sic exitus sæpe simillimos tyrannicis sortiuntur. vt ex Romanis Tarquinius superbus, & Nero; ex nostris Petrus, qui & ipse superbi cognomen ex factis inuenit. Quorũ Tarquinius magno ciuitatis consensu autore Bruto vrbe pulsus est. Nero vt turpissimam mortem, qua fuerat è senatu damnatus effugeret, in suburbana villa, quo latitãdi gratia confugerat, sibi mortem miserrimã consciuit. Petrus cum multæ ciuitates Hispaniæ ab eo defecissent, inops ab amicis, ab Henrico fratre, qui in regnum successit, occisus est. Quanto prudẽtiꝰ tyranni quidã sibi consuluerũt, qui vt incõmoda, & pericula, inquæ isti sese spõte conijciũt, euitarẽt, tyrãnidẽ vltro deposuerũt, vt Sylla Romanꝰ, qui se spõte dictatura perpetua, quo nomine tyrãnidẽ prætexerat, abdicauit, & Pittacꝰ Mitylenæꝰ, quẽ tyrãnũ fuisse quid (vt refert Aristoteles) prodiderũt. Nam principatũ deposuisse, inter oẽs, cõstat, de cuius consilij causa idem rogatus illud Hesiodi respondit, quia *dimidium plus est, quam totum* Alij vero cum tyrannidem omnino deponere vel nollent, vel ne priuati ab inimicis opprimerentur, non auderẽt; commodiorem imperandi, humaniorem que rationem, quam quæ supra explicata est inierunt, vt & ipsi tutiores, se-

1 Reg. 8.

Regis & Tyrãni nomine olim abutebantur.

Infelix Tyrannorũ exitus.

Qui se vltro Tyrannide abdicarunt.

Ἔργον Tyranni qui dã facti iuris humaniores.

res,ſecurioresque degerent,& imperiũ redderent diuturnius,hæc autẽ fuit,vt iuſtos reges,quatenus fieri poſſet, imitarentur. Nam vt regno, Regiq; periculoſa, ſæpeque pernitioſa eſt tyrannica imperandi ratio; ſic tyranno,tyrannidiq; regiæ adminiſtrationis imitatio ſalutaris, cogendi tamẽ facultate,ſi ciuitas imperium detrectet, retenta: hac enim ſublata,tyrãnis ſtare non poteſt. Vt igitur reges pie Deum venerari,ſacris intereſſe,religionis primã curã habere,&debent,& ſolẽt:ſic huiuſmodi tyrãni religionis ſtudiũ,Deiq;cultũ ſimulare ſolent,vt boni viri, & religioſi eſſe videantur;tales deniq; à quib.nihil metuendũ,& quib. laborantib.Deus affuturus eſſe videatur. Nã vt Deum recte veneretur, vereq; religionẽ colat,qui contra leges diuinas,& naturales liberos homines ſeruire cogit,& in eo perſiſtit,vt inuitis imperet,quod eſt tyrannidis propriũ,fieri non poteſt. Item vt reges patresfamilias, qui omnia ad ſuæ familiæ cõmoditatem referunt,imitantur; ſic huius generis tyrãni re cõmuni adminiſtranda, & tributis exigendis ita ſe gerunt, vt cuncta ad cõmoditatẽ ciuitatis,& externorũ iniurias, vimq; hoſtilẽ, ſi forte ingruat,repellendũ referre videãtur,viros probos honorãt, donantq; virtutis cauſa,ab iniurijs ſubiectorũ & ipſi abſtinẽt, & ſuos abſtinere cõpellũt: mulieres etiã, ne ſint in alias cõtumelioſæ coercent, conſtat enim magnis auctorib.muliebres cõtumelias causã, & originẽ fuiſſe,multas tyrãnides euertẽdi. In his aũt rebus,& cæteris omnib.quę regiã adminiſtrationẽ imitantur, huiuſmodi viã tuendæ tyrãnidis ingreſsi bonã mentẽ aut præſtare debent,aut ſimulare. Sed præſtare multo ſatius eſt,& ad tuendã principatũ accõmodatius,fit enim lõge,& melio & cõſtantius,ac fieri poteſt,vt ſic regnũ ex tyrannide fiat,mutata ſcilicet voluntate ciuiũ,vt iam volentes imperio pareant,qui prius inuiti parebãt,quod Romanis accidit Auguſti Cæſaris principatu,qui cum Iulij Cęſaris tyrannidem excepiſſet,& triũuiratus dynaſtięq; ſocios ſummouiſſet,ita ſe geſsit ſublatis æmulis vt libẽte populo Romano monarchiam obtineret, quod genus imperij in ſocietatẽ ciuilem ſi in inuitos ſeruiliter exerceatur,tyrannis:ſin autem ciuiliter in volentes,vt eſt, ſic regnum appellatur.

Pietatis ſtudium Regibus neceſſarium.

Mulieres ſæpe belli cauſſa fuerunt.

Quale regnãdi Principiũ Auguſti.

Diximus de regni,& tyrãnidis differentia, ſequitur,vt de ſtatu optimatũ.& paucorũ potentia Græce ἀριστοκρατία & ὀλιγαρχία dictis eo dẽ modo differamus,quamquã horũ reip.generũ eadem pæne differentia eſt,quæ regni,atq; tyrannidis. Eſt enim ſtatus optimatũ,vt ſupra memorauimus,reſp.in qua pauci viri optimi ad publicã ciuitatis vtilitatẽ rẽ cõmunẽ adminiſtrant,ad quod genus ceteræ reſp.referũtur,in quib. virtus etiã cũ alijs facultatibus ad honores, & magiſtratus ſuffragatur, vt Carthaginenſiũ vetus reſp.in qua diuitiarũ,ac virtutis, & populi ratio ducebatur,& Lacedæmoniorũ,in qua ratio popularis cũ virtute miſcebatur.nam hæc ſtatus optimatũ genera dicuntur.Paucorũ vero potẽtia eſt,

Differentia ariſtocratiæ & oligarchiæ.

tia eſt,in qua pauci diuites imperium ad ſuã commoditatẽ referẽtes dominantur.Poſt commune igitur rectæ prauæq; reipub.diſcrimen,quod in altera communis populi, in altera priuata ſuaq; commoditas imperantibus eſt propoſita, proxima differentia eſt, quod in ſtatu optimatũ viri optimi, & prudentiſſimi imperium tenent,in paucorum potentia homines improbi, & aſtuti, vtrobique ſcilicet pauci,vtriuſque exemplum petere licet è Romana rep. Nam regibus exactis, cum conſulum, & ſenatus delectorum ſcilicet, & virtute præſtantium virorum conſilio, & auctoritate res communis gerebatur, nondum plebi per tribunos imperio communicato,Romana reſp.ſtatus erat optimatum. Tunc verò paucorum potentia cum Cæſaris,& Pompeij, Craſſique & poſt eos Auguſti,Lepidi, & Antonij libido dominabatur. Nam vterque triumuiratus mera dynaſtia,hoc eſt extremum, & peſſimum paucorum potentiæ genus fuit.Ad ſummam optimatibus id eſt propoſitum; quod regibus vt tum ciuitati vniuerſæ,tum ſingulorum ciuium ſaluti,dignitati, & commodis cunctis rationibus proſpiciant. Atque eadem pæne officia ab his,quæ à regibus exſpectantur,de quibus ſuo loco accuratius diſſeremus. Paucorum potentiam communis conſtituendi ratio eſt, vt magiſtratus,ex magnis cenſibus non habita virtutis ratione manden tur,ſic enim lege pauperes à rep. gerendiſque magiſtratibus excludentur; qui cenſus, quo maiores ſunt, hoc imperantium numerum minorem faciunt, & varia paucorum potentiæ genera conſtituunt. quorum eo quodque peius eſt,minuſque legibus temperatur,quo magis accedit ad monarchiam. Itaque illud peſſimum eſt, & proximum tyrannidi,& dynaſtia ſeu dominatus dicitur,quod à perpaucis magnas opes,magnaſque clientelas habentibus geritur,qui iam non legibus, ſed ſuo arbitratu,& libidine ciuitatem dilacerant potius,quam moderantur. Paucorum autem potentiæ reſp. popularis oppoſita eſt, ſed vt extremum extremo,quemadmodum prodigalitas auaritiæ,audatia timiditati. Nam vt virtuti, & medio reip.timocratiæúe,cõtraria eſt,eiuſque digreſſio ſiue aberratio,& tanquam peccatum. Popularis ergo reſp. contrarijs ac paucorum potentia rationibus conſtituitur & conſeruatur. Eſt enim reſp.popularis, in qua pauperes, qui multi numero ſunt, imperium tenent,quæ quominus legibus vtitur,hoc deterior eſt,& illa peſſima,quæ non legibus,ſed arbitrio multitudinis, decretiſque de ſingulis ſcilicet negotijs adminiſtratur,eſtque ſimilis dynaſtiæ,& ipſa quoque tyrannidem æmulatur. Timocratia verò temperatio quædam eſt, & mixtura paucorum potentiæ,& reip.popularis,ac vt virtus duobus extremis vitijs interiecta,in qua imperium diuitibus,iuxta,& pauperibus communicatur. Eſt autem triplex temperandi ratio, prima, vt vtriuſque reip. inſtituta ſumantur.Exempli gratia, vt iudicibus egenis merces proponatur iudicia obeuntibus,quod eſt reip. popularis, diuitibus, niſi obe-

Oliarchiæ reſp.popularis oppoſita eſt.

Reſp. popularis quæ.

Timocratia quæ.

ant, sit pœna constituta,quod paucorum potentiæ. Altera,vt mediũ ex vtriusq; institutis accipiatur, exẽpli gratia,vt ius in cõcione,vel senatu deliberãdi,nec ex tenui,nulloue censu more reip.popularis,nec ex magno,vt in paucorũ potentia;sed ex mediocribus facultatibus tribuatur tertia vt aliquid ex vtroq; sumatur, vt in mandandis magistratibus paucorum potentiæ est, vt suffragio & ex censu mandentur: populare, vt sortibus,nec habita diuitiarum ratione,ex vtraq; sumetur,si magistratꝰ alij suffragio,& ex censu, in quibus scilicet maior rerũ scientia, & obmorum probitatem dignitas obseruetur;alij sortib.nulla census habita ratione deferantur. Ac genera quidem,& discrimina rerum pulicarum explicuimus.Sequitur vt pauca de legibus memoremus.

Legum vtilitas.

Legum ea vis est,vt harũ auctoritate, & imperio de ciuitate sublato, resp.nulla sit,sed inane nomen,& reipub.peccatum:sunt autẽ leges duplices,alteræ proprię,quę ciuiles quoq; idcirco nominantur,quia ciuitates suis quæq; legibus gubernantur;alteræ cõmunes,quæ quoniã iure naturali innitũtur,& sunt hominib.naturaliter insitę,idcirco naturale quoq; ius vocantur:quippe quas non legũlatoris volũtas,vel opinio instituit,sed Deus,& natura cordibus hominum impressit.Itaq; his legib. hoc iure gentes oẽs paulò modo humaniores vtũtur,& idcirco ius quoque gentiũ nominantur,eoq; iure decalogi pręcepta continẽtur:ad quę velut capita,& principia referuntur leges omnes naturales, quæ ob eã causam in numero diuinarum habentur, quoniam ab æterna lege per rationem humanã,lumẽq; diuinũ cordib. nostris impressum deriuãtur Est enim *lex æterna*, vt definit Augustinꝰ *voluntas Dei, quæ ordinẽ naturalẽ conseruari iubet,perturbari vetat*. Cum igitur duo genera sint iustarum legũ, vtrisq; bonam remp. sic esse munitã oportet, vt nulla naturalis excludatur,esset enim barbarum,& humanæ naturæ,quæ ratione potissimũ cẽsetur alienũ: vt quæ ciuiles sint bono publico ad rectæ rationis normã pro ingenio scilicet hominũ,& natura regionis accommodatæ. Ad sũmam hoc propositũ esse debet legumlatori,vt cum ciues singulos, tum ciuitatem vniuersam per optimas leges ad felicitatem perducat, eadẽ est enim ciuitatis felicitas,quę singulorum.Loquor autem de felicitate vt in hanc mortalem vitam cadere potest,quæ in vsu virtutis non impeditæ posita, aditus est ad illam æternam, quæ iustis animis aspiciendo, & contemplando Deo contingit, qui vltimus finis est, quo vita omnis christianorum spectare debet.*Siue manducatis*,inquit Paulus *siue bibitis, vel aliud quid facitis;omnia in gloriam Dei facite*. Sed cum duplex sit virtus, altera, quæ ad mores,altera,quæ ad mentis cognitionem pertinet; vtriusq; ratio legumlatori habenda est,& vtriusq; impedimenta per leges,quatenus fieri possit,summouenda,cuncta;quæ ad rerum, locorumq; salubritatem,& ciuium vtilitatem pertinere videbuntur prouidendo. Nã virtutis vsus sæpe corporis imbecillitate,vel inopia externorum bonorũ,

Ius gentium.

Contra Faustum 22. cap.27.

In optimis legibus ciuitatis felicitas

1.Cor.10.

Virtus duplex.

in

in vtraque vita impeditur,præſertim in ea,quæ in actione conſiſtit,quę quanquam inferior dignitate eſt,tamen fructuoſior, tum ſingulis habetur,quã contemplantiũ vita,auctore Gregorio, qui in libro ſexto moraliũ ex duabus ſororibus Lię maiori natu Lippę quidem, ſed fæcũdæ vitã actiuam,Racheli vero pulchræ, ſed ſterili cõtẽplantiũ ſimilẽ eſſe tradit. Vt igitur pax bello,otium negotio præſtat. Nam bellũ,& negotia gerimus,vt in pace,& otio viuamus; ſic contemplantiũ vita,quã res gerentiũ potior eſt,& pluris faciẽda. Ceterum qui bella iuſta pro patriæ ſalute,& libertate,aut etiã pro religione ſtrenuè gerunt, periculis,multiſq; miſerijs ſubeundis plus laudis, & gratiæ à ſuo principe ferunt,quã qui pace,otioq; etiam honeſto fruuntur. Vtrũ vero eadẽ ratione,qui in reb.agendis,& virtutib.morũ verſantur,quã qui contẽplationi vacãt,& intelligentię virtutib.ſeruiunt,plus mereãtur apud Deum,viderint doctiores,ego rẽ in medio relinquo. Cõtemplantes enim in otio,& vmbra frui magis virtutis præmio videntur,quod maius eſt,& optabilius,quã præmiũ mereri. Nã quod Gregorius idem magna eſſet dicit vitæ actiuæ merita,ſed cõtemplatiuæ potiora,& merito maiorẽ eſſe contemplatiuã;in eã ſententiã dictũ eſſe videri poteſt, vt merito,id eſt dignitate contẽplatio potior eſſe intelligatur,nõaũt quod plº præmij mereatur.Quanquã enim caritas principẽ locum tenet in ratione merẽdi vitã æternã, proximus tamẽ tribuitur volũtatis conatui,qui maior in reb. arduis,vnde labores,pericula,variæq; difficultates deterrent,quã in otio contẽplationis, quæ ipſa per ſe,ſuaq; honeſtate & pulchritudine animos hominũ allicit ad ſe magna cũ iucunditate fruendũ Caritas autẽ in Deum,cur minor eſſe dicatur in eo,qui propter Deũ magnos labores,& ærũnas,certaq; pericula, in aliorũ vtilitatem perfert, ſubitq; quam in eo, qui in ſola Dei veritatiſq; contemplatione adquieſcit. Nam quod aiunt Deum diligere maius eſſe, quam proximum, verum eſt,ſi fiat ſeparatim: ſed ſi quis proximum diligit propter Deum, is vtrumque diligit, ſed multo magis Deum ex trito illo philoſophorum præcepto *propter quod exiſtit quodq;,id magis exiſtit*,itaq; duplici caritate cenſetur. Cui ſententiæ Apoſtolorum quoque vita videtur ſuffragari, qui Chriſti magiſtri veſtigia ſequentes, euangelicæ prædicationis laboribus & periculis vſque ad mortem ob eandem rem oppetitam perſeuerarunt, & his meritis ad æternæ beatitudinis præmium peruenerunt. De quo Paulus *bonum*, inquit, *certamen certaui,curſum conſummaui,fidem ſeruaui,in reliquo repoſita mihi eſt corona iuſtitiæ, quam reddet mihi dominus in illa die*.Cuius Apoſtolorũ vitæ labores & pericula vno certaminis vocabulo complexus eſt.Et alio in loco,*ſi in hac vita* inquit *tantũ ſperantes ſumus in Chriſto,miſerabiliores ſumus omnibus hominibus*. Nam munus prædicandi Euangelium ad vitam actiuam pertinere Gregorius, hanc Liæ ſimilem eſſe ipſe declarat his verbis. *Lia* (inquit) *lippa eſt; & fœcunda,quia nimirum*

De vita actiua & contemplatina v.eius epiſt. 80. cap 18.

Caritas Dei.

2.Tim,4.

1.Cor.15.

6.moral. ca. 18.

mirum mens, cum contemplando otia appetit, plus videt, sed minus Deo filios generat, cũ verò ad laborem prædicationis se dirigit, minus videt sed amplius parit. Videndum est igitur num vita cõtẽplatiua non tã meritis cõmendari videatur, quã dignitate. Est.n. imitatio quædã vitæ diuinę, certè inbeatiudinibus euãgelicis auctore Thoma; quæ vt merita memorãtur, ad actiuã vitã, quæ, vt præmia ad cõtẽplatiuã pertinẽt, & sunt vel ipsa beatitudo ęterna, vel aliqua eius inchoatio. Quo intelligitur vitã contemplatiuã ijs tantum conuenire, qui prius vitia per virtutum moralium actiones extirpauerint. *Prius* (inquit Gregorius) *ab appetitu gloriæ temporalis, atque ab omni carnalis concupiscentiæ delectatione detergenda mens est, & tunc ad arcem contemplationis erigenda.* Contemplatio igitur potior est, & maioris dignitatis, actio magis necessaria, ac proinde sæpè, & multis magis expetenda, & capessenda: vt vitiosis, & incõtinentibus quos prius oportet, per labores, & molestias virtutibus moralibus colendis prauos habitus, moresque delere, ac exuere, viciſſimque contrarios induere, quam contemplationi, quæ plurimum malis moribus impeditur, & tanquam inquinatur, se dedant: Cæterum fieri vix potest, & rariſſimum est, vt quisquam etiam vir optimus, & virtutib. moralib. percultus sic se intra fines cõtẽplatiuæ vitæ contineat vt non sæpe ad actiuæ munera necessitate, & officio reuocetur. Nam in periculo patriæ, exempli gratia, & difficili aliquo suo, vel propinquorum, amicorumúe tempore officiosum, aut etiam necessarium laborem, & salutarem actionem otiosæ contemplationi non anteponere, contra officium esset. Non enim vt res quæque melior est, & præstantior; sic semper, & omnibus magis eligenda, vt exemplo philosophiæ Aristoteles docet. *Philosophari*, inquit, *res melior est, & præstantior, quam pecuniam quærere: non tamen magis eligenda, siue expetenda rebus necessariis indigenti, præstantius est enim, quod rebus necessariis suppetentibus ex pulchris, & honestis rebus quæritur; fortasse tamen necessarium fere semper est eligendum.* Quæ philosophi verba declarant, tunc contemplantium vitæ excellentioribus muneribus vacandum esse, cum actuosæ necessarijs officijs satisfeceris. Sed in vtraque vita, qui virtutem sublatis impedimentis colunt, felices sunt; feliciores tamen, qui contemplationi vacant. Hoc igitur maximè legumlatori prouidendum est, & considerandum, qua ratione, quibus studijs, & exercitationibus homines ad virtutum cultum, non modo moralium, sed etiam intellectualium per leges inducantur; & vtrique animæ parti consulendum. Est enim duplex facultas animæ, altera rationis compos, altera per se quidem rationis expers, sed quæ valeat rationi obtemperare; ad quam excolendam, & moderandam, vt rationi libenter parere assuescat, virtutes morales pertinẽt. Quarum omnium eadem animæ pars rationis expers, vt lib. primo magnorum moraliũ habetur, subiectum est, vt philosophi loquuntur, & quasi sedes. Ratio vero, quæ intellectus quoque, & mens dicitur, quam virtutes intellectuales

12. q. 69. art. 5.

Philosophia an actiuæ vitæ præstet.

Hop. 3.

Animæ duplex facultas.

ctuales informant, duplex est, contemplatiua, & actiua; quarum illa in veri consideratione, hæc in rebus agendis versatur, & prudentia virtutum moralium magistra, & moderatrice maximè cẽsetur. Quamquam enim virtutes morales eius partis habitus sunt, quæ ratione vacat, quaque irasci solemus, & concupiscere; tamen earum actiones, sine ratione moderante non obeũtur, vt equus sit licet domitus, & assuefactus, equitis tamen arte impellendus, ac vicissim cohibendus est, & in gyrum ducendus. *Ratio duplex.*

Cum autem omnis humana vita in negotium, & otium, bellum, & pacem diuidatur, & rerum agẽdarum quędam necessariç, & vtiles sint, quædam honestæ; bellum pacis, negotium otij: necessaria verò, & vtilia honestorum causa suscipi debent. Ad hæc igitur omnia spectanti viro ciuili, legisq; latori ferendæ leges sunt, tum per animæ partes, tum per ipsarum actiones, sed ad meliora, & fines magis spectare debet, eodemq; modo vitæ, ac rerum partitiones considerare. Nam negotia, bellaq; gerendi magna, maior tamen pace atq; otio fruendi facultas ciuitati adesse debet: item necessaria, commodaq; gerendi, maior tamen, quæ honesta sunt, obeundi, & ad hos fines puerorum educatio, & cæterarum ætatum, quæ disciplina indigent, institutio per leges dirigenda est. Cuius educationis, ac disciplinæ summa est vt ciues à pueris bonis, honestisque rebus assuescant, & contrarias deuitent: consuetudo enim habitum ingenerat; habitus verò facit, vt cum voluptate operemur: quæ autem delectant, hæc ferè homines sequuntur probi perinde, atq; improbi; sed interest, quod alteri rebus honestis, alteri turpibus oblectantur. Leges igitur ferendæ sunt, quæ bonarum rerum consuetudine, virtutis amorem, ac vicissim odium turpitudinis ingenerent, Lycurgique vitandus error, viri alioquin optimi, & prudentissimi, qui Lacedæmonios, quibus leges scripsit, ad negotia, bellaque gerenda optimis legibus instituit, sed pacis vsque adeo negligenter rationem duxit; vt hi, cum cæteros Græcos bellicis virtutibus anteirent, tamen potiti rerum quia pacis artibus, bonisque vti nesciebant, imperium amitterent. Sunt autem virtutes propriæ belli fortitudo, & tolerantia, pacis philosophia, & veritatis contemplatio. Communes verò vtriusque temporis iustitia & temperantia, sed otiosis, & in pace degentibus magis necessariæ. Nam in bello necessitas ipsa iustos esse cogit, & temperantes, in otio vero, & pace, secundaque fortuna licentia desides, & contumeliosos facit, & voluptatibus multifariam seruientes; nisi iustitiæ, & temperantiæ præsidio his malis occurratur, & philosophiæ, ac doctrinarum studium occupatos animos habeat, qui honestissima, eademque iucundissima rerum optimarum contemplatione fruentes, nullam præterea voluptatem ex ijs; quarum vel ipsarum, vel rerum, vnde comparantur, cupiditate homines ad facinus impelluntur, requirunt. Cæterum hæc- *Pax bello anteferẽda.* *De liberorũ educatione.* *Consuetudinis vis.* *Leges quales ferendæ.* *Lycurgi error.* *Belli pacis virtutes.*

Diuitibus eſſe philoſophandum.

præcepta in eos maximè conueniunt, qui rebus neceſſarijs ſuppetentibus arbitratu ſuo viuere poſſunt,& ſuam,filiorumq; vitã,vt libet,inſtituere.Pauperes,n.rerum neceſſariarum inopia, quaſi bellũ operi addictos in officio continet,ab iniurijſq; & voluptatib.refrenat, eadẽq; tenuitas filijs, quaſi ſeruis vti cogit,nec latis otij, & facultatis relinquit ad munera quarundã virtutũ obeũda.Cæterũ in neutra fortuna occaſiones deſunt rectè viuendi:nã inopes egeſtas à voluptatib. cohibet, diuites copia rerũ ad ceteros multifariã iuuandos, benignitatemq; inducit viciſſimq; ſæpè vtroſq; cupiditas exagitat,& ad peccatũ, & iniuriã impellit.Pauperes dum pecuniã cupiunt,vt egeſtati medeãtur,diuites propter licentiã,voluptates quẽrunt nõ neceſſarias,quę cupiditas,cęteriq; animorum morbi per leges ad virtutum omnium cultũ inducentes, & à reb. contrarijs deterrentes cohibenda eſt, primũ honeſtarum rerum exercitatione,quæ facile bonæ indoli amorem virtutis ingenerat, deinde præmijs egregiæ virtuti proponendis,quo boni magis alliciantur viciſſimq; pœnis iniuriæ conſtituendis,vt improbi metu coêrceantur, & emendentur,vel ſi fuerint inſanabiles, & reip. pernicioſi, de medio tollantur.Hæc igitur omnia intuentes,& bonum publicum ſpectantes viri ciuiles,& ſapientes,quib.id munus fuerit delegatũ,de quamplurimis reb.fieri poſſit leges ferre debent:ea duntaxat,de quibus leges ſanciri nequeunt, prætermittentes, & principum,aut ſummorum magiſtratuum arbitrio,& prudentibus,vt eſt neceſſe,relinquentes.

Fortuna inopum & diuitum.

Virtuti præmia proponẽda.

Rerum ſingularium nõ ſunt leges.

Rerum enim agendarum varia & inconſtans natura nullã de ipſis legẽ ferri permittit,quę cunctis hominib,temporib,& locis cõueniat.Nã leges vniuerſæ præcipiunt communẽ quandã rationem ſpectãtes. Quæ vt in plures cõuenit,ſic interd. locis,& temporib. hominũq; & rerum ſingularũ conditionib.& qualitatib,nõ aptatur. Ita cũ de his,cæteriſq; reb. ſingularib. quæ infinitę numero ſunt,non ſatis poſſit legib. conſtitui;efficitur,vt multa neceſſario hominum arbitrio,& conſilio delibe randa & iudicanda relinquãtur. Veruntamen omnis cõſultatio in bona rep.omneq; de reb,dubijs iudicium , ad bonum publicũ referri debet, omniaq; ſunt ad iuſti,& æqui quaſi normã Lesbiam dirigẽda. Lex enim ferream normam,quæ flecti neſcit æmulatur,Ratio vero boni,& æqui, quæ ab ordine naturali lege æterna ſancito nunquã diſcedit, ſimilis eſt plũbeæ,Lesbiæq; normæ, quæ pro lapidum perficienda figura flectendo mutabatur.Quod vbi fit,non homines,humanũue arbitrium in rep. ſed Deus,& leges imperium tenẽt propter legẽ ęternã, quę ſumma lex ſummaq; ratio ſolet à philoſophis nuncupari.Hęc enim in bona rep.omni ciuili adminiſtrationi per rationem humanã à ſe manantẽ præeſt, & moderatur. Ita fit, quod philoſophus cenſet vt leges in omni bonæ reip.parte dominentur,magiſtratus autem,& reſp.de rebus ſingulis decernant.Nam ipſa iudicia, & decreta, quæ de rebus ſingulis præter le-

Ex æquo & bono multa diiudicanda.

Lex ferreã normam æmulatur.

Ariſt. 4. Polit. c. 4.

ges

ges ſcriptas iudicando,& deliberando fiunt,ad ius naturę,& legis ęternæ,ac ſummæ rationis normam dirigi debent.

Non ſunt igitur audiendi, qui propter diuturnas moleſtias, impẽſaſq; litium,quæ ex legib. & legũ calũnia, malitioſaq; iuris interpretatione naſcuntur,miniſtrorũq; fraudẽ,& auaritiã,leges à rep.ſummouẽdas putant.Nulla eſt enim ratio tam fera,& inhumana,quæ legib.omnino careat.Mores enim publicè probati, quib. incolæ noui orbis mortalium ſcilicet barbariſſimi,qui nullũ prorſus litterarũ vſum habebant,vtebãtur;quid aliud erant,quam leges?Et profectò,qui leges ex humana vita tollit,rationem tollit,quæ legum proxima norma eſt,& origo, quã rationem ſi ſuſtuleris,qui poteſt humanitas ex hominib.non eſſe ſublata Cum ipſos viros probos, quorũ illi arbitrio omnem reip. adminiſtrationem iudiciumq; cõmittere cenſent,niſi lumẽ æternæ legis,& cõmunia legũ præſcripta ſequantur,in magna iuſti, & rectiignoratione verſari ſit neceſſe:contraq; iuuari plurimũ,ſi proba ipſorum voluntas luce non modo naturalium.ſed etiã ciuilium, & ſcriptarũ, reiq; publicæ accommodatarũ legum illuſtretur.Iam vero ſi qua ira, vel cupiditas magiſtratus,vt ſæpe ſolet,tranſuerſos agat,quomodo peccatũ cõuinci, aut prauitas emendari queat;ſublata legũ norma,ad quam tota reip. adminiſtratio,iudiciorumq; ratio eſt dirigenda?Propter aduocatorum autẽ procuratorumq; calumniam,& malitiam,interdum etiã præuaricationem,tabellionumq; auaritiã,& fraudẽ, leges, vnde horum malorũ occaſio naſci videtur,accuſare iniquum eſt,nec aliud,quam hominum vitia,& peccata in res optimas per ſe, atq; ſalutares conferre. Cur enim Mauris,Numidiſq; in Africa,cum legibus vtantur,pauciſſimæ tamen lites ſunt,& hæ breuiſſimo tempore terminantur?Nili,quia,vt eſt eorum inuictu & cultu dura,& ſtricta parſimonia,à furtis, rapinis, fraudationibus,maleficijs extra bellũ,multum abhorrent. Quib. ſceleribus pleriq; in Europa non ſuppetentibus opib. vbi ſe deſidiæ dediderunt; gulæ & lautitiæ ſeruientes implicantur:qui vt pœnas legitimas effugiãt, neue ad iuſtitiam compellantur, ad calumnioſas defenſiones, doloſq; confugiunt,& ducẽdis litib.quoquo modo poſſunt,tergiuerſantur.Sed horũ malorũ maxima culpæ pars eſt in quorundã iuriſperitorũ, nullã quãlibet turpẽ cauſam repudiantiũ,peruerſitate; qui, cũ eos ſcelerati, & fraudulenti aduocatos adhibent;iuris ſcientia,re ſua ſponte reip.ſalutari,& ad bonorũ præſidiũ nata,ad malorũ impunitatẽ, & iniurias alẽdas,extrahendaſq; lites cõpendij ſui cauſa per calũnias,& malitioſas iuris interpretationes ſine culpa legũ turpiter abutuntur,ipſaſq; leges fruſtrari,& iudices eludere captionibus, præſtigijſq; nituntur. Quib. calumnijs,& fraudib.omni ratione, quatenus fieri poſſit, occurrere iuſti,& ſapientis iudicis eſt.In qua cura,& officio prætermittendo,quod vtinã paucis iudicib.accideret,nõ minor culpa ineſt,quã in dolis aduocato-

Litium cauſa non ſubmouendæ leges.

Qui leges tollit rationem tollit.

Aduocatorũ & procuratorũ fraudes

Cur Afri litibus careãt.

Calumnię in litibus per iureconſ.

Iudicis prudentia officium.

catorum. Nam, *qui non obeſt, cum poteſt iniuriæ, tam eſt in vitio, quam qui facit*, Ciicerone, Ambroſioque auctoribus. Et vt eſt in Damaſi reſcripto, *non caret ſcrupulo ſocietatis occultæ, qui manifeſto facinori deſinit obuiare.* Quod ſi nulla nec iſtorum, nec iudicum fraude, vel malitia, ſeu negligentia interueniente, lites in longum tempus, qnod non fit ſine iactura litigantium, producantur; nulla rectarum legum culpa eſt, ſed legumlatoris incuria, cui hoc vel in primis prouidendum fuit, legibuſq; cauendum, vt omnes aditus ad ducendas lites eſſent, quatenus fieri poſſet, obſtructi. quod plurimum valet, vt omnis calumnia, omnis veri inficiatio, præſertim dato iureiurando, grauibus pœnis in controuerſijs quidem ciuilibus ſanciatur. Alia eſt enim ratio cauſarum capitalium: Contra verò ſtatuere, quod alijs placet, vt leges in omni reipublicæ parte ſic dominentur, vt ab ipſorum ſcripto non diſcedatur, nec quidquam humano arbitrio relinquatur, hominum eſt pertinatium, & rerum agendarum naturam ignorantium, quæ tam varia eſt, & inconſtans, quemadmodum ſupra diximus, vt plurima negotia in locos communes, vniuerſaliaque præcepta, quæ aptè rebus omnibus, temporibus, & perſonis accommodentur, conferri nequeant. Sed pleraque neceſſario ſint eorum, qui reipub. cum ſumma poteſtate præſint, prudentiæ ac iudicio relinquenda, qui pace belloque de rebus dubijs conſultent, ac prout ratio boni publici poſtulare videatur, conſtituant. In iudicijs autem ſummo iuri, in quo ſæpè iniuria eſt, æquitatem anteponant, quæ origo eſt iuſtorum priuilegiorum, & decretorum, præſertim eorum, quæ vulgo theologi *diſpenſationes* appellant. Ac de legum quidem ferendarum ratione, & quæ potiſſimum debent legumlatores ſpectare, diſſeruimus, & multa arbitrio principum, vel ſummorum magiſtratuum neceſſario relinqui declarauimus.

1 offic. 22 q. 2 c. Qui poteſt.

Litium prorogatio ex culpa legum latoris.

Legum verbis non ſemper inhærendum.

Summo iuri æquitas eſt anteponēda.

IOANNIS

IOANNIS GENESII SE. PVLVEDAE CORDVBENSIS DE REGNO ET REGIS OFFICIO.

LIBER SECVNDVS.

DEINCEPS de regia, ciuilique administratione, vtrum vnius hominis arbitrio, & auctoritati, quæ legibus aut omnino, aut recte constitui non possunt, an plurium consilio, & prudentiæ sint in bona rep. relinquenda, disputandum est. Nec enim res vacat controuersia, siquidem de regib. non heroicæ, sed vsitatæ virtutis, de quibus nunc quæritur, disputetur. Nã illud dubium non est, quin regnum ceteris rebusp. longo interuallo præferatur, si rex ad formam Aristotelicam cõtingat, hoc est si prudentia, & virtute, ac omni ciuili facultate cæteros oẽs antecellat, quod optari magis potest, quã sperari, præterquã in gente aliqua inculta, agresti, & barbara, quales multæ priscis tẽporib. fuisse memorãtur. Idcirco enim circa rerũ initia homines fere imperio regio parebant, quia in illa hominum paucitate vicatim, & pagatim habitantium perpauci existebant, qui essent, virtute, atque prudentia, quæ facultas ciuilis dicitur, magnopere ad imperandum instructi. Postea vero ciuitatibus constitutis, & auctis, cum multi essent, quorum virtutes pariter eminerent, non æquo animo regna tolerabant, ita ne par in pares perpetuum imperium obtineret; remp. constituerunt, vbi parendi, & imperandi vicissitudo æquales æquali iure contineret. Hoc igitur in controuersiã venit, si copia sit in magna ciuitate, aut gente virorum pari virtute, & sapientia præstantium, vtrũ cõmodius, & magis è bono publico sit, vnius, an pluriũ arbitrio rẽp. tẽperari. Nec enim defuerunt quib. iniustum, & præter natura videretur, vt in ea ciuitate, quæ ex multis similib. cõstaret, vnus in oẽs perpetuo imperio fungeretur. Nam qui sunt, ingenio, & virtute pares, hos eodẽ iure, eademq; dignitate esse lege naturæ. Iuris autẽ æqualitatẽ ita demum inter pares seruari, si per annos, aut alia tẽporum spatia ciues ijdem nunc magistratus gerant, & ceteris imperent, nunc vicissim pareant imperio, donec ea vicissitudo ad pares oẽs perueniat. Preterea multorum hominũ virtutẽ, atq; prudentiã maiorẽ esse dicunt, quã vni⁹, & facilius vnũ ira, vel cupiditate, quã plures corrumpi. Itaq; nõ solum iustius esse, sed etiã cõmodius ciuitati pau-

Regnum ceteris Reip. formis præstantius.

Vnius an pluriũ arbitrio melius resp. regatur.

Paritas naturæ in conditione.

Optimatum status quare melior videri queat.

corum optimorum, vt in ſtatu optimatum, aut promiſcue multorum, vt in timocratia, quam vnius imperio ciuitatem adminiſtrari. In qua ſententia multos, & magnos viros fuiſſe video, tũ ex Græcis, tũ etiã ex Latinis, quorũ auctoritati concedere haud equidẽ dubitarẽ, niſi me certiſſimæ rationes, & ipſe rerũ vſus doctrinarũ omniũ magiſter dehortaretur, & in oppoſitã ſententiã reuocaret. Sic enim exiſtimo, regiũ imperium cæteris omnib. rebuſp. longe præferendũ eſſe, nõ ſolũ ſi rex cæteris omnib. virtute, ac omni ciuili facultate præſtet, ſed etiã ſi alij in ciuitate, aut gente ſint, qui cũ ipſo virtue, & conſilio cõferri valeãt, dũmodo ipſe vir prob. ſit, & vſitatę prudentiæ, regiũ animũ gerens, nõ tyrannicũ, quę ſententia multis rationib. cõfirmatur. Primum quoniã regia adminiſtratio antiquiſsima omnium eſt, vt non tã conſilio, quã duce natura inducta eſſe videatur. Nã *in teris*, vt Salluſtius ait, *nomen imperij id primũ fuit.* Certe Troianis tẽporib. nullam dum alterius generis remp. fuiſſe conſtitutam, fidem facit carmen Homericum,

Regium imperium cur ſtantius.

Probatur rationibus.

Οὐκ ἀγαθὸν πολυκοιρανίη· εἷς κοίρανος ἔστω.

Iliad. B.

Quo multi reges illius memoriæ commemorantur; de alia republica nullam mentionem fieri videmus, quodidem animaduertere licet in hiſtoria ſacra, & illorum, ac ſuperiorum temporum commemoratione. Regnum igitur, vt eſt imperiorum vetuſtiſsimum, ſic maxime naturale; quippe cum non ſolum domeſticam adminiſtrationem æmuletur, ſed etiam ab ipſa primam originem traxerit. Nam vt hac memoria in quibuſdã regionib. ſic olim vulguo multitudo domeſtica, vbi tãtopere creuerat, vt eam domos vna capere nõ poſſet, in alias domos velut in colonias deducebatur, & ſic vicus paulatim fiebat, imperiũ totius familiæ adhuc maximo natu retinẽte, quod Bononiæ, & in reliqua circũpadana Italia etiã nunc factitari cernim⁹. Eo quidẽ tẽpore, cũ ipſe Bononiæ in Hiſpanor. collegio ſtudia litterar. adoleſcens æmulabar, vn⁹ erat ex agricolis, qui noſtros agros inita ex more Bononienſi ſocietate, prædiaq; colebat. Memini enim, & nõ ſine admiratione quadã animaduerti, qui totius familiæ in quattuor, aut quinq; villas propter magnitudinẽ partitæ, quia maxim⁹ natu erat, imperiũ domeſticũ obtinebat; nõ aliter, quã ſi oẽs vna domo cõtinerentur. Eadẽq; tẽpeſtate in vicino erat alter agricula ex familia, quæ ſartorũ dicebatur, qui eodẽ ætatis iure à maiorib. deinceps tradito trecentis amplius hominib. in multas domos, villaſq; deductis, eodẽ ſcilicet modo imperitabat, & quod magis miremur, libentes oẽs, ſũmaq; cõcordia eidẽ, vt patri obtẽperabant. Quanquã ea familia paulo poſt, cũ ſua magnitudine laboraret, de cõmuni cõſilio multis patribus familias diſtributa fuit. Idẽ igitur circa rerũ initia duce natura fiebat, ſed cũ homines in vacua veniſſẽt, quæ iure naturę fiũt occupantium, multis domib. ex vna deductis natu maximus, ex patrefamilias rex fiebat, & ſic paruũ regnũ conſtituebat, quod cũ iure hæreditario poſteris deinceps traderetur, creſcẽte multitudine, donec

Primogenitæ ius Bononiæ & in Hiſpania.

ex vicis ciuitas cõſtitueretur, ipſa quoq; regna dilatabãtur, & ex paruis ad iuſtam magnitudinem perueniebant..

Fuit, & alia iuſtiſsima reges conſtituendi ratio, quam vetuſtas interdum vſurpabat, quippe regna nonnunquã viris optimis non ętatis iure, vt illis alteris, ſed iuſtitiæ, ac virtutis opinione deferebantur, qua de re Cicero his verbis memorat. *Mihi quidem, non apud Medos ſolum, vt ait Herodotus, ſed etiam apud maiores noſtros fruẽdæ iuſtitiæ cauſa videntur olim bene morati reges conſtituti, nã cũ premeretur initio multitudo ab ijs qui maiores opes habebãt, ad vnũ aliquem confugiebant virtute præſtantem; qui, cum prohiberet iniuria tenuiores, æquitate conſtituenda, ſummos cum infimis pari iure retinebãt.* Ad vnum igitur vetuſtiſſimi mortales, ducti ſcilicet ratione naturali, cuius ductu, & auctoritate tuti eſſẽt, cõfugiebãt, nõ ad plures, ne qua eſſet inter ipſos diſſenſio. Quã publicã hominũ de regno cæteris imperijs præferẽdo perſuaſionẽ inſitã fuiſſe veterib. mortalib. ea quoq; ratione cõfirmat Ariſt. quod Deos immortales regio imperio gubernari perſuasũ habebãt, minime ſcilicet diuinæ ſapientiæ regiã rẽp. tributuri, niſi hãc cæteris omnib. potiorẽ, & auguſtiorẽ eſſe exiſtimarẽt. Nobis aũt fabulis omiſſis, quãquã harũ inuolucro veteres poetæ, qui theologi dicebantur, ſæpe de maximis reb. ſapiẽter philoſophabãtur, veriſsimis, & ſacratiſsimis hiſtoriæ diuinæ vtriuſq; teſtamẽti teſtimonijs, & exemplis vti licet. Nã Hebræi quõdã *genus electũ, regale ſacerdotiũ, gens ſancta, populus acquiſitionis*, vt Petrus ait, qui peculiari Dei cura, & quotidianis oraculis gubernabãtur, à libertate poſt AEgyptiã ſeruitutẽ recepta ad Chriſti tẽpora cũ ſuæ gẽtis reges amiſerũt, ſemper regiã remp. habuerũt. Moſes enim, & Ioſue, & qui huic ſucceſsit Iudas, ac cæteri populi ductores, & gubernatores, quid aliud erãt, niſi reges? quãuis tũ ſacerdotes, tũ iudices, tũ prophetæ, vt ſimul erant, nominarẽtur. Rex enim eſt, qui cũq; vnus in ciuitatẽ, aut gentẽ perpetuũ imperiũ cũ ſũma poteſtate gerit ad bonũ publicũ ſpectans. Itaq; Eli, quẽ annis quadraginta Iſrael iudicaſſe legim⁹, & qui huic ſucceſsit, Samuel nõ ſolũ ſacerdotes, & prophetæ fuerunt, ſed reges etiã Hebræorum, licet nomine regis abſtinerẽt. Cæterũ quoniã hi, & cęteri huiuſmodi ſacerdotes, per ea quidẽ tempora, licet imperij ſummã obtinerẽt: bella tamẽ non per ſe, ſed per duces, & præfectos gerebant, Iſraelitica gẽs, non quod imperiũ vnius recuſaret, ſed eã imperãdi rationẽ pertæſa regẽ à Samuele poſtulauit, qui nõ ſolũ cõtrouerſias iudicaret, ſed bella etiã ipſe gereret, & exercitum in hoſtes more regum ceterarũ gentiũ duceret. *Rex* inquiunt, *erit ſuper nos, & erimus nos quoque ſicut omnes gentes, & iudicabit nos rex noſter, & egredietur ante nos, & pugnabit bella noſtra pro nobis.* Atque hæc quidẽ ex veteri teſtamẽto. veñio, ad nouũ, & Euangelica tempora, quorũ inito Chriſtus ipſe Deus ſuã Eccleſiã ita conſtituit in Apoſtolis: nõ vti paucorum, vt ſtatus optimatum, nec multor. vt reſp. ſeu timocratia, ſed vnius ſumma poteſtate, & arbitrio tẽperaretur; Petri ſcilicet Apoſtolorũ principis initio, deinde ſummorũ, qui in locum eius ſucce-

offic. lib. 2. Reges etiam electi, quia iuſti.

Exemplagẽtis Hebrææ. 1. Pet. 2.

Reges olim etiam ſacerdotes.

Rex diffinitur.

Iſraelitæ regem à Samuele poſtulãt. 1. Reg. 8.

Noui teſtamenti ratio gubernãdæ Eccleſiam.

dunt ſacerdotum ſingulorum. Epiſcopi enim, & antiſtites alij, qui cæteris Apoſtolis, & diſcipulis ſucceſſerunt sũmi põtificis adminiſtri sũt ad Eccleſiaſticã remp. regio more adminiſtrandã. Quibus exemplis declaratur, ipſius Dei iudicio regnũ cunctar. rerumpub. facile principem locum auguſtiſsimum, & ſacratiſsimũ obtinere. Itaq; ambitio, & multorũ imperãdi cupiditas, magis, quã vel neceſsitas naturalis, vel boni publici ratio, cauſa fuiſſe videri poteſt, vt omiſſo regio imperio, varia reip. genera cõſtituerẽtur; nõ quia illa altera duo genera iuſta ſint, & ſuo modo naturali quoq; iuri cõſentanea; ſed quia regnũ multo plures cõmoditates habet, multoq; minus eſt corruptioni, & alijs malis opportunũ. Nã quod obijcitur iure naturæ cõſentaneum eſſe, vt qui prudẽtia pares ſunt, hi paris iuris æqualitate per imperandi, & parendi viciſsitudinẽ cõtineantur; nõ ſi quid iuſtum eſt lege naturæ, ſtatim eius prætermiſsio iniuſta, & præter naturã videri debet. Fieri enim poteſt, vt huic aliud natura itẽ iuſtũ melius, & cõmodius præferatur. Quod rectiſsime fit auctore Paulo, ſic ad Corinth. ſcribente. *Qui matrimonio iungit virginem ſuam, bene facit, & qui non iungit, melius facit.* Vt igitur Paulus nuptias rem honeſtam, honeſtiori virginitati poſtponit: ſic nos reip. ſiue timocratiæ, & ſtatui optimatum, bonis, & iuſtis rebuſp. meliorem, & iuſtiorem, regnũ præferimus. Iuſtum eſt enim & commodum, vt virtute pares nunc imperent, nunc viciſsim imperio pareant: iuſtius tamen, vt vnus probus, & prudens perpetuo imperio in omnes fungatur, propter maiorem reip. commoditatem quæ paucorum ambitioni, atque etiam vtilitati præferri debet. Quippe *bonum, quo pertinet ad plures, hoc ſanctius, & diuinius habetur.* At, inquis, plures melius cuncta perſpicient, & prudentius de rebus dubijs iudicabunt, conſtituentque quam vnus. Hoc quidem dubium non eſt: ceterum rex non ſolus, vel debet, vel ſolet deliberare, ſeu iudicare: ſed multis viris optimis, & prudentiſsimis adhibitis, qui pro ſe quiſq; quid factu optimum, & maxime è republica ſit, conſiderare, & pronuntiare ſolent: tum, ſiquis recte ſentiat, & ſalutarem reip. ſententiam dixerit, nemo per odium, & contentionem conſulto refragari audet, vt ſæpe fit in alijs reb. publicis. Nam tacitum de ſe quiſq; iudicium regis veretur, qui ſententias ponderare ſolet, non numerare. Verum tamen regnum inter cæteras reſpub. quantopere emineat, etiam in rege virtutis nõ heroicæ, probo tamẽ, atq; prudente, nõ erit intellectu difficile, ſi cum pluriũ imperio, qui modo imperent, modo priuati pareant, regnum, & vtriuſq; cõmoda inter ſe, atq; incommoda cõferantur. Multis igitur rationib. regnum præ alijs rebuſp. cõmendatur. Primum quoniã qui annuis imperijs funguntur, vt fere fit in imperandi viciſsitudine, prius abeunt magiſtratu, quam plane poſsint, quid muneris ſui ſit intelligere. Rex propter imperij diuturnitatẽ plurimarũ rerũ. vſu indies, & annos prudẽtior fit, magniſq; ciuilis, ac regiæ facultatis adiumentis inſtru

Ambitio varia reip. genera excogitauit.

Obiectionib. reſpondet.

1. Cor. 7.

Ariſt. Eth. 1.

Comparatio formarũ reipublicæ.

ſtructior,tũ ad ſuos in officio cõtinendos;tũ ad externorũ cõmercia,ſiue bellum gerendum ſit, ſiue amicitiæ, paciſq; cõditiones per ſe,vel legatos agitãdę.Deinde quod in magiſtratuũ multitudine ſæpè,dũ alterũ exſpectat; res cõmunes per negligẽtiam dilabũtur.Rex oẽm rẽp.ſuæ vni⁹fidei cõmiſſam eſſe memor,neminẽ eſſe intelligit,in quẽ,ſi quid offũ ſum fuerit,ſuã culpã transferre poſsit.Præterea illi in publicis conſultationib. ſæpè cõſulto diſſentiũt,variantq; ſentẽtijs,nõ vt reip.cõſulãt, ſed vt alijs rectè fortaſſe ſentientib per odiũ,aut inuidiã refragẽtur: vel contra,vt potentiores cuiuſpiã,cui ſe addixerunt,libidini ſeruiãt. Rex nullum æmulum cũ habeat,nemini vel inuideat, vel addictus ſit; optimis,& prudentiſsimis viris in conſilium adhibitis,eam ſententiam,neminem ſcilicet reſpiciens,omnib.anteponis, quæ plurimum ex omnibus iuſtitiæ,& grauitatis habere,maximeq; ad bonum publicum pertinere videatur.Ad hæc magiſtratus in paucorum,aut multorum rep. ſuis interdum rebus familiarib.impediti;tunc demum in locum conſilijs deſtinatum conueniunt, cum occaſio rerum deliberandarum effluxit: rex cum nullum deliberandi,nec locum,nec tempus certum,& definitũ habeat;ſed dies,& noctes,cum res poſtulat,in ea cura cõſumat,nullã patitur rei bene conſtituendæ,ſiue gerendæ occaſionem elabi.Item illorum quidam ambitioni ſeruientes,ne ſuę,quam affectant glorię,laus aliena tanquam obſtrepere videatur,collegis domi nonnunquam,ſępius in bello impedimento ſunt,aut ipſos etiã deſerunt, ne qua facultas adſit rei bene,& cum gloria gerendæ,vel materiã præripiunt, negotiũ temere,& importunè in reip.perniciem occupando.Regi,cum ſolus tota vita rerum potiatur,nulla talis cauſa interuenire poteſt,in æmulum ſimul,& remp.peccandi.Præſertim cum intelligat, non ea ſolum quæ ipſe per ſe geſſerit,ſed etiam,quæ per duces,& præfectos confecerit,ad ſuã laudẽ,& gloriã pertinere.Quod autẽ cõpilationes attingit,quę mala ſæpè grauiter populos exagitant,illi res cõmunes vt alienas, non ſolũ negligenter curant,ſed quidã etiã ſordidiores animaduertentes breuis tẽporis eſſe diripiendi facultatem, nullam occaſionem prætermittunt,remp.compilandi;quin etiam publica poteſtate quandoq; in bona priuatorum per fraudes,& calumnias abutuntur. Rex ob imperij perpetuitatem rebus communibus ſic parcit, vt ſuis:ſic proſpicit, vt non ſolum ad ſe,quoad vixerit,ſed etiam ad filios,& poſteros pertinentib. His rationibus Iſocrates vir prudentiſsimus, qui ſcite admodum hunc locum attigit,duarum clariſsimarum rerumpub. teſtimonium addit, Carthaginenſium,& Lacedæmoniorum,qui cum domi ſummum imperium optimates obtinerent; belli tamen ſummam ad vnum regem deferebant; publicis videlicet periculis publicam per facta confeſſionem exprimentibus, vnius, quam plurium imperium cœtibus hominum commodius,ac tutius eſſe ad ſummã multo magis ſalutare. Athe-

Iſocratis teſtimonium de rebuſp. Carth. & Laced.

nienſium quoq; remp.quib.maximè monarchia omnis eſſet odioſa,do-
cumẽto eſſe,qui cũ belli ſummã,nunc plurib.ſimul ducib.nunc vni tra-
Imperatores Athenienſium. derent,ſæpè res ipſa declarauit,vnius viri præſtãtis imperium longe ſa-
lutarius eſſe reip.quã plurium.Quo in loco nõ eſt ſilentio prætereundũ
clariſſimum Milciadis,Ariſtidis,Themiſtoclis,& cæterorũ ducum ex-
emplum;qui Perſico bello,prælioq; Marathonio prefuerunt.Nã primũ
cum decem numero eſſent:ſinguli tamen publico ciuitatis Athenienſis
decreto per ſingulos dies imperij ſummã viciſsim obtinebant, deinde
duces ipſi,publici periculi ratione,& cõmunis ſalutis cauſa,ambitionẽ
ſuperãte,omnes,dierum omnium imperandi ius,auctore Ariſtide viro
optimo & cognomine Iuſti claro,in Milciadem,cuius virtutis,atq; pru-
dentiæ prima laus erat,trãſtulerunt.Parum ſcilicet eſſe putantes, vt v-
nº partitis dieb.imperaret,niſi omnium dierum imperij ſumma penes
vnum,eundemq; virum optimum,& prudentiſſimum eſſet.

Seditio interitũ adfert rebuſp. Vltima differentia rerũpub,& maxima regni præſtãtia eſt,quod in cę-
teris facilè diſſidia exiſtũt,& ciuiles armorũ cõtentiones. Quę nõ ſolũ
calamitates,ciuitatib.& populis afferunt;cũ plurimorũ ciuiũ cęde pro
ſcriptione,& direptione;ſed florẽtes etiã relp.fundit⁹ euertũt. Multarũ
Exemplo eſt Romanorum reſpub. Lib 5.de ciuit Dei. rerũp.maximas calamitates ex diſſidijs ortas cõmemore poſsẽ.Sed vtar
potiſsimũ Romanorum exẽplis,qui,vt opulẽtiſsimã, ſic iuſtiſſimã rẽp.
habuiſſe putãtur,Auguſtino noſtro auctore,qui, Romanis propter ipſo
rũ iuſtitiã pulcherrimũ,& opulentiſsimũ imperiũ ad prauos multarũ
gentiũ mores corrigẽdos à Deo tributũ eſſe teſtificatur. Romani ergo,
quã diu regib.paruerunt,magna cõcordia vixere, paucis & exiguis in-
iurijs,& calamitab.agitati.Cõſtat.n.præter Tarquiniũ Superbũ, qui nõ
rex fuit,ſed cunctis rationib. tyrãnus, cæteros oẽs reges iuſtos fuiſſe &
moderatos.Nã quod Tarquini⁹ idẽ Seruium Tullium regem interfecit,
& iniuſſu ſenatus,inuitoq; populo imperium inuaſit,nulla culpa regni
eſt, ſed iniuſtiſsimi, & importuniſſimi hominis flagitium, qui in ea
ciuitate,quę iuſtiſsimo,& honeſtiſsimo ſtatu,imperioq; fruebatur,ſub-
Tarquinius Romæ tyrãnidem exercuit. lato rege tyrãnidẽ occupauit.Nã iuſto principe necato, ad ſuã libidinẽ
inuitis imperare,ciuiũq; timore corp⁹ armatis circũſepire,cognitiones
rerũ capitaliũ per ſe ſine cõſilio.ſ.obire, vt per eã occaſionẽ occidere,
in exiliũ mittere,& bonis multare poſſet,& ſic optimatum numerũ im
An.Bruti exemplo regnũ præſtet timocratia. minuere,quod Tarquinius,vt Liui⁹ refert, faciebat;quid erat aliud quã
mera tyrãnis?Nihil igitur afferunt,qui Bruti,Collatini,Lucretij,& Va-
lerij præclaro facinore,& teſtimonio rẽp.regno præferẽdã cõtendunt;
quod viri optimi,& prudẽtiſſimi imperiũ Romanum ex regno in rẽp.
mutandi auctores fuerunt.Horum nãq; maximè Bruti,qui princeps cõ-
ſpirationis fuit,iuſtiſſima laus eſt, quod deiecto Tarquinio ſuperbiſſi-
mo tyrãno,patriã ſeruitute liberarunt,& remp.ex peſſimo ſtatu in for-
mã iuſtam,& commodã mutauerunt.Quod autẽ ex tyrãnide remp. quã

pluri-

plurib. imperium cõmunicaretur, constituerunt, potius quã in pristinã regni formã restituerunt; vt vnus vir optimus, & prudentissimus populi suffragio, aut iure hæreditario perpetuo imperio præficeretur, nihil habet, quod sit magnoperè gloriãdum. Nã suæ quisq; dignitatis rationẽ habuisse videri possunt, quippe ad quos summi magistratus facilè deferrentur, vt factum est. Nã primi consules Brutus, & Collatinus fuerunt, tamen reip. multo melius restituẽdo regno ob rationes supra expositas cõsuluissent: sed ob eã maximè, quę vltimo loco posita est, ciuilium dissensionum, quæ nunquã pænè in Romana rep. defuerunt; iã inde ab initio, antequa plebs patrib. infesta in sacrum montẽ tria ab vrbe passuum millia, anno sextodecimo post exactos reges secederet. Quæ discordia ea potissimum cõditione sedata est, vt plebi sui magistratus essent sacro sancti, quib. auxilij latio aduersus cõsules esset, neúe cui patrum capere eum magistratum liceret. Itaq; tũc primũ tribuni plebis creati sunt, qui sic erant apud Romanos cõsulib. oppositi, vt Ephori regib. apud Lacedæmonios. Cęterum ijdẽ tribuni plebis tot seditionũ deinceps auctores fuerunt, vt cum ab alijs quies esset, ab his resp. pæne continenter agitaretur, plebe contra patres, hoc est senatores, & nobilitatem à tribunis cõcitata. Quorum quidã, cum se intolerantissimè gererẽt, perniciosis legib. agrarijs, & frumentarijs potissimum ferendis, non sine magno tumultu à nobilitate cæsi sunt. Sẽpronius Gracchus in capitolio auctore P. Cornelio Nasica. C. Gracchus frater cum Auentinum montẽ armata multitudne occupasset, à. L. Opimio consule ex S. C. populo ad arma vocato pulsus, & interfectus est, Apuleius Saturnius cum Glaucia prætore, & alijs eiusdem furoris socijs ab armata manu concisus. Nam Marcus Liuius Drusus Tribunus, & ipse plebis, incertum à quo, domi necatus est, propterea, quod auctor esset belli socialis. Sulpitius autem Tribunorum nequissimus, qui tria millia satellitum alebat, & magnam equestris ordinis audacissimorũ iuuenum manum, quã antisenatum vocabat, ad custodiam sui corporis habebat, post multa patrata scelera à Sylla damnatus in senatu est, deinde necatus. Quid illa reip. perturbatio, quanta fuit, cum Decẽviri ad ferẽdas leges in annum creati, eo peracto imperium, quod sine prouocatione acceperant, inuitis patrib. plebemq; Romana continuare conantes magnas turbas ciuere, sic vt ob eã causam plebs iterum, in sacrum montem secederet, nec ante reuocari posset, qui Decemviri magistratu sese abdicarent, & plebi facultas redderetur suos Tribunos, itemq; Consules, (neutri enim tempore illo Decemviratus erant,) pristino more creandi.

Romæ seditiosi plerique cæsi sunt.

Decemuirorum imperium.

Coniurationes à prauis, & seditiosis hominib. vt in magistratus, ipsãque remp. sæpè fiunt: sic etiam in reges nõnunquam fieri, dubium nõ est. Cæterum si qua ratione cõpertum fuerit, facillimè sumpto de cõiuratis supplicio per regẽ, apud quõ nulla est tergiuersãdi facultas, exstinguitur. In

In regno seditiones citius extinguũtur.

tur. In rep. verò etiã conuicti nonnunquam impunè reluctantur, ſummis etiam magiſtratibus inuidiam, & calumniam, ſi quid in reos grauius ſtatuerint, metuẽtibus propter magnas ſcilicet eorum cognationes, & clientelas, quarum iniurijs, & fraudibus, ne non facile, cum abierint magiſtratu, priuati obſiſtere poſsint, reformidant. Vt eſt magno documento Catilinæ, Lentuli, Cethegi, & ſociorum conſpiratio, qui de cõſulibus, & ſenatu necandis, & vrbe incendenda coniuraſſe multifariã, cum eſſent conuicti: tamen impune, & impudenter in curiam ventitabant, & reclamanti Marco Tullio conſuli, eorumque ſcelera coram ſenatu, ipſiſq; prædicanti princeps coniurationis Catilina non ſine conuitijs, & maledictis impudenter obſtrepebat, idq; impunè in magno, non ſolùm patrum, ſed totius etiam ciuitatis timore, & trepidatione faciebat, donec ipſe non vi pulſus, ſed ſua voluntate minitabundus vrbe ad caſtra coniuratorum, quæ in patriam duce Manlio comparabant, egreſſus eſt. nec his maximis malis, & publico timori finis ante impoſitus fuit, & vrbs, atque Italia magno metu liberata, quam ſocij coniurationis viri genere nobiliſſimi in vrbe ad eius incendium relicti, tãdem aliquando in carcerem coniecti, ibique ſtrangulati pœnas cogitati ſceleris dederunt, & Catilina ipſe, qui totam Italiam vſq; in Galliam trãſalpinam, & Allobroges ſollicitauerat, difficili bello prælioque ab C. Antonio conſule altero vinceretur, & egregiè ſeſe vltus occumberet.

Catilina & ſociorum cõiuratio

Bella ciuilia Romæ.

Verum hæ, cæteræque tot, tantæq; calamitates ſupra à nobis memoratæ, ludus, iocuſq; videri poſſunt, ſi cum bellis ciuilibus conferãtur, quæ non ſolum vrbem Romam, ſed totam etiam Italiam, multaſq; prouincias reipub. tempore concuſſerunt, & affixerunt: quorum primum Mario, & Sylla, ſecundum Cæſare, & Pompeio factionum principibus, ducibuſq; geſtum eſt, tertium duo conſules Hircius, & Panſa, qui eodẽ prælio conciderunt, & Auguſtus cum Marco Antonio, quartum ijdem Auguſtus & Antonius cum Bruto, & alijs Cæſaris interfectoribus geſſerũt. Sed horum omnium maximum fuit, quod Cæſar per ſe & præfectos, cum Pompeio, eiuſq; ducibus, & filijs in Italia, Gallia, Hiſpania, Græcia Macedonia, Sicilia, Africa, rurſuſq; in Hiſpania geſsit. Mediocre, quod Marius cum Sylla; ex cuius belli calamitatibus, quæ certius traditæ ſunt, cæteras æſtimare licebit. Hæc enim ciuilis contentio, ſiquidem Plutarcho auctori grauiſſimo credimus, tantum malorum, & calamitatum Romanis inuexit, quantum non omnes ante id tempus hoſtes inuexerant. Ab alijs autem ſupra centum quinquaginta Romanorum, ſociorumq; millia ſociali, & hoc, quod ſucceſsit, Mariano bella cæſa eſſe memorantur: his, eorum, qui cæteris bellis ciuilibus mutuis vulnerib. conciderunt, infinita multitudo, ſi connumeretur, quæ tãdem erit ſumma? Cunctorũ profecto regnorum, quæ poſt hominum memoriam fuêre inteſtinæ cædes, mutuæq; popularium iniuriæ, ſi in vnum congerantur,

Plutarchi de bellis ciuilibus iudicium.

tur,

tur,multo me quidem iudice,vnius reip.non longi temporis calamitatibus leuiores esse censentur.Tarquinij,& Neronis inter Romanos,Petri inter nostros Hispanos,trium scilicet regum crudelitas, vt intolerabilis,& execranda,in regibusq; rarissima celebratur. Horum tamen omnium omnia crudeliter facta,tolerabilia putes,si cum vno exemplo Lucij Syllę cõferas in rep.Romana,qui sex millia dedititiorum ex partibus Marianis contra fidem datam in via publica trucidauit. Tabulam proscriptionis posuit, vrbem & vniuersam Italiam cædibus repleuit, & in his Prænestinos omnes inermes interimi iussit.

Tarquinij Neronis & Petri regis Hispan. immanitas, minor Syllæ crudelitate.

At ista dicet aliquis non integræ reip.sed corruptæ,& deprauatæ,exempla sunt,hoc est paucorum potentiæ vel tyrannidis. Nam decemvirorum inuito senatu,populoq; Romano dominatus, & duo triumuiratus,alter Crassi Cæsaris, & Pompeij,alter Augusti,Antonij, & Lepidi, quid aliud erant,quã paucorum potentiæ;Syllæ verò,& postremò Cæsaris perpetua dictatura,quid aliud quã tyrãnis?Nos autem de iustis,& integris rebusp.differimus,nõ de iniustis,& deprauatis.Hæc igitur,quę fateor esse verisima,si quis obijciat,& ob ea nostram sententiã minus probandã esse putat,longè fallitur opinione:nã hoc ipsum magno argumento est,cæteras bonas resp.nõ esse cũ regno cõparandas.Quod nõ solùm cæteris incõmodis,& ærũnis opportuniores sunt, sed multo etiã faciliùs in pesimas reip.formas transeunt,& lõgè difficiliùs in pristinũ statum rediguntur. Nã si quis furore quopiã,vel errore inductus ex rege tyrãnus fiat,is timore ab eis quib.ipse timori est,cruciatu,sollicitudine,scelerumq; cõsciẽtia,tanquã furiarũ ardentib.tædis,vt fere fit,miserabiliter agitatur:qui tædio miserrimæ vitæ,si resipiscat,protinus recepta sanitate,in pristinũ statũ,& sacrosanctã regij imperij dignitatem per seipsum nemine repugnante,sed cunctis popularibus libẽtissimis restituitur.Quib.rationib.ducti,& tot suis,tantisq; malis Romani,quãtopere Regnũ reip.præstet edocti,è rep.ad monarchiã redacta,libenter in ea præstiterũt.Sæpè enim post Cæsarem dictatorẽ facultatem habuerunt,rempub.in quãcunq; formã vellent cõmutandi:nunquã tamẽ in eum statũ reuerti placuit,in quo fuissent tot seditionib. & calamitatib. cõflictati,cõtenti vnius imperio;qui cũ rex esset,*imperator* dicebatur:vocabulo scilicet min⁹ apud eos inuidioso.quippe quo duces belli summã obtinentes,reip.tẽpore nominabãtur,ac statũ quidẽ ciuitatis, aut gẽtis, quæ ab vno viro probo,& prudente,etiã citra virtutẽ heroicã gubernãtur,quód regnũ dicitur,cęteris omnib.rebusp.longo interuallo pręstare docuimus.Sequitur vt de regis cõstitutione,creationeque differam⁹.

Obiectionibus denuo respondet.

Monarchiam Romani retinuerunt.

Imperatoris nomen.

Dupliciter regna deferuntur,vno modo hæreditario iure,cũ regi demortuo filius,aut proximus quisq; cognatione ex eadẽ familia,quę initio populi cõcordi voce,vel tacito cõsensu cæteris omnib.pręlata fuerit,succedit;altero eiusdẽ populi suffragio,ipsius viri,qui regno quæritur,

De regis creatione.

Arbitrariũne ius an hereditarium sit potius.

tur,virtutib.ſpectatis.Harum vtra ratio ſit potior, & magis ẽ bono publico,non vacat controuerſia.Quidã poſteriorẽ magis probant,à quib. hæ rationes eſſe vidẽtur.Primùm,qua iam cognita, perſpectaq; virtus, exſpectatæ,& incertæ iure optimo pręfertur:cũ ſæpè videamus in eadẽ familia filios,& poſteros à parentũ,& maiorũ præſtantiũ virorũ virtutibus degenerare.Deinde quia regi defuncto nõnunquã filius puer, aut infans ſuccedit,aut etiã poſthumus relinquitur;vt Lacedæmone Charilaus Lycurgi fratris filius:quorum dum maturitas exſpectatur, regnum ſolet multis incõmodis,& ſeditionibus laborare.Quod malũ ſæpè Hiſpania noſtra ſenſit, in qua Ranimirus tertius quinq; annos natus Sanctio, Alfonſus quintus eadem ætate Veremundo, Alfonſus nonus Sanctio quadrimus, Alfonſus vndecimus vix, dum egreſſus primũ ætatis annũ Fernando, Ioannes ſecundus menſem vigeſimũ agens Henrico patribus in regnũ ſucceſſerũt;vt cæteros,qui ætate paulo prouectiore,ſed puerili etiã nunc regnum iniuerũt prętereã.Quib.temporib.quot,quãtiſq; malorũ fluctib.per tutorũ,regnumq; procurãtium ambitioſas cõtentiones,& procerum nouarum rerum,& imperiorum ſtudium, vicinorumq; regum huiuſmodi occaſionib.abutentium cupiditatem Hiſpania iactata ſit,longum eſſet recenſere.Tum illud huic ſententiæ ſuffragatur,quod,ſi regnum ſummæ virtuti præmium ſit propoſitum, magna erit inter primarios ciues de principatu virtutũ omnium concertatio, quo fiet,vt multi ſint in ciuitate vel gente regio principatu digni,quod de priſcis illis Romanis Cineas dixiſſe memoratur:qui Pyrrho regi, à quo legatus de pace miſſus fuerat,qualem Romã cõperiſſet percõtanti, *ciuitatem ſe, patriamque regum conſpexiſſe*,reſpondit;innuens ſcilicet tales eſſe primarios omnes ciues Romæ, qualis Pyrrhus in Epiro, & reliqua Græcia putaretur. Atq; his quidẽ potiſsimum rationib.ducuntur,qui nõ familiæ,ſed hominis præſtantiã in regno deferẽdo ſpectare cẽſent: quæ rationes tantam vim habent,vt eis obſiſti nõ poſsit, ſi res ipſa per ſe conſideretur,& legi bona fide pareatur. Cæterum tãta eſt hominum peruerſitas,tanta impe.andi,& habendi cupiditas; vt ſæpè viri ſapientes in rep.conſtituenda,legibuſq; formãda, non quod optimum eſſet, ſpectare ſoleant:maximeq; optãdum,ſed quo maximè obuiã iri poſſit iniuſtorũ,& cupidorũ hominũ prauitati Itaq; ſi viri principes,ex quorum grege, ſuffragio populariũ rex deligeretur,eſsẽt oẽs,vt eſſe debebant,ea iuſtitia,& moderatione, qua fuiſſe olim accepimus Curium, & Fabritium inter Romanos,Ariſtidem inter Athenienſes,cuius factũ ſupra memorauimus,vt communẽ ſalutem,publicumq; bonũ omni loco priuatis,ſuisq; rationib.anteferrent,ipſiq; populares ſemper incorrupti,quod optimũ eſſet,& bono publico conueniẽs ſequerentur;haud erant ſanè,quod quiſquam dubitaret,quin optima ratio regnum deferẽdi eſſet,vt regi demortuo optimus,& prudẽtiſsimus quiſq; ſuffragio

Pueri à regibus Hiſpaniæ hæredes relicti.

Cineæ Pyrrhi regis legati de Romanis dictum.

Cur non eligantur potiores Reges.

populi

populi sufficeretur.Nũc multis sęculis vix vnus,aut alter Aristides,vel Fabritius in quaq; ciuitate,aut gente cõtingit,& vulgo proceres ambitioni seruiunt,& nouis imperijs per occasionẽ studẽt: populares aũt facile,odio,aut gratia,& munerib.abstrahuntur.Itaq; magna,& certissima incõmoda,quæ hanc rationẽ cõsequũtur,vitandi,necessitas facit, vt illa altera ratio,quæ regnum facit eidẽ familiæ hæreditariũ,prudẽte consilio à plerisq; mortalibus præferatur:vt necessariæ plerũq; reb. meliorib.optimo iure à quibusdã,auctore philosopho,præferũtur. Incõmodorũ aũt consequentium vnum est, quod ex ambitione cõpetitorum facile largitiones existũt,quæ primũ auaritiã in ciuitatẽ,pestẽ scilicet maximam inducunt.Semper enim suffragatores ad accipiendũ paratiores fiunt;deinde cãdidatos ipsos exhauriunt,aut etiã maximo ære alieno grauant,ad quas iacturas sarciendas,qui pretio vicerit, cogitur idem empto imperio ad quęstum per multorum iniuriam,& direptionem abuti.

Cur hæreditarium ius sit melius ac tutius.

Primum incommodum.

Alterum incõmodum huic proximũ est,quod licet nullę largitiones anteceſſerint:cura tamẽ posteritatis,ne filios priuatos, paupereſq; relinquat,huiusmodi regem,& ipsos liberos exagitat. Quod malũ iniustarũ exactionũ,interdũ etiam tyrãnidis origo est.Tertiũ,quod in taliũ regum capita cõspirare procliue est;nunc populariũ auaritia: quorum quidã cũ semel iustitiæ,modestięq; fines hoc in genere trãsierint,suffragiũ,fidemq; venalẽ habent:nũc eius flagitio,qui regnũ aut etiã tyranni dem occupare cogitat.Plena est ciuitas,historiaq; Romana, quæ quidẽ de regum,qui imperatores dicebantur,temporib.scripta est, huiusmodi malorum exemplis.Ab Aelio enim Pertinace,qui octogesimo imperij die à militib.Iuliano auctore necatus est, qui,& ipse septimo occupati imperij mense à Septimio Seuero obtrunc atus fuit, vsq; ad Numerianum Cari filiũ nonaginta circiter annorum spatio, viginti vnũ imperatores,cũ memoriã tẽporũ illorũ replicarẽ,numeraui,& nescio, an aliquẽ prætermiserim,qui suorũ insidijs,& cõspiratione perierunt. Confer nunc regũ horũ suffragio populi delectorum statũ cum Hispanorum,qui iure hæreditario ex eadẽ Pelagidarum familia in regnũ succedunt,cõditione,fortasse nihil præterea ad hanc causam deiudicandã desiderabis.Octingenti quadraginta circiter anni sunt, cũ rege Roderico ex Gothorum gente prælio deuicto,atq; necato,& à barbaris Mahumetanis ex Africa,& Arabia,Hispaniæ maxima parte scelere,& auxilio quorundam nostrorũ occupata;regnũ maiores nostri,qui se in Asturias,Cantabriamq; receperant, Pelagio Fauilæ Cantabriæ ducis filio detulerũt,eoq; ductore amissa Hispaniã recipere cœperũt,ab eo prorsus,qui cũ multis alijs regnis nunc rerũ Hispanarum potitur, perpetua eiusdẽ familiæ successione quadragesimus quartus numeratur, nec tot sęculis regũ omniũ quisquã fuit,qui suorũ cõspiratione,& insidijs necaretur,

Alterum incommodum.

Tertium.

Pelagidarũ regum in Hispania stirps ad Philip. II.

Hispaniæ Reges occisi.

retur,nisi quod ex regib.Froilas Vimaranum fratrẽ magnæ indolis adolescentem pulchritudine,liberalitate,affabilitateq; pręstantem,populoq; acceptissimum,ne quid in se tanto populi fauore moliretur,cũ occidisset,ob eã rem ipse à popularibus facto impetu cõcisus est. Et Sanctius cum Gallecos tumultuantes per quorundã supplicium cõpescuisset,& Gonsalum ex proceribus,armis, quæ in se sumpserat, depositis, supplicem in suam fidem recepisset,eb eodem per pomum venenatum, quod manu porrexit,sublatus est.Sanctiusq; secundus Vrracam sororẽ ad Zamoram vrbem,cuius ciuitatis imperium ei Fernandus pater testamento reliquerat,cum obsideret,à Bellidolfo, qui egressus vrbe se pro transfuga gerebat,vt ab Vrraca gratiã iniret,venabulo traiectus est.Petrus autem,qui ex factis crudelis cognomen inuenit, nõ solum multis procerum,sed etiã vxore,& trib.fratrib.crudelissime necatis, ab Henrico fratre notho bello est appetitus,postremoq; iuuantib. Gallis ab eodem prælio victus;deinde pugione confossus nostris scilicet popularibus libentissimis,qui Petrum,non vt regem verebantur,sed vt tyrannũ exhorrebant.Itaq; duo Sanctij non multitudinis, sed duorum perfidorum hominum flagitio perierunt,dum Froilas vnius optimi fratris, Petrus trium,& vxoris parricidij, multorumq; optimatum cædis pœnas darent;alter irato,iustoq; dolore concitato populo,alter fratri suas, & fratrum,amicorumq; iniurias persequenti.Non igitur otio,& dignitati reip.regniq; cõsulitur ea lege, vt citra ius hæreditarium in demortui regis locum optimus quisq; suffragio popularium sufficiatur.Perraro enim huic instituto paretur,sed eius occasione cõtentiones sæpè, & tumultus oriuntur,nec semper optimus,sed plerumq; ambitiosissimus quisq; procerum cum magna reip.regniq; corruptione sufficitur. Nec proceres regnandi cupidi virtutem maximè colunt,quo se multitudini cõmendent,sed congerendis opib.studeant, vt largitionibus à populo, qui fit accipiendi consuetudine venalis,quod volunt consequantur.

Hæc cum sint maxima mala,& quib.interdum via munitur ad tyrannidem,illa regulorum,tutorumq; & cætera hæreditariæ successionis, quæ obijciuntur incommoda,leuissima his collata videri debent, nec recusanda,sed amplectenda potius condicio,quæ perparua,& tolerabilia incommoda,morum corruptiones,principum contentiones, & neces,interdum etiam tyrãnides pernitiosa mala,& maximas reip.pestes euitat:vt appareat,non temerè, sed magna ratione, magistraq; natura comparatum esse,vt gentes tum barbaræ,tum etiam humaniores, non solum imperio regio libenter pareant,sed etiam id velint posteris hæreditaria successione tradi.Sed de ratione regnum deferendi hactenus. Sequitur,vt de regis officio paulo accuratius differamus.

IOANNIS

IOANNIS GENESII SE-PVLVEDAE CORDVBENSIS DE REGNO ET REGIS OFFICIO.

LIBER TERTIVS.

PRæcepta regibus multa dantur à viris ſapientibus cũcta tamen vnum exitum ſpectantia, vt rex tota mente, omnique ope in eam curam incumbat, vt à regno ſuſcepto, calamitatem, ſi qua laborat, depellat: felicitatem partam rebus omnibus conſeruet. Eſt autem regni felicitas, vt cũ rerum ad vſus, non modo neceſſarios, ſed etiam liberales pertinentium copia, quæ Græcè αὐτάρκεια dicitur, tum pace fruatur: non ſolum ab hoſtibus externis, ſed etiam à ſeditioſis, & improbis ciuibus, vt abſit omnis iniuria, ciues ad omne virtutum gen⁹, quoad fieri poſſit exerceantur; ſic, vt per vſum, & ingentium habitum recte factis oblectentur, quæ his contraria ſunt, odio proſequãtur: quod rex duplici ratione præſtabit, primum ferendis legibus optimis, quæ virtuti egregiæ præmia conſonant, improbitati pœnas conſtituant, auctore Solone viro ſapientiſsimo: cuius non ſine magna cauſa prudentium præconio ſententia illa commendatur, *duabus rebus remp. contineri præmio, & pœna,* deinde exemplo ciues ad rectam viuendi rationem cohortando. Sic enim natura comparatum eſt, vt proceres regis, populares autem procerum mores libenter imitentur. Itaq; regibus prudentiſſime præcipitur, dent operam, vt quanto ſunt honore, & dignitate cæteris ſuperiores, tanto omni genere virtutis excellant, ſummos cum infimis pari iure contineant, nemini iniuriam inferri patiantur. Sic enim fiet, vt rex pariter omnibus carus habeatur, ciuium autem caritas maximum eſt præſidium non ſolum ad corporis tutelam, ſed etiam ad imperij perpetuitatem, cuius caritatis primum, & firmiſsimum fundamentum eſt iuſtitia, qua maxime popularium, & bonorum omnium animi ad regis beneuolentiam alliciuntur, ſi viderint tenuiores cum potentioribus pari iuris æquabilitate contineri, & vtroſq; ab iniurijs, tum internis, tum externis prohiberi: quarum rerum cauſa reges initio ſunt conſtituti. Deinde liberalitate, & magnificentia multitudinis caritas conciliatur; quarum virtutum præceptis pleni ſunt philoſophorum libri. Sed hoc in genere cauendum regibus eſt, ne largitionibus maxime perpetuis remp. exte-

Quis Regi propoſitus finis.

Præmio & poena continetur reſp. iuxta Solonẽ. Cicero epiſt. ad Brutũ.

Regis exemplum tota reſp. imitatur.

Virtutes principi neceſſariæ.

nuent,& publica,regiaq; veſtigalia magnopere minuant.Poſſe enim liberalitate vti,vt viri prudentiſsimi tradiderunt,non ſpoliantem ſe patrimonio,nimirum eſt pecuniæ fructus maximus,cuius cautionis Henrici duo,ſecundus,&quartus,Ioanneſq; ſecundus reges noſtri immemores,alienãdo per donationes regio patrimonio plurimũ Hiſpanæ reip. & poſteritati nocuerunt. Itaq; non temerè viri ſapiẽtes largitionibus, quas corruptelas appellarunt,ſermonis affabilitatẽ in rege prętulerũt, quæ ſcilicet grauitatem,regiamq;maieſtatem retineat,ad multitudinis animos conciliandos. Qua de re Philippi ad Alexandrum,Antipatri ad Caſſandrũ, Antigoni ad Philippũ trium prudẽtiſsimorum regũ epiſtolæ memorantur,quib eis præcipiunt,vt oratione benigna multitudinis animos ad beneuolentiam alliciant,militeſq; blando ſermone appellantes deliniant.Quorum Philippus Alexandrum filiũ accuſans, quod largitione Macedonum beneuolentiam conſectaretur:*quæ te,malum,* inquit,*ratio,in iſtam ſpem induxit,vt eos tibi fideles putares fore, quos pecunia corrupiſſes?an tu id agis,vt Macedones, non te regem ſuum ſed ad miniſtrum, & præbitorem, putent?quo quid ſordidius regi?*

Qui Hiſpaniæ reges nimis liberales.

Largitio non eſt ſatis tuta.

Ceterum aliud eſt largitione popularium beneuolentiam conſectari,quod eſt rege indignum ; aliud egregiam virtutem meritis præmijs non fraudare,quod eſt officium regis,pertinetq; ad iuſtitiam, magis etiam,quam ad liberalitatẽ,quæ niſi fiat cum delectu,&quemadmodum oportet, liberalitatis nomen amittit. Ad quam vtramq; virtutem referenda eſt illa Titi Veſpaſiani imperatoris à multis laudata ſententia, qui oportere negabat, *quenqnam à ſermone principis triſtem diſcedere.* vt illud quoq; iuſtitiæ eſt,& humanitatis, vt ſe adiri rex certis temporib. facile patiatur,& ſui conueniendi poteſtatẽ faciat.Ne miſeris, & potentiorũ iniuriã paſſis,qui in præſidũ fortaſſe negligẽtia,vel ob alias neceſſarias cauſas regis officium imploratũ lõgo itinere, & labore ſuſcepto venerint,malum malo addatur,ſi vel re infecta mœſtiſsimi , & deſperatione pleni diſcedere,vel multorũ dierũ,aut etiã menſiũ ſollicitudinẽ, & impenſam perpeti cogãtur.Quod interdũ etiã fit inſciẽtib.regib. regiorũ adminiſtror.ad quos negotia reijciũtur culpa : quorũ quoldam iã vidimus,ad quos difficilior,quã ad ipſum regem aditus erat.Quod ne accidat,iuſti,ac prudentis regis eſt,diligenter prouidere,ne alienæ ſuperbiæ,vel negligẽtiæ ratio ab ipſo ſeuerius adeo,& hominib.tacito iudicio repoſcatur.Ad ſummã regib. eſt etiã atq; etiã cauendum , ne auarè, neue ſuperbè,aut crudeliter imperare videantur.Ex his enim reb.odiũ, & timor popularib.innaſcitur,quib.malis nihil eſt alienius ad opes, regnumq;tuendum.Nã vt Ennius præclare cecinit:*Quem metuunt,oderunt:quẽ quiſq; odit,periſſe expetit.* Præterea quib.rex propter ſæuitiã eſt timori,hos vt ipſe timeat,neceſſe eſt:qui mutuus timor origo plerumque eſt maximarum in rep.calamitatũ.Cæterũ auarè rex imperare, nõ ideo dicitur,

Aliud eſt præmium dare bene merẽtibus.

Sui conueniendi poteſtatem faciat.

A ſuperbia cauendum regibus.

ſi bo-

si bonum publicum spectans tributa, quæ tum ad publicam dignitatẽ, & imperium tuendum, aut etiã augendum, & populares in officio continẽdos, tũ ad bella iusta gerenda, & externorum iniurias repellendas sint necessaria: huiusmodi enim exactiones iure, moreq; gentiũ introductæ sunt, & ratione naturali, rem Paulo apostolo in primis commendante. Sed tunc demum auarè imperare intelligitur, si tributis inusitatis, aut non necessarijs, nec ad remp. pertinentibus populares grauet, aut singulorum facultates per iniuriam more tyrannorum inuadat. Nec superbè, & crudeliter regnare dicẽdus est, qui malos, & facinorosos homines legitimis pœnis, & capitalibus coercet: cuius rei vt Paulus idem ait, *gladium portat.* sed si odio, vel iræ indulgens, alioue malo inductus in viros probos, & innocentes sæuiat, siue insuspectos, aut etiam criminis conuictos grauioribus pœnis, quã leges permittũt, vel delicti magnitudo poscit, animaduertat, ad summam si se tyrannice gerat. Nã cum cæteros, qui reip. iudicijsq; præsunt, tũ maxime reges decet, ad absoluendum, quam ad condemnandum, ad misericordiam, quam ad seueritatẽ procliuiores esse, & æquitatem vbiq; summo iuri, quatenus res patitur, præferre. Qua æquitate introductum est, vt in delicto ad plurimos pertinente multitudini parcatur, in auctores, principesq; sceleris vindicetur. Qua moderatione Carol⁹ Cæsar pater tu⁹ optimus, & humanissimus princeps cum magna sua laude vsus est in seditionibus Hispaniæ popularibus, & post aliquot annos in Gandauensium defectione punienda.

Tributa sũt principi, pendenda. Rom. 13.

Rom. 13. Non omnis in reos sæuiendum est.

Decimatio Caroli V. Cæsaris in exemplum.

Quo in genere sapientis, & humani regis est; vt beneficia, virtutisq; præmia, sic erratorum, cum oportet veniã per seipsum tribuere, pœnas autẽ legitimas, & supplicia non nisi per magistrat⁹, & iudices rerũ capitaliũ irrogare: vt boni à rege honestari, & augeri, improbi autẽ à legũ custodib. pœnis legitimis plecti videatur: ita fiet, vt rex benign⁹ & idẽ iustus citra sæuitiæ suspicionẽ habeatur. Est enim magna pars iustitiæ, & reip. in primis salutaris scelera, & fraudes; ad summam, genus omne maleficij legitimis pœnis coercere. Nam malis hominib. parcere & mitem esse in facinorosos, & fraudulẽtos, nihil aliud est, quã in bonos sæuire, quorũ illi pacẽ, otiumq; sollicitare, aut etiã saluti insidiari soliti, facilitate veniæ ad facinus inuitantur, Quo magis improbãda est præsidũ, ac iudicum quorundam, seu leuitas, seu ignauia vocari debet, qui precib. victi, vel animi mollitia improbis, & sceleatis hominib. cũ magna bonorũ, & reip. malo gratiam delictorum faciunt. Ad quod crimen proximè accedit quorundam bonorum alioquin, humanorumq; virorũ error importunus, qui humanitatis, ac pietatis officium esse putãt, propessimis, & sceleratis, & impijs hominibus precibus ambitiosis quotidiana consuetudine supplices esse magistratibus, quod nihil aliud est, quam leges non modo ciuiles, sed etiam diuinas, & naturales, quantum est in

Venia interdum danda.

Iniuriam facit bonis qui parcit malis

An pro malis orandum.

est in ipsis, frustrari, quarum legum præsidio bonorum, & reip. otium nititur, & salus. Cultus autem veritatis ex omnibus regem plurimum decet, non dico vt fidem præstet, & iusiurandum, si quod in susceptione regni de priuilegijs, & immunitatibus populis, aut singulis ciuibus irrogatis, cæterisque institutis, & moribus seruandis dederit: quod officium sine magna iniustitia, & animi ad tyrãnidem spectantis suspicione præteriri non potest; nec vt à vanitate, & inutilibus mẽdacijs abhorreat; in quo peccare futilis hominis est, & summæ leuitatis: sed vt nemi nem inani spe iniecta deludat, neminem fallaci oratione circumueniat. Nam sententiam occultare remp. administrantem, sæpe est magnæ prudentiæ, præsertim in bello, vbi etiam vtili simulatione in insidias hostem præcipitare, laudi datur, & more gentium, ac iure diuino, & naturali permittitur. Ceterum dolo malo neminem circumueniet.

Dolus malus fugiendus.

Fides à rege data seruãda

Sed nec à fide temporis gratia, vel hostibus, vel improbis, & seditiosis ciuibus data rex iustus, & prudens numquam discedet, ne si aliter fecerit, violato iure gentium omnem viam pacificationis cum hostibus intercludat; aut vno ciue per insidias capto, cæteros periculoso exemplo deterreat, cogatque suæ saluti, & rebus non suspecta pactione; sed per fraudem, aut vim inita cum hostibus societate consulere, vt magno, claroque documento accidit Alfonsi vndecimi Regis nostri principatu; qui cum esset adolescens, nec satis vsu rerum peritus, occiso Ioanne propinquo suo, quem ad se fide publica venire iusserat, sic cæteros proceres, & consanguineos ciuilium dissensionum auctores conterruit; vt sæpe ab ipso data venia, & bona fide pacificationis, quam omnes cupiebant, causa vocati, venire, seque suspectæ regis fidei committere non audentes, multis iacturis, calamitatibus & indignitatibus implorato finitimorum regum auxilio Castellam diu, atque regem ipsum affecerunt. Præterea quia regnis, quæ hæreditaria successione administrantur, non semper ea felicitas contingit, vt optimi, & prudentissimi reges succedant, *qui per seſe omnia norint*, vt ait Hesiodus poeta;

Consiliarij sunt adhibendi.

Οὖτος μὲν πανάριστος, ὃς αὐτῷ πάντα νοείῃ
Φρασσάμενος, τὰ κ' ἔπειτα, καὶ εἰς τέλος ἦσιν ἀμείνω

Sed quidã interdũ, cũ quib. præclare agitur, si recte consulẽtium monita sequantur, illud talib. regib. etiã atq; etiãcauendũ est, ne se vnius etiã ingenioſi, & rerum periti consilio, voluntatique addicant; sed complurium grauium, sapientiumque virorum prudentia ducãtur, multos consilio, & virtute præstantes deliberationibus, de magnis quidem rebus adhibeant. Non solum quia multorum maior est prudentia, grauior auctoritas, & incorruptior integritas quam vnius; sed etiam quia minus vel inuidiæ, vel indignationis in cæterorum animis existit; quæ

mala

mala ſæpe ambitioſos ſollicitant,& nouarum rerum ſtudium, magnãque perturbationem inducunt,quod Ioanni ſecundo, & Henrico filio Caſtellæ regnum obtinentibus accidiſſe, in regum noſtrorum monumentis legimus. Adhæc, quia regno paulo quidem ampliore non vna tantum,ſed multæ ciuitates,municipia, & caſtella continentur, & ſuis quiſq; populus magiſtratibus gubernatur;prouidendum regi eſt, vt earum communitatum adminiſtratio remp.optimatum ęmuletur.Huius enim cognatum,atq; æmulum eſſe regnum,& res ipſa docet, & philoſophus teſtatur. Eſt autem proprium ſtatus optimatum, vt magiſtratus viris ingenuis,probis,& prudentibus mandẽtur: ingenui verò propriè nominantur,qui nec ſerui ſunt,nec libertini.Seruorum autem nomine quod ad magiſtratus pertinet,mercenarios etiam, & ſordidarum artium opifices,quaſi ſeruos publicos intelligi volunt philoſophi: quibus philoſophis ne forenſes quidem magiſtratibus præfici placet propter auaritiæ, & vanitatis ſuſpicionẽ; quæ inſtitorũ,& minutarũ mercium mercatorũ comites eſſe ſolent:quo in loco Thebanis teſtibus vtũtur apud quos ob eas cauſas,qui intra decem annos mercaturam exercuiſſet magiſtratum gerere lege vetabatur.In regno igitur magiſtratus ſupremos quidem per vrbes regio,aut eorum iudicio probatis,quorum prudentia rex in rebus ſummis adminiſtrandis vti conſueuit;cæteros vero per minora oppida,ſeu vicos, vnde ad vrbes eſt prouocatio,popularium ſuffragio delectis,ſed ex aliquo cenſu deferri conuenit,vt primum virtutis,atq; prudentiæ;deinde etiam diuitiarum ratio ducatur. Paupe ribus enim niſi alantur ex publico,nec otium ſuſpetit, quo poſſint rebus communibus vacare,& à cæteris tum ipſi,tum eorum iuſſa contemnuntur,preſertim à diuitibus,quibus ne audent quidem imperare.Sortitò vero deferre magiſtratus, præter quam ſi fiat inter iam ſuffragio delectos, aut de quorum virtutibus ſit anceps iudicium; ad ſtatum popularem pertinet,genus reip. deprauatum;multifariamq; bono publico nocet: cum ſæpe improbos, ſtultos, pudendoſq; homines optimis, prudentibus, honoratiſq; viris ſorte prælatos videamus, natura repugnante; quæ eadem nos, vſuſque rerum docet, ſummæ vel dementiæ, vel prauitatis etiam rationi, & cõſilio caſum, & temeritatem per legẽ anteferre.Licet enim popularesnonnunquam largitione,aut alio malo corrupti ineptis poſthabeant meliores; plerumque tamen ſi non optimis, certe mediocribus ſuffragantur. Leges autem, in bona rep. quod plerumque ſuapte natura iuſtum eſt, & bono publico accommodatum ſpectare,ſancireque & debent, & ſolent; non ſiquid caſu, & præter cõmunem hominum conſuetudinem poſſit accidere. Qua de re,vt pluribus fortaſſe,quam opus erat diſſererem, me lex popularis de huiuſmodi ſortitionibus hortata eſt;quæ nuper in quædam municipia, & vicos Hiſpaniæ,neſcio quo pacto per quorundam immoderatam cupiditatẽ,

Optimatum ratio habenda.

Ariſt. polit. 3

Opifices philoſophis pro ſeruis.

Mercatores magiſtratũ ne gerant.

Sortiri magiſtratus democratiæ eſt.

Sortitio in quibuſdã Hiſpanorũpagis

 ſtu-

& ſtudium rerum nouarum in malum, & dedecus populorum, vt res ipſa docet, irrepſit; per ſpeciem largitioni, ambitioniq; occurrẽdi, falſam videlicet, impetrata. Quis enim locus his malis extra vrbes relinquitur, vbi magiſtratus ſine mercede geruntur, ab ijs fere, quos rei familiaris anguſtè ſine labore quotidiano ſuppetentis cura ſollicitat, & à publicis negotijs dehortatur? Cæterum ea lex vt contra regiæ, optimatumq; reip. rationem, & bonum publicum eſt introducta; ſic fore ſpes eſt, vt iam vſu damnata breui tempore repudietur, & antiquetur. Verũtamen de magiſtratibus non ſolùm mandandis, ſed etiam corrigendis, & ratione geſti muneris repoſcenda reges Hiſpaniæ parum præceptis philoſophorum indigent; modo placeat, vt placet, morem maiorum, & publicam Hiſpaniæ cõſuetudinem tenere: adiecta præſertim ea prouiſione, qua pater idem tuus, cum magno popularium applauſu ciuitatibus conſulere ſeſe velle, oſtenderat: vt non ſolùm ab annuis & temporarijs magiſtratibus; ſed etiam à perpetuis, vt ſenatoribus, ratio geſtorum munerum repoſcatur; ne impunitate, atq; licentia improborũ audacia, & auaritia creſcat, mediocres autem eſſe illorum exemplo ad peccandum inuitentur. Sed ne hoc prudentiſsimè cogitatum, & alia ſimilia ad pacem pertinentia perficeret, bellis neceſſarijs primum, poſtremò morbis inde contractis, immaturaq; morte excluſus: fecit, quã ſenatores corrigendi prouiſionem à Lycurgo in Lacedæmoniorum inſtituenda rep. prætermiſſam eſſe, philoſophus reprehendit, his verbis: *cum muneribus corrumpi ſenatores, & multa de rebus communibus largiri cernantur, vtique commodius erat, vt is, magiſtratus correctione liber, atque ſolutus non eſſet, quod nunc abeſt.* Qua ratione ductis quibuſdam prætores aulicos, qui quatuor numero regem, conſiliaq; regia per Hiſpaniam ſequuntur, eſſe, vt ſunt, vtiq; in rebus capitalibus ſine prouocatione, & correctione, non placet: nam periculoſum eſſe, & tyrannidi ſimile in rebus maximis ad famam, & ſalutem ciuium pertinentibus hominum arbitrium libere, & impunè, ac non potiùs leges dominari, ſapientib. viris reclamantib. Sed horum ita diſſerentium ratio eſt illa quidem ſpecioſa, atq; adeo iuſta, & recta, ſi homines iniuſti patrato ſcelere, legibus vellent iudicari. Sed tanta eſt multorum peruerſitas, & iniquitas, vt non quid moribus, & legibus conſtitutum ſit, laborent; ſed toti in eam curam inſiſtant, vt admiſſo facinore, & iniurijs illatis, per calumniam, & dolos inſtituta legum, & iudicum officium fruſtrentur: qui iudices ſæpe magnis indicijs, certaq; ratione veritate cognita; tamen quia reorum malitia, & aſtutia legitimæ probationes deſunt, conſtantiores redduntur, ſeueritatem correctionis à ſuperioribus iudicib. metuentes: quibus multa probari nequeunt, de quibus præſens iudex omnia circumſpiciens non dubitauit. Cum hoc igitur timore ſæpe iudices deterreantur, ſæpius etiam iniuſtis prouocationibus, & calumnijs ab officij executione prohibeantur

De mandandis in Hiſpania honoribus.

Geſti magiſtratus exigenda eſt ratio.

Ariſt. lib. 2. Polit.

Prætores ſine prouocatione.

beantur,ſumma ratione, maximaque regum prudentia prouiſum eſt, vt prętores quidam ſine prouocatione,& correctione conſtituerentur, qui non ſolùm circa regiam aulam,quàm ſeditionibus, aut tumultibus ſollicitare ſcelus eſt,imminutæ maieſtati ſimile, facinoroſis hominibus terrori eſſent;ſed rei magnitudine poſcente quoquo verſus miſsi capitales cauſas cognoſcerent,& nullis fraudibus,& calumnijs impedientibus pro ſua prudentia in flagitioſos vindicarent: ne callido legum præſidio per verſutias, & dolos magna flagitia cùm grandi reip. incommodo impunita manerent. Curandum tamen eſt, inprimiſq; cauendum,ne huiuſmodi officio quiſquam,niſi prudens,grauis, integer, iuſtitiæ cultor,iuris,rerumque peritus præficiatur. Quamquam enim multa horum prudentiæ permittuntur:ipſi tamen & debent, & ſolent legibus,& moribus,quoad fieri poſsit ſeruire.

De liberorum procreatione.

De liberorũ procreatione non placet Philoſophis, nec nimis adoleſcentes in matrimonium,nec ſeniores copulari,cum in vtraq; ætate filios,& corpore,& animo inualidos gigni conſtet. Itaq; viris circa annum ętatis trigeſimum ſextum,fœminis circa decimum octauum tempeſtiuas eſſe nuptias, Ariſtoteles decernit. Nam Plato vigeſimum fœminæ,viro trigeſimum nuptijs aptiſsimum eſſe lib.5 de rep.prodidit,& mulieribus ad quadrageſimum,viris ad quinquageſimũ circiter ætatis annum filios procreare,tempeſtiuum eſſe.Quæ cura ſi cæteris hominibus adhibenda eſt,quanto magis regibus, quibus apud Lacedæmonios vxores etiam proceriore ſtatura ducere legitimum erat, vt liberos, qui maternam corporaturam plus etiam, quam paternam referre ſolent,grandiores procrearent.Quamquam in mediocri,aut etiam parua ſtatura magnitudini,tum animi,tum etiam conſilij locus eſt, vt de Iydeo prodidit Homerus:& item viribus ingenuis, quæ viros principes maximè decent,nec enim in his athletarum habitus,& robur deſideratur.Veruntamen corporis proceritate,ſine qua pulchritudo non conſtat,multum accedit maieſtati,vnde nota eſt Indorum, Aethiopumq; conſuetudo;de qua meminit Ariſt.maximà cuiq; ſtatura regnum popularium ſuffragio deferendi,cui ſententiæ, & conſuetudini conuenit, plurimumq; auctoritatis addit Saulis exemplum, qui primus omnium regis nomine Hebræorum genti præfuit. Is enim adeo per Samuelem prophetam,ſpectata non ſolum animi, ſed etiam corporis præſtantia, delectus fuiſſe,ſacra hiſtoria memoratur,de quo ſic ſcriptum videmus.

Quando vxor ducenda. Polit.7.

Procera vxor regi ducenda.

In paruis corporibus maior animi vis.

Reg.1.cap.10

Erat Saul electus & bonus,& non erat vir de filijs Iſrael melior illo,ab humero, & ſurſum eminebat ſuper omnem populum. Quod vero pertinet ad educationem, illa ſumma eſt omnium præceptorum conſentiente ſapientiſsimorum iudicio probata, vt pueri ab ineunte ætate, virtute, vt rebus probis oblectari, turpes odio habere conſueſcant, quam curam olim in quibuſdam ciuitatibus puerorum præfecti παιδονόμοι

Liberorum educatio qualis.

Græcè nuncupati publicè gerebant. Est autem virtus duplex, quo puerorum educatio spectare debet. Nam vt viri non eadem virtus est, quæ mulieris: quoniam si vir ita fortis esset, vt fortis mulier timidus esset; sic alia est imperantis virtus, alia parentis, non solum quoniam imperantis propria virtus est prudentia, sed etiam quia cæteræ virtutes, quæ vtriq; sunt communes inter sese specie differunt: exempli gratia imperantis temperantia à temperantia obsequentis, & iustitia eodem modo Poli. 3. Honoratorum igitur ciuium filij vtraq; virtute excolendi sunt, vt habeant, non modo parendi, sed etiam ciuiliter, si magistratui præfuerint imperandi facultatem; quæ rectè vel togæ, vel militiæ imperãtibus parendo discitur, & comparatur. Futuri autem regis educatio tota ad virtutes imperantis, perfectas scilicet & heroicas, de quibus est in libro de moribus septimo, dirigi debet, & per viros, tum sapientia, tum cæteris virtutibus præstantes tenerior ætas studijs litterarum imbuenda est; firmior autem equestribus, & bellicis meditationibus, & item venationibus quod belli genus est, exercenda, & partim sapientium præceptis, partim summorum, & clarorum virorum, ac principum exemplis ad omne virtutum genus instituenda, sed religione, & pietate in Deum primum omnium, & per omne tempus imbuenda. Quarum rerum causa Persarum reges consueuisse refert Plato, in Alcibiade maiore, quatuor viros in suo quemque genere summos ad filium stirpis maximum & maximi regni hæredem instituendum ex omni ciuium, populariumq; copia sapientissimum, iustissimum, temperantissimum, & fortissimum deligere.

Virtutibus & literis pueri imbuendi.

De militia ac venatione.

Persæ ciuiũ optimũ eligebant qui Regis hæredis pædagogus esset.

Neque vero solum rex futurus, ita vti diximus pædagogorum, paterniſque monitis instituendus est; sed ipse accepto regno per omnem ætatem ita se gerere, vt omnes intelligant, ipsum magno excellentium virtutum præsidio instructum esse; tum ad otium, & pacem cum regni, suaque felicitate fruendum, & retinendum; tum ad bellum, siqua necessitas impulerit gerendum. Nam bellum temere per auaritiam vel regnandi cupiditatem, ad summam sine iusta causa suscipere, impium habetur, & nefarium. Quoniam bella, vt est sapientium consensus, à Cicerone in libro de officijs primo eleganter, vt solet, explicatus, suscipienda sunt, vt sine iniuria in pace viuatur. Nec vllum bellum iustum est, nisi quod aut rebus repetitis geratur, aut denuntiatum ante sit, & indictum, etiam si subsit, vt primum omnium subesse debet, auctore philosopho iusta causa. Iustæ vero causæ belli triplici genere continentur Nam bello iusto propulsantur iniuriæ, ne ciuitas seruire cogatur, quæ grauissima ex omnibus causa est, & maximè naturalis, ad quam repetitio rerum ablatarum, & iniuriarum persecutio refertur. Nam se, suosque defendere, & vim vi repellere censetur, qui hostes illatæ iniuriæ auctores pœna sumpta, rebusque cum primum potest, receptis, extenuat,

Non temere belligerãdũ sed vt in pace viuatur.

Arist. polit. 7 c 14. Iustæ belli causæ.

nuat, cunctatioresque, & infirmiores reddit ad contumelias; vt Innocentij pontificis maximi rescripto declaratur. c. *olim*, & primo. §. *intelligentes de rest. sp.* & innuit Augustinus cum iusta bella definiri solita esse testatur, quæ iniurias vlciscuntur, propulsationem, & vindicationem iniuriarum verbo vno complexus. Oportet enim, vt philosophus ait, hostibus, non solum cum fines inuadunt, sed etiam cum abierint, esse formidabiles. Bello item iusto imperium quæritur in eos, quorum commoditati consulitur, vt peccandi licentia priuati barbari, & à lege naturali aduersis moribus exuti primum, deinde pijs exhortationibus atque doctrina in cultum humaniorem, aut etiam veram religionem reuocati per ciuile, siue regium imperium cunctis rationibus in officio contineantur, quam rationem Gennadius exarchus Africæ vir optimus, & catholicæ fidei ac religionis colentissimus sequebatur, cum gentes paganas interiorem Africam incolentes bello in ditionem redigere, cœptis fauente Deo nitebatur, ob eam dumtaxat causam, vt Christianorum imperio subiectæ commodius euangelica prædicatione, & doctrina in Christi fidem inducerentur, vt Gregorius pontifex maximus, & idem Ecclesiæ doctor sanctissimus, & grauissimus in epistola, quæ est ad eundem Gennadium lib. primi. 73. memorat: eius generis bella maximè commendans, quæ Deo Christo gratissima esse testificatur. Eadem causa veteribus Romanis auctore Augustino suffragatur, vt iure terrarum orbem in suam ditionem redegisse videantur, ad grauia multarum gentium, vt idem Augustinus ait, domanda mala His tertiam iusti belli causam addit philosophus, vt herili imperio, qui ea condicione digni sunt, subijciantur, cuius generis sunt nationes, vbi homines improbi natura proueniunt, & ad maleficia procliues, qui virga ferrea regendi sunt, & ab iniurijs coercendi, vel tales, vt herile imperium æquo animo ferant; vt quædam gentes in Europa, sed multo plures in Asia, quarum populares non recusant, quominus honorum expertes à regibus, & nobilitate loco seruorum habeantur: à qua demissione animi longissimè nostri homines abhorrent, quibus gentibus hoc ipsum vtile est, & iustum, vt non vicissim, sed semper melioribus, & humanioribus pareant, vt horum virtute, atque prudentia per vim, & timorem, si aliter non datur, ipsorum improbitas coerceatur, feritas in humaniorem cultum, & veram religionem reuocetur, & vita, quam quidam ferarum similem degunt, à desidia, vel iniurijs ad iustum, & vtrisque vtilem laborem retrahatur. Quæ causa Lusitanis suffragari videri potest vt ex Nigritis Aethiopibusque & cæteris ad oram Africæ, quam longissimo circuitu legunt, barbaris, agrestibus, & incultis veræ religionis, ac pæne humanitatis expertibus multos bello, vel per aliam occasionem non iniuria in seruitutem Christianorum abstrahant, sub quorum etiam herili imperio tum in præsens, tum in futurum, siue corpo-

Bellum cum barbaris gētibus.

Gennadij exarchi Africæ factum.

Romani an orbem iure subegerint.

Seruitus quo rūdā in Asia & Europa.

Lusitani an recte Aethiopes in seruitutem redigant.

ris, siue animi commoditates spectes, vitam degunt multo optabiliorem, quam in patria, exusta solis ardoribus regione, vbi nudi ab omni virtute, & humanitate alieni ritu belluarum vagantur, vt non iniuriã à capientibus, sed beneficium accipere videantur: quod beneficium licet inuitis cõferatur, & ũiure diuino, & naturali cõferri mihi videatur ad illud euangelicum, idemque naturale præceptum intuenti; *omnia quæcunque vultis, vt vobis faciant homines, hæc & vos facite illis* Non enim quid homines perperam velint, sed quid recta ratione velle debeãt, intueri oportet, vt theologi declarant. Nam velle, & nolle sæpe, vt apud historicos, & cæteros profanos scriptores, sic in scriptura sacra ad approbandi, & improbandi sensum transferuntur. *Non quod volo*, inquit Paulus, *bonum hoc facio, sed quod nolo malum*, id est, non bonum quod approbo, sed malum quod improbo, iudicio scilicet rectæ rationis. Si hæc igitur humana seruitus illi ferinæ libertati iudicio rectæ rationis antefertur, eandẽ seruitutem barbari malle censendi sunt. Sed hæc viderint doctiores, ego nihil statuo pro certo & definito. Cæterum in bellis quamlibet iustis, non tamen ita necessarijs, id est quæ non ad vim, & præsentem iniuriam propulsandam referuntur, suscipiendis, prima cautio sapientis regis, primaque prouisio est, ne opibus, & viribus maius negotium per ambitionem, aut cupiditatem suscipiat; ne vel frustra, & cum temeritatis nota innitatur; vel per magnas ciuium, clientumue, & pacatorum populorum iniurias, & intolerabiles exactiones inopiæ, & infirmitati mederi cogatur. Deinde vt sit commodorum, & incommodorum diligens ratiocinator, vt addendo, & deducendo, quæ reliqui summa fiat, intelligatur. Paruas enim, aut mediocres commoditates magnis iacturis, periculis, laboribusque petere, extremæ dementiæ est. Iusto autem bello ex quacumque honesta causa suscepto, vtrum id ab ipso per se rege, an per duces administrari satius sit, in controuersiam venire potest, quæ deliberatio magnorum, & opulentorum regum est, apud exiguos enim, tenuisque fortunæ regulos, ea res non est consilij. Cum autem per opulentiam, & magnitudinem vtrumque licet, sæpe magnæ prudentiæ est, vtrum magis è rep. regiaque dignitate, & existimatione sit, constituere. Cæterum in popularibus dissensionibus, quibus regis dignitas, & auctoritas, aut etiam salus scelere seditiosorum, perfidorumque ciuium in discrimen vocatur, quia regis præsentia, & bonis, fidisque ciuibus animus accedit, & improbis, & perfidiosis timor injicitur, tum ob hanc causam eiusmodi bella à rege ipso administrari conuenit, tum ne qua suspicio ignauiæ, & timoris oriatur, quæ opinio regis contemptum parit, & nouarum rerum cupidis, & male cogitantibus animos addit. Cuius præcepti clarissimum exemplum pater tuus nuper edidit in Germanica defectione, quam summa vigilantia, prudentia, vir-

Mat. 7. Tob. 4.

Velle & nolle in sacris literis pro probare & improbare. Rom. 7.

Bellum an à rege an à ducibus gerendum.

Carolus V. Germanicũ bellum per se geßit.

virtute, & constantia compescuit. Germania, quæ Io. Federico duce Saxoniæ, & Philippo Hessiæ Lantgrauio auctoribus imperium eius detrectans maximo exercitu coacto tumultuabatur, bello difficillimo pacata.

Bella extra fines melius ab alijs geri.

Quæ vero bella extra regni fines, in prouincijs iustis ex causis suscipiuntur, his gerendis idoneos duces cum summa imperij præficere, cõmodius est, quã regem per se administrare, idque expeditius esse, & magis è dignitate, & grauitate regia notius est, quam vt exemplis, quæ plurima suppetunt, confirmari debeat. Quis enim non videat, sic bellum grauius, & minore tum periculo, tum etiam sumptu, & quod plurimũ refert, minore cunctatione administrari? In consilijs enim, quæ in bello prudentissimis præfectis, & rei militaris peritissimis adhibitis, more prudentium imperatorum coguntur; sæpe magna pars consultorum in rebus periculosis decernendis ore parum libero apud regem loquũtur, dum omnes regiæ saluti maxime consulere videri volunt, & nemo ei auctor esse vult periculosi consilij. Itaque consultorum dehortatione sæpe rex cunctantior efficitur, & belli tempora, magnęq; rei bene gerẽdæ occasiones elabũntur, quod nostra memoria non semel vsu venisse exploratum habeo. Itemque accidisset ad Tunetum patri tuo, si cõsultores audisset; quibus fere omnibus dehortantibus in hostes mouens maximo Turcarum, Afrorumque cum ductore Caradino exercitu fuso, vrbem expugnauit: in cuius olim obsidione Gallorum rex Ludouicus exstinctus fuerat; vt nostra memoria Franciscus ad Papiam cũ magno exercitu à nostris ducibus & militibus victus, & cum multis viris principibus captus fuit. Qui nostri duces gloriæ, & prædæ cupiditate regem cum magno procerum numero, ipsum, vt fieri solet, affectantium deuicerunt, incensi studio naturam, ac difficultates omnes superantes nullum periculum recusarunt. Nam hæc quoque ratio magnis regibus bellum administrantibus est aduersaria. Atque hæc quidem de bellis inferendis.

Tunetum à Carolo V expugnatum.

Defendendi sui ratio.

In defendendo autem si externi hostes fines regios inuaserint, summa, & vtilissima cautio est, & quæ prætermissa maximas, & regibus magnis, & præclaris rebus publicis calamitates attulit; vt coacto delectorum hominum exercitu, ne temere agatur, neue summis copijs prælio cum hostibus decernatur. Nam milites in aliena regione, cum intelligant, sibi aut vincendum esse, aut mortem oppetendam, necessitatem in virtutem conuertunt: ciues autem, & regni populares cum sibi fuga elapsis multa perfugia parata esse videãt, non ita cõstãter in periculis persistũt. Quo factum est, vt Romani in Italia ab Annibale ad Trebiam, ad Transymenum, ad Canas, denique quotiescumque signa cũ eo cõtulerunt, vincerentur. Cuius rei, & causæ memor Annibal, ipse Antiocho regi, (ad quẽ in Africa à P. Scipione victus profugerat)

In patria ro feliciter pugnari exemplis ostenditur.

gerat) ſuadebat, vt bellum à Romanis impendens ex Syria in Italiam transferret, quo conſilio rex contempto victus eſt à Romanis in ſua Syria, & maxima regni parte ſpoliatus; victo enim & ſupplici partem regni conceſſerunt. Idem ac peius etiam accidit Roderico regi noſtro Gothorum vltimo, qui copijs omnibus cum Mauris Hiſpaniam inuadentibus pugnans, & ipſe occubuit, & Hiſpaniam rege orbatam hoſtibus occupandam, & diripiendam reliquit. Hæc igitur temeritas regi vitanda inprimis eſt, ſuiſque bonis, & facultatibus vtendum, vt vim hoſtilem ab vrbibus, & municipijs, caſtelliſque non armis ſolum impoſitorum præſidiorum; ſed muris etiam, & munitionibus, tormentiſque repellat, ſimulque cum exercitu ſuperioribus, & munitioribus locis, tum per ſe, tum per duces occupatis, caſtriſque munitis hoſtes impune vagari ne patiatur, & agrorum populationibus, quoad fieri poſſit, prohibeat, & commeatibus excludat; & oppidis obſeſſis ſubſidium mittat vt ſic hoſtes difficultatibus affecti, vel finibus excedere cogãtur, vel ad iniquam pugnandi conditionem deſcẽdere. Huius vtiliſſimi, ac regno regiqúe, & reip. maximè ſalutaris conſilij auctorem hab mus. Q. Fabiũ Maximũ virũ, maximi tũ animi, tú etiam conſilij, cui *Cunctatori* ex ea re cognomen fuit, quod cunctando, & prælijs, præterquam per occaſionẽ, abſtinendo, euagandi modo licentiam, & libertatem populandi hoſtibus minuendo Annibalem exultantem molliuit, ſuaque patientia fregit, publicæ ſaluti rumoribus popularibus poſthabitis; eaque ratione remp. Romanam aliorum ducum malis pugnis pæne amiſſam & deletam reſtituit.

Arces præſidijs muniendæ.

Cunctandũ interdũ exẽplo Q. Fabij Maximi.

Ennius:
Vnus homo nobis cunctando reſtituit rem.
Non ponebat enim rumores ante ſalutem.

Quod vero pertinet ad iuſti belli gerendi rationem, hæc in lege quadam diuina Deuteronomij ad mores pertinente, ac proinde à Chriſto non abrogata, ſummatim continetur; quæ lex cum gentium more, id eſt cum iure naturali congruens, *ſi quando*, inquit, *acceſſeris ad expugnandam ciuitatem, offerens ei primum pacem, ſi receperit, & aperuerit tibi portas, cunctus populus, qui in ea eſt, ſaluabitur, & ſeruiet tibi ſub tributo: ſin autem fœdus inire noluerit, & cœperit contra te bellum, oppugnabis eam. Cumque tradiderit dominus Deus tuus illam in manu tua, percuties omne, quod in ea generis maſculini eſt, in ore gladij abſque mulieribus, & infantibus, iumentis, & cæteris, quæ in ciuitate ſunt. Omnem prædam exercitui diuides, & comedes de ſpolijs hoſtium tuorum, quæ dominus Deus dederit tibi.* Qua lege declaratur, iuſtum bellum gerentibus more gentium, iureque diuino, & naturali permiſſum eſſe, hoſtem occidere, in ſeruitutem redigere, bonis ſpoliare, vrbes, oppidaque diripere, agros vaſtare, & populari, & modis omnibus hoſtes male habere, donec victoria potiantur, dummodo hæc bono animo fiant, & ad pacem ſpectante. Ergo qui horum malorum vitandi cauſa Chriſtianis omne belli genus vetitum eſſe contendunt, hi quidem in magna iuris diuini, & naturalis ignoratione verſantur, reclamante Auguſtino, *Quid culpatur*, inquit, *in bello an quia*

Iuſtæ belli gerẽdi cauſæ Deut. 20.

Bello non eſſe Chriſtianis interdictum.

du quia moriuntur aliquando morituri, vt regnent in pace victuri: hoc reprehendere timidorum est, non religiosorum. Nocendi cupiditas, vlciscendi crudelitas, impacatus atque implacabilis animus, feritas rebellandi, libido dominandi, & si qua similia, hæc sunt, quæ in bellis iure culpantur. contra Faustum lib. 22. cap. 4.

Hęc Augustinus. Bello autem iusto confecto victori principi, si summo iure innitatur, eodem modo licet hostem interficere, seruitute, & bonis multare. Sed quia interdum *summum ius est summa iniuria, & multa licent, quæ non expediunt,* auctore Paulo; iusti, & humani principis est parta victoria, æquitatem summo iuri præferre, & hostium causam in vtramque partem considerare, mores, crudelitatẽ, mãsuetudinem, pugnandi causas, facilitatem, & vicissim pertinaciam pendere, non odio indulgere, non auaritiæ, cuncta ad bonum publicum referre. Ad summam, nihil amplius vel appetere, vel sæuire, quam ratio postulet illatæ iniuriæ, & publicæ quietis, stabilisque pacis, quæ nihil sit insidiarum habitura. Hunc enim esse iusti belli finem, communis est hominum consensus, id est naturæ decretum, de quo magni viri meminerunt Arist. eth. 10. & 7. Pol. Cice. off. 1. Augustinus in epistola ad Bonif. & hunc morem gentes humanissimas tenuisse legimus, Macedones, Athenienses, Lacedæmonios, inprimisque veteres Romanos, qui habiti sunt in bellis gerendis, vt testatur Augustinus, moderatissimi. Quasdã enim ciuitates à se deuictas leuibus incommodis afficiebant, & æquis condicionibus in prouincias redactas, stipendiarias efficiebant, nonnullas relinquebant etiam liberas, & suis quamque legibus vti permittebant, sed cum hostium grauissima culpa, seu peruersa natura postulabat, oppidis, agrisque multabant, quasdam etiam funditus delebant, vt Carthaginem. Prudentes igitur, iustique mortales ea ratione ius in hostes victos temperabant; quod temperamentum principes Christiani, & solent, & debent imitari, sed ita, vt Ethnicos etiam moderatissimos vt religione, & vera in Deum pietate; sic etiam clementia, & humanitate vincant, tum in bellis gerendis, tum in hostibus victoria parta puniendis. Ceterum hæc monita ad regis officium pertinentia, de quibus hactenus partim rerum vsu, & clarorum virorum exemplis, partim sapientium solertia, & diligente obseruatione docti disseruimus; non vt leges perpetuas, quæ numquam sine culpa prætereantur, accipere oportet. In maxima enim rerum agendarum varietate, & inconstantia, vt supra diximus, nulla lex, nullum præceptum perpetuum esse potest, maximis philosophis auctorib. Platone in libro de regno, & Arist. eth. 5. c. 10. præter quædam latissimè statuentia, quale illud est; *declina à malo, & fac bonum* & illud eiusdem fere sententiæ; *ab ordine naturali ne discedas*. Quæ lege æterna, vt docet Augustinus contra Faust. 22. continentur. Cæterum his præceptis, quæ plerumque salutariter seruantur cognitis, eorumque memor, regis, & regiorum consultorum prudentia, non cõtẽnendis adiumentis, instructior erit ad consilia de rebus sin-

1. Cor. 6.

Parta victoria moderatio est adhibenda.

5 de ciuit. Dei.

Poena hostes multandi.

Leges perpetuo seruandas. Philosophi docent.

Psal. 36.

gulis

gulis ineunda. Leges enim,& præcepta vniuerſe ſcribi neceſſe eſt. Actiones autem in ſingulis verſantur,de quibus rex,& qui reip.præſunt, decerne-e,& iudicare debent. Quæ leges, dum locorum,temporum, perſonarum aliaúe iuſta, & honeſta ratione obſidente ob vniuerſale deficiunt, decreto ab æquitate ducto,per reges,aut magiſtratus, qui reip.cum ſũma poteſtate præſunt,auctore philoſopho,corrigẽdæ ſunt; eodemque modo monita ſapientium per eoſdem ob eaſdemcauſ-s conſilijs prudenter ineundis,quæ ad bonum publicum referantur, moderanda.Quibus reb.explicatis ad reliqua inſtituti noſtri pergamus.

Leges pro ratione temporis moderari poſſunt.

Vrbem loco idoneo condere,quæ imperij ſedes ſit, & regni quaſi caput munus ciuilis,ac regiæ facultatis eſt.Quod interdum facere cogũtur,qui ob aliquam neceſsitatem patria cedentes,in alienas, ſed vacuas regiones cum hominum multitudine ad nouas ſedes quærendas proficiſcuntur.Quamobrẽ hanc quoque partem attingere,non erit alienum inſtituto noſtro. Ergo qui vrbi condendæ poteſt locum ex animi ſententia deligere(nec enim omnibus ea felicitas contingit) is primum omnium regionem conſiderabit,vt dulcium aquarum perennibus fontibus ſcaturientibus,& fluminibus interfluentibus rerum ad victum hominum, & pecorum, armentorumque paſtum neceſſariarum ferax ſit, & ſyluis,vnde materia ædificijs, & ligna neceſſarijs vſibus petantur,abundans.Prẹterea vt nec frigoribus rigeat;nec ſolis ardorib.infeſtetur, ſed ſalubri temperatura commendetur;quod ita demum fiet,ſi medium locorum ſortita ſit, in quarta,vel quinta cæli declinatione, quæ Græce climata nuncupantur,qualem ſitum tota ferme Hiſpania,Italia,Grẹciaque obtinent.

Condendarũ vrbium ſitus & ratio.

Fontibus & ſyluis abundent.

Nam quæ gentes frigidas regiones incolunt, cuius modi ſunt Septẽtrionibus adiacentes,vt Scythę,& Sarmatę,hę animo præſtant,ingenio minus valent;quæ vero calidas, ingenio excellunt, nec ſunt ſatis animoſæ,vt Aſiani plerique,& Afri.Qui vero mortales temperatas regiones tenent,hi animi,&ingenij temperamento vigent,& vtriſq; facultatis officijs ſunt accommodati.Natura enim tractabiles,& dociles generantur ad omne virtutum genus,quib.per leges excolendi ſunt. Nam cum principis,legumque latoris in bona rep.officium, propoſitumque ſit,ciues probos viros efficere hoc tribus rebus contingit,natura, moribus,atque ratione.Virtutes enim morales,quæ per conſuetudinem rectè factorum ingenerantur,haud ita valide animis inhærent,& conſeruantur,niſi virtutibus naturalibus innitantur, id eſt, igniculis quibuſdam à natura datis, qui reddunt ad virtutes aptos,atque procliues; vt vitia naturalia dicuntur,ineptitudines,& tarditates, & ad malum propenſiones,illis igniculis contrariæ.Hæ tamen, tum conſuetudine bonarum rerum tum ratione ſuperantur: quæ ratio pietatem ſceleri, honeſtatem turpitudini,laudem infamiæ præferendam eſſe docet, & pœnarum le-

Septentrionis incolæ animo præſtant ingenio reliquis nationibus minus valent

Tribus reb. probi viri euadunt.

rum legibus constitutarum admonet. Locus autem ipsi vrbi deligendus est; primum omnium saluberrimus, qualis esse traditur, cerniturque excelsus, non nebulis, nec pruinis obnoxius, quique cæli regiones spectet, nec nimium frigidas, nec æstuosas valde; sed temperatas inter septentrionem maxime, & solis exortum. Nam locus in meridiem, occasumue solis vergens, minime probatur: cælum enim meridianũ, vt Vitruuius ait, & res ipsa docet, per æstatem exoriente sole calescit, meridie ardet: quod vero occasum spectat, ortu sole tepescit, meridie calet, vespere feruet. Itaque nimio calore corpora non modo laborant, sed etiam vitiantur. Nam calor excoquens vires naturales exsugit, dissoluitque & corpora reddit imbecilla, & macilenta, qualia sunt pleraque AEthiophum, & Afrorum. Si locus in septentrionem vergat, est ille quidem salubris, sed per hyemem frigore flantibus Aquilonibus riget, vitanda est etiam palustris vicinitas: nam auræ matutinæ, & nebulæ, quæ inde afflantur, exoriente sole, cum per se corporibus humanis noceant, putrescentium aquarum, cœnique tetro fœtore, aut etiam palustrium bestiarum venenatis spiritibus infectæ locum pestilentem reddunt. Hæc est enim, vt arbitror, potissima causa, cur Hispania multo salubrior sit, quam Italia, quod hæc lacubus, & paludibus referta est: per omnem autem Hispaniam salubritas cæli, vt Trogus ait, æqualisque aeris spiritus nulla paludium graui nebula inficitur. Aquarum quoque commoditas plurimum facit ad salutem animantium. Nam quibus rebus sæpe & multum vtimur, hæ salubres sint, an secus, plurimum interest ad valetudinem, cuiusmodi sunt aquæ: quippe quæ non solum potui, sed etiam cibis excoquendis, & multis alijs vsibus aptantur. Eadem est aeris ratio, quem spiritu continenter ducimus ad cordis calorem temperandum.

Quis locus vrbi deligẽdus.

Calor reddit corpora debilia.

Hispania quare Italia salubrior. Iustinus.

Proxima salubritati cura est, vt sit locus natura munitus, & ad hostiles iniurias repellendas accommodatus, qualem esse constat locum editum magno aliquo flumine circũfluente, & præruptis saxis vallatum; cuiusmodi est Toleti situs, ad Carpetaniã circũfluente Tago, & Conchæ in Celtiberia inter Sucronem, & flumen alterũ, vrbium Hispaniæ loco munitissimarũ. Ad quas *Sepulueda* vnde genus nostrũ firmitudine, & munitione naturali proxime accedit, circũfluente Duratone flumine, cuius alueus crepidinib. vtrinq; cõtinetur, saxis, eisdemque præaltis, & in sublime instar muri directis. Qua vero flumẽ intermittit, altero itẽ, sed paruo flumine, & præruptorum saxorum natiuo munimento Sepulueda vallatur, quod oppidum olim *Segobrigam* fuisse suspicor, tum ex loco, & regione Celtiberiæ, tum ex vocabulo coniecturam faciens. Nam quæ nunc *Sepulueda* corruptiore vocabulo dicitur, hanc in veteribus ipsius legibus *Seoluegam* vocitari animaduerti, nomine scilicet, non ita multũ

Locus sit natura munitus

Sepulueda oppidum olim Segobriga dictum.

à primo illo discrepante. Est autem Sepulueda municipium nobilissi-
Eius municipij situs. mum ad Orospedæ montis, qua septẽtrionem spectat, radices, loco sa-
lubri simul, & æquali: qua commoditate Toletum, & Concham vincit
vrbes ad inambulandum, & equitandũ propter soli inæqualitatem ine-
ptissimas: in cuius municipij finibus, & clientela vici trecenti amplius
cum sint, vt ipsum ex magna frequẽtia ad nimiam hominũ paucitatem
peruenerit, sterilitatem montuosi agri, & pacis diuturnitate factum es-
se reor. Nã vt in periculo, & vicinitate hostium, homines ad munitiora
loca etiam sterilia confugiunt; sic in otio, & securitate ad frumentari-
as, frugumq; feraces regiones facile demigrant. Vtrumque igitur cum
salubritate adesse oportet vrbi ratione condendæ; his enim congruen-
tibus in regione temperata, nihil est præterea, quod ad vrbis commo-
dum situm desideretur; si ciuitas sit probis legib. fundata, & rectæ reip.
Fontes & flu- conuenienter administretur. Facit etiam vel plurimum ad naturalem
mina. loci munitionem, & commoditatem, vt non solum fluuius præterfluat,
aut interlabatur mœnia; sed etiam intra dulcium aquarum fontes per-
ennes scateant, aut putei largiter manantes suppetant: tum vt res omni
tempore ad plurimos vsus necessaria, nunquam desideretur: tum ne si
forte hostes in obsidione fluuium auerterint, ciuitas aquarum inopia
Toletum pu- deditionẽ facere cogatur: quæ fontiũ, aut puteorũ commoditas, si Tole-
teis caret. to adesset, nihil erat quod ad firmissimã loci naturalẽ munitionem in
ea vrbe desideraretur: sed ea facultas Toleto tantopere abest vt nullus a-
quæ dulcis fons intra mœnia, aut iugis puteus scateat. Itaque Tago, si
qua ratio iniri posset, vt fortasse non longe ab vrbe, magno licet sump-
tu, & labore posset auerso, ne paucorum quidem dierum obsidionem
Cisterne To- Toletum à magna multitudine intercluſis cõmeatib. sustineret; nisi plu
leti rimis, & capacibus cisternis huic malo prospexisset; sed vt ea caret, sic
Eius soli bo- alias multas, & magnas habet cõmoditates. Quippe cuius regio tẽpera-
nitas. ta est in quinto climate, quo Roma sita est: ager late patens frumenta-
rius, & vini optimi, mellis, olei, aliarũq; frugũ ferax, & in proximo ad
Tagi annis siluestrẽ, & hortis irriguis frequentẽ ripã amœnus; locus i-
pse vrbis quanquã omnib. ventis propter magnitudinẽ per partes expo-
sit⁹; saluber tamẽ est, ac, vt dixi, munitissimus: vt nõ sine magna causa hęc
Toletum re- vrbs à Gothis regib. ad sedẽ, vnde regno moderarentur, cæteris præla-
gia sedes Hi- ta fuisse videatur: accedente ad memoratas causa, quod mediũ Hispa-
spaniæ. niæ tenent. Ceterũ Corduba, vt Toleto naturali munitione, quã asperi-
tas & celsitudo loci, circumuectusq; Tag⁹, præstat, & quibusdã alijs ob
similes causas cedit; sic ceteris fere in reb. & hanc, & alias oẽs mediter-
Cordubæ sit⁹ raneas quidẽ Hispaniæ vrbes situs bonitate vincit, tẽperatura, fertilita-
& soli boni- te, salubritate, & amœnitate regionis præstans: sita est enim in quarto
tas. climate, quod philosophorũ, & mathematicorũ cõsensu tẽperatissimũ
omniũ habetur: ex qua tẽperie magna ingenia ad studia literarum, & a-

nimi-

nimi fortes simul,& solertes ad bella gerenda Cordubæ proueniunt. Vt magno documento sunt in litteris duo Senecæ philosophus,& Tragicus,Gallio orator,Lucanusq; poëta; & Saracenorum tẽpore Auerroes,& Auempaces summi philosophi:in armis autem Gonsalus magnus, & Alfonsus Aguilarius frater,& multi præterea clari bellorum duces; quorum bellicis laudib.posteri Prigenses, Comarensesq; marchiones, & item Cabrensis,& Alcaudetenses comites gloriantur,nihil ipsi à maiorum virtute degenerãtes. Quod verò pertinet ad ipsius vrbis sedem, loco commodissimo partim pleno,partim molliter in solis ortum decliui,& saluberrimo Bætis magni,nobilisq; fluminis ripæ imposita est, & agrum habet vndiq; feracissimũ,sed maximè ab Aquilone,& Austro: hinc enim ager nudus quidem magna ex parte,præter loca vitibus, & oliuis circa vicos consita;sed totius Hispaniæ maximè frumentarius, ab ipso statim Bæte longè,lateq; patet. A septẽtrione vero parua interiecta planitie saltus Marianus exsurgit,oleis omnisq; generis citreis,& præcipua bonitate ficubus,cæterisq; frugiferis arboribus consitus, & passim,largeq; manantib.fontib.irriguus,quorum fontium prædulces aquæ partim arbores, & hortos amænissimos in latere montis rigant: quosdam etiam in subiecta, & suburbana planitie diuino quodam odore,qui ex citrearum floribus afflatur verè fragrantes, partim per subterraneos meatus in vrbem illatæ quoquo versus,tum in publica loca ad communem ciuitatis vsum,tum in arcem,nobiliumq; domos, & sacras ædes deriuantur.In parte verò montis auersa, quæ latissimè patet in septentrionem,vineta longissimo spatio diffunduntur,totusq; mons in multa passuum millia longè, lateq; procurrens nusquam non fruticibus,& arboribus vestitus est;vnde mellis magna copia, & magna venandi,& aucupãdi,& herbosis interiectis locis pecus,presertim capras, quæ virgultis gaudent, pascendi,& indeficiẽs lignandi facultas. Adequas enim generosas,quæ in Bætica feliciss imè proueniunt, & pretiosarum lanarum oues,tum indigenas, tum earum bonam partem, quæ plurimis,magnisq; gregibus in Bæturias hyemandi causa ex remotissimis Hispaniæ locis quotannis coguntur pascendas,eiusdem Bætis ripa, & multa præterea in finibus Cordubensibus pascua loca suppeditant, vnde macello optimorum arietum, & reliqui pecoris magna copia.

Cordubensium ingenia & ars militaris.

Vrbis situs de quo & Ambrosius Moralis.

Equæ & oues Bæticæ.

Cæterum mari impositarum vrbium cum portu naturali, vel manu facto situs propter multas commoditates,quæ per nauigationẽ contingunt,prudentium iudicio maximè commendatur.Nam & hostibus nocendi,& subsidium clientium, aut amicorum ad repellendas iniurias recipiendi maritimę vrbes maiorem facultatem habent,& item rerum necessariarum,quæ desunt ex longinquo inuehendi,& quę de prouenientibus in ipsa regione supersunt,exportãdi. Accedit piscationum oc-

Vrbes maritimæ.

casio,quæ tum pacis,tum belli temporibus potest terrestrium animalium vicem explere,ac vt mensas lautiores instruere.sic popularium famem in inopia subleuare.Sed hæ commoditates ad rerũ necessariarũ, & vtilium copiam referendæ sunt;non ad mercaturam quæstus gratia cum alijs exercendam; ne auaritia mercaturæ comes,& pestis maxima ciuitatum;ad summam *cunctorum malorum*,vt Paulus testatur,*radix*,& origo ciuium animos inuadat. Quamquam maritimis vrbibus nauigandi facultas,vt eas, de quibus diximus, commoditates suggerit;sic interdum non parua incommoda,& difficultates affert:non solùm quia peregrinorum,turbæq; naualis commercio, & consuetudine probi mores recte institutæ ciuitatis corrumpuntur; sed quoniam ager,& villæ viciq; cum sint iniurijs opportuni,sæpè hostium,aut piratarum improuiso aduentu opprimuntur,& aguntur omnia, feruntur q; & homines sine ætatis,aut sexus discrimine, vel necantur,vel in seruitutem abstrahuntur.Quæ incommoda retentis fere, quas dixi, facultatibus vitantur;si vrbs non mari,sed nauigabili flumini non procul mari, & portu imposita sit; quo vel mediocria nauigia compelli possent, vt Roma Antuerpia & Hispalis.Cæterum vbi absunt adiumenta naturæ, & necessitas aliqua, vel aliquæ commoditates loco parum idoneo condere vrbem adhortantur,*secunda*,vt aiunt,*nauigatio* est,vt incommodis,ac difficultatibus ratione medeamur.Nam agri sterilitati,maris,vti dixi, vicinitas medetur,& item nauigabilia flumina,quibus commeatus ex feracioribus regionibus importare queant,fontium, & iugium puteorum inopia,multis,& capacibus cisternis,quibus aqua pluuia per hyemẽ excepta in totum annum suppetat,sarcitur;immunitum natura locum oppetere & manu munire licet,non solum muris egregia firmitudine circundatis,& frequentibus turribus interiectis,& quibusdam etiam à latere paululum excurrentibus,vnde maior est hostes muris succedentes lædendi facultas;sed etiã præaltis fossis,quæ aqua,si facultas adsit,inducta plus etiam munitioni addunt,circumductis.

1.Tim.6.

Nauigatio commodior sit an contra

Oppida fluuium nauigabili apposita.

Quæ natura locis negauit ingenio supplenda sunt δεύτερος πλοῦς.

IOAN. GENESII

SEPVLVEDAE CORDVBENSIS ARTIVM ET SACRAE THEOLOGIAE DOCTORIS, HISTORICI CAESAREI,

EPISTOLARVM LIBRI SEPTEM.

IN QVIBVS CVM ALIA MVLta, quæ legantur digniſsima traduntur, tum varij loci grauiorum doctrinarum eruditiſsimè, & elegantiſsimè tractantur.

AD ILLVSTRISSIMVM DOMINVM LVDOVICVM MENDOZAM MONDEIARAE MARCHIONEM.

IOANNIS GENESII SEPVLVEDAE in Librum Epistolarum.

PRAEFATIO.

EPistolarum genera complura esse, tam verè traditum est à Cicerone, vt nullum sit scriptionis genus, in quo locus epistolis apud viros eruditos non relinquatur. Epistolis sæpè res non solùm priuatim, sed etiam publicè gestæ sic comprehenduntur, vt earum historia non admodum desideretur, quod in eiusdem Ciceronis epistolis animaduertere licet. Epistolis ius quandoq; dicitur, & leges sanciuntur. Principũ enim rescripta pro legibus habentur, vt indicant multa principum Romanorum rescripta, & item leges Pontificiæ, quæ vt sunt; sic epistolæ decretales nominantur. Per epistolas Hippocrates de medicina, Plato, & Heraclitus, & Seneca noster, & pleriq; alij de rebus tum ad naturam, tũ ad mores pertinentibus philosophati sunt, & vt Basilium, & cæteros Græcos Theologos omittam, Hieronymus, Augustinus, Gregorius, Ambrosius quatuor ecclesiæ Latinæ velut columnæ de rebus sacris, & religionem attingentibus per epistolas disseruerunt, & plerosque diuinarum scripturarum locos grauissimè, & diligentissimè tractauerunt, & libros epistolarum confecerunt. Ad summam, vt coram voce, sic cum absentibus amicis sermones de rebus omnibus per literas conferimus. In quibus generib. cùm pro sua quisque facultate versetur, more doctorum hominum comparatum esse videmus, vt epistolas à se paulò accuratius scriptas in vnum quasi corpus conferant, & in codices digestas in manus hominum emittant, idq; ad officium, & humanitatem pertinere putent, si qua ex parte hominum studia suis laboribus, & lucubrationib. iuuare queãt. Ego verò, qui in vario genere versatus sum, prout me scilicet res ad doctos amicos latinè scribere cohortabatur, non eas modò causas, quas cæteri vulgò solent, secutus sum: epistolas meas præsertim de rebus litterarijs recognoscendi, & in libros digerendi, & emittendi, si quid mea industria, & lucubratiunculæ curiosis, studiosisq; hominibus ad rerum vel memoriam, vel cognitionem prodesse possent: & quod me complures amici docti & gra-

& graues ad editionem hortabantur, sed ea quoq; ratione priuatim impulsus, quòd multarum mearum epistolarum exempla ab studiosis, meiq; amantibus adolescentibus collecta, & quedam parum fideliter descripta ferri cognoueram. Cui malo, ne latiùs serperet, per publicam, et incorruptam impressionem fuit occurrẽdum: & simul eadem opera prouidendum, ne locus fraudi fieret, illius simili, qua libros alienos ab improbis, & maleuolis cum insigni auctorum infamia corruptos fuisse constat, per occasionem priuatim libros manu describendi, nondum scilicet inuenta imprimendi ratione, cui commodissima solertia cum publica auctoritas accedat, & fidelis examinandorum librorum diligentia, facile est priuatas fraudes publico testimonio deprehendere, & redarguere, quàm prouidendi curam quo minùs mihi negligendam putarem, fecit falsorum crimnum molestissima recordatio, quibus multis & impudentißimis, per rumores à quibusdam meorum iniquorum in vulgus dissipatos sum lacessitus. Atq; his quidem ex causis Epistolarum librum concinnaui, & typis excusum euulgandum curaui, quem librum ad te mitto Ludouice Mendoza Mondeiarę clarissime Marchio, tenue quidem munusculum, sed vtriusq; nostrum personę conueniens, quod sit meę in te colendum propẽsę voluntatis, & tuorum in me magnorum meritorum memoris animi testimonũi. Quã ego necessitudinẽ non nuper, sed olim cõstitutam habui cũ domo vestra, iam tum ab eo tempore, cum fratres tuos, viros optimos, & Illustres, Franciscum, & Iacobum Romę colere cœpi, quorum alter Episcopus Gienensis fuit, alter Caroli Cęsaris Orator ad Pontificem Maximum ampliss. diu legatione functus. Deinde Bernardinum, qui cum Hispanę classis præfectus esset, Turcis hostibus, quos præclaro nauali certamine deuicit, cęterisq; piratis magno terrori erat, quiq; ea præfectura Ioanni filio tradita, nunc Philippo Regi gratum officium familiariùs præstat, & ad consilium de maximis rebus adhibetur. Antonium enim idcirco familiariter colere non potui, quia paulò antè, quam ego ex Italica longissima peregrinatione in Hispaniam remeassem, ipse in nouum orbem cum imperio, & summa potestate à Carolo Cęsare missus est, vt pro sua iustitia, & prudentia illarum gentium imperium pro Rege procuraret, antequam ipse in aulam regiam vocatus venires: ad quam non solum regio consilio summa eiusdem noui orbis administrationi dicato præes, sed etiam ad consultationes de summis Hispaniæ rebus, & Reipub. statum, siue pax, quieq; sit, siue bellum impendeat, attingentibus pro tua sapientia, & grauitate imprimis adhiberis, quæ magna est, & memorabilis domus vestræ gloria, quinque fratres in summis ab optimo, & sapientissimo Principe propter singularem virtutum vestrarum opinionem delatis honoribus eodem tempore Remp. cum egregia laude gerere. Sed de vestris virtutibus, quanquã

hic locum attingere non fuit alienum, tamen in huius memoria noſtræq; gentis hiſtoria, cuius ipſi bonam partem vobis veſtro iure vendicatis commodiùs memoratur. Librum igitur accipies hoc animo miſſum, quo tenues, ſed addictiſſimi clientes in magnos amicos & patronos ſolent per parua munuſcula magnam gratificandi, & quacunq; ratione poſſint, colendi voluntatem declarare, quem librum ſi per otium legere non grauaberis, inuenies fortaſſe non pauca, quæ te ſcire delectet, & multa literarum ſtudioſis non inutilia, quæ longioribus epiſtolis ſum perſecutus. Hieronymum, & Auguſtinum imitatus, cum quorum multis epiſtolis ſi mearum longiſſimas, quibus varios locos de Chriſtiana philoſophia, alijſque grauibus doctrinis ab amicis prouocatus, atque conſultus tractaui, contuleris, & cuiuſque argumentum ſpectaueris, breues exiſtimabis, ſi quis autem longiores de rebus literatis commentationes, Epiſtolas inepte nominari contendat, is poterit equidem per me eoſdem libros epiſtolares, vt à quibuſdam Hieronymi epiſtolæ inſcribuntur, appellare. Vale.

IOANNIS

IOANNIS GENESII SEPVLVEDAE CORDVBENSIS EPISTOLARVM. LIBER I.

ARGVMENTVM.

Mittit antapologiam pro Alberto Pio.

I. Geneſius Sepulueda, DES. E. R. S. P. D.

EPISTOLA I.

ANTAPOLOGIAM pro Alberto Pio, quam Romæ iam pridem excuſam, cum his ad te literis dedi: ſtatueram tibi primo quoque tempore mittere vt mea potiſſimum opera, factus eius compos, intelligeres me, qui eam operam ſcribendi, non infenſo animo, ſed officij gratia ſuſcepi, minimè abuti velle ignoratione tua, quo liber poſſet interea latiùs, ac liberiùs diuagari. Sed obſtitit huic voluntati, meumq; inſtitutum retardauit honeſtiſſimorũ quorundam, & vtriuſque noſtrûm ſtudioſorũ, ſed nimis cautorum hominum diligentia, qui cupiẽtes omnes inter nos ſimultatis cauſas ſubmouere, lecto libello, temperanda, aut etiam expungenda verba quædam cenſuerunt, quibus ipſi contra meam ſententiam, qui nihil magis toto in libro, quàm vt modeſtiſſimè tecum agerem elaboraui, animum tuum exaſperari poſſe exiſtimabant. Quanquam vno, aut altero loco Italorum potiùs ſtomacho fuit inſeruitum, quos ijdem mihi, niſi ad eum modum prouiſum fuiſſet, iratos fore denunciabant, ſic horum ſtudio factum eſt, vt liber iam impreſſus, non prius euulgaretur, quàm eſſet certis in locis ex ipſorum ſententia, quemadmodum videbis, emendatus. Quod te volui non ignorare, ne, viſis lituris, rei nouitate n, aut diſcrimen de nireris, ſi locis integris, ex impreſſione Pariſienſi, liber ad manus tuas peruenerit. Quod verò attinet ad Obſeruationes Stunicæ, de quibus in eodem opuſculo mentionem feciſcito eas eſſe penes Franciſcum Quignonium, ſanctæ Crucis Cardinalem, non abhorrentem ab illius voluntate, qui moriens, non, vt liber ipſe inchoatus, & impolitus, ſed ſummatim decerptæ ſententiæ tibi mitterentur, mandauit. Quod decerpendi munus, ego eiuſ-

dem Præsulis voluntate libenter obijssem, si mihi per ingentes meas occupationes licuisset, quas tamen, si tibi rem fore gratam intellexero omnes, huic officio posthabebo, daboque operam, vt exemplum ad te primo quoque tempore transmittatur. Sunt autem, si tibi hoc scire cordi est, octoginta omnino Adnotationes in scolia tua in Hieronymi opera ex editione secunda, & plus centum in noui testamenti conuersionem, Adnotationesque tuas ex quarta. Vale. Roma. Calend. Aprilis. 1532.

ARGVMENTVM.

Hortatur Erasmum vt scripta sua purget, ne alijs offendiculo sit.

Ioannes Genesius Sepulueda DES. E. R. S. P. D.

EPISTOLA II.

ACCEPI literas tuas Romæ pridie Idus Octobris, Friburgi decimo sexto Calendas Septembris datas, quo minùs videlicet demirarer, meum libellum tam serò ad te fuisse perlatum; in quibus quod scribis, te consultiùs arbitrari, ad eum non respondere, ne inter nos dissidium excitetur, præ te fers egregiam quandam humanitatem, & sapientiam, qui nolis otium nostrum abstudijs vtilioribus auocatum, molestis contentionibus conteri, eisdemque parum fructuosis. Quæ tui consilij ingenua professio, dici non potest quàm grata mihi fuerit, atque iucunda. Quid enim mihi aut grauius poterat, aut molestius accidere, quam eò detrudi, vt cogerer cum Erasmo, quem velut ætatis nostræ lumen suspicio, simultates inuitissimus exercere? Quanquam istius æquitatis animi tui spem certam nobis fecerat, non modò perspecta prudentia tua, cuius non erat meum officiosè factum in diuersum interpretari, sed etiam epistola, qua nuper Thomæ Caietano Cardinali scripsisti, te sponte quidem tua, sed ipsius auctoritate confirmatum, in eam potissimùm curam incumbere, vt omnibus tuis libris recognitis, hominum etiam morosorum de te querimonijs, sine contentione satisfaceres. Quod opus vt vrgeas, quanquàm vt video, hortatore non eges, tamen pro mea in te singulari beneuolentia, & obseruãtia, ego quoque te iterum, atque iterum oro, & precibus omnibus obtestor, vno siquidem facto (crede mihi) silentium impones obtrectatoribus tuis, & à bonis omnibus egregiam laudem assequeris, & quod maximè conuenit tuæ pietati, firmior ipse iuxta Pauli præceptum infirmiorum imbecillitates sustinebis. Quod verò pertinet ad Stunicæ annotationes, iam Inachi Mendozæ Cardinalis iussu decerptas omnes, & tibi missas, ad tuas manus peruenisse puto. Huic enim, cùm Romam peruenisset, ipsarum commentarios, retẽto exemplo, tradidit Quigno-

nius

nius Cardinalis cum cæteris Latinis libris, eidem ab Stunica legatis. Itaq; præsul optimus, & tui percupidus, meo labori consuluit, quem ipse tamen, vt tibi morem gererem, perquam lubens obijssem. Vale mi Erasme, tibique persuade, me tui esse studiosissimum, & si quid mea opera, studium, ac diligentia præstare poterit, me tua causa nihil non esse conaturum. Vale. Roma Idibus Octobris. Anno Christi nati 1532.

ARGVMENTVM.

Versionem noui Testamenti Erasmi deprauatam ostendit ex Vaticanæ Bibliothecæ exemplari græco, locum item Pauli ad Gal IV. Sina mons est in Arabia. *&c. explicat.*

Ioannes Genesius Sepulueda DES. E. R. S. P. D.

EPISTOLA III.

IAM pridem quid agas ignoramus, ac ne illud quidem exploratum habemus, num ad tuas manus peruenerit libellus Stunicæ, aduersus tuas obseruationes in nouum testamentum, quem superioribus diebus ad te ex vrbe Bononia misimus. Sed quoniam perlatum esse non dubito, & te suspicor ob eius admonitiones, in illis tuis vigilijs accuratiùs recognoscendis, occupatum esse: contra officium, atque adeo pietatem fore putaui, te id celare, quod ad hanc rem etiam atque etiam pertinere arbitror. Scito exemplaria Græca, quæ tu secutus es in nouo testamento, plerisque mendis esse deprauata, iam singulis verbis, iam solidis orationibus sublatis, aut vicissim redundantibus. Quod factum esse reor culpa librariorum, quibus errandi occasionem præbuerint scholia quædam importunè, vt sæpè solet, à quibusdam studiosis in librorum marginibus adscripta. Itaque id malum, semel per errorem à nonnullis admissum, tam latè, vt video, permanauit, vt non solùm excusi omnes libri cum eis erratis circumferantur, sed quædam etiam manu scripta exemplaria ab his mendis non abhorreant. Quo minùs debet mirum videri cuipiam, te, dum cæcos sequeris, ad ealdem salebras offendisse. Est enim Græcum exemplar antiquissimum in bibliotheca Vaticana, in quo diligentissimè, & accuratissimè literis maiusculis cõscriptum vtrumq; testamentum continetur, longè diuersum à vulgatis exemplaribus. Mihi enim cum ab Stunica fuissem admonitus, rem perspicere, & libros conferre curæ fuit. Hoc autem exemplar omnium esse emendatissimum, cùm eius antiquitas declarat, & librarij diligentia, tùm quod multùm conuenit cum vetere nostra translatione, quæ dubitari non debet, quin ex emendatissimo quoq; exemplari conuersa, & tradita nobis sit à maioribus. Cum igitur ad illius exemplaris fidem, & quasi normã cæteri libri sint emendandi, ac dirigendi, quid opus facto

ſit,ipſe conſiderabis:ſic enim habeto,rarò vulgatam Græcorũ editionẽ à veteri tranſlatione noſtra diſcrepare,diſcrepat aũt,vt noſti ſæpiſſimè, vt à Vaticano illo exemplari non diſſentiat,ac ne teneam, trecentis ſexaginta quinq; locis ſcripturæ diuerſitatẽ adnotauimus. Cæterùm,qui me animus impulit,vt iſta te in vniuerſum admonerem,dum tuæ laudi hoc faueo libentiùs,quo mihi cum bono publico coniũctior eſſe videtur,idem tacere non patitur,quod in epiſtola Pauli, quæ eſt ad Galatas capite quarto,iampridem animaduerti.Legebam epiſtolas Pauli,vt ſæpè,iam Græcè,interdũ Latinè ſoleo,prout liber venerit in manus, nõ equidem,vt Latina cum Græcis conferendo, in cuiuſquã inuidiam ingenium periclitarer,ſed vt altiùs memoriæ ſenſa illarum inhæreſcerent. Cum ergo in locum illum incidiſſem, vbi ſic habet vetus tranſlatio, *Sina mons eſt in Arabia,qui coniunctus eſt ei,quæ nunc eſt Hieruſalem,* re diligentiùs inſpecta, non potui non demirari, locorum rationem tantoperè à Pauli verbis diſſidere.Conſtat enim montem hunc,qui coniunctus eſſe dicitur Hierololymis, ab eadem vrbe itinere multorũ dierum abeſſe. Quẽ mihi ſcrupulum multùm etiam adauxit enarratio Thomę,qui prę-fatus hæc inter ſe loca viginti dierum itinere diſtare,eadem tamẽ propter itineris Iudæorum continuationem coniuncta dici interpretatur. Tunc igitur mihi id,quod erat ſuſpicanti, codicem Græcum conſulere placuit, qui mihi facilè omnem dubitationem ademit:ſic enim habet, τὸ γὰρ Ἄγαρ Σινᾶ ὄρος ἐστὶν ἐν τῇ Ἀραβίᾳ συστοιχεῖ δὲ τῇ νῦν Ἱερουσαλήμ. Quorum verborũ germanus intellectus,aut ego fallor,aut longè diuerſus eſt,tum à veteri,tum à tua tranſlatione,quam itidem me videre non piguit.Nam verbum συστοιχῶ neque coniuncta eſſe ſignificat,neque confinia, quemadmodum te miror conuertiſſe. σύστοιχα enim, vt multis in locis docet Ariſtoteles,ſunt,quæ quandam inter ſe proportionem,ordinémue habent: & talis ordo συστοιχία paſſim ab eodem Philoſopho nuncupatur, vt in primo & tertio libro de phyſico auditu: & item in primo τῶν ἀθικῶν τῶν ἀπομαχείων. & alijs pleriſque locis.Sed quanquam nemo,vt arbitor, his verbis frequẽtiùs vtitur, quàm Ariſtoteles,tamen Suidas ipſorũ vim apertiſſimè declarat. σύστοιχα γάρ φησὶ λέγεσθαι ἀλλήλοις τὰ ὁμοίως ἔχοντα πρόσταινα, ἃ κατὰ τὰ ἀναλογίαν εἶη ἂν καὶ τὰ λοιπά vt mihi locº in hũc modũ verti cõmodiùs poſſe videatur. *Agar enim Sina mons eſt in Arabia. Eſt autem eiuſdem rationis, atque ea,quæ nunc eſt Hieruſalem.* Eſt enim ſenſus.Sina, quò per figuram refertur Agar, mons eſt in Arabia, qui eiuſdem rationis, eiuſdemq; proportionis eſt,atque vrbs Hieruſalem, quam nunc oculis corporeis cernimus,nam vt hæc,ſic ille terreſtris eſt,eodemq; modo ambo ſe habent ad ſupernam,hoc eſt cœleſtem Hieruſalem. Hæc igitur vt ad te ſcriberem,me,& officij ratio,& tui ſtudium induxit.Tuum erit, ad nos viciſſim quid ſentias,quid egeris,quid moliaris reſcribere. Vale. Roma decimo Calend.Nouemb.Anno Chriſti nati.1533.

ARGV-

ARGVMENTVM.

Erasmus in Geographia reprehenditur, græcoſque codic. s Romæ in Vaticano ſincerè aſſeruatos oſtendit.

Ioannes Geneſius Sepulueda, DES. E. R. S. P. D.

EPISTOLA IV.

MIror tibi meam epiſtolam cum Stunicæ Annotationibus non fuiſſe redditam, intellexiſſes, nihil me ſeparatim miſiſſe, ſed curaſſe tamen diligenter, vt tibi primo quoque tempore chartæ illæ Bononiæ ab Inacho Cardinali receptæ rurſus mitterẽtur. Quod teſcribis ex literis ipſius intellexiſſe, morientẽ Stunicã mãdaſſe, ne quidquã earũ ederetur in vulgus, ſed ad tuos vſus in bonum publicum reſeruarentur: hoc ego non ignorabam, qui idem tibi fuerã in Antapologia teſtatus. Expedire porrò ad famã Stunicæ, ne emittatur, propterea quod multa ſint in eis friuola, & perperam reprehenſa, tibi haud difficulter aſſentiar: ſed tu viciſſim intelligis, hoc nihilo magis ad tuam laudem pertinere, qui fateris eundem multa bene perſpexiſſe. Quanquam igitur neminẽ puto commiſſurum, vt quidquam edat præter demortui voluntatem poſtremis vocibus teſtatam, erit tamen tuæ humanitatis per occaſionem facere, vt homines intelligant, Stunicam à te non prorſus laude ſua fuiſſe fraudatum, vt ſimul tuo mõre fungaris officio boni viri, ſimul anſam tollas editionis, quam poſſet quiſpiam arripere ingratitudine prętenta. Nihil eſt autem, quod ſpecimen (quemadmodũ, ſi velim, polliceris) aliquorum perperàm ab Stunica reprehẽſorum mittas ad me, cui nihil minùs eſt propoſitum, quàm Stunicæ in omni cauſa patrocinari, præſertim contra te aduerſarium potentiſſimum, & quẽ ſummis ipſe viris parem ſemper iudicaui, & ob eam rem obſeruo, amanterque colo: nec dubito pro tua prudentia, quin iam ſublata contentione, ingenuè ſis admonitiones defuncti, quaſcunque rectas putaueris, admiſſurus. De verbo Pauli *συσοιχεῖ*, ſit ſatis admonuiſſe, mihi tamẽ certiſſima ratio ſemper erit pluris, quã omnes enarratores, vel interpretes, quorum neminem probabo, qui tranſlatis, dubijſque vocabulis vertet, quod auctor proprijs, atque certis prodiderit. Thomam non accuſo, quòd loca diſiunctiſſima coniungat: nam qui poſſum, iter viginti dierum interponentem? Sed quòd vir alioqui doctiſſimus parum aptè Iudæorum itineris continuationem excogitauerit præter mentem Pauli: vt taceam, quòd nullum vnquam iter fuit minùs continuatum, quàm illud Iudæorum, qui tot annos in Arabiæ ſolitudine conſumpſerunt. Cæterùm me hic locus admonet, vt pro mea in te ſingulari beneuolentia, & obſeruantia illud te horter, ne cùm tibi eſt

bi est de oppidorum situ differendum, oscitanter agas, sed Strabonem, Melam, Plinium, aut Ptolemæum reuisas. Nam his paucis diebus, dum Hieronymi epistolas euoluerem, incidi in quædã scholia tua, vbi multò etiam magis tuam diligentiam desideraui. Scribis enim in epistolã ad Euagrium, Rhegium esse oppidum in Græcia, Constantinopolim in Macedonia, cùm hæc haud dubiè, quæ priùs Byzantium dicebatur, sit in parte Thraciæ à Macedonia prorsus auersa, Rhegium in Brutia, quo paruo freto Italia disiungitur à Sicilia. Quod si ad magnæ Græciæ Ciceronis quoque vetus vocabulum spectasti, tamen meminisse debebas, qui Græciam simpliciter dicit, hunc non partem Italiæ videri, sed Atticam, & finitima loca designare. Memini etiam (sed locus excidit) me legere in alio tuo scholio, vrbem Nicopolim ex Augusti victoria nuncupatam, vrbem esse in Thracia, quam esse constat in Epiro prope Actium, ad quod Antonius fuit prælio nauali superatus, sed tibi videlicet imposuit, quòd altera est παράτημα ἐν τῇ θράκῃ. In libello Ciceronis de Senectute adscriptum à te notaui, Capuam esse vrbem in Apulia, quæ tamen caput est Campaniæ, & olim præter Romam Italiæ nobilissima. Nec est absimile huic incuriæ, quod in Ciceroniano me, quem Cordubensem esse sciebas, Lusitanis annumerasti, vt te admonui in meo, quem supra dixi libello. Ac de his quidem, quæ tum leuissima sunt, tum tibi duntaxat non dormitanti facillima, sed magnam securitatem indicantia, te, amicitiæ, vt dixi officijque gratia admonendum putaui, admonitus ipse dicto Pauli, locorum rationenõ animaduersa, parum à quibusdam intellecto. Tuum erit omnia in bonam partem accipere. Quod si à te secus factum intellexero, non ampliùs tibi officijs ingratis ero molestus. Quod pertinet ad librum Pontificium, Græcos codices noui testamenti Græcorum quorundam, vel malitia, vel leuitate fuisse deprauatos, id ipsum, quòd scribis, fides esse debet indubitata, quòd in Græcorum ad sanitatem redeuntium fœdere inito cum ecclesia Romana, cautum fuerit, vt Græci codices ad Romanam lectionem emendarentur, quomodo enim poterãt clariùs vtrique contestari, exemplaria Romana lectionem veram & Germanam retinere, Græcorum esse vitiata? Nam quod ais, Græcam lectionem ex Græcis authoribus esse petendam, diceres aliquid, si rationem Græci sermonis affirmares à Græcis commodiùs, quàm à Latinis explicari, at libros archetypos fundamenta nostræ religionis continentes, qui Græcè fuerunt à suis auctoribus scripti, cur non credamus, sanctiùs, grauiùs, & incorruptiùs asseruatos esse in scrinijs, ac bibliothecis Ecclesiæ Romanę, quæ caput est Christianorum, & semper fuit norma Catholicæ pietatis, quàm in Græcia, quæ sæpe fuit hæreticorum, & leuissimorum hominum fraudibus, & motu rerum nouarum agitata? Quod accidisse certum est in LXX. decreta Concilij Nicæni,

quæ

quæ cùm integra in ſcrinijs Eccleſiæ Romanæ aſſeruarentur, tamen ad orientem in quibuſdam Eccleſijs ab hæreticis incenſa ſunt, in alijs ad minorem numerum redacta, ſublatis videlicet, quæ ipſorum conſilijs, aut conatibus obſtitura videbantur, vt Athanaſius, & cæteri Epiſcopi ex Alexandrina Synodo in Epiſtola ad Marcum Papam conqueruntur, à quo exemplum decretorum ipſorum, quòd petebant, receperunt. Adde quod libri tutiores ab iniurijs eſſe ſolẽt, & minùs à parũ doctis ſcholia ſæpè cũ ſcriptura cõfundẽtib. vitiari, vbi à pauciorib. vel leguntur, vel intelligũtur, niſi fortè hoc dicis, placuiſſe in fœdere, vt dictio Græca emẽdaretur ad Latinam, quod nec eſt probabile, prętęrquã in certo aliquo loco, & nunquam factum fuiſſe certum habeo: nam articulum, quem citas ex aurea bulla, licet duas aureas bullas in libro conciliorum perlegerim, inuenire nuſquam potui. Quam igitur dicas, & vnde nobis petenda ſit, obſecro te, ne graueris ad nos perſcribere. Vale Roma decimo Calend. Iunij, Anno à Chriſto nato. 1534.

ARGVMENTVM.

Locus Matti 7. Moyſes dixit Honora patrem *&c, exponitur, & Matthæi 15.*

I. Geneſius Sepulueda DES. E. R. S. P. D.

EPISTOLA V.

QVam me valde delectent noſtra per literas colloquia de negotijs præſertim literatis, vel ex eo tibi licet intelligere, quòd leues etiam quæſtiunculas argumenta mearum ad te literarum facio, ſi quid tamen poteſt eſſe leue, quod faciat ad intelligentiam ancipitis, & obſcuri loci ſcripturæ ſacræ. Quam tu pro tua pietate, atque doctrina non ſolùm interpretatione noua, ſed ſcholijs etiam, ac iuſtis potiùs commentarijs exponendam curaſti, ac vt video, curare nunquam deſiſtis, mutandis, ſiue augendis locis, ſi quid nactus ſis vel per te partum, vel à doctis amicis, ſi quando id fortè accidit, ſuggeſtum, quod melius, aut commodius tibi eſſe videatur. Scripſeram ad te ancipitem illum locum Epiſtolæ ad Galatas, de monte Syna, & Hieruſalem, quemadmodum interpretandum, exponendumque putarem: tuque meam ſententiam non ſolùm reſcripta Epiſtola, probaſti, ſed etiam editis proximè commentarijs, cæteris omnibus, quod nuper non ſine iucunditate perſpexi, prætuliſti, vt Sina, intelligamus à Paulo dici, *συστοιχεῖν τῇ νῦν ἱερουσαλήμ*, non quaſi coniuncta ſint ea loca, quæ

constat inter se longo interuallo distare, sed quod sint eiusdem ordinis atque rationis. Qui verbi Græci germanus est, atque proprius intellectus. Sed illud miror, quid causæ fuerit, cur qui hanc sententiam auctis scholijs libenter amplecteris, non idem in vertendo latinam orationem ad ipsum sensum accommodaueris, malueriſq; verbum, confinis est, anceps, & translatum retinere, quàm vti proprio, & quod nihil haberet ambiguitatis, præsertim cùm ipse non timidissimè soleas à vetere translatione discedere, ac potiùs cùm iam ibidem mutato verbo discessisses. Quemadmodum igitur tunc Pauli verbum mihi præbuit scribendi materiam, sic nunc locus alter ex Euangelio argumentum Epistolæ suppeditauit, vt exposita mea sententia, ab omnibus, tum veteribus, tum etiam iunioribus, quòd equidem sciam, diuersa, tuum exactissimum iudicium exquiram. sic enim scriptum est in Euangelij Marci Capite septimo, *Moyses dixit, Honora patrem tuum, & matrem tuam; & qui maledixerit patri, vel matri, morte moriatur. Vos autem dicitis, Si dixerit homo patri, vel matri, Corban, quod est donum, quodcunque ex me, tibi proderit.* Sunt autem verba Christi, taxantis Pharisæorum auaritiam, quòd Dei præceptum auara interpretatione molliendo deprauarent. Qui locus, vt nosti, tam obscurus est, & tanta caligine cæcus, vt Hieronymi, Augustini, Theophylacti, aliorumq; maximorũ virorum ingenia mirabiliter torserit, varijs quoq; sensibus excogitatis, ingeniosis illis, quidẽ & à vera pietate profectis, sed partim abhorrentibus à proposita re, partim dictioni Euangelicæ minimè conuenientibus. Quas expositiones referre supervacaneum puto, præsertim apud te, cui nota sunt omnia, quique in commentarijs tuis id, quod verissimum est, solerter adnotasti, principale verbum, vt sit locus eis enarrationibus, in Euangelica dictione desiderari: quod est magnum argumentum, eas loco non satis facere. Hæc ego nuper cùm animo volutarem, cœpissemque anxius, & totus in hanc cogitationem incumbere, in quandam suspicionem veni, quæ si vera est, vt esse arbitror (habet enim magnam ex antecedentibus, relatisque verbis probabilitatem) sensus orationis planus erit, propositoque sermoni accommodatissimus. Suspicor enim verba illa, *si dixerit homo patri vel matri*, hanc habere vim, si dixerit homo in patrem, vel in matrem, hoc est, si maledixerit patri, vel matri; quam Phrasim non abhorrere à sermonis Hebraici consuetudine, declarat illud ex Psal. septuagesimo. *Quia dixerunt inimici mei mihi*, id est, maledixerunt, vt sint ea verba repetitio illius orationis, quæ pars prior est diuinæ legis, quam Pharisæi peruertebant, hoc enim constituto, facillimè sequentium verborum intellectus prioribus accommodabitur, vt pro illa posteriore legis parte, *morte moriatur*, suppositum sit à Pharisæis *Corban ex me tibi proderit*, id est, quodcunque donum obtuleris in templo, me sacerdote intercessore tibi proderit, vt veniam contemptus paterni consequaris, supplicium

videlicet

videlicet capitale, quam pœnam huic flagitio lex diuina constituerat. Phariſæorum auaritia quocunque munuſculo ſacerdotibus tributo exorari poſſe interpretabatur. Nam Corban nomine, vt Marcus ipſe interpretatur, quodcunque munus templo, aut ſacerdotibus collatum intelligitur. Quo vocabulo vtitur etiam nunc Hebraica lingua in eodem intellectu. Itaque Phariſæis auctoribus fiebat, vt praui filij metu pœnæ legis diuinæ liberati, parentum reuerentiam, curamque contemnerent. Hoc eſt enim, quod ſubijcit Marcus, *& vltra non dimittitis eum quidquam facere patri ſuo, aut matri*, vt Matthæus, qui eadem fermè capite decimoquinto prodiderat, apertiùs explicauit, his verbis, *& non honorificabit patrem ſuum, aut matrem ſuam*. Erit igitur ſenſus totius orationis, Lex diuina ſanxit, vt quicunque maledixerit patri ſuo, aut matri, morte moriatur. Vos autem Phariſæi hanc legem peruertentes dicitis, ſi dixerit homo in patrem vel in matrem, hoc eſt ſi maledixerit eis, quodcunque munus obtulerit in templo, me ſacerdote apud Deum intercedente, proderit ei, ſcilicet, vt criminis veniam, ac impunitatem aſſequatur. Deus enim filiorum in parentes officium tam ſanctum eſſe voluit, vt hoc negligentibus, non ſolùm pœna præſens à magiſtratibus, quos latere poſſent, timenda eſſet, ſed lentior etiam ira Dei, quam fallere nemo poſsit, metuenda. Nam cùm honor parentibus tributus longitudine vitæ per legem diuinam, quæ habetur Exodi 20. cap. remuneretur, contumelia vicisſim in eoſdē illata, vitæ breuitate vindicari iure videlicet exiſtimatur: qui metus ad filios in officio continendos accōmodatiſsimus, peruerſa legis interpretatione à Phariſæis tollebatur. Atque hæc quidem mihi venerunt in mentem, quibus locus obſcuriſsimus, & impeditiſſimus, vt putabatur, illuſtrari, expediriq́ue poſſe videatur. ſupereſt, vt ipſe accuratius diſpecto loco, & hac noſtra diuinatione cum cæteris collata, quid ſentias, & quantum ei tribuendum putes, pro tua humanitate, ingenijq́; candore ad nos reſcribere ne graueris. Quanquam enim hanc meam ſententiam facilè quibuſdam prudentibus doctisq́ue viris probaui, plurimum tamen apud nos auctoritas tua valebit in vtramque partem, vt te auctore, grauiſsimoq́ue iudice vel perſtemus in ſententia vel aliquid commodius quærendum etiam nunc intelligamus. Vale. Roma Idibus Februarijs à Chriſto nato. 1536.

Anno.

ARGVMENTVM.

De politicis Aristotelis à se conuersis, & Ethicis in Latinum conuertendis tractat.

I. Genesius Sepulueda Io. Matthæo Giberto Episcopo Veronensi.

EPISTOLA VI.

EPistola tua hoc sum vehementiùs delectatus, quo maiorem mihi nuper dolorem attulerat, tristissimus quidam de te nuncius, qui per vrbem cum magno mœrore nostro, id est tuorum omnium increbuerat. Itaque tibi gratulor primùm, nobisq; gaudio, deinde venio ad eam partem epistolæ tuæ, qua me ex Clementis Pontificis Maximi voluntate, cuius ipse te interpretem esse voluit, dum me in huiusmodi scriptionibus amplius cessare vetaret, adhortaris, vt paraphrasim potiùs Ethicorum Aristotelis conscribam, quàm vt eiusdem de Republica libros, de quibus ego in meis literis memineram, conuertam, & illud pro tua summa modestia adijcis, modò mea nihil interfit, hic mihi, an ille labor iniungatur. Ego verò in minimo discrimine pono, cui nulla est alia ratio negotium susscipiendi, quàm si posset mea industria, dum Pontifici, tibiq; morem gero, studia Latinorum philosophorum, aliqua ex parte iuuare, à quibus quoniam librorum Aristotelis de Republica commodiorem interpretationem multum sciebam desiderari, sperabamque illis meam operam, & in eo præstando diligentiam, nec inutilem fore, nec ingratam, de hoc ipse te celandum non putaui. Tu tamen (vt video) morum doctrinam quæstioni præfers de Repub. & merito præfers. Nam summo bono constituto, maior esse debet cura, quo modo rectè vitã instituamus, quã vt sciamus, quæ sit optima Reip. forma. Licet vtraq; disciplina dignissima sit ingenuo viro, & maximas habeat cõmoditates, multaq; præcepta ad eandẽ facultatẽ, hoc est ad moralem Philosophiã pertinentia. Atq; equidẽ peruelim, si quid in mea industria positũ est, mihi tempus & otiũ dari, quo possim vtriq; cũ aliqua publica commoditate seruire, quã occasionem nec despero, nec si mihi contingat, in animo est perire pati. Faciã igitur quod iubes, teque auctore laborem longum licet, & operosum, susscipiã tamẽ libentissimè. Et quanquã difficilè est eo in loco non vulgariter versari, in quo multi diligenter elaborauerint, dabo tamen operam, vt neq; ego temerè susscepisse, nec vos sine causa mihi negotiũ iniũxisse videamini. Quod eo cõfidentiùs aggrediar, quoniã tria de moribus opera, hoc est ἠθικὰ νικομάχεια, ἠθικὰ μεγάλα, & ἠθικὰ εὐδήμια, in quib. Aristoteles easdem res vario sermone tractauit, ipse mihi lectitando reddidi superiorib. diebus paulò familiariora, dum libellũ scriberem, qui iã nobis peractus

peractus sancitur, de conuenientia militiæ cum Christiana religione, in quo, ad Theologos cum Peripateticis in doctrina morum concilian dos, & multas vtrisque communes, variasque quæstiones è re natas accuratiùs disserendas, necesse fuit hinc sacras scripturas, inde Aristotelis omnes velut arculas diligenter perscrutari. Sed quò res commodius fiat, tuæ partes erunt, per literas agere cum Pontifice Maximo, vt nobis liceat ipsius voluntate Eustratij horum librorum enarrationem, ex bibliotheca Vaticana mutuari. Vale. Roma, Idibus Februarij. Anno Christi. 1534.

ARGVMENTVM.

Petit se excusari à paraphrasi Ethicorum Aristotelis non perfecta, quod iussu magnorum amicorũ libellum ediderit de conuenientia disciplinæ militaris cum Christiana religione.

I. Genesius Sepulueda Io. Matthæo Giberto Episcopo Veronensi S. P. D.

EPISTOLA VII.

BINVS tuus, & idem noster, ex tuis literis mihi nuntiauit, gratum tibi fore, si Latina Ethicorum Aristotelis Argyropoli, vt opinor, translatio, opera mea castigaretur. Ab eo tibi, quid esset mei consilij rescriptum puto. Nam de animo nihil arbitror esse necesse. Magnitudo enim tuorum erga me meritorum facit, vt nihil sit tã difficile, quod tua causa non sim libenter susceperus, adsit modò perficiendi facultas. Nam quod pertinet ad eorundem librorum Paraphrasim, quam Pontificis Maximi voluntate, hortatuque tuo susceperam, scito mihi eam cõfecto secundo libro è manibus excussam esse necessitate quadam parẽdi studio magnorum amicorum, qui à me contendebant, vt libellum ederem, De Conuenientia disciplinæ militaris cum Christiana religione: qui iam mihi confectus sanciebatur, quorum voluntati cum obsistere non possem, coactus sum primùm id opusculum paulò diligentiùs retractare, deinde opera non tam assidua, quàm meum animum sollicitante, nec aliud agere permittente, excusionem Librariorum dirigere, in quo tamen parum profecimam meam curam, illorum negligentia superauit, vt ipse cernes, si libellum, quem tibi mitto, per otium legere non grauaberis. Sed ea cura mihi iam nunc liberato nihil potius erit, quàm vt tuæ voluntati morem geram, siue me Paraphrasim vrgere malis, opera continente, siue hac intermissa interpretationem aliquam Ethicorum Aristotelis è Græco castigare, adiutore Bino, qui mihi vltrò, & liberaliter suam operam non solùm gratam, sed propemodùm etiam necessariam detulit, vt vno tempore alter Græcum exemplar, alter Latinam interpretationem intueatur. Quid igitur iubeas, expectamus. Vale. Roma, 10. Cal. Mar. 1535.

ARGVMENTVM.

Excusat suam in scribendo moram seq; à Carolo V. Cæsare vt res ipsius gestas describeret historicum creatum, quem cum sequeretur iussu Cardinalis Sanctæ Crucis Bononiense Hispanorum Collegium se lustrasse scribit.

Io. Genesius Sepulueda, Io. Matthæo Episcopo Veronensi.

S. P. D.

EPISTOLA VIII.

QVOD tam longo interuallo ad te scribam, noli mea vel obliuione, vel negligentia commissum existimare, sed quòd diu mihi ad scribendum nullum satis idoneum argumentum in mentē venit. Nūc cū Roma post diuturnā peregrinationem relicta, Carolū Cæsarem affectari constituerim, officij esse duxi, te per litteras huius mei consilij institutiq; certiorem facere, vt si quid erit in mea cura, vel diligentia, siue industria, quod tibi à me pro tuo iure præstari velis, vbi gentiū agā, non ignores. Scito enim me, & priùs absentem, ac nihil tale cogitantē in albū Caroli Cæsaris domesticorū esse relatū, & cū ipse Romā peruenit, vt se sequerer ab eodē fuisse iussum, dato negotio, vt res ab ipso, ipsiusq; auspicijs gestas conscriberē, nec id ambitioso eius consilio, quo nihil est (vti scis) φιλοτιμότερον, sed more maiorū. Nam Regibus Hispaniæ legitimum est, doctos homines habere, qui suorum temporū historiam diligenter, ac fideliter persequantur. Quam conditionē hoc ego libentiùs accepi, quòd planè intelligebam non id mihi, quod quibusdam scriptoribus accidit, esse verendum, ne me vel rerum tenuitas inopem orationis, vel Principis, cuius gloriæ cupidus essem, socordia, vel morum prauitas mendacem, & assentatorem faceret, quorum vitiorum odium mihi natura insitum esse profiteor, cùm illud sit potius metuendum, ne ingenium materia, virtutibus illius mea scribentis oratio inferior esse videatur. Cùm huius rei gratia ex vrbe proficiscerer, iussit patronus meus Sanctę Crucis Cardinalis, vt obiter Collegium Hispanorum Bononiense ipsius fidei patrocinioque creditum, & cuius me fuisse alumnum gloriari soleo, reuiserem, & cùm in vitam, moresque singulorum sodalium, vt fieri consueuit, inquisiuissem, censorem, ac si res posceret, etiam legum latorem agerem, Pontificia videlicet, seu magis Apostolicam vocare oportet, auctoritate, & facultate mihi proficiscenti tradita, quo munere præstando, cùm hæc scriberem eram occupatus, ne quis me posthac contemnendum putet Solonis, atque Lycurgi æmulum. Sed ridicula missa faciamus. Huic ego muneri cū satisfecero, me in Castra CAROLI Cæsaris conferre cogitabam, vt experiar quanta philosophandi sit occasio inter tormentorum tonitrua, clangoresque tubarum. Quanquam si leges, quæ clamore forensi

renſi delectantur, inter arma, vt eſt in Prouerbio, ſilent, quantum in Caſtris ſilentium eſſe debet muſarum? quæ ſolitudines in primis amant, & præter murmur aquarum, auicularumque concentus omnem ſtrepitum exhorreſcunt. Seueriores igitur muſas cum Philoſophia, dum ſe fragor iſte, ac tempeſtas remittat, valere, & ad vos potiſſimùm nota via, veſtrumq; muſeum properare iubebimus: vnde nouos quotidiè fœtus cum publica ſtudioſorum commoditate, tuaq; egregia laude prodire in manus hominum vehementer gaudeo, me tamen in Caſtrenſibus moleſtijs ſtudiorumque iactura, illa cogitatio nonnihil ſolabitur, atque iuuabit, quòd quæ memoriæ poſteritatis tradenda ſuſcepi, hæc eo commodiùs, & cum maiore fide proditurus eſſe videor, ſi me poſteri rerum geſtarum non ſcriptorem tãtùm, ſed teſtem etiam fuiſſe cognouerint. Vale Bononia, decimo Calen. Iulias. Anno Chriſti. 1536.

ARGVMENTVM.

Deſcribenda hiſtoria officioſa epiſtola Io. Matthæi epiſcopi Veronenſis.

Io. Matthæus Epiſcopus Veronenſis Io. Gen. Sepulueda. S. P. D.

EPISTOLA IX.

ETSI ex amicorum literis de noua iſta tua profectione, atque conſilio certior antè factus fueram, non negabo tamen, iucundiſſimũ accidiſſe, me ex tuis potiſſimùm etiã literis idẽ poſteà cognouiſſe. Etenim ea res magno mihi argumento fuit, me ex animo abs te ſemper fuiſſe dilectũ, cùm hoc tẽpore in iſtis occupationibus, atque iſta adeò noua Cęſaris familiaritate animaduerterim, te neutiquam paſſum eſſe, mei memoriã ex animo tuo excidere. Ac quòd tu quidẽ tanti Principis iudicio dignus habitus ſis, qui in ipſius domeſticorum numerũ aſcitus, eius res geſtas, gerendaſq; monimentis literarum mandes, ac poſteritatis memoriæ tradas: ſanè hic haud facilè videor mihi poſſe explicare, vtrum tibi ne magis, an illi gratulandum putem. Siquidem, quod ad te attinet, nõ poſſum dubitare, ſi tu in hoc ſcribendi genere hiſtoriæ accommodato, quemadmodum in cæteris, quibus adhuc animum applicuiſti, elaborare volueris, futurum, quin pro egregia opera egregiũ etiam præmiũ appareat: quanquã, vt nihil aliud eſſet, ſatis magna ſẽper laborũ atq; ingenij tui merces eſſe poſſet, eaq; ingenuo viro maximè digna, quod tanti Principis iudicio vnus tu præcipuè ex omnibus literatis delectus dicereris, cuius ingenio, atq; eloquentiæ, adde etiam in ſe beneuolentiæ, res ille ſuas, alioqui per ſe clariſſimas ſemper futuras, illuſtrandas committeret. Quamuis neque ille credo non prudentiſſimè, vt omnia ſua, hac in re, hoc ſuo conſilio vſus eſt, quòd intelligeret, ad egregi-

gregiã, quam ad istam rem facultatem es apportaturus, vt res eius exornes, beneuolentiam etiam quandam necessariò quasi esse adhibiturum, quippe cùm facere non possis, quin ad eius præcipuas laudes communes etiam nationis tuæ adiungas. Quocirca vtrique magnoperè gratulor, tibi quòd in id solum incideris, ex cuius diligenti cultura non nisi vberrimos fructus meo iudicio sperare possis, & illi item rursum, quòd industrium adeò, ac diligentem, ac beneuolum, sibi agricolam nactus sit, qui quæ egregia in eius fundo nata viderit, ea non modò non deperire passurus sit, sed longè plura, si fieri possit, ac certè nitidiora effecturus. Quod autem de seuerioribus musis scribis, te videlicet iussurum illas, vt interea dum tu inter medios armorum strepitus, & tormẽtorum fragores versaberis, huc ad nos adproperent, nobiscumque maneãt, est sanè istud etiam tui erga nos amoris signum vel præcipuum, cùm videlicet, quæ charissima habes, ea te apud nullos meliùs depositurum putes, quàm apud nos: sed eæ metuo ego, ne tui desiderio minùs libenter sint apud nos permansuræ, neúe tandem nobis relictis, te in castra potiùs prosequantur, ibique tecum molestijs illis perferendis malint consuescere, quàm hîc in pacatissima quiete nobiscum viuere. Vale Veronæ. 8. Calend. Sexti. 1536.

Scripta iam epistola, neque dum tamen obsignata, redijt ad me Flaminius meus, qui mirabilia quædam mihi de opera tua narrauit, quam tu apud se mihi, vnquam vsu veniret, liberalissimè pollicitus sis. Ego mi Sepulueda, etsi nullum in ista pollicitatione noui amoris signum video quod natiuo illo tuo ingenui animi candore confisus, meique item in te contra optima conscientia, cui non ita fortasse facta respondere potuerunt; nunquam potui dubitare, me abs te non vehementer diligi, ac propterea, quicquid istius modi inter nos fieret, non debere mirum videri, tamen non secus, atque si id mihi permissu tuo facere licet, gratias ago, petoque, vt quam hactenus in me tam gratam, tamque liberalem voluntatem pre te tulisti, & pre te ferre quotidie non desistis, mihi posthac in perpetuo conserues, de meque vicissim tibi ea pollicearis, quæ de viro tibi amicissimo vnquam posses polliceri. Iterũ cura, vt valeas.

ARGVMENTVM.

Ostendit quanto cum desiderio Ciceronianum Erasmi legerit, eiusque frigidum nimis de se iudicium culpat.

I. Genesius Sepulueda Alf. Valdesio. S. P. D.

EPISTOLA X.

ERasmi tui Ciceronianum tandem aliquando nactus cupidissimè perlegi, accenderat enim meam cupiditatem eius operis videndi, non

non ſolùm commendatio tua, qui Eraſmum in cæteris operibus cũctis æqualibus, in Ciceroniano ipſum ſibi præferre videbaris, ſed etiam longioris temporis expectatio. Nam quo magis homines noſtri, id eſt, Hiſpani, quàm Itali Eraſmi eruditionem, & facundiam demirantur, hoc eius ſcripta tardiùs ad hos, quàm ad illos perferuntur. Ita factum eſt, vt priùs in Hiſpania Ciceronianus conſeneſceret, iam iterum, vt video, regeneratus, quàm planè primos in Italia vagitus ederet. Cùm nuper igitur in eum Bononiæ peregrinantem apud Adrianum Brandum Germanum hominem, vtriuſque linguæ peritum incidiſſem, arctè complectens deſideratiſsimum libellum libenter perlegi, non quidem, quòd ea gloria magnoperè fruerer, quam noſtrorum quidam, qui Eraſmi ſcriptis vtcunque celebrari, optabiliùs, quàm inaurari putant; mihi fuerant ex honorifico teſtimonio polliciti, qui Geneſium Romæ nuper edito libello præclaram ſpem de ſe præbuiſſe, in eodem Ciceroniano teſtatur, nam huiuſmodi teſtimonium, præſertim tanti viri etſi non eſt omnino contemnendum, friget tamen in cauſa hominis hac ætate in ſenium ſcilicet vergente, & cuius extant non pauca opera ab ipſo, vel elucubrata, vel ex Græcis philoſophis conuerſa, ex quibus quid iam eſſet, non quid eſſet futurus, æſtimari debuit, præſertim ab eo, qui, cum libet, vel ex vnica edita epiſtola iudicium facere ſolet. Ergo me in Ciceroniano non tam mentio de me non inhonorifica delectauit, quã quòd Eraſmi ingenium perlibenter agnoui, feſtiuum, argutum, vrbanũ, & ne Africæ quidem, vt ſe frequentiùs aliquid noui afferat conceſſurum, qui mihi viſus eſt in eo libro omnes huius memoriæ doctos ad cõuiuium magis copioſum, & ſumptuoſum, quàm lautum inuitaſſe, quorum cùm ſciret nonnullos eſſe faſtidientis ſtomachi, atque gulæ nimiũ ingenuæ, quibus nihil placeat, quod non ſit condimentis Ciceronianis apparatum; hos arguta ſanè oratione, & planè Eraſmiana nititur ad ſanitatem reuocare, vt improbum delicatioris, magnoque emendi cibi amorem exuentes, robuſtiore eodemque parabili contenti ſint, nimirſi ne ſuam menſam magnificè cunctis dapibus, præterquàm Ciceronianis epulis inſtructam aſpernentur. Vale.

ARGVMENTVM.

Alf. Valdeſij inſcribendo raritatem ignoſcit, fratreque eius ſummæ ſibi curæ eſſe ſignifiat.

Ioannes Geneſius Sepulueda Alfonſo Valdeſio. S. P. D.

EPISTOLA XI.

ACcepi tandem literas tuas eruditiſsime Valdeſi, quæ mihi, quo fuerunt optatæ magis, hoc iucundiores cõtigêre. Quòd reſcribendi officiũ longiore tempore prætermiſsũ excuſas, & te negas in eo

præstando solitum esse amicos negligere, tibi facilè assentior, non solùm quia, quod ad me attinet, me non penitus tibi negligendũ putabã sed quia te semper, vt humaniorib. disciplinis excultum noui, sic egregia quadam prudentia, & humanitate præditum esse existimaui, in eos præsertim amicos, quos tibi communitas studiorum, & aliqua non vulgaris eruditionis, nec à virtute abhorrens opinio conciliasset. Illud potiùs suspicabar, te grauissimorum negotiorum, vel copia implicitum, vel magnitudine pressum leuioribus his officijs non vacare. Sed quæcunque ea causa fuerit, superioris temporis cessationem facilè condonabimus, si eam, quemadmodum ostendis, in posterum frequentioribus epistolis aliqua ex parte resarcies. Id autem in primis à te certior fieri cupio, num epistola, quam tibi ad Erasmum misi, ad manus eius peruenerit. Quòd meas nugas videre cupis, de quibus Narcisum nostrum nescio quid tibi narrasse scribis, libellum fratri tuo ad te mittendum dedi, eumq; tibi diligenter commendarem, nisi erraret, vt Poeta ille ait, *qui commendandum se putet esse suis.* Rogas porrò, vt ipsum fratrem tuũ, si ad me venerit, non secus, ac teipsum recipiam. An ego possum aliter eum recipere, quem cùm video, siue stet, siue incedat, siue taceat, siue loquatur, quidquid denique agat, vel non agat, teipsum videre puto? & quod est non minore admiratione dignum, non solùm facie, sed etiam doctrina, ingenio, moribus, studijs ipsis te vsque adeò refert, vt tu ipse, non frater tuus esse etiam atque etiam videatur. Faciam igitur quod scribis. Ego verò antequam scriberes, faciebam, iam enim fueramus sæpiùs de te primùm, deinde de studijs nostris collocuti. Egoq; libẽter ei, ac liberaliter, si quid in me opis esset, cuncta pollicitus sum, & quoties permissum reposcet, præstabo. Vale 7. Calend. Septemb.

ARGVMENTVM.

Scribit Alberto, principi Carpensi, quod Meteorologica Aristotelis in latinum conuerterit, & Carolo Cæsari dedicauerit, eundemq; ad bellum contra Turcas Viennam obsidentes, suscipiendum oratione incitauerit, cuius transmissæ censuram postulat, præterea de scriptis Alberti pij contra Erasmum.

Io. Genesius Sepulueda Alberto Pio Principi Carpensi.

S. P. D.

EPISTOLA XII.

PRopediem fore spero, Illustrissime Princeps, vt tibi per literas in tanta Cæsaris indulgentia, & liberalitate gratulemur, interea meæ nugæ erunt mihi pro argumento. Meteorologiam Aristotelis, quam scis à me in latinum fuisse conuersam, Carolo Cæsari dicaui, & Placentiæ dedi. Paulò pòst eundem ad bellum in Turcas, Viennam obsidentes, oratione sum adhortatus, quam amicorum hortatu impressam ad te mitto: quam vellem, vt ante editionem censuram tuam subijsset

subijsset. Sed quoniam id non licuit, illud saltem delectabit, qualis tibi, cùm legeris, visa fuerit, intelligere. Audio te nescio quid in Erasmum parare, noui tuam, & prudentiam, & grauitatem, sed tamen illetam incunctanter, nolo enim dicere impudenter, quæ ipsi verè scilicet, & vt Stunica clamat, verissimè obieceras, inficiatur, vt sit difficile calamum continere. Si Alpes non intercederent, crede mihi, iã ad te aduolassem, vt fruerer tuo desideratissimo, & iucundissimo colloquio, sed temporum difficultate, & locorum distantia deterreor. Noui, quod ad te ab alijs non putem perscriptum, nihil habeo. Vale.

IOANNIS GENESII SEPVLVEDAE CORDVBENSIS EPISTOLARVM.

LIBER II.

ARGVMENTVM.

Deflet obitum Iacobi Stunicæ, in cuius obitum epigramma à se Conscriptum, Episcopo Burgensi transmittit.

Io. Genesius Sepulueda, Inacho Mendozæ Episcopo Burgensi.

S. P. D.

EPISTOLA XIII.

RAVISSIMVS mihi, peracerbusq; fuit nuntius, pater Ampliss. qui nuper ad nos allatus est de obitu Iacobi Stunicæ, in quo iacturam magnam literæ fecerunt, virtutesque omnes. Nam cùm moriens omnibus, qui hominem familiari consuetudine nouerant, ingens sui desiderium ob humanissimos, iucundissimosq; mores reliquerit, meus tamen dolor ob eam rem fuit præcipuus, quòd redamari me ab eo viro intelligebam, cuius virtutes, hoc cæteris altiùs perspexeram, quò diutiùs ipsũ, familiariùsq; coluerã. Ita cũ alij doctrinã modò illi° & vrbanitatẽ amplecterẽtur, ego multas pariter, magnasq; virtutes in eo demirabar, ingenij candorẽ, & cũ libertate quadã ingenua, morũ atq; verborũ honestatẽ ac pudorem inatũ, vitæ singularem innocentiam, mentis religionem

nem præcipuam, & cum his omnibus incredibilem quandam consuetudinis suauitatem. Quæ cùm nuper, sedato dolore, altiore cogitatione reuoluere cœpissem, venit mihi in mentem, breui quodam Epigrammate mores, atque ingenium illius describere tentare. Quod cum his literis tibi mitto, cui Iacobi Stunicæ nomen curæ esse certum habeo, vt si inscripto Marmore tumulum eius de more prænotare tanti putaueris, quod vt facias, te etiam atque etiam oro, habeas incultum fortasse Carmen, sed tamen eiusdem ingenio, & moribus cum certissimo testimonio accommodatissimum. Vale.

EPIGRAMMA IN OBITVM IACOBI STVNICAE

FLETE virum Charites, iacet hîc virtutis alumnus
Stunica laus secli, deliciaq; sui.
Vos quoq; lugete heu Musæ, nam vtrunq; colebat
Ille chorum sanctè, gratus vtriq; fuit.
Virtutumq; gregi charus, languere videntur
Doctrina, & probitas, cumq; pudore iocus

ARGVMENTVM.

Inacho Mendozæ de incolumi in Ecclesiam suam reditu gratulatur, eiusque vitæ commoditatem & studiorum occasionem prædicat, adiuncto suo in patriam remeandi proposito.

Io. Genesius Sepulueda Inacho Mendozæ Cardinali Romano, & Episcopo Burgensi S. P. D.

EPISTOLA XIV.

INCOLVMEM te grauissime præsul in tuam ecclesiam peruenisse, quod scire mihi magnæ curæ fuit, vehementer gratulor, tibique & precor, & cupio ex sententia res omnes euenire, vt ipse, quemadmodum optabas, otio fruaris honestissimo, & tuæ fidei commissum populum optimis institutis, & vitæ similis exemplo sanctè, & iustè moderaris, quo munere nihil esse arbitror, nec gratius Deo, nec hominibus fructuosius: credendum est enim Paulo, qui regnum Dei iustitiam esse tradit, pacemque, & gaudium in spiritu sancto, in hoc enim ait, qui seruit Christo, placet Deo, & probatus est hominibus. Ad has vitæ commoditates cùm accedat summa in altissimo isto recessu studiorum occasio, quid tibi deerit ad eam felicitatem, quę maxima potest hominibus in

bus in mortali vita contingere? præsertim vrbanas molestias recordāri, quæ plerisque libertatem, non solùm studendi, sed etiam liberaliter viuendi tollunt. Quanquàm enim Romæ magna est optimorū, & vetustissimorum librorum copia, frequens doctorum hominum cōcursus, quib. reb. studia literarū alūtur, difficilè tamen est in fortunæ quasi officina, vel suis, vel alienis cupiditatibus non inseruire, atque alijs ex alijs nascentibus negotijs inextricabilibus non implicari. Quarum rerum tædium impatienter ferens, statuo equidem vrbe relicta, in patriā longo post tēpore, hoc est, decimo octauo meæ peregrinationis anno, cùm tricis me quibusdam explicauero, remeare, vt in otium, ac libertatem assertus, aliquando musarum liberiore, secretioreque commercio fruar. Noui, quod ad te non putem pleniùs, certiusque aliorum literis perscribi, nihil est. Erasmus quid agat ignoro. Num Stunicæ adnotationes in nouum testamentum à te missas acceperit, ad tuamque epistolam responderit, scire peruellem. De studijs meis, erat enim nonnihil in manibus, scribam cùm erit tempestiuius. Vale Roma Idibus Augusti Anno Christi. 1533.

ARGVMENTVM.

Narratio admirabilis quinque facinorum Romæ patratorum post Clementis Pontificis in Galliam discessum.

I. Genesius Sepulueda Inacho Mendozæ Burgen. Episcopo, & Ecclesiæ R. Cardinali. S. P. D.

EPISTOLA XV.

NE meum officium in scribendo requiras, qui operam petis, argumenti genus non perscribis, accipe Tragœdias, non quas poeta quispiam sit ingeniosè commentus, sed quę Romę his paucis diebus post Clementis Pont. in Galliam discessum patratæ sunt. Pessima quædam mulier, Cassandra nomine, iuuenis amore capta, vt sublato de medio sene marito, expeditius adultero commodiusque vacaret, cui etiam se nupturam sperabat, adolescentem sibi notum adit egenum, & audacem, cupiens eius manu ad mariti necem abuti, pretium sceleris proponit decem aureos numos. Adolescens conditionem haud prorsus aspernatus, quinque accepit statim, totidem accepturus, cùm necem patrasset. Postridie mulierculæ domum adit, maritum inuitat ad animi causa vrbem peruagandum (erat enim vtrique cōiugi familiaris) egressumque domo per loca ducit inhabitata. Cùm ventum esset ad amphitheatrum, locum insolentem, & sceleri peropportunum, adolescens marito insidias vxoris, & conditionem sibi oblatam exponit, monetque, vt ad tempus vrbe decedens, vxoris conatus deuitet, &

quid optimum factu sit, interiecto tẽpore consideret, simulq; acceptos numos ad viaticum peregrinationis tradit, sed vt sceleratæ (inquit) fœminæ sidem peractæ necis faciamus, & reliquum propositæ mercedis ad præsentem meam indigentiam alleuandam eliciamus, terram hîc in secretiore lo o suffodiamus, & hac leuiter, fruticumque ramusculis, te mortuo similem, sed ore libero ad spirandum supersterni tantisper patere, dum ego vxori tuæ gladio meo te confossum, & hîc semisepultum esse renuntiem, & dubitantem, vt par est, adducam. Quæ cùm placuissent, rebus sic conpositis adolescens ad mulierem reuertitur, mercedis reliquum petit necati mariti, quem semiobrutum terra fruticibusque sub amphitheatro reliquisset. Fide non satis habita verbis, eadem in locum sepulturæ ducitur, maritum agnoscit, mortuum credit. Dum reuertũtur, ad forum boarium prætores officiales cum satellitib, occurrunt. Hîc mulier furore cæca, & sceleris conscientia exagitata, inclamare cœpit, & fidẽ militum implorans, Hunc, inquit, (monstrabat aũt adolescentem) hunc sceleratum cõprehendite, qui meũ hodie maritũ interemit. Adolescens verò captus mulierculã màgis capiendã esse clamat, totũ crimen in eã reijciens, & illa capta, rẽ hic ordine officiali narrat, missisq; satellitib. senex ab amphitheatro, nondum enim recesserat, adducitur, omnibusq; custodiæ traditis, & re per quæstionem cognita, viri dimittuntur, fœmina plectitur pœna capitali. Mulier altera pellicatus impatiens, sæpe maritum incusabat, iam precibus, & lacrymis, interdum agens liberioribus querelis, ille verò tantò magis incẽdebatur ad adulteria. Quod vxor animaduertẽs, nec se ludibrio, contẽptuiq; haberi ferens, dormientem obseruat, atq; tonsorio cultro membrum genitale cum testic l s abscindit, quo vulnere miser paulò post expirauit, ipsa dum hæc scriberem, è vinculis causam dicebat.

Pharmacopolæ duo Valentini Romam aduecti, magnam ex suo artificio pecuniam cõmuniter confecerant, magnaq; concordia vixerant, ita, vt vterq; alterũ facto testamento hæredem scriberent. Horum alter natu minor monstrum sceleris, & ingratitudinis sola hæreditatis cupiditate ductus, eidem amico & socio cognomine Vreæ, cui omnia debebat, necem moliebatur. Ad quod perficiendum duos milites Hispanos, vel potiùs Sicarios denis aureis numis, quos in hoc ipsum ab eodem amico fuerat mutuatus, cõduxit. Hi quo res facilius perficeretur, tertium pari pretio ad societatem sceleris inuitant, cui neganti se temerè conditionem accepturum, ne fortè imprudens in amicum incideret, nisi priùs se, cui, & à quo malum paretur, edocerent, Alfonsum Petrum Castillegium ciuem meum virum domi nobilem, qui tunc fortè præteribat, digito monstrarunt, atque eum esse, cui insidiæ pararentur, confirmauerunt, tum pro sceleris auctore alterum ipsis notum hominem nominarunt, qui cum ipso prætereunte litigaret, scilicet, vt personis

fal-so

falsò nominatis,rectiùs,tutiusque Tragœdia perageretur. Erat autem Alfonsus Petrus militi, cui pro ignoto monstrabatur, ex castris notus, & amicus; cuius ille,vt saluti consuleret, conditionem militibus se se accipere dixit, & tempore,si vocatus esset, præsto futurum ostendit.Sed ab his digressus,amicum adit, periculum, quod ipsi à duobus mercede conductis militibus Hispanis impendeat, proponit, vt caueat hortatur,seq; domi diligenter,sed maximè noctibus contineat.Ille,qui nullius iniuriæ tanto odio dignæ sibi conscius erat,dolum, & auaritiam in indice paupere subesse suspicatus,tamen propter iniectum scrupulum gratias agit pro indicio,rogatq; ne se anxium, suspensumq; relinquat,sed cæca solicitudine liberet,& ex duabus penulis, quæ sibi suppetãt,alteram sibi sumat.Index animaduersa suspicione, & suis verbis fidem derogari molestè ferens,donum repudiat,& amicè se,ac syncerè rem detulisse confirmat,& quò magis fidem faceret,milites,& insidiarum auctorem nominauit,& vbi diuersarentur,exposuit. Hoc Alfonsus audito,quanquam litis, aut simultatis nihil ei cum auctore nominato intercedebat, tamen denuntiati periculi magnitudine commotus,indice digresso,rem cum amico,& contubernali communicat, qui sibi negotiũ auctorem adeundi,ac de simultate,odijq; causa percunctandi suscepit.Sed vbi domum peruenit, ipsum ad ianuam sedentem, pedes,manusque morbo articulari implicitum offendit hominem, vt exornatu,& familia cõijcere licuit,grauem,& honoratũ, ex quo rẽ per se suspectam,falsam omninò,atq; fictam esse iudicans, apud eum de insidijs mentionem facere leuitatis esse existimauit. Quo renuntiato Alfonsus temperare sibi in tanta solicitudine nõ potuit,quin sumpto gladio,accito eodem amico & socio,milites adiret,& de insidijs ad se perlatis cum ipsis expostularet.Seque solicitudine,quacunque ratione daretur,explicaret. Sed cùm diu quæsitos non inuenissent, Deo scilicet flagitium nec peragi, nec impunitum relinqui volente, se se domum appetente nocte receperunt. Postridie manè ex amicorum sententia Præsidem de rebus omnibus certiorem facit. Quo iubente primùm auctor sceleris commentitius, & index,deinde sicarij, postremò verus auctor Tragœdiæ à sicarijs proditus cum fratre conscio capiuntur. Omnibusque in vincula coniectis,non diuturna fuit, nec difficilis causæ cognitio,nemo enim factum negauit, omnes citra quæstionem initum consilium confessi sunt.Itaque cæteris dimissis,in sicarios, & auctorem cogitati facinoris capitaliter animaduersum est. Huius frater ad triremes damnatus.

Nec silentio prætereundum est eisdem ferè diebus duos honestos,& bene numatos homines à suis seruis occisos esse,& spoliatos. Audisti immania,execrandaque flagitia,nunc audi casum miserabilem. Scortum Hispani generis lepidum,vt ferebatur,& formosum,mula, vt Romæ me-

mæ meretrices cum amatoribus solent, animi gratia gestabatur. Hæc cùm veniſſet ad Thermas Diocletianas, viuarium ferarum ingreſſa, nec contenta cicures vagantes ſpectaſſe, precibus contendit, atque egrè impetrat à belluarum magiſtro, vt ingenti vrſo cauea ſeparatim incluſo, ſed quem conſtabat in neminem anteà deſæuiſſe, exitum aperiret. Facta poteſtate vrſus erumpit, mulam terrefacit, excuſſam mulierculam, cæteris, qui aderant, diffugientibus, inuadit, dictoque citiùs ſtrangulat, & contrito capite, primùm auulſa vbera, deinde natem alteram deuorat, vnguibus & dentibus laceratam. Efferatam beſtiam exiſtimo colore coccinæ veſtis, quam induerat miſella, ſpeciem ſanguinis præferentem. Hæc omnia Romæ patrata ſunt paucis poſt Pont. diſceſſum diebus. Sed boni conſulimus, quòd Italia nullo infeſtatur bello, quo nomine iam video publica etiam latrocinia nuncupari. Vale Præſul grauiſsimè, cui omnia læta feliciaque precor. Roma, pridie Nonas Nouembris. Anno Chriſti nati. 1533.

ARGVMENTVM.

Gratias agit Ludo. Auilæ pro commentarijs rerum à Carolo Cæſare in Africa geſtarum, ad ſe miſsis, multumque ſe ijs iuuari in bello Africo conſcribendo.

I. Geneſius Sepulueda Ludo. Auilæ S. P. D.

EPISTOLA XVI.

COmmentarios rerum à Carolo Cæſare in Africa geſtarum, quos à te magna diligentia, parique ingenio confectos Garſiæ Laſſo ad me mittendos dediſti, libentiſsimè perlegi, & vtriq; veſtrum pro magno, & mihi maximè optato munere, ingẽtem habeo gratiam. Quãquam vos pro talibus officijs gratiarum actionem non expectatis, quibus video propoſitum eſſe gloriam bellicam laude literarum cumulare, & huiuſmodi ſtudia cunctis rationibus fouere, vt laudare magis debeant homines inſtitutum veſtrum, quam pro eo vobis agere gratias. Sic igitur habeto, nihil mihi hoc tempore gratius his tuis monumẽtis euenire potuiſſe. Nam etſi ex duplicibus commentarijs aliorum, & multorum præterea, qui rebus interfuerunt, ſermone, hiſtoriam huius Africi belli conſcripſeram, tua tamen diligentia multum me iuuari poſſe video, fide porrò, & auctoritate in ijs, de quibus ambigebam vehementer confirmari. Quibus adiumentis inſtructus, libenter ſcripta mea de ſacro bello recognoſcam, aduerſus Chriſtiani nominis hoſtes piè à Carolo Cæſare Rege noſtro ſuſcepto, cui, debellato Caradino, debetur etiam de Solymano Turcarum Rege in eodem ſuo duce deuicto triumphus. Vale. Roma, Pridie Idus Ianuarij.

ARGV-

ARGVMENTVM.

Io. Geneſio ſe ad omne officium præſtandum offert Alphonſus Valdeſius, eiuſque literis ad Eraſmum miſsis reſpondet.

Alphon. Valdeſius Io. Geneſio Sepulueda S. P. D.

EPISTOLA XVII.

LITERAS tuas vir ornatiſſime ſumma cum voluptate legi, in quibus tuam erga me voluntatem, atque beneuolentiam, de qua certè nunquam dubitaui, facilè perſpexi. Perſpiceres & tu viciſſim meam erga te, ſi aut ſermone, aut (quod longè eſſet gratiùs) re ipſa id tibi probare poſſem. Attamen nunc, cùm nec opere, nec ſermone quidquam valeam, ſupereſt, vt aut tu pro tuo candore mihi credas, aut occaſionem ſuppedites, qua, quis ſit meus erga te animus aperire valeam. Quas ad Eraſmum dediſti literas, an ad eũ peruenerint, neſcio, certè ex his, quas ex Auguſta illi ſcripſi, periêre. Lucubrationes tuas, quas ſumma auiditate perlegi, propterea non laudabo, quòd magis illis detrahere, quàm conferre meum encomium poſſe videatur, nec vacet illas pro meritis laudare. Fratrem meum tibi commendaui, nimirũ eruditiſſimo viro literarum ſtudioſum, ſed video tuam erga me beneuolentiam meę commendationi locum prȩoccupaſſe. Vale. & me, quod mutuò facies, amare perge. Bruxellis. 18. Calend. Nouemb. 1531.

ARGVMENTVM.

Carpit tacitè Alphonſum Valdeſium quod nimis Eraſmo tribuat; eoſque qui contra Eraſmum ſcripſerunt, defendit, & ſe vt amicum in Eraſmum ſcripſiſſe apologiam, non vt obtrectatorem.

Ioannes Geneſius Sepulueda Alphonſo Valdeſio. S. P. D.

EPISTOLA XVIII.

ACCEPI literas tuas, ſeras illas quidem, & cùm Eraſmi reſponſum ad antapologiam pro ipſius in conficiendis libris celeritate iam expectarem, ſed quibus moleſtiam, quã ex meo libello maximam te cepiſſe profitebaris, vigentem adhuc, nec ſe ſpatio temporis remittentem prætеferebas. Itaque vehementer eos incuſas velut ingratos, & importunos, qui Eraſmum, de bonis literis, ac religione quotidiè benè merentem, libellis omnino inutilibus à tergo confodiunt. Quod qualecunque ſit, ignoſcendum eſt dolori tuo, propter nimium amorem, quo tãtoperè proſequeris Eraſmum, tamq; ſolicitè ſtudes

ipſius gloriæ, vt in aliena eius cauſa plus penè tu, quàm ipſe in ſua, labo rare videaris. Cæterùm, qui ſcribunt in Eraſmum, primùm de bono opere (vt eſt in Euangelio) non lapidant ipſum, deinde quāquam tibi videantur errare, ſic tamē exiſtimant, libellos ſuos non inutiles eſſe, ſed commodiſſimos potiùs, aūt etiam neceſſarios, partim bonis literis, partim religioni, cuius nomen libenter omnes vſurpamus, & noſtris inſtitutis prætendimus. Quod verò ad me attinet, quem non prorſus ſano conſilio, ſed ingrato ānimo illam ſcribendi operam ſuſcepiſſe confirmas, non mihi tam moleſtum fuit meum inſtitutum parum probari à te iudice in Eraſmi cauſa perquàm ſuſpecto, quàm illud iucundum, quod affectum animi mei in virum optimè de me meritum non potuiſſe te non laudare conſcribis. Quod porrò te ais egiſſe cum Eraſmo, vt omiſſo libello ad literas tantùm meas reſponderet, (in quo vereor, ne tibi nō ſit morem geſturus) meq; amicū potiùs, quā inimicum habere curaret, facis tu quidem & amicè, & perhumaniter, vt te pacis auctorem præbeas, & amicos tuos ad mutuam inter ipſos concordiam cunctis rationibus adhorteris. Cæterùm ego, qui officij duntaxat gratia cauſam egi Alberti pij, vt amicus admonitor, non vt infenſus obtrectator in Eraſmum ſcripſi, vt quod idem ex religione, dignitateq; ſua facturus mihi videretur exponerem, non vt ipſum ad dicendi certamen prouocarem. Parebo igitur libenter tuis monitis, nec vlteriùs vt ipſe admones, niſi me itidem officium, etiam atque etiam adhortabitur, progrediar equidem, vt teneam meam conſuetudinem, neminem ſine cauſa neceſſaria, vt iniuriam repellam, lędendi, non vt ei occurram ſuſpicioni, à qua me tantoperè dehortaris, ne gloriæ ſtudio voluiſſe videar cum Eraſmo cōtēdere. Nam ex alterius iniuria famam aucupari, miſerrimi ingenij eſt, & nulla ſua virtute freti, qualis ille fuiſſe traditur, qui Dianæ Epheſiæ templum incendit, de quo vide, ne non ſatis opportunè memineris. Illud enim in eos duntaxat conuenit, qui cum nulla ipſis adſit induſtria, nulla denique vel ingenij, vel animi virtus, qua poſſint nomen ſuum illuſtrare, per omne facinus præpoſteram nobilitatem quærunt. At ego, neque ambitioni ſeruio, nec ſi vel quàm maximè ſeruiam, ſum adeò ignauiæ, aut infirmitatis conſcius (quod ſine arrogantia dictum accipi velim) vt quærenda mihi eſſe putem flagitioſa compendia, quo poſteris me vixiſſe teſtatum relinquam, aut ex tali certamine temerè ſuſcepto gloriam poſſe mihi tantoperè contingere, quàm ipſe putas, qui Eraſmum, quaſi numen par Dianæ, Mineruæque ſuſpicis, & eius ſcripta, dictataque velut oracula, legis. At ego in ea regione multos annos cum viris doctiſſimis, & eloquentiſſimis, quorum laudem æmulari ſoleo, vixi, vbi longè aliter, certè non tam magnificè de Eraſmo docti homines, quàm tu, multique noſtræ gentis vel ſentiunt, vel loquuntur, vt intelligas, me Eraſmum, vt non contemno, ſed potiùs magnifacio, ſic

non

non tantoperè demirari, vt quemadmodum ipſe videris innuere, glorioſum putem cum eo certare, cuius ſcripta, qua parte Chriſtianam philoſophiam attingunt, quaque verſatur meus libellus, theologi, fortaſſe non rectè, plurimi tamen, contemnunt, & ſic aſpernantur, vt quod ipſe non ignoras, multis in locis minimè ferenda eſſe contẽdant. Tu igitur hoc tribuis Eraſmo, quod ipſe fortaſſe non agnoſceret, nec omnium in ſe ſcribentium conſilium tam magnificis verbis damnaret, præſertim poſt illam diſputationem, qua vſus in eum ſum in hoc, qui te tantoperè offendit libello, ad ſimilem, quam de Alberto Pio idem moueratſuſpicionem minuendam. Vale.

ARGVMENTVM.

Recenſet oſtenta Romæ, menſe Auguſto viſa, eorumque cauſſas & effecta, & Plinij locum reprehendit lib. 2. Arcus noctu non fit.

I. Geneſius Sepulueda Io. Valdeſio. S. P. D.

EPISTOLA XIX.

EGo ne vt meminerim, tibi me de portentis commentatiunculam promiſiſſe? Portentum id eſſet, meminiſſe quod non fuerit. De cometis vt aliquid ſcriberem, à quibuſdam me rogatum eſſe, tibi hoc ipſum mecum nuper agere incipienti, ac de oſtentis, quę his paucis diebus viſa ſunt, aliquid ex me, vt aiebas, audire cupienti, dixi, ſcripturum nemini, propter ingentes meas occupationes, promiſi. Sed tu videlicet quod non apertè negatur, id promiſſum ſtatim interpretaris. Nec tamẽ te miror, & inſolẽtia rerum commoueri, & placita de his Philoſophorum velle cognoſcere. Nam quæ ſingula, & longiſſimo interuallo cum admiratione mortalium ſolent exiſtere, hæc multa vno Auguſto menſe nuper accidiſſe notauimus: nam ſeptimo Idus, Cometa duabus ampliùs horis ſolis exortum antecedens flagrare cœpit. Pridie Idus, tertia fermè diei hora ad Troiam Apuliæ tres ſoles viſi ſunt. Idibus ipſis, prima nocte, alter Cometa, qui ſolem duarum circiter horarũ interuallo ſequebatur, eadem forma viſus eſt, ſed minor, & ſubobſcurior, & alijs ſtellis vicinus: nam matutinus cum Venere exoriebatur, à qua veſpertinus longè diſtabat, magno argumento errare, qui negant hos fuiſſe diuerſos. Quarto Cal. Septembris, Iridem noctu (quod eſt omnium rariſſimũ) ſecunda poſt ſolis occaſum hora ſupra Romam cõſpeximus. Quoniã igitur te video non ſine cauſa cupere de his oſtentis, quid viri doctiſſimi ſentiant, intelligere, auctores, locaq; indicabo, vbi quæſtionẽ accuratiùs diſputatam inuenies. Lege primum, & tertium Ariſtotelis Meteorologicorum librum; Plinij naturalis hiſtoriæ ſecundum; Se-

necæ quæſtionum naturalium primum,& ſeptimum,nihil fortaſſe prę tereà deſiderabis.Si ſummam quæris,quod non promiſi,præſtabo.Quæ res Cometa dicitur, eadem variata figura, varijs nominibus appellatur, quem nuper vidimus vterque à promiſſa velut iuba in ſpeciem barbæ,πωγωνίας à Græcis dicitur.Ignes id genus, quacunque figura frequentiores conſpiciantur,Ariſtoteli ſiccitates, ventoſq; portendunt,velut abundante calido, ſiccoq; halitu, qui ventis iuxta & cometis pro materia eſt,niſi quòd cometæ in loco ignis appellati fiunt, cùm ea materia compactior, & ad ignem ex motu cœli concipiendum opportuna facta fuerit. Venti infra montes altiſſimos ex hac eadem, ſed rariore, & fluida, dum à terra ſubit,generantur: quanquam eis principium motus ſupernè adeſt. Plinius maiorum malorum prænuntium cometam facit,& rem, magnis bellorum ciuilium,& Principum occaſuum exemplis confirmat.Cui Lucanus aſtipulatus ait,

Crinemque timendi
Sideris,& terris mutantem regna cometam.

Seneca temperat hanc ſententiam vno duntaxat exemplo, nec à Plinio præterito,eius cometæ,qui Cæſare Auguſto principatum ineunte, orbi ſalutaris apparuit.Geminati ſolis,qui παρήλιος à Græcis appellatu cauſa eadem eſt propemodùm,quæ cæleſtis arcus. Nam cùm radij ſolares in nubem denſiorem incidentes ita replicantur, vt colores duntaxat quoſdam nubes oſtentet,arcus efficitur,aut virgæ nuncupatæ,cùm porrò figuram etiam reddit,& æquali denſitate tanquam ſpeculum efficitur,ſol geminatus videtur, & pluuiam imminentem Ariſtoteli portendit. Arcum fieri poſſe noctu,veteres ante Ariſtotelem negauerant, nondum erat videlicet ob eius raritatem tunc à viris doctis animaduerſus. Itaque ſolis tantum, non etiam lunæ replicatos in nube radios poſſe illam arcus ſpeciem oſtentare putabant. Quorum errorem Ariſtoteles in tertio Meteorologicorum libro refellens, ſua memoria bis viſum teſtatur, ſpatio tamen annorum ſupra quinquaginta.Nam rariſſimè fieri,ipſe quoque confitetur,nec vnquam niſi vno die menſis,hoc eſt,in pleni lunio,cum luna plena lumine, frequentiores,vehementioreſq; radios emittit. Itaq; Plinium auctorem alioquin grauiſſimum magnoperè miror,quid ei venerit in mẽtem, vt nihil veritus tanti Philoſophi auctoritatem,ſic in ſecundo Naturalis hiſtoriæ libro ſcriptum reliquerit: *Arcus noctu non fit, quamuis Ariſtoteles prodat aliquando viſum. Quod tamen fatetur idẽ non niſi triceſima luna poſſe* Paucis verbis multa peccata. Primum negat noctu fieri poſſe Iridem. At nos ipſi nuper Romæ cum multis conſpeximus, partem circuli quarta maiorem abſoluentem, qui à Vaticano monte, quà Septentrionem ſpectat, meridiem verſus aſſurgebat. Deinde ſummi Philoſophi teſtimoni-

um

um nulla certa ratione reijcit. Tum eundem non nisi tricesima luna arcum noctu fieri posse professum esse tradit. At ille in plenilunio duntaxat, hoc est, luna quarta decima prodidit. Quanquam is, quē nuper Romæ vidimus, non in ipso die pleniluniȷ, sed postridie apparuit, atque adeò quadragesimaoctaua circiter hora ab ipso temporis puncto, quo sol aduersus plenè lunam illustrauerat. Sed hæc hactenus, quę si tibi breuiora, quam pro rei magnitudine, & difficultate videbuntur, meminisse debebis, nos rei summam epistola perstringendam, non quæstionem libro accuratiùs disputandam suscepisse. Vale Romæ, Nonis Septem. Anno Christi nati. 1531.

ARGVMENTVM.

Suam cum Roderico Manrico amicitiam confirmat, eiq; mittit commentaria Alexandri Aphrodisiensis in libr. Aristotelis περὶ τῶν μετὰ τὰ φυσικὰ à se conuersa & Romæ edita, eumq; vt eadem accurate Parisijs recudi procuret, hortatur.

Io. Genesius Sepulueda Roderico Manrico.

S. P. D.

EPISTOLA XX.

EX literis, quas proximè ad Pontium tuum, vel nostrum potiùs misisti, quo in me animo esses, quantiq; faceres meas nugas, intellexi, simulq; tuam indolem, studiaq; perspexi. In quo enim ab eo petis, vt auctor interpresq; fiat amicitiæ inter nos conciliandæ, prætefers cū egregia humanitate magnum quendam virtutis, ac literarum amorem. Nam licèt ipse nihil in me agnoscam ista opinione tantoperè dignum, tamē, qui absentem, & ignotum ob nullam aliam causam diligit, quàm quòd eū, & probum, & eruditū arbitratur, hic nihil aliud amat, quàm virtutem, & doctrinam, quod magnum est insitæ virtutis & honestissimorum studiorum argumētum. Tibi ergo magnā habeo gratiam, quòd me tua beneuolentia non indignum existimaueris, me verò ad te diligendum, & amanter colendum multa cohortantur. Primum ipsarū, de quibus dico, virtutum, & literarum studium, virtus enim ipsa sui lena est, atq; blanda conciliatrix; deinde generis tui claritas, tandem quòd à te prouocatus in amore vinci, turpissimum esse magnis auctoribus existimo. Cuius mei animi, vt te per literas facerem certiorem, eidem Pontio viro optimo, & grauissimo me diligenter adhortanti, libenter sum obsecutus, dediq; has literas ad te, quæ fœderis instar magis habeant, quam epistolæ, vt me iam scias, ita esse animatum, vt in te colendo, & si quid in me facultatis erit, ornando, nusquam sim officio defuturus.

Alexandri Aphrodisiensis commentaria in duodecim Aristotelis libros

bros περὶ τῶν μετὰ τα φυσικὰ à nobis ante aliquot annos è Græco in latinum conuersa, Romæq; impressa, ad te, quemadmodũ iussisti, mittimus. Quæ, si me audies, sæpè, ac diligẽter lectitabis, nihil est enim eis eruditius, nihil ipsorum auctore vel grauius, vel subtilius, teste non solùm Auerroe ciue meo, qui ipsum est plerisq; in locis secutus sed etiam Hieronymo, qui se commentarios eius vertisse in epistola quadam gloriatur, siue quoniam eos è Græco in Latinum sermonem conuerterit, siue, quod magis puto, quia sæpe euoluerit lectitando. Illud autem à te peto, vehementerq; rogo, vt si hoc opus Lutetiæ, quemadmodum te facturum ostendis, excudendum curaueris, des operam, vt id accuratè, diligenterq; fiat, ad cætera enim mala, quibus fama interpretis est opportuna, accedit librariorum negligentia: qua si quid peccatum fuerit, hoc quoque plerunq; solent obtrectatores interpretibus assignare. Vale, & me, quòd mutuò facis, ama. Romæ Idib. Iul. An. Chr. nati 1534.

ARGVMENTVM.

Se excusat quod rariùs scribat, gratulaturque F. Florido ob felicem Bononiam aduentum, & eum, vt in studia grauiora incumbat, admonet, humaniores autem literas animi tantum gratia recolat.

Io. Genesius Sepulueda Francisco Florido S. P. D.

EPISTOLA XXI.

ACcepi literas tuas erudite Francisce, plenas vt ingenij, sic officij, & beneuolentiæ, ad quas quominus ante rescripserim, non obliuio tui, cuius mihi esse solet perquã grata recordatio, sed partim multæ meæ occupationes fuerunt in causa, partim quòd, cui literas ad te darẽ, nemo erat. Hoc epistolium ne diutiùs meum officium desideres Ioanni Scobari misi, homini Hispano, & in collegio Hispanorũ diuersanti, qui tibi reddat, inuestigato. Quod scribis tibi aduentum tuum Bononiam ex voto, ac sententia successisse, etiam atque etiam gratulor, optoq; & precor, vt cuncta tibi feliciter euenirant. Tu modò da operam, vt ingenium tuum agnoscas, ne in tanta studiorum occasione tempus nequicquàm teras. Vrge tuum institutum, totusq; in doctrinæ genus incumbe, quod vberiorem tum fructum, tum honorem non temerè polliceatur. Amœnitates humaniorum literarum, in quibus diu non sine laude versatus es, ijs duntaxat horis sectaberis, si me audies, cùm animus fessus à seuerioribus studijs est recreandus, illis in ocio frui semper licebit, horum magistros audiendi non semper est occasio. Hoc tua fortuna in primis desiderat, hoc tibi commodissimum erit, hoc patri gratius nihil facere potes. Hoc igitur cura, & Vale.

ARGVMEN-

ARGVMENTVM.

Io. Toleto gratias agit nomine Franciſci Toleti, quem ære alieno liberauerat, eumque certiorem facit de ſua cum illo in Hiſpaniam poſt XX annos redeundi cupiditate.

I. Geneſius Sepulueda Ioan. Toleto Epiſcopo Cordub.

S. P. D.

EPISTOLA XXII.

INGENTES gratias tibi nuper egit apud me Franciſcus noſter Toletus, cùm ipſum magno ære alieno liberaſſes. Nam ſe tuo beneficio ſubleuatum eſſe dicebat onere, quod ſibi grauius Aetna ſuſtinere videretur. Ergo te, quem dominum ſolet omni ſermone vocare, tunc patrem etiam ſuum appellabat, qui multa, & magna in ſe beneficia, tanta, tamque oportuna liberalitate cumulaſſes. Nec aliud iam vel cogitat, vel expetit, niſi vt te primo quoque tempore reuiſat, & tua grauiſsima ſimul & iucundiſsima conſuetudine fruatur, quem adhuc honeſtæ rationes, prudensq; conſilium diſtinuit, ne ſi à Clemente P.M. cuius animum in ſe ornandum procliuem ſentiebat, præpropera quadam feſtinatione diſceſſiſſet, videri poſſet, non ſatis conſultè, neque tuis negotijs, neque ſuis commoditatibus proſpexiſſe. Sed hac cunctatione per obitum Pontificis ſublata, & negotijs, quæ propter diuturnum eius morbum conficere nequiuerat, extricatis, ſtatuit, cùm primùm per tempus anni licebit, hoc eſt ineunte vere, in Hiſpaniam proficiſci, & me, quo ſui colendiſſimo, poſtquàm Romam venit, ſemper eſt libenter, & familiariter vſus, comitem etiam itineris habere vellet, non ſolum vt habeat cum quo poſſit confabulando tædium itineris leuare, & familiares conferre ſermones, ſed etiam quoniam ſe putat, vt ipſe ait, rem tibi gratam facturum, ſi hominem ſecum ad te duxerit, quem tu propter neſcio quam doctrinæ, & ſtudiorum opinionem, aliquid eſſe putare ſoles, & certè tuarum virtutum, gloriæq; veſtræ clariſſimæ familiæ ſtudioſiſſimum. Quo circa me iam de reditu in patriam in proximum autumnum cogitantem diligenter hortatus eſt, & rogauit, vt maturem profectionem, ſibiq; in Calend. Aprilis pollicerer. Ego verò quanquàm nondum ſatis, quid mihi faciendum eſſet, conſtitueram, tamen omnia mea conſilia ſtudio, & voluntati eius pro mea in ipſum ſingulari beneuolentia, & obſeruantia poſthabui. Sed dubium, & labantem animum meum hoc impulit faciliùs, quòd ſe ſtatuiſſe affirmauit apud te æſtiuare ad Salmanticam, vel Albam, conſilio videlicet ſalutari. Ne ſi Cordubam rectã contenderimus longo poſt tempore reuerſi, protinus cogamur in calidiore regione caniculæ ardore experiri

cum

cum vtriusque quidem graui periculo, sed meo longè maiore post annum vigesimum in patriam ex Italica peregrinatione redeuntis, velut ex industria fuerim moram Homerici Vlyssis imitatus. Nos igitur Pater amplissime ducente Deo ante Calendas Iunias expectabis, & locum parari iubebis idoneum, tum ad æstiuandum, tum ad philosophandum. Vale, & primo quoque tempore, volente Deo profecturis bene precaberis.

ARGVMENTVM.

Respondet iocis Francisci Toleti, & de voluntate animoq; in se ducis Albani & Card. Quignonij.

Io. Genesius Sepulueda Francisco Toleto. S. P. D.

EPISTOLA XXIII.

LIteras à te Romæ datas postridie nonarum Octobris, ipse Genuæ tertio nonas Nouembris accepi, sed huiusmodi, vt facilè tarditatē iucunditate compensarent. Erant enim officij, beneuolentiæ, ac humanitatis plenæ. Nam quid ego de vrbanitate dicam? Quæ tibi tam penitus insedit, vt nihil, nisi aspersum aliquo sale, nec dicere possis, nec scribere. Haud enim sum tam hebes, vt te cuius ingenium, & libertatem noui, blanditum mihi esse putem, in eo, quod scribis, Trebatium à me, non solùm cæteris in rebus, sed laude quoque bellica fuisse superatum. Quem tu mihi Trebatium narras? aut quid tibi venit in mentem, in meo facto, Trebatij potissimùm mentionem facere, qui non magis philosophus est habitus, quàm ego iurisconsultus? Illud igitur haud dubiè (nec enim me fallis) significare voluisti homo vafer, me nihilo magis in Ligustico mari nuper natare voluisse, quàm illum olim in Oceano Britannico, quod per iocum in epistola obijcit ei Cicero, velut iners, & ignauum. Sed heus tu, dum talia ludis, memento etiam in iocis retinere aliquam æquitatem, nisi fortè eandem fuisse putas meam, & Trebatij causam, at Trebatio licuit commodè in classe octingentarum nauium in Britanniam breuissimo traiectu nauigare, mihi erat infesto mari cymba cum magna rerū omnium difficultate multò longior in Galliam præter amicorum sententiam, & manantium rumorum rationem suscipienda nauigatio. Qui si vos censores audiuissē, non modò natationem eo tempore vitassem, sed omnino maris conspectum, nec me, dum officij rationem sequor, ante tempus in vrbem coniecissem, omnium, quas ego, aut viderim, aut legerim, maximè & in hospitalem, & ab omni genere, ac studio literarum abhorrentem, & quæ sola in Italia extremum belli discrimen adiuit. Sed ad tuum dictum redeo, quod mihi risum mouit, hoc etiam iucundiorem, quòd iā

pridem

pridem vix aliquem nactus fueram, qui cum possem aliquantisper ridere doctè. Nam quòd hostem gratularis ab vrbis oppugnatione fortiter à nobis fuisse reiectum, id non per iocum à te, sed seriò dictum accipio, strenuê namq; repulsus est à nobis, à militibus quidem manu, & telis, à me verò, meiq; ordinis hominibus, id est à clericis, lacrymis, & orationibus, sic enim solicita vota, piasque preces appellare solemus, quoniam arma nostra (vt auctor est Paulus) non carnalia sunt, nec sanguinolenta, sed potentia Deo ad destructionem munitionum. Sed de his hactenus.

Voluntatem optimi, ac humanissimi viri Principis Albani tui propinqui, meiq; patroni, quam tu mihi per literas, conscius videlicet eius in me animi, liberaliter polliceris, iam ego cùm epistolam accepi, re fueram expertus, eiusdemq; singularem humanitatem, ac beneuolentiam perspexeram. In quo verò meam consuetudinem te tantoperè desiderare confirmas, prætefers singularem amorem tuum, non ignotum illum mihi quidem, sed suauissimum, & peroptatum. Eodemque modo iudico de animo in me præsulis amplissimi Cardinalis Quignonij patroni mei, de cuius volũtate in me, ac humanitate eadẽ ex aliorũ literis libenter intellexeram, quæ proximè ex tuis libentissimè cognoui. Vale. Genua. quarto Idus Nouembr. 1536.

ARGVMENTVM.

Deplorat improbitatem sui temporis, & iustè Deum iratum esse, vt autem facilius emendari possit, Sacerdotum vitia prius corrigenda admonet.

I. Genesius Sepulueda Gaspari Contareno. S. R. E. Cardinali. S. P. D.

EPISTOLA XXIV.

CVm ex moribus nostris, & cultu Christianæ pietatis neglecto coniecturam facio, cùm ad tempora nostra, quorum ipse calamitatẽ epistola tua paucis quidẽ, sed prudentissimè deploras, specto, tibi equidem vehementer assentior, Deum nobis etiam atq; etiam iratum esse. Reuelatur enim ira Dei de cælo super omnem impietatem hominum eorum, qui veritatem Dei in iniustitia detinent. Quæ verba olim à Paulo in Ethnicos philosophos potissimùm dicta non possum nõ vehementer dolere, tantoperè in nostri ordinis, hoc est sacerdotum mores iam pridem conuenire. Qui cùm morum, ac religionis magistros agamus, Deumq; plus cæteris nouisse profiteamur, non tamen sicut Deũ glorificamus, nec gratias agimus, sed euanuim° in cogitationib: nostris, & obscuratum est insipiens cor nostrum, & pro sapientibus stulti facti

sumus. Ergo iam diu benignitate Dei, atque patientia, quæ nos ad pœnitentiam inducit, abutentes, duritia nostra, & corde impœnitente iram nobis, vt Paulus ait, thesaurizamus, quam cùm adhuc mediocribus in rebus experti simus, verẽdum est etiam atq; etiam, quod ipse scribis, ne nisi resipiscamus, iustissima eadem ira Dei grauiùs in nos pro nostrorum criminum magnitudine, & ratione desæuiat. Iam enim irascentis Dei non obscura indicia, sed manifesta documenta videmus, quæ ipse commemoras, schismata, hæreses, Christianorumq; principũ dissidia, & intestina bella, quibus malis iam pridem Ecclesia, ac omnino Christianus orbis continenter afflictatur. Quo diligentiùs nobis, qui in partem solicitudinis, vt ipse ais, atq; curæ pascendi gregem Christianum vocati sumus, enitendum est, vt Deum nobis, nostræq; fidei commisso populo placatum reddamus. Quod non tam verbis, aut precibus, quam pietate, sanctitateq; hominum effici certũ est: quas artes frustra, & impudenter postulabimus in alijs, si curam ipsarum in nobis recusauerimus. Priùs enim vitam nostram piè, sancteq; instituamus oportet, quã prauos popularium mores castigare aggrediamur, si velimus cum fide, & auctoritate, agenda, vicissimq; fugienda alijs præscribere, eodẽ Paulo auctore, qui sic nos in Tito cohortatur, *in omnibus*, inquit, *te ipsum præbe exemplum bonorum operum in doctrina, integritate, & grauitate*. Sic enim fiet, quod Christus præcipit in Euangelio, vt nostra lux, hoc est splendor eius doctrinæ, quam ad aliorum mores instituendos, atq; formandos adhibemus, sic luceat coram hominibus, vt videant opera nostra bona, & glorificent patrem nostrum, qui in cœlis est. Verba enim cum discrepant à vita, & moribus præcipientis, fide carent, & grauitate, ac, vt tuus philosophus ait, non sunt nisi verba, id est gloriolæ, ac venditationes. Sed lõgiùs prouectus sum fortasse, quam erat necesse, non tui docendi causa (quis enim Miueruã doceat?) nec admonendi, quem nullo loco Reipub. Christianæ, quantum est in te, deesse scio; ac vt religionis, omnisq; virtutis exẽplo, sic oratione, cura & diligẽtia paratum esse certum habeo, tuum officium Ecclesiæ præstare, sed vt spontè currenti adderem (vt dicitur) calcaria, simulq; fruerer iucundissimo tuo colloquio. Mihi enim suauissimum est tecum viro doctissimo, grauissimoq; & Antistite religiosissimo per literas, quando coram negatur, huiusmodi conferre sermones, nec illiteratos videlicet, nec à bono publico abhorrentes, & apud eundem te, quid mei iudicij sit, quæ ratio subueniendi rebus lapsis ineunda mihi esse videatur, quid demũ maximè cuipiam testificari. Cuius summa est, vt primùm omnium sacerdotum vitia, quæ causam dedêre nostris malis, locumq; hæreticorum fraudibus, atq; calumnijs fecerunt, tum publicè, tum etiam priuatim emendentur. Sed ita emendentur, non vt vestium, fimbriarumq; lasciuiam edictis coêrcere proceres Ecclesiæ contenti sitis, sed vt veteres sanctorum patrũ leges, quæ mores attin-

attingunt,iam diu iacentis excitetes,ac priſtinæ auctoritati, quæ licentia temporum iam propemodùm aboleuit,reſtituatis, idq; nõ ſenatuſconſultis,aut nouis decretis,quorum ſunt omnia referta,ſed factis, & exemplis,vſuq; virtutis faciatis,vt omnes intelligant, rem Eccleſiaſticam,non ſacerdotum arbitrio,ne libidinem dicam,vt quidem loquuntur & iactant,ſed pijs ſanctorum patrum inſtitutis adminiſtrari.Quod factum iri noſtra tempeſtate,vt ſperem,quædam me rationes cohortãtur,ſed maximè omnium P.pontificis maximi ſapientia,& animus,quẽ in bonum publicum eſſe procliuẽ,vt ipſe teſtaris,maximis,& illuſtrib. documentis mihi videtur declaraſſe.Primùm quòd te, & quoſdam alios tui ſimiles ſingulari doctrinà,ac religione, & omni virtutũ genere præſtãtes viros in collegiũ Cardinaliũ,cũ magna & ſua,& veſtra laude cooptauerit. Deinde quòd vniuerſale ſacerdotum Concilium indixerit tempore maximè neceſſario.Poſtremò,quòd gratiæ inter Principes Chriſtianos reconciliandæ,conſtituendæq; pacis auctor fuerit, nullo nec labore longi itineris,nec valetudinis incommodo, atque periculo in ea ætate recuſato.Quæ res non modò mihi, ſed cunctis Chriſtianis magnam expectationem,& ſpem melioris rerum ſtatus,ac conditionis attulêre.Vos igitur pergite,& Pont.incitatum ſponte ſua ad corruptas, & vitioſas conſuetudines emendandas, ad optimam rerum Eccleſiaſticarum adminiſtrationem recipiendam adhortamini, ne rei benè gerẽdæ præſentem occaſionem amittatis.Qua in re ſi adeſſem, me veſtrorũ conſiliorum,atq; conatuum admonitorem ineptum fortaſſe, fidum tamen,ac diligentem, & boni publici ſtudioſum haberetis . Vale pater grauiſsime,tibiq; perſuade,me tui , tuarumq; excellentium virtutum eſſe ſtudioſiſsimum.

ARGVMENTVM.

Iudicium ſuum fert Cardinalis Contarenus de Io.Geneſ.Sepulueda opuſculo De anno: *cur annus cum à Bruma ſumat initium,octauo poſt Brumam die incipiat.*

Gaſpar Cardinalis Contarenus Io.Sepulueda. S. P. D.

EPISTOLA XXV.

ACcepi opuſculum tuum de ratione anni, ſimul cum epiſtola mihi ſcripta plena ſingularis cuiuſdã erga me beneuolentiæ,& eximiæ humanitatis, quandoquidẽ ſeriò iudiciũ meũ de tuo hoc opere requiris,nec ludis,vt pleriq; noſtra hac tempeſtate facere conſueuerunt,qui poſt libros publicatos,& editos,laudari potiùs volunt, quã ſidum conſilium habere.Quamobrem meas partes eſſe duxi (quamuis parum peritus , ac propterea minùs idoneus ſim adferre iudicium de

operibus præclarorum hominum, qualem te esse pleriq; omnes nouerunt) si non doctum, saltem tibi fidum me amicum præstare. Mihi visum est opusculum tuum hoc, multis in partibus illustre. Ea quoq;, quæ in calce dicis de AEra, mihi valde verisimilia visa sunt, ac diligenter notata, causa etiam illa prior, cur annus noster euariet, verissima est, quam nullus negare queat. Altera verò, quam addis, ac miraris præteritam fuisse ab alijs, non mihi videtur satis constans. Ego olim sæpenumerò dubitaui hoc in loco, in quo video te hærere, cur scilicet annus, cũ à bruma sumat initium, non etiam cœperit à die brumæ, sed octaua post brumam die; iam à temporibus Augusti, rebar ego id, quod tu reris, erratum fuisse, nescio qua ratione, nec tamen cõijcere poteram, quę fuisset errandi causa. Post nonnullos annos tandem deprehendi id, quod Forosempronienſis Episcopus Astrologiæ peritissimus mihi illustre fecit. Iulius Cęsar, Genesi, in anno constituendo habuit rationem solis, in mensibus verò putauit habendam rationem lunæ, à qua etiam dicti sunt menses, aureumq; numerum decemnouem annorum collocandum putauit in mensibus sui anni. Idcirco post brumam nouam lunam expectauit, à qua primum mensem inchoaret, quæ fuit octaua die post brumam. Sicque in suis Fastis seu Calendario (vt loquar nostro more) constituit aureum numerum, vnum inquam post viginti dies Ianuarij ad diem pridie Calendas Februarias. Sicque secundùm aureum numerum, vnum, inquam, post viginti nouem dies mense imperfecto, seu octauo Calend. scilicet Martij. Hæc ergo ratio fuit, cur Calendæ Ianuarij fuerint protractæ octo diebus post brumam. Tuum erit iudicium. Ego cum Forosempronienſi Episcopo sentio hac in re. Id verò, quod affers de anno corrigendo, vt scilicet statim, ac simul tot diebus annum vnum minorem faciamus, quot errauimus; cùm non vulgaris turbatio tum fastorum, tum negotiorum videri posset, si id fiat, minùs mihi probatur, quam si dimissa diei intercalatione, totidem annis, quot sufficiant resarciendis diebus illis, quibus anteuertimus, sensim ratio anni, vel instituta à Iulio Cæsare, vel quæ extabat Nicæni Concilij tempore, restituatur, longè minori turbatione hoc pacto, vt reor, res tota processura est, verùm non ita tueor hanc sententiam, quin facilè sim concessurus tuæ. Hæc notanda visa sunt in tuo præclaro hoc opere. Tu pro tua singulari eruditione rectiùs omnia & iudicabis, & statues. Vale Romæ, septimo Calend. Maij.

An. 1539.

ARGVMEN-

ARGVMENTVM.

Confirmat Contarenus ſuam ſententiam de initio anni in ſuperiore epiſtola, & reſpondet locis ex Galeno & primo faſtorum Ouidij allatis à Io. Geneſio Sepulueda.

Gaſpar Cardinalis Contarenus I. Geneſio Sepulueda S. P. D.

EPISTOLA XXVI.

NVLLO pacto tibi perſuadeas velim, Sepulueda doctiſſime, vllâ negligentia, aut obliuione tui factum eſſe, vt tamdiu reſponderẽ diſtulerim tuis literis amoris & officij erga me plenis, verùm cũ nonnulli amici mei, tui nominis ſtudioſi, à me legendas petijſſent, ac habuiſſent, easque per manus traditas, cùm mihi redditas eſſe arbitrarer, ſedulò inter meas ſchedas inquirens, nuſquam reperiebam, qua in re dum ego, & mei diligentiam adhiberemus, demum ad hanc diem res eſt protracta, nec tamen literæ inuentæ. Quamobrẽ duxi non ampliùs mihi differendum eſſe, ne dum vellem officioſus eſſe, & ſingulis earum partibus reſpondere, tibi iure videri poſſem parum officio ſatisfaciens. Legi igitur & Galeni locum, quem citas in primo Epidemiarum, & Ouidij in primo Faſtorum. In Græco codice Galeni res eſt magis expreſſa, quàm in Latino, ibi enim Februarius *δεύτερος μετὰ τὰς χειμερινὰς τροπὰς* menſis dictus eſt, & Ianuarius primus, vbi planè videre poteris noſtræ ſententiæ locum illum nihil obſtare. Etenim nos quoque putamus prima poſt brumam luna fuiſſe Calen. Ianuar. In Ouidij verò verſu, *quòd ſol nouus, & annus nouus eat Calend. Ianuar.* non fuiſſe ſeruatum exactum illud, quod Græci dicunt, vt ſcilicet propterea velimus eam fuiſſe diem brumæ, cùm ſol Capricornum attingit, perſpicuè oſtendit auctor idem inferiùs, qui ſcribit *ſecundo poſt Carmentalia die* XVI. ſcilicet, Calen. Februa. ingreſſum ſolis in Aquarium, qui vtique eſſe nulla ratione poſſet, ſi ipſis Calend. ſol primùm attigiſſet Capricornũ. Columella grauis auctor, qui floruit tempore Auguſti, non multò poſt Iulium Cæſarem, lib. IX. de Re ruſtica. Cap. 14 inquit. *Ab occaſu vergiliarum brumam, quæ ferè conficitur circa VIII. Calen. Ian. in octaua parte Capricorni, condito melle vtuntur examina* Dicit, octaua parte Capricorni octauæ ſphæræ, quæ proceſſerat Orientem verſus. XI. libro eiuſdem operis Cap. 2. verſus finem. Idem dicit iuxta obſeruationem Chaldæorum, licèt in codice impreſſo ſcriptum ſit XI. *Calend Ianuar. brumam eſſe*: quem locum puto legendum VIII. Calen. Verùm vtro modo legatur, nihil refert, conſtat brumã fuiſſe ante Calend. Ianua. Plinius libro XVIII. Cap. 25. de quatuor cardinibus anni loquens, cùm dixiſſet fieri illos in octauis partibus ſignorum,

rum,ea de cauſa,quam ſuprà tetigimus,ſubdit, *Bruma Capricorni octaua ſcilicet parte ab VIII Calend.Ianua.* Mihi certè loci hi,præter ea, quæ priori epiſtola ad te ſcripſi, magnoperè perſuadent, Iulium Cæſarem non inchoaſſe annum à bruma,ſed à prima luna poſt brumam.Poteris tu,& peritiores meliùs totam hanc rem dijudicare. Foroſempronienſis Epiſcopus non citat auctorem quempiam antiquum. Hæc pro iure amicitiæ noſtræ volui tibi afferre,vt tota cauſa diligenter perſpecta,ſtatuas,quid tibi ſit ſentiendum, & agendum de opuſculo illo tuo eruditionis pleno,quo me honeſtare,quæ tua eſt humanitas, voluiſti. Nos bene valemus,ac tibi omnia bona optamus.vale.Romæ,Nonis Febr. 1540.

ARGVMENTVM.

Excuſat ſe de intermiſsione literarum,& anni corrigendi ſilentio, accuſat vero negligentiam Rom.Sacerdotum in cogendo concilio: Reſpondet deinde ad ea quæ obſtare ſuæ ſententiæ videbantur.

Io:Geneſius Sepulueda Gaſpari Contareno S. R. E. Presb.Cardinali.

S. P. D.

EPISTOLA XXVII.

QVOD tam longum fuerit mearum literarum interuallum, & de quæſtione corrigendi anni ſilentium,mallem equidem aliqua mea deſidia,vel obliuione commiſſum fuiſſet, & in eo culpã agnoſcere, ſolicitèq; deprecari,quàm ex veſtra,hoc eſt ſacerdotum Romanorum(vt liberè loquar)negligentia, veram cauſam afferre,quos nimirum frigere,& nihil minus, quàm de cogendo Concilio cogitare video,cui°,vt ſpes me priùs acuebat,& incitabat, ſic deſperatio iã pridem hebetat,atq; retardat:quos enim maximè in publicã Eccleſiæ ſaluté excubare,atq;eius dignitatis augendæ nullã occaſionem prætermittere oportebat,ab ijs Concilij rei ſalutaris,etſi vnquã aliâs,nunc maximè neceſſariæ mentionem fieri nõ alio tempore video,quã cùm bellũ,aut geritur inter Principes Chriſtianos,aut impendet. Ad ſummã cùm certa ſpes eſt,horum diſcordia ipſum impediri poſſe.Nam cũ pax redijt,& firma concordia,de nulla re maius eſt ſilentium, vt quid intempeſtiuis edictis alieno tempore captent, neminẽ quãlibet tardũ ad intelligendũ dubitare patiantur.Sed quoniã in tanta multorũ deſidia,tua mihi ſingularis rei eccleſiaſticæ cura explorata eſt, & ſtudiũ boni publici perſpectũ,redibo ad quæſtionẽ de ratione menſium,& anni, quam ad te miſſo libello complexus ſum,reſpondeboq; ad ea,quæ obſtare meæ ſententię tibi viſa eſſe proximis literis ſcripſiſti,vel hoc ipſo nauaturus operam, quòd tecũ viro doctiſsimo, religionis Antiſtite grauiſsimo de reb. honeſtiſs

neſtiſsimis, literatis,& ad bonum publicum pertinentib. tantiſper colloquar. Scio quod ſcribis, & admones traditum eſſe, tum à Columella, tũ à Plinio brumale ſolſtitiũ in octaua parte capricorni conficiad octauũ Calend. Ianuar. Sed illud nõ ignoro, quod te quoq; meminiſſe oportet, hæc eos nõ à Iulio Cæſare, aut Iuliano Soſigene ſumpſiſſe, ſed vt ipſe Columella declarat, ab Eudoxo,& Metone veterib. Aſtrologis, hoc eſt, à Græcis auctorib. apud quos diuerſa ratio erat, tũ anni, quem à ſolſtitio æſtiuo inchoabant, tũ menſium, quos ad lunæ motum accommodabant, vt hi ſine magno errore,& inconſtantia ad Romanorum, Cæſarisq; mẽſes interpretando referri nequaquã poſsint. Vnde Ouidij quoq; manauit inconſtantia, qui planè teſtatus (id, quod erat conſuetudine Romanorũ indubitatum) initium anni ſumi à ſolſtitio brumali, & (vt par erat) Calen. Ianuarij, in cuius menſis principio de faſtis ſcribens, cum hæc traderet, verſabatur, paulò pòſt ad Græcorum obſeruationes redit, de tranſitu ſolis in Sagittarium, ſextodecimo Calen. Februar. in quo, vt Columella docet, ſecutus eſt Hipparchũ, cui placuiſſe refert ſolſtitia, & æquinoctia non in octauis, vt Eudoxo,& Metoni, ſed in primis partib. ſignorum conſici, & brumale ſolſtitium in ſextumdecimum Calend. Ian. incidere, tanta eſt Græcorum varietas, atque diſſenſio.

Hæc cùm ita ſint, video tamen difficile factu fuiſſe, ſeptem illos dies brumæ & Cal. Ianuar. interiectos, publico mortalium errore latenter obrepſiſſe. Itaque admonitu tuo, re diligentiùs & accuratiùs inſpecta, venit mihi in mentem ſuſpicari, id quod ipſe initio tibi placere cõſcripſeras, Iulium Cæſarem, vel potiùs Soſigenem principium anno ſolſtitium brumale feciſſe, Ianuario verò nouam lunam, quæ proximè ſecuta eſt, octauo ſcilicet poſt die, idq; non ob eam cauſam, quam ipſe priore tua epiſtola auctore Foroſempronienſi Epiſcopo propoſueras, quòd Cæſari oportere viſum fuerit, vt menſium initium ad motum lunæ, vnde ſcilicet nomen acceperunt, accommodaret, quemadmodum anni ad ſolis circumactũ. Hæc enim cauſa, quod ad menſes attinet, inanis prorſus (quod pace Foroſempronienſis Epiſcopi dixerim), mihi ſemper viſa eſt, & ab inſtituto Cæſaris abhorrere, qui varietatem ſuperioris rationis, & inconſtantiam pertæſus, quæ in menſibus conſtituendis Lunæ curſum ſequebatur, vt annum, item menſes ad ſolis motum referri voluit, vt annus intelligatur ſpatium temporis, quo ſol totum ſignifeum peruagatur, menſis verò vnius ſigni ſolis eiuſdem peragratio. Non igitur hanc cauſam, quæ nulla eſt, ſecutus eſſe Cæſar, vel Soſigenes videri poteſt, ſed illam, quam ſolam mihi venit in mentem ſuſpicari, quòd tum ad faſtorum ſibi conficiendam rationem accommodatius, tum inueteratæ ſacrificiorum conſuetudini conuenien ius Cæſari viſum eſt, à noua luna Ianuarium menſem inchoari, ſaltem eo anno, vnde decemno-

cemnouẽ annorum circuli ab ipso traditi principium sumendum, ac repetendum erat, cui consuetudini, quantoperè soleant auctores interdũ seruire, docet Columella, qui libro de re rustica. IX. cùm Hipparchi sẽtentiam solstitia, & æquinoctia in primis signorum partibus confici docentis probaret, se tamen profitetur idcirco fastos Eudoxi, atque Metonis vetustiorum astrologorum in octauis tradentium sequi, quòd hi publicis sacrificijs essent aptati, & notior illa vetus agricolis concepta opinio. Itaque Cæsari vel maximè fuit optandum, vt lunæ cum sole cõgressus eo anno in brumale solstitium incideret, ne scilicet quæ natura indiscreta sunt, distraherentur, vtque annus naturalis, & ciuilis, eiusque primus mensis ab eodem principio repeterentur. Sed aliter cadente, nõ putauit prorsus sibi esse à more maiorum, & sacrificiorum temporibus recedendum. Erat enim vetus Romanorum consuetudo, vt satis me puto in meo libello, ex Ouidio, Simplicio, & alijs bonis auctoribus docuisse, vt à brumali solstitio annum inchoarent, primum verò mensem, hoc est Ianuarium à noua luna, quæ proximè brumam sequeretur. Febr. à secunda, & cæteros eodem modo, vt Hebræi mensem primum à noua luna post æquinoctium vernum, quod eis erat initium anni, & Atheniẽses à noua luna post solstitium æstiuum, vnde principium anni capiebant, quo fieri necesse erat etiam in maxima sacerdotum fide, ac diligentia, vt non semper in octauum post brumam diem, aut alio certo numero Calendæ Ianuarij, sed plerumq; citiùs, aut tardiùs pro varietate temporis lunę silentis inciderent. Cùm igitur accidisset eo anno, quo noua ratio est à Cæsare constituta, vt octauo post brumam die esset noua luna, quo die superiore consuetudine Ianuarius hoc anno erat inchoandus, itidem sibi Cæsar faciendum ob eam quam dixi causam putauit, quę vt illi commentitiorũ Deorum Pontifici Maximo propter vanæ religionis iam abolitos fastos grauis est visa, sic apud verę pietatis antistites nullius debet esse ponderis, cùm nihil faciat ad Christianorum fastos, aut, siquid facit, leue incommodum maxima commoditate pensetur, vt obstare non debeat, quominus in correctione anni, Calend. Ianuarij ad anni naturale principium, & diem Christi natalem, & hæc omnia ad brumale solstitium reuocentur, plana, luculenta, & plena dignitatis ratione inita, quæ nec à summa veteris Romanorum instituti abhorreat, & sit piæ Christianorum consuetudini à natali Christi, qué natum constat in ipsa bruma caput anni repetentium aptissima, sublata quorundam errorum occasione. De quo quid sentias, erit humanitatis tuæ, & mihi gratissimum, vt rescribas. Nam si tibi probabiles causas, cur illud dicerum, ex quacunque, certè parum, aut nihil ad nos pertinente causa interiectorum interuallum multifariàm importunum tolli debeat, attulisse videbor, poterit fortasse non inutiliter libellus edi, paucis mutatis de spatij temporis interiecti causa, de qua nobis fuit adhuc,

huc, nec erit ampliùs dissensio. Sequar enim te quocunque duxeris hac in parte, modò ipse mihi in summa causæ ne refrageris. Vale.

ARGVMENTVM.

A Cardinale Contareno certior fieri cupit, quid cum Carolo Cæsare in religionis causa agat, & de concilio ad hæreses excutiendas & damnandas conuocando.

Io. Genesius Sepulueda, Gaspari Contareno. S. R. E. Presb. Cardinali.

S. P. D.

EPISTOLA XXVIII.

SCRIPSERAM ad te, pater grauissime, cùm Madritium ex meis Corduben. hybernis reuerti, quò soleò quotannis ad patriam temperiem frigora vitandi gratia secedere, quæ sunt meæ tenui valetudini tam inimica, vt eorum timore prohibitus sim, quominus Carolum Cæsarem in istas rigentes plagas proficiscentem sequerer, atque eas literas, quibus modum faciens quæstiunculæ de anni correctione ad proximas tuas respondebam, Romam proficiscenti tabellario dederam. Nondum enim de tuo in Germaniam aduentu quidquam certi cognoueram, quo factum est, vt Petrus Martinus meus domesticus sine meis ad te literis proficisceretur, cui modò per literas, vt te adiret, supplexque meis verbis salutaret mandaui. Ab eo de mearum rerum, studiorumque ratione, si scire tibi tanti erit, edoceri poteris, quem ego istuc, vt cùm cætera memoratu digna, tum quid vos religionis patroni geratis, quid moliamini, diligenter obseruet, & ad me perscribat, exploratorem misi, Suspectum (inquis) vocabulum, & insidiosum, fateor, si calumniam socijs, malumque moliatur, non si spectat (vt solet) interdum ad officium. Cæterùm vos quid faciatis, etiam atque etiam videte, nam exploratorum omnia sunt plena, à quibus ad nihil non intentis, quicquid exceptum est, statim per omnem Christianum orbem dimissis literis perfertur, sed alij alio, ego hoc animo consilia, & facta vestra, id est, Caroli Cæsaris, & tua, qui Pontifici Maximo in hac publica religionis causa vicariam operam impendis, explorata mihi esse velim, vt eadem cupiam multis ex causis, & precer exitu felicissimo concludi, vel quia Christianus sum, & sacerdos catholicæ pietatis non obscurè studiosus, editis etiã in hæreticos libellis, vel quia nihil tam libenter soleo literis mandare, quã si quid ab ijs, quorum virtutibus, & gloriæ faueo, gestũ sit, quod posteritati gratum, & bonis pijsq; viris probatũ fore videatur. Sic enim cũ magna mea voluptate fungor officio, cui me Carolus non ambitiosè, sed more maiorum, suas & gentis nostræ res gestas monumentis mandandi præfecit. Quo me magis solicitum habet ea cura, quò tandem sit euasurus vester iste conatus, qui (vt vos quoq; homi-

nũ de vobis ſermonẽ exploratũ habeatis) eiuſmodi eſſe pleriſque vide tur,vt vota magis facienda ſint, quã inito conſilio fidendũ:à quorũ ipſe ſenſu non multùm interdum abhorreo. Conſtat enim (vt optimè noſtri)maioribus noſtris, ſanctisque patribus, eam rationem hæreticos conuincendi,ac eorum fraudes detegendi certiſsimam, commodiſsimam, & grauiſsimam viſam eſſe, vt ſacerdotum vniuerſali Concilio ritè conuocato,in eo de publicis controuerſijs religionem attingentibus ad Antiſtites referatur,vt res multùm ac diligenter agitata, eorundem patrũ ſententijs,ac ſuffragio permittatur : ipſorum decreta Spiritu ſancto,quem huiuſmodi concilijs intereſſe, ac potiùs præeſſe credimus,comprobante.Sed in his pijs deliberationibus,illud peruetuſtum, & iuſtiſsimum decretum in primis vſurpari,renouariſque ſolet, ne qua hæreſis in aliquo ritè coacto Concilio priorum ſententijs damnata, in dubium, ac diſputationem reuocetur.Cuius ſacroſancti decreti ea vis eſt,vt hoc vno cuncta dogmata Lutheranorum corruant. Quid enim noui excogitarunt ingenioſi artifices?quid verò afferunt,quod non hauſerint ex veterum hæreticorum damnata ſentina?Hæc cum ita ſint religionis,morumque ſummam in huiuſmodi controuerſia paucorum doctorum hominum diſputationi,& quaſi certamini,æquatis vtrimq; claſſibus,& quidem loco noſtrorum iniquiore Pontificis Maximi voluntate permitti,nonne ſimile eſt,ac ſi quos capitalium,& manifeſtorum ſcelerum reos, quos liceat iuſtiſsimis legibus grauiſsimè, & cum ſumma auctoritate damnare, ſummus magiſtratus ſic ſuam cauſam agentes audiat, vt crimina planè confeſsi, in leges receptas, ſacroſanctasque argutè diſputent, & cum iuſtitia, & innocentia virtutes omnes in diſcrimen vocent?eaſdemque de vetere ſua, paternaque poſſeſsione, iudicibus quoque damnatis,pellere nitantur?Cum igitur publicæ viæ, & ſanctorum patrum auctoritate munitæ, & frequentatæ trames quidam ſalebroſus,& penè præceps prælatus eſſe videatur,meritò publicæ cauſæ à pijs hominibus,& veſtrarum laudum cupidis timetur. Quanquam ea eſt hominum opinio,vt ſi res ceciderit quemadmodum optamus magis quàm ſperamus,id totum admirandum beneficium fore credatur,quod Deus Eccleſiæ ſuæ,& optimæ,ac piæ menti Caroli Cæſaris, tuæque inuſitata ratione tribuerit,ſin aliquid fuerit offenſum, maxima pars inuidiæ in eos conferatur, à quibus nullis Caroli iuſtis pijſque precibus impetrari potuit,vt in tantis rerũ anguſtijs Eccleſiæ catholicæ ſuũ officiũ,quemadmodũ oportebat,præſtarent. Carolo enim quis iure obtrectet?ſi negligentia,& culpa eorundã à recta, & tutiſſima via intercluſus in dubia diuerticula deſcendit,dũ piè cupit religioni laboranti,&à quibus minimè oportebat,pene deſertæ,quacunque aditus oſtendatur, vel cum aliquo diſcrimine ſubuenire?Sed nos fortaſsis inepti ſumus,nec ad altiſsimæ mentis veſtræ receſſum,& conſiliorum intima, noſtra tardi-

tas

tas penetrauit, aut res aliter quàm sit, ad nos fama perfertur. Mihi enim Pontificis Maximi, Caroliq́ue, actuam prudentiam recordanti, vtrumque sæpe venit in mentem suspicari. Erit igitur humanitatis tuæ, quæ suprà scripsi, qualiacunque sunt, in bonam partem accipere, & vt sunt, sic ab optimo in catholicam religionem, vosque patronos eius animo profecta esse existimare. Vale Amplissime Præsul, cui omnia læta, feliciaque precor. Ex Madritio, pridie Idus Iunij. An. Christ. 1541.

IOANNIS GENESII SEPVLVEDAE CORDVBENSIS EPISTOLARVM.

LIBER III.

ARGVMENTVM.

Explicat Marchesiæ Zeneti, rationem suorum studiorum, quomodoque mandato Caroli Cæsaris, in ipsius, Hispanorumque rebus gestis describendis laborauerit.

Io: Genesius Sepulueda Marchesiæ Zeneti. S. P. D.

EPISTOLA XXIX.

AVE Princeps Illustrissima. Ex verbis Gironis tui, vel nostri potiùs, qui mecum solet non inuitus sermones tum literatos, tum etiam familiares cõferre, multa de tuis excellentibus virtutibus, egregia doctrina, & singulari humanitate cognouerã, quæ meum animum in tui admirationem, obseruantiãque traduxerant. Nuper ex literis, quas ad eundem proxime misisti, hoc, quod humanissimè innuis, intellexi, tibi, quando coram negatur, non ingratum fore, vt per literas colloqueremur. Erat in eadẽ epistola, scire te velle, quid agam, & quib. in studijs nunc maximè verser, cũ significatione quadã opinionis tuæ à meis literarijs rationib. nõ auersa, quæ cura, & existimatio mihi est instar immortalitatis. Scito igitur, quãdo hæc cognoscere pro tua humanitate tanti putas, me illa studia grauiora sacrarũ literarũ, ac philosophiæ, quæ ab ineũte ætate Græcè, atq; Latinè colui, nõ deseruisse, vt indicio tibi esse potuerunt mei libelli, quorũ lectionẽ, cũ scilicet in eos incidisses, haud iniucundã tibi fuisse scribis. Nihil enim ad hoc tẽpus edidi, edidi aũt opuscula cõplura, quin ex illis quasi fontibus argumẽtum hauserim, qui ne ad illud quidem adduci vnquã potui, vt extra libros Aristotelis de philosophia, & eius Græcè enarratorũ interpretis officio fungerer. Sed posteaquã mihi Carolus Cęsar suas, Hispanorumque res hac memoria gestas conscribendi negotium iniunxit, necesse fuit, aliquid de seuerioribus illis sed mihi gratioribus studijs remittere. Quippe id muneris seriò mihi

à tanto principe mandatum esse, vt par est, semper existimaui, non ioco, vt quidam ante me putasse videntur. Quorum si officij ratio constaret, multò minùs mihi esset in hac susceptа prouincia laborandum, quam nunc sic subire cogor, quasi nulla cuiquam eius cura ante me fuisset iuncta. Itaque omnia multò etiam ante præterita magno labore conquirenda mihi sunt disponenda, & illustranda. Nec tamen difficultatib. cedendum putaui. Sed cùm ad eas expediendas, & vtrique studio partitis temporibus satisfaciendum, curæ ac diligentiæ præsidium, non inuita Minerua mihi comparauerim, perpetuam historiam à bello Pannonico, quo Princeps Turcarum Solymanus à Carolo fugatus est, vsque ad Caroli eiusdem postremum hunc ex Hispania discessum deduxi: Vnde ad superiora tempora, & initium principatus ipsius regressus, in eam curam incumbo, vt quibusdam altiùs, sed summatim, quo sint omnia ad cognoscendum illustriora, repetitis, principium conueniens rerum tantarum enarrationi sumatur, & in quem temporum, atque rerum statum Caroli regnum inciderit, non ignoretur. Vale fœminarum decus, tibique persuade, me tuarum laudum, & gloriæ studiosissimum esse. Ex Madritio septimo Calend. Septemb. Anno Christi. 1540

ARGVMENTVM.

Excusat suam apud Petrum Messiam in scribendo raritatem, eumque laudat pro animo & officio sibi præstito in Indice sui libri vertendo & cura imprimendi suscipienda.

I. Genesius Sepulueda Petro Messiæ S. P. D.

EPISTOLA XXX.

EPISTOLA tua, quam ipse decimo Calendas Aprilis dederas, redditа mihi est cum indice libelli ad nonum Calendas Maias, ne qua fortè mea negligentia factum putes, vt serò ad eam rescriberem, qui vltro etiam paulò antè ad te nescio quid literarum dederam, priùs daturus, nisi me discedentem ipse cum indice Hispanè verso tuas expectare iussisses, quas tandem, optatissimas officij ac humanitatis, ac etiam singularis beneuolentiæ plenas accepi. Cui scilicet indulgens earum rerum me laudib. onerasti, quarum in me vix adumbratam effigiem agnosco. Sed hoc quoque humanitatis, & amoris est, gloriolæ vel falsæ blandis stimulis ad virtutis studium euntem fortassis adhortari. Quòd aût mihi omnia defers, ac liberaliter cũ hac duntaxat exceptione polliceris, quantũ valeas, & quantũ possis, ingentẽ tibi gratiam habeo pro isto in me animo, qui licèt se omnib. in locis & ex cũctis partib. ostendat, nuper tamen mihi planè perspectus est, & exploratus, cùm me Hispali peregrinantem comiter admodum omnibus officijs es

prose-

profecutus, ac diſcedentis operoſum negotium libenter ſuſcepiſti. Quarum omnium rerum erit apud me memoria ſempiterna, nec committam, vt in charitate, & beneuolentia prouocatus, tibi non reſpondiſſe, aut à te victus fuiſſe videar. Index à te aptè, & luculẽter verſus mihi viſus eſt, eum ad te perpaucis mutatis remitto. Supereſt, vt ipſe pro tua humanitate incœptum beneficium abſoluas, curesq; vt libellus primo quoq; tempore in manus hominum emendatè, ac diligenter excuſus exeat. Mohedano noſtro canonico Hiſpalenſi, à quo mihi per te gratiſsima ſalus miſſa eſt, plurimam ſalutem referes. Vale, & me, quid facis, mutuò dilige.

ARGVMENTVM.

Maio vicecancellario Arragoniæ commendat Ioannem Soram.

I. Geneſius Sepulueda Maio Vicecancellario Arragoniæ. S. P. D.

EPISTOLA XXXI.

VEREOR ne me parum memorem, gratúmue putes, qui poſtquam à te liberaliter, ac magnificè potiùs habitus, multis deniq; tuis officijs deuinctus diſceſsi, nihil ad te literarum dederim, ſed me rurſus confirmat, quòd te nouiſſe arbitror conſetudinem ingeniumque meum, qui libentiùs ſoleo re, ſi quid præſtare poſſum ijs, quos colo, & obſeruo, quàm verbis, aut literis meum animum declarâre. Quod ſi fortè parum habes notum, perſpicies idem, ſi quid poſitum in meo ſtudio, opera, vel diligentia tibi gratum fore, me admonere tanti putabis. Ioãnem Soram Cæſarauguſtanum multis mihi officijs, & magnis amicitiæ vinculis coniunctum, tibi (ſi meminiſti) tum inter nauigandum, tum Barcinonæ abſentem præſens accuratiſsimè commendaui, vt te auctore magiſtratum quendam in vrbe patria conſequeretur, & quantum eius cauſa laborarem, expoſui, tuq; tibi rem curæ fore liberaliter nobis recepiſti. Is nuper cùm in patriam ex Gymnaſio Bononienſi doctor vtriuſq; iuris rediuiſſet, ad me ſcripſit, rogauitq;, vt eam commendationem diligenter renouarem, nec enim ſe dubitare pro ſingulari mea in te tibi non ingrata obſeruantia, quin ea commendatio multum apud te ponderis eſſet habitura. Illius voluntati, hoc ego libentiùs annui, quo mihi notiores ſunt virtutes eius, ſingularisque grauitas, atq; doctrina. Quapropter te maiorem in modum oro, atque iterum & ſæpiùs contẽdo, vt eum in tuã fidem recipias, in tuis habeas, & ſic ornes tua benignitate, vt intelligat meam commendationem apud te magno ſibi adiumẽto fuiſſe. Spondeo enim, in meq; recipio, ea prudentia, ea probitate Io-

annem Soram esse, vt quoduis eius generis munus eius fidei rectè possis cõmittere: quod ipse, cũ ille ad te venerit, facilè pro singulari tua prudẽtia breui poteris iudicare. Vale. Valdolito, vndecimo Calend. Octobris. Anno Christi. 1537.

ARGVMENTVM.

Causam reddit, quare Rodulpho Pio S.R.E. Card. ob dignitatem adeptam, citius non sit gratulatus, sed ea postea per Bernardinum Episcopum Venafranum fieri mandarit, lætaturq; Isidorum Neilam Rodulpho Card. commendatum esse.

I. Genesius Sepulueda Rodulpho Pio Cardinali R. S. P. D.

EPISTOLA XXXII.

QVod tibi pater Amplissime non antè fuerim per literas gratulatus de honore nouo, tibi tamen iam pridem debito, deque gradu dignitatis, in quo te tui generis dignitas, sed multò magis excellentium virtutum ornamenta collocarunt, non est, quòd vlla mea negligentia factum esse putes, qui meum in te animum nosti, atq; studium, & obseruantiam perspexisti. Huius igitur officij differendi nulla, crede mihi, fuit alia causa, quam quòd ego, donec ex Gallia in Italiam remeasses, ad te scribere opportunum non putabam, nec tamen interea tacitus tum mecum ipse lætatus, sed gaudium, quo me gratissimus ille nuntius compleuerat, sæpè apud magnos amicos præ me tuli, & cũ tuarum virtutum laude prædicaui, simul professus, vt res est, non mihi satis esse constitutum, vtrum tibi magis gratulandum sit, quòd in locum ascenderis, vnde clariora possis tuarum virtutum cum bono publico præbere documenta, an amplissimo Cardinalium, in quod fuisti cooptatus, collegio, quod eum virum nactum sit, cuius non modò oratione, & prudẽti consilio, sed etiam vitæ, atq; morum exemplo possit magnoperè iuuari. Cæterùm vtrique gratulari non desisto, vtrique rem feliciter euenire cupio, precor, & spero.

Perquàm Reuerendo patri Bernardino Episcopo Venafrano, quem iustis ex causis vnicè diligo, & obseruo, per literas mandaueram, vt cùm primùm in vrbem rediuisses, te supplex meis verbis salutaret, quod factum esse, teq; recordatione meæ singularis in te beneuolentiæ, & obseruantiæ non parum delectatum, fuit mihi gratissimum ex literis eius intelligere, simulque cognoscere Isidorum Neilam meum, vel iam potiùs nostrum, qui me multis, & longi temporis officijs demeruerat, à te fuisse mea causa in tuorum domesticorum numerum receptum. Itaque tibi pro tanta benignitate, & humanitate magnam habeo gratiam, tibique

biq; Isidorum maiorem in modum commendo, quem eius ingenij, atq; morum esse confirmo, vt nihil debeas de ipsius fidelitate dubitare. Nã sedulitatem, & industriam in muneribus sibi commissis exequendis, ipse perspicies, si quid ei paulò grauiùs cõmendabis, aut iam potiùs perspexisti. Vale patrone mihi maximè colende, & me, quod mutuo facis, ama. Ex Valdolito, tertio Nonas Septemb. 1537.

ARGVMENTVM.

Miratur Honoratum suis literis non respondere, quibus certior fieri cupiebat de rebus Caroli Cæsaris & Philippi principis, & suæ, dum ab illis abest, vitæ, rationem explicat.

I. Genesius Sepulueda Honorato Ioanni.

S. P. D.

EPISTOLA XXXIII.

DEderam ad te iam pridem literas circiter Calendas Decemb. opinor, simulque miseram epistolam latinè scriptam, quam Philippo Principi nostro redderes, sed nec à te, nec ab alio quopiã amicorum remissas literas accepi. Nam te certè acceptis literis nihil rescripsisse adduci non possum, noui enim humanitatem, officiumque tuum, sed aut meas tibi non esse redditas, aut tuas ad me non esse perlatas, hyemis forsitan magnitudine intercluſis itineribus, tantas enim aquas, tamque diu continuatos imbres in his regionibus nemo est, vt arbitror, qui viderit. Itaque in magna rerum aulicarum ignoratione iam pridem versor, quod me vehementer anxium habet, scire cupientem res Caroli Cæsaris, quo in statu sint, bellum ne gerat anni durissimo tempore, qui nullas difficultates solet exhorrescere, aut magnoperè vitare, an sibi, militibusq; parcat in hyberna deductis, quid agat Philippus Princeps, redierit ne in gratiam cum Musis, à quibus studio Hymenæi nonnihil alienatus esse videbatur. Nam si partium causa perstat in simultate, nihil est, quod studij literarum administri properemus, præsertim in tanta itinerum difficultate, altissimis vbiq; fluminbus, rapidissimis torrẽtibus, &, vt reor, ad Orospedã, iugaque Segouienſia altissimis niuibus impeditorum. Suspenso igitur animo tuas literas expecto, ex quibus valeam consilij mei rationem moderari. Si quæris quid interim agam, nihil certè minus, quam quod putaueram, præter studiorum quasi legitimum pẽsum. Mihi erat in animo ædificia cœpta perducere, serere arbores, ac ex plantarijs semina radicata transferre, nihil horum permittit pluuijs durissima hyems. Ego verò, quod pertinet ad ædificia, absolutis etiam timere cogor, vt constant magna ex parte more nostræ gentis antiquo, parietibus formaceis,

maceis, quos ſine magna ſanè cauſa magnoperè demiratur Plinius ſecundus, multum ſcilicet, de ſua admiratione remiſſurus, ſi ei accidiſſet, vt tali quopiam anno imbribus eos peruictos paſsim ruere conſpiceret. Pōtifici Carthaginenſi, quem nuper miſsis literis pro mea ſingulari in ipſum obſeruantia ſalutandum curaueram, tu quoq; meis verbis dices plurimam ſalutem. Vale. Pridie Non. Febr.

ARGVMENTVM.

Philippo Hiſpaniarum principi, quid, dum Epiſcopum Carthaginenſem, in interiorem Luſitaniam ad Mariam Ioannis Portugalliæ regis filiam, ſponſam ipſius excipiendam ſequeretur, in itinere rérum vetuſtarum & memoria dignarum viderit, tranſcribit.

I. Geneſius Sepulueda Philippo Hiſpaniarum Principi. S. P. D.

EPISTOLA XXXIV.

QVoniam tibi rerum vetuſtarum notitiam gratam in primis eſſe perſpexi, non alienum, nec iniucundum tibi me facturum exiſtimaui, ſi paucis ad te, quædam memoratu digna ſcriberem, quæ in itinere notaui, dum Epiſcopum Carthaginenſem tuum legatum, viam in interiorem Luſitaniam habentem, ſequerer tua voluntate, cum is ad Mariam Ioannis Portugalliæ Regis filiam, ſponſam tuam in confinio regnorum excipiendam, deducendamq; cum magno nobilium, doctorumq; virorum comitatu contenderet. Ex Vaccæis profecti, in qua regione ſitum eſt (vt noſti) Valdolitum regium oppidum, Vettonib. trāſmiſsis, quorum eſt Metina Campeſtris, Salmanticam primam vrbem Luſitaniæ doctrinarum omnium Gymnaſio celeberrimam venimus, hinc egreſſos via militaris excepit, quæ emeritam Auguſtam ducit, Romanorum quondam nobiliſsimam Luſitaniæ coloniam, deductis militibus emeritis ab Auguſto Cæſare, vnde nomen, cognomenq; vrbi; via hæc olim munita, ſtrataq; lapidibus erat, & columnis, paulò ſtatura humana proceriorib. per ſingula paſſuum millia, diſtincta. Quarum ego rerum veſtigia magna cum voluptate perſpexi. Nam etſi eius munitiones iniuria temporum magna ex parte, diſiectæ, deletæque ſunt, tamen quibuſdam in locis extant etiam nunc ipſarum clara veſtigia, & columnæ, quæ quinæ, atq; ſenæ ad interualla, vt dixi, milliariorum ſignanda erigebātur, inſcriptæ nōnullæ literis latinis, ſed deletis magna ex parte, & quę vix ob vetuſtatem dignoſci queant, præter admodum paucas, quarum vna eſt duo millia paſſuū ante Carcaboſum, qui vicus ab Emerita Auguſta vigintiquinque leucis noſtris abeſt, cuius inſcriptionis exemplum infrà ſcripſi. Ex eo viam hanc militarem à priorib. Romanis munitam,

nitam,deinde vſu,& vetuſtate diſiectam,poſtremò ab Hadriano Imperatore inſtauratã,reſtitutamq; fuiſſe cognoſces.Horum ego interuallorũ ſex,ſeptemue, comparato ad id certæ menſuræ filo metienda curaui, eaq; omnia reperi inter ipſa paruo diſcrimine congruentia, ſcilicet prout nos maiore, minoréue diſpẽdio per nouam viam à vetere rectiſſima nonnihil diſcrepantẽ,columnarũ interualla cõficiebamus. Patent igitur interualla ſingula mille paſſus, hoc eſt pedum quina millia, ratione ad veterẽ Romanorũ conſuetudinẽ pedisq; menſurã reuocata,q̃ pedis menſurã ipſe notã habes ex ea ferrea, quã anno ſuperiore tibi oſtẽdi,dediq; ad duas lapideas, quæ Romæ ſunt in hortis Angeli Colotij p meipſum emenſam,& perfectè coæquatã. Itaq; mihi periucundũ fuit animaduertere illam pedis menſuram horum milliariorum rationi reſpondere.Illud etiam gratiſſimum, quòd ſpatium à noſtris leucam appellatum paſſuum non tribus, vt vulgo docti etiam homines opinantur,ſed quatuor millibus conſtare,cum leucis milliaria non ſemel,nec vno loco conferens,manifeſtò deprehendi. Quod ipſum apertè inſcriptio colũnæ indicat,in cuius extremo,vt in pleriſq; alijs,numerus milliariorum ſumpto initio ab ipſa Emerita Auguſta notatur,ſcilicet CII, qui numerus ad amuſſim cum leucis quadrat, collatis in ſingulas quaternis milliarijs.Illud quoque in eodem itinere non ſine admiratione quadam animaduerti,nobis,vt Pacem Auguſtam peruenirẽmus,Anam fluuium,qui Bæticam dirimit à Luſitania, neceſſariò fuiſſe traijciendũ, ita eandem vrbem, quæ Romanorum colonia fuit, ad Anæ quidem ripam, ſed in parte Bæticæ ſitam eſſe, cùm tamen Luſitaniæ veterum auctorum conſenſu tribuatur,cuius rei cauſa, cùm accuratius omnia perpendiſſem,non aliunde profecta mihi tandem viſa eſt, quàm ex Luſitanorum finium inconſtantia, qui pro ratione iuriſdictionis, ſæpe, vt Strabo refert,mutati ſunt.Sic enim factum eſſe reor, vt in iuriſdictione Bæticæ, Luſitaniæque præſidibus finienda, Pax Auguſta Luſitaniæ,à qua fluminis ibi ponte commiſſi alueo duntaxat excluditur,contribueretur, ac proinde Luſitana colonia populari Romanorum conſuetudine diceretur. Quam conſuetudinem auctores rem ad viuum non reſecantes exactæ rationi,velut æquitatem ſummo iuri prætulerint. Idemque iudico de Metellinenſi colonia, quæ & ipſa in parte Bæticæ Anæ appoſita,Luſitanis tamen colonijs ab geographis connumeratur.Hanc enim vrbem, quæ nunc Badajoz corrupto vocabulo nominatur, olim fuiſſe Pacem Auguſtam,conſenſus eſt eruditorum. Nam cùm pleraque vrbium & oppidorum Hiſpaniæ Latina nomina vel prorſus abolita ſint, vel admodum deprauata Barbarorum, qui Hiſpaniam inuaſerunt, iniuria,Pax Auguſta in Baxagus primùm Maurorum corruptione,deinde in Badajoz degenerauit,vt ex Aſtygi in ripa Singilis Ecija,& vt cætera omittam, ex Segobriga ad radices Oroſpedæ montis Duratoni fluuio

dio appoſita, loco munitiſſimo, Sepuluega primum facta eſt, quo nomine id municipium, quod quondam ampliſſimum & maximæ auctoritatis fuit, in ſui fori legibus appellatur, poſtremò in Sepulueda m àbijt. Erat autem antiquitus Pax Auguſta non ſolùm Romanorum colonia, ſed etiam conuentus, vt Emerita Auguſta, & vtraq; ciuitas iuris Italici, ex quo iure Italici, vocabulo ad immunitatem pertinente, dicebantur, vnde Italci, deinde Idalgi, & hidalgui paulatim corrupta voce nominati ſunt. Vale princeps humaniſſime, cui omnia læta, feliciaq; precor. Ex Pace Auguſta ſexto Calend. Nouembr. An. Chriſti 1543.

Inſcriptio columnæ.

IMP. CAESAR
DIVI TRAIANI PARTHICI. F.
DIVI NERVAE NEPOS TRA-
IANVS HADRIANVS AVG.
PONTIF. MAX. TRIB. POT. V.
COS. III. RESTITVIT.
CII.

ARGVMENTVM.

Petrus Auila Gereſio Sepulueda probat, apud veteres in more fuiſſe, vt proceres hiſtorias ſcriberent, ſimulq; tranſmittit, Ioannis Auilæ fratris, commentaria, de rebus Caroli Cæſaris in Germania contra fidei deſertores geſtis.

Petrus Auila Nauarum Marchio I. Gen. Sepul. Cæſareo hiſtorico S. P. D.

EPISTOLA XXXV.

VEtuſtiſſimus, vt noſti, mos fuit, atque vtinam temporis prauitas eum non aboleuiſſet, vt proceres, ac magni viri hiſtoriam ſcriberent. Nam vt regem Iubam omittamus, ſcis enim quantus vir fuerit Ptolemæus, qui in Aegypto regnauit, quantus Ariſtobulus, ambo magni Alexandri purpurati, quis Thucidides, quis Xenophon, quis Tacitus, & Salluſtius, & non abſque reuerentia nominandus Titus Liuius, ſed vt numeroſiſſimam claſſem iſtorum omittamus, veniendum eſt ad illum, qui ſolus rationi meæ patrocinari poteſt, D. Iulium Cæſarem iudicio meo hominum vltimum. Et cùm ſic ſe res habeat, videbatur inter nos hic mos iam propemodùm euaneſcere, cùm ſubitò exortus

ortus est Cæsar noster Carolus Quintus, tertium belli fulmen, qui rerũ à se gestarum mole, magnitudine, ac pulchritudine omnium scribentium calamos occupat, inter quos est Ludouicus Auila Stunica frater meus, qui commentaria de rebus in Germania gestis contra fidei desertores vernacula lingua conscripsit, ac mihi ea lege misit, vt ad te quàm citissimè exemplar mitterem. Accipe igitur munus fratris mei, qui te vehementer amat, atq; in pretio habet, & tibi erit curæ, illi rescribere à me eius commentaria recepisse. Cæterùm te rogo, vt me inter amicos tuos annumeres, & meis facultatibus perinde ac tuis vtaris. Vale. Ex arce Nauarum, Idib. Iul.

ARGVMENTVM.

Restondet Petri Auilæ literis, cum quibus fratris ipsius commentaria de bello Germanico acceperat, multumque se illis iuuari in perficienda Caroli Cæsaris historia.

Io. Genesius Sepulueda Petro Auilæ Nauarum Marchioni S. P. D.

EPISTOLA XXXVI.

ACCEPI tuam epistolam Illustrissime, ac doctissime Marchio, simulque Ludouici Auilæ fratris de Germanico bello Commẽtarios, vtrumq; mihi fuit gratissimum, vtrumq; loco magni beneficij. Itaque epistolam libentissimè legi, vt latinè sic eleganter scriptã plenam officij, & humanitatis, qua fratris optatissimum mihi munus humanissimè persequeris, deque ipsius in me voluntate multis quidem officijs, atque adeò meritis mihi iam diu cognita, sed quæ quotidiè sese magis ostendit, commemoras. Ipsos verò Commentarios prudentissimè, ac diligentissimè confectos, quos statim cupidissimè perlegi, tanti facio, vt nihil mihi potuerit hoc quidem tempore, nec optatius contingere, nec gratius. Nam cùm me valetudinis, ætatisque iam ingrauescentis ratio intra Hispaniæ fines contineat, quo minùs valeam, vt maximè vellem, Carolum Cæsarem assectari, vnaque ratio supersit, res ipsius in locis remotissimis gestas historiæ causa cognoscendi, vt vtar aliorum, qui rebus gerendis interfuerint, opera, & notandi, scribendiq; diligẽtia, quid mihi vel ad fidẽ grauius, vel ad cognitionem accõmodatiꝰ accidere potuit diligentissimis Commentarijs ab eo viro conscriptis, qui sit nõ solùm illustri loco natus, & ab ineunte ætate studijs literarũ deditus, sed qui ab Imperatoris latere ferè nunquam discedat? vt rebus ipsis non interfuisse modò, sed etiam præfuisse videatur? Nã vt ipse

in tua epistola prudentissimè innuis, multum addit historiarum grauitati & fidei, si ad auctoris diligentiam, & doctrinam, etiam personæ dignitas accedat. Quod igitur scribis, vt ipsum de perlatis ad me Cõmentarijs certiorem faciam, hoc equidem officio primo quoque tempore libenter fungar, atque eo magis, quòd id sine crimine, & ingrati animi nota præterire non possum. Quod verò tuam voluntatem mihi tam liberaliter defers, etsi iam pridem tuum in me propensum animum claris documentis perspexeram, tamen eius rei mihi, vt recordatio solet esse periucunda, sic commemoratio fuit gratissima, cui voluntati, vt pari, aut etiam cumulatiore studio respondeam, dabo equidem, vt huc vsque feci, operam, nec committam, vt in vos, in te, inquam, & fratrem humanissimos, & de me bene meritos patronos, vllum memoris, & amantissimi clientis officium à me prætermissum esse videatur: vos ex animo colendo, & obseruando, atq; etiam loco, si quid erit in me facultatis, iustis laudibus ornando. Vale.

ARGVMENTVM.

A Io Martino Silicæo petit librum sibi promissum.

Io. Genesius Sepulueda Io. Martino Silicæo, Philippi Principis Magistro S. P. D.

EPISTOLA XXXVII.

TV me fortasse doctissime Silicæe nuper Iussisse putas, cùm te libellum poscerem, vnum è tribus, quos ipse domi te habere dixeras, captiuos scilicet, custodiæque datos, velut nouæ religionis interpretes, per eam precandi rationẽ, quæ nuper Romæ ἀ' ἀμῦ συνεργῦντος inita est, de qua id temporis differebamus. Ego verò egi seriò, & quam non grauatè adquieueris roganti, quamque fueris liberaliter pollicitus, memoria teneo. Quòd si tu temerè fortasse promissorum μνάμονας μισεῖς, vitium Græcorum vetere Prouerbio notatũ meminisse debes, hæc non in conuiuio esse acta, sed in congressu familiari, eodemque literario. Erit igitur officij, fideique tuę, manumissum libellum, incolumemque nobis mittere, cuius culpam visus mihi es amicitiæ nostræ condonare, si culpa vocari debet vetus sanctorum patrum institutum magna ex parte in consuetudinem reuocare, idque nõ priuato consilio, sed iussu, & auctoritate Pontificis Maximi, & communi sacerdotum, atque Præsulum Romanorum approbatione, quorum iudicio grauissimæ quæque Christianorum & religionis caussæ dijudicantur. Non igitur modò vt meis commodis seruiam, libellum mihi à te mitti cupio, sed tua causa multò etiam magis, quin eos omnes libel-

los

los à te, cuius laudi pietatiq́ue faueo, procul abductos peruelim, ne si quid grauius in eos statueris, dum odio indulges, vt rumor est, plusquã Vatiniano, aliquid te indignũ admittas, teq; obstringas sacrilegio. Sed extra iocum mihi feceris pergratum, si libellum miseris, quem tibi nõ tantoperè displicere, quàm quidam ad nos detulerant, gratissimum mihi fuit nuper intelligere. Sed si me amas, quamprimùm mitte, vt habeã quem possim in alterius locum sufficere, iam vsu confecti, & penè demortui, qui quasi miles veteranus fractus laboribus, & plagis, quas tum naualibus, tum pedestribus pugnis acceperit, confossus missionem pridem, vacationemq́ue suo iure quotidiè flagitat, & vix abstinet conuitijs. Quod si impetrabimus, erit, quod vterq; nostrum gratias etiam atque etiam agamus tuæ liberalitati. Vale.

ARGVMENTVM.

Rogat Simonem Colinæum librarium Parisiensem, vt Aristotelis libros de repub. à se in Latinum conuersos, in vulgus edat.

I. Genesius Sepulueda Simoni Colinæo Librario Parisiensi. S. P. D.

EPISTOLA XXXVIII.

SCripsi nuper ad te, libros Aristotelis de Repub. quos è Græco in Latinum conuertissem, & breuibus scholijs enarrassem, velle me tuis typis, vt cętera mea scripta, diligenter excusos, si tibi nec incommodum nec ingratum esset, in manus hominum emittere, nihil scilicet deterritum occupata à nouis interpretibus editione, quorum vtriusque magnam negligentiam vel cæcitatem potiùs deprehendissem. Eam epistolam tabellarius à se tibi fuisse redditam affirmauit, sed responsum idcirco eundem à te non petiuisse, quòd tu Lutetia cùm ipse paucis post diebus rediret, abesses. Quid igitur ad ea rescribas expecto. Qua de re Iacobo Carnaiali viro nobili, & mihi amicissimo modò per literas mandaui, is te de mea voluntate pluribus verbis edocebit. Ergo tuum erit, vt quid statueris me primo quoque tempore certiorem facias, vt tibi archetypum, si conditio placuerit mittam, sin aliter, ipse quoque de meis rebus consilium capiam. Vale Madritio Cal. Septemb.

ARGVMENTVM.

Sebastiani Leonis munusculum cum epistola sibi gratum fuisse scribit, eiq; suadet vt per cæteris Ciceronem stili exercendi ergo legat.

Io. Genesius Sepulueda Sebastiano Leoni. S. P. D.

EPISTOLA XXXIX.

PERGRATVM mihi fuit munusculum tuum, quod mensas secundas, etiam lautissimas decorare poterat, pergrata epistola doctè, & accuratè scripta, sed vtroq; multò gratior tua in me propensa voluntas, quæ ex omnibus partibus cum magna ingenij, animiq; optimæ indolis significatione sese ostendit. Quod scribis, tibi esse in animo meis monitis parere, qui te peramanter hortatus sum, vt in studijs literarum, styliq; ratione tibi optimum quemque, id est Ciceronem, Ciceronisque æquales ad imitandum proponeres, consilium tuum, cùm ex meo manet, non possum non probare. Nec me pœnitet eius esse sententiæ, in qua Marcus Tullius, & Fabius Quintilianus fuêre, cum quibus errare expetibiliùs esse videri potest, vt idem Cicero de Platone ait, quàm cum istis recentioribus, quibus leui, & præposteró consilio nouissima quæque maximè placent, rectè sentire. Cuius enim prudentiæ est, riuulos, & hos interdum turbidos consectari, cui licet ex purissimo fonte haurire? Sed sunt, vt video, quidam camelorum similes, qui non aliter potu gaudent, quàm si priùs aqua fuerit conculcando turbata. Vale, & me, quod mutuò facis ama. Ex meis Putalbanis hybernis Calend. Aprilis An. Christi nati. 1546.

ARGVMENTVM.

Pedrosæ videndi studio teneri se scribit, modestéque de propria æstimatione loquitur.

Genesius Sepulueda Pedrosæ suo S. P. D.

EPISTOLA XL.

PErgrata mihi perq; iucunda fuit epistola tua, peroptato enim accidit mihi per literas tecum, quando locis distinemur, colloqui, quem iam olim videre & affari cupio, de facie quidem ignotũ sed fama notissimum, quæ te virum probum esse prædicat, & omni humanitate perpolitum. Illud autem fuit iucundum, quòd interim non sine voluptate tuæ de me probæ opinionis vsura fruebar, teq; errare in meorum studiorum existimatione facilè patiebar. Itaque planè intellexi, veris me laudibus indignum esse, cui etiam falsæ proborum virorum, non

non callidè blandientium, sed amanter errantium laudationes non displiceant, te ipso teste, qui à laudibus suis audiendis abhorrere conscribis qui veras merentur. Sed ego fortasse non tam falsæ laudis cupiditate ducor, quàm cognita præstantium virorum beneuolentia delector. Quòd autem mihi tuam voluntatem liberaliter defers, & in me propensum animum partibus omnibus ostendis, agnosco singularem tuam humanitatem, daboque operam, vt à te nec officio, si facultas erit, nec certè amore victus fuisse videar, quando id à viris probis, vt animaduerti in rebus turpibus habetur. Vale sexto Calendas Maij.

ARGVMENTVM.

Alphonso Porticello officioſe reſpondet, ac gratas fuiſſe literas Franciſci Cordubæ nomine ad ſe miſſas ſignificat.

I. Geneſius Alphonſo Porticello. S. P. D.

EPISTOLA XLI.

EPISTOLAM tuam libenter perlegi, eruditam, officij beneuolentiæque plenam, vt facilè egregiam tum ingenij, tum virtutis indolem, de qua mihi relatum erat, ostendas, & singulare in me studium, de quo scribis, præ te feras. Dabo igitur operam, si qua erit occasio, vt meæ in te beneuolentiæ officia constent, neue in amore me vicisse videaris. Quod scribis, Franciscum Cordubam Guadalcazarensem Principem patronum tuum, vel potius nostrum tibi mandasse, vt literas, quas humanissimè & amantissimè ad me scriptas discedenti, & me vt putabat conuenturo dederat, liberali oratione quod per literas feceris, prosequereris, hac quoque in parte gratissima mihi fuit epistola tua. Quanquàm ego iam pridem eam opinionem, ac spem ex sermone, & singulari eius humanitate conceperam, vt officium mihi ex ipsius in me voluntate, ac liberalitate nullum non polliceret. Qua in re coniecturam quoque de ipsius animo ex meo faciebam. Vale, & me, quod mutuò facis, ama, Nono Calend, Febr. An. Chr. 1547.

ARGV-

ARGVMENTVM.

Chirographum Franciſci Guzmanni ſe recepiſſe ſcribit, eumque ad ſtudia literarum excitat, ſimulque ſuam illi operam promittit.

I. Geneſius Sepulueda Alphonſo Guzmanno S. P. D.

EPISTOLA XLII.

CHirographum tuum elegans & perhumanum libenter perlegi, gratiſſimumque mihi fuit in eo clarum documentum ingenij & amabilium morum tuorum perſpicere, de quibus mihi meus Petrus Sepulueda diligenter expoſuit, tui, tuarumq; laudum ſtudioſiſſimus adoleſcens. Quo te magis hortor, vt quod facis, in ſtudia literarum incumbas, & virtutis via gradi pergas. Ego verò, cuius ipſe ſtudijs hoc tribuis, quod ego nec agnoſco nec poſtulo, ſic faueo cœptis, honeſtiſſimisq; tuis conatibus, vt ſi quid poſitum erit in mea facultate, libenter ſim omnem curam & diligentiam in tua commoda collaturus, & voluntati morem geſturus. Vale nonis Ianuarijs,

ARGVMENTVM.

Affirmat Fernando Pinciano, ſe ipſius monitioni pariturum, & obiectionem Ludoici Auilæ, ſe non admittere donec veriorem audiat. Denique Pincianum hortatur ad proſequendum, in caſtigando Pomponio Mela.

Io. Geneſius Sepulueda Fer. Pinciano S. P. D.

EPISTOLA XLIII.

PERIVCVNDA mihi perque optata fuit epiſtola tua, quam proximè accepi longo interuallo, in quo excuſando, te frequentiùs, atque libentiùs hoc officio fungi poſſe ſcribis, ſi eſſent in foro Epiſtolæ venales, nec ſcribendi labore, ſed pecunia pararentur. Quod cùm dicis, hoc, vt opinor, dicis, te minùs parcere ſumptui, quàm operæ. Vbi ſunt igitur qui tuam parſimoniam accuſant? Sed quid facias inuidis iſtis, & obtrectatoribus? quorum eſt tanta peruerſitas, vt non recuſent interdum, quo minùs ipſis approbantibus cæci homines viris oculatiſſimis præferantur. Sed extra iocum, epiſtola tua mihi fuit non ſolùm lepore iucunda, ſed etiam officio pergrata. Cæterũ quod mones, vt me tempori accommodem, faciã quod præcipis, ſed ita te, vt opinor, exceptionem approbante, ſi ſaluo id officio, atq; fide licebit, quæ non minùs læditur nonnunquam occultanda ſententia, qua prodeſſe queas, quã ſi quid commentitium afferas nocendi cauſa. Et tacere quandoque flagitioſè blandientis eſt, non minùs, quàm ficta loqui, cui vitio ſi mihi

mihi seruiendum esset, à natura & instituto meo discedendum esset, mihi enim odio est, semperque fuit quisquis ἕτερος μὲν κεύθῃ ἐνὶ φρεσὶν ἄλλο δ' εἴπῃ. Quod verò scribis, tibi de meis laudibus, vt scilicet soles pro tua humanitate, & mutua inter nos beneuolentia, prædicanti, vnam dumtaxat pertinaciæ in disputando exceptionem à viro nobilissimo & humanissimo Ludouico Auila obiectam fuisse, vitium agnosco, si vitium est, sententiam, quam ductus certa vel probabili ratione dixeris, libera oratione constanterque tueri, atque in ea, donec veriora aut probabiliora à dissentientibus afferantur, manere. Quòd in castigando Pomponio Mela te occupatum esse conscribis, gaudeo, consiliumque probo, si quantoperè scribis, is consuetudine, & vitio librariorum corruptus, à paterna virtute degenerauit. Sed vt hominem non modò Hispanum, sed etiam Bæticũ, & mihi à puero familiarem humaniter, quantum res patietur, tractes, te vehementer rogo, idq; non illius solùm, sed etiam tui causa, vtque in eo castigando auctorem adhibeas Ciceronem, qui docet, omnem castigationem contumelia vacare debere: quod vereor equidem vt præstare possis in tanta seueritate, qui te sexcenta loca in opere tam paruo, vixq; tot verba continente corrigere profiteris. Erit igitur tuæ prudentiæ, & grauitatis cauere, ne quid cupidiùs, ne quid ambitiosiùs feciſſe videaris, atque eo magis, quòd iniustæ castigationis contumelia solet in castigantem nonnunquam recidere. Vale.

ARGVMENTVM.

Pinciani iudicium, quo se à Theologiæ studio ad humaniores literas reuocare conabatur, varijs rationibus improbat.

I. Genesius Sepulueda Fernando Pinciano S. D.

EPISTOLA XLIIII.

LIBENTISSIME perlegi suauissimas tuas literas beneuolentiæ plenas, & humanitatis: sed cùm cætera pergrata mihi fuerint, & periucunda, illud tamen non perinde probaui, quod me videris non obscurè cohortari, vt omisso studio Theologiæ, cui me non pœniteret multos iam annos impendisse, Poëtis, Rhetoribus, Oratoribus, Historicis, Medicis, Geographis vtriusque linguæ, atque item Philosophis (nam totidem verba sunt in epistola tua) me totum traderem, cui consilio longè aliena mihi mens est, & institutum, non quòd humaniorum literarum, & vtriusque linguæ studia negligenda putem, quæ me magnoperè delectant, aut Philosophorum consuetudinem reijciendam, cum quibus quàm familiariter vi-

xerim, documento sunt multa ipsorum scripta diligenter à me è Græco in Latinum conuersa, quam viuam etiam nunc, te docere possunt Aristotelis atque Platonis, quos ipse in primis nominasti, testimonia in meis libellis frequentiùs etiam vsurpata, quàm quibusdam Theologis satis esse videatur, sed quoniam Principi doctrinæ non primum honorem deferre, nec operæ plurimum conferre contra officium esse duco. Poêtas igitur vtriusq; linguæ legere interdum non desisto, sed cùm animum placet à seueriorib. studijs relaxare. Oratores porrò, & Historicos, in quibus adolescens intentiore cura elaboraui, hoc animo nunc voluo, non vt illustrem, vel emendem obscura, aut etiam deprauata loca, hanc enim laudem tibi relinquo, tuique similibus magnis viris, quibus datum est nonnunquam etiam diuinare, sed vt horum facundia instructior discedam ad eas cogitationes, quas literis mandare moliar, ornandas, & illustrandas, quæ vtinam in solo Theologiæ, simul ac Philosophiæ studio versarentur, nec me aliorsum tam sæpe detruderet officium necessarium, iniunctumque negotium CAROLI Cæsaris & nostrorum hominum res gestas prodendi memoriæ posteritatis. Non igitur doctrinarum, quibus me à puero dederam, curam deposui, aut magnoperè remisi, sed me ita comparaui, vt cæteras esse velim velut ancillas, & administras Theologiæ, quæ mores etiam (vt nosti) non modò religionem moderatur, vtilissimam Philosophiæ partem, cui ab illis est nomen complexa. Sed tu fortasse iam dudum rides, meque ineptum vocas, qui tam seriò ad ea, quæ tu forsitan more tuo iocatus es. At ego tanti facio iudicium tuum, vt tibi etiam iocanti causam meam probari velim, noui enim ingenium tuum festiuum, & vafrum, quanquam ipse nulla tali solicitudine ductus, libenter vsus fuissem occasione tibi meorum studiorum rationes explicandi, sed redeo ad studium Theologiæ, quod ipse non tam mihi videris epistola tua improbare, quàm damnare meum consilium, qui cùm tibi aliquid in doctrinis esse videar, nec abhorrere à politiore literatura, Barbaros tamen Theologos in honore habeam, & legam, cùm disertos liceat Poêtas, & Rhetores honestiùs scilicet lectitare. At hoc ipsum etiam atque etiam vide, ne non rectè, nec pro tua prudentia & ingenio statuere videaris, vt qui optimarum & grauissimarum rerum multis in locis auctores sint, hos propterea, quòd parum ornatè loquantur, Rhetoribus atque Poêtis, hoc est dicendi, & fabulandi artificibus posthabendos putes: quos ego, vt sæpe quosdam legi, sic mihi sæpiùs etiam legendos puto, sed ita, vt æquiore animo sim verborum artificio, quàm scientiarum carituras. Nec tamen te purissimis aquis Castalij fontis assuetum has palustres Gandauenses, & Gersonicas tantoperè, vt scribis, aspernari, & abhorrere miror, non magis quam quòd ille noster amicus aêre libelli mei, paulò scilicet sereniore, & illustriore offendatur, so-

tur, solitus haurire longè crassiorem, & totam vitam in cœlo caliginoso versatus. scio enim, quanta sit moris vis, & quàm proxima naturæ. Ita cum is cætera elementa, totumque libelli quasi corpus, quod erat ipsius iudicij, atque item stylum probet, nihil est, quod ei de improbato aêre succensеamus: qui si stylum quoque aêrea pœna condemnaret, me tamen nihilo magis moueret, quàm Apellem quondam ineptus ille sutor, qui locum fecit veteri Prouerbio, cùm vltra calceos iudicasset. Vale.

ARGVMENTVM.

Laudat Pinciani operam in Plinio corrigendo, hortaturq; eum, vt opus inchoatum perficiat, præterea tres locos in Plinio emendat.

Genesius Pinciano. S. D.

EPISTOLA XLV.

PLinianæ tuæ castigationis tantoperè mihi probantur, vt non possim non vehementer Plinio, tibique simul gratulari: illi, quod innumerabilibus quasi vulneribus per indoctorum hominum iniuriam iam pridem confossus, tua opera, qua parte hucusque curandum eum suscepisti, penè ad sanitatem perductus mihi esse videtur, qui multis ante medicis, & quibusdam magni nominis adhibitis parum profecerat: tibi, quòd ingenij atque doctrinæ magnum fructum, laudemque tulisti, addo etiam industriæ & officij, quibus non desinis rem communem, literariamque cum egregia tua laude iuuare. Quamobrem te mi Pinciane hortor, & pro iure veteris nostræ amicitię moneo, & obtestor vt quod in præfatione polliceris, opus inchoatum vrgeas, ad finemque perducas, *οὐ καιρῷ γονῦ ἐισέρχεταί μοι τὸ τῦ ποιήσαντος εἰπεῖν. βάλλ' οὕτως ἀικέντι φόως ἔδησι γένηαι.* nec patiaris tantam & tuæ gloriæ & publicæ vtilitatis occasionem cum magno doctorum hominum desiderio perire. *ἀλλὰ τί σεσπεύδονλα χ̣ ἀυτὸμ ὀτρύνω;* vt Agamemnon Teucrum illum sponte sua ad gloriam properantem, qui cæteros etiam doctos viros tum clara voce, tum magno exemplo ad istam industriam æmulandam adhortaris, *ἀλλ' οὐ πάντεσσι θεὸι χαρίεντα δίδῦσι.* nec omnibus paria tuis suppetunt vel doctrinę & ingenij, vel probatæ fidei & veterum Codicum adiumenta. Quod verò ad me attinet, quem tu pro tua beneuolentia & humanitate aliquid in literis esse putare, & certè prædicare soles, non solum earum, de quibus modò dixi, rerum inopiam, sed multa etiam, & necessaria, quibus obruor, impedimenta excusare possum. Cæterùm ne tibi publici boni causa

laborem planè Herculeũ obeunti nulli vsui, prorsusq; tanto in opere cessator fuisse videar, non desinam, si quis in hoc opere dignus vindice nodus inciderit, vt Horatius ait, tevelut Pythium Apollinem consulere, hoc est te admonere, ac velut sagacissimuum coniectorem adhibere, cùm in locum incidero difficilem mihi, & inextricabilem, vt me admonente, accuratiùs impedita illa loca dispicias, expediasque, & dum mihi hærenti fers opem, eadem opera cæteris tardioribus, meique similibus cõsulas, quale illud est, quod nuper offendi, dum roboris naturam cognoscere cupiens, Plinium consulerem in historia naturali. Nam cùm hybernorum, studiorumq; causa in fines Cordubenses patriamq; Bæturiam, eam dico, quę finitima est Hispanię Tarraconensi, quæque Petrochæ, nunc expetrarum frequẽtia magna ex parte nominatur, inq; Putalbanum municipium annua consuetudine secedam, penè factus sum agricola, cuius studiũ mihi videtur proximè ad Philosophiã accedere. Itaq; latum fundum sepiendum, ac vitibus plurimũ, sed multis varij generis frugiferis arborib. permistis conserendũ curaui, cuius rei causa conficiendis cupis roboris materiã circa brumã luna decrescente ex præceptis Philosophorum cædendã mãdauerã, vt optimũ vinũ, & Hispaniæ nobilissimis (crede mihi anno superiore cũ multis experto) cõparandum, in cupas optimas cõderetur, quales esse dicũtur ex roboris materia, hanc enim abieti, & larici, cæterisq; cognatis aboribus, quas nostri, vt video, vno Pinus nomine vocant, longo interuallo præferunt. Roboris igitur naturã cognoscendi gratia Plinij locũ mihi paulò accuratiùs legẽti, occurrit perdifficilis salebra, quàm mihi à te maximè velim expediri. Nam lib. sextodecimo c. 6. cùm de glãde disseruisset, omnesq; glãdiferas arbores nominatim proposuisset, vt idẽ faceret de galla, *Quæ glandẽ* (inquit) *ferunt, omnes & gallã, alternisq; annis glandẽ*, nã glandiferas oẽs arbores gallã quoq; ferre, planè transitorium est, ilicis .n. quã Græci πρῖνον vocãt, genus vtrũq; glandẽ ferre, & Theophrastus docet, & Plinius eiº, dũ quidẽ stirpiũ persequitur historiã, penè interpres fatetur. At quis vnquã probatorũ auctorũ meminit illignæ gallæ, quísue hominũ in ilice arbore notissima, & passim proueniẽte gallã vidit? cuius arboris, vt nosti, Plinius idẽ duo genera facit, alterũ quod fert puniceum coccum, & communi duntaxat, πρῖνον ilicisq; vocabulo à Græcis Latinisq; notatur. à nostris enim *coscogia* à quisquilio scilicet corrupto vocabulo nominatur, alterũ quod folijs speciem Oliuæ præfert Aquifolia Latinè nominata. nam Græcè varia per nationes nomina sortita est, auctore Theophrasto. Arcades enim tum σμίλακα tum φελλόδρυν, Dores ἀγρίαν appellant, nostri homines *Enziam* dicunt, magno quorundã errore, qui Quercũ Latinè huic nostrati vocabulo respõdere tradidẽre, &, vt video, plerisq; persuaserunt. Quercus .n. q̃

Græcè

Grecè tũ ἰμερίς dicitur tũ μόδιορ, genus est roboris, & folium amittit Theophrasti ac Plinij testimonio, quod huic alteri abest. Cùm igitur ilex vtraque glandem, neutra gallam ferat, quid venit in mentem Plinio glandiferas omnes arbores gallam quoq; ferre asseuerare? an quia fructus ilicis non tam βάλανορ, hoc est, glandem, quàm ἄχυλορ nominari ijdem Homero auctore prodiderunt? At interdum Theophrastus βάλανον, καὶ βαλανώδη καρπόν. Et Plinius sæpe, & quidem eodem capite ilicis glandem appellat, quam propriè intelligi declarat his verbis *Glandẽ* (inquit) *quæ propriè intelligitur, ferũt robur, quercus, æsculus, cerrus, ilex, suber.* Tuum igitur erit exemplaria vetusta consulere, quæ si cum cæteris congruunt, nodus hic ipso Gordiano cæcior, & inexplicabilior mihi quidem esse videtur, quem nisi tu mihi pro tua solertia, & sagacitate expedieris, certũ est Alexandrum auctorem adhibere, & quem soluere non possum, abscindere, quod ita demum fiet, si Plinium hoc in loco, quod bonus Homerus interdum facere Prouerbio vetere memoratur, dormitasse dicemus, cuius oscitantis negligentiæ, si quid tale Plinio, cætera magno & vigilantissimo auctori accidit, occasio non aliunde nata mihi esse videtur, quã ex Theophrasti verbis ex tertio de stirpib. libro, quo in loco cũ de quinque roboris generib. differuisset, & eorũ differentias cum ex alijs rebus tum ex glandibus explicuisset, hæc verba subiecit, χνικίδεας δ πάντα φέρει τὰ γένη: quod de roboris duntaxat generibus à Theophrasto dictum Plinius errore (vt suspicor) inductus, transtulit ad omnia glandiferarũ arborum genera, qui vt omnia ferè superiora penè ad verbũ, ordine tamẽ nõ nihil immutato, Latinè reddiderat, sic cũ his, quæ modò scripsi, continenter est persecutus subiecta illa, & cohærentia verba, Μόνη δὲ εἰς τὰ δέρματα χρῆσί μετίμερίς, ἥδε τῆς ἀιγίλοπος καὶ τῆς πλατυφύλλου τῇ μὲν ὄψει παρομοία, τῇ δὲ τῆς ἰμερίδος πλὴν λιπαρωτέρα, ἀχρεῖος δὲ, φέρει δὲ καὶ τὴν μέλαιναν, ἣ τὰ ἔρια βάπτουσι. Quæ postrema verba declarant, in codicibus Plinianis vulgatis in fine huius Capitis verbum *lanis* desiderari, vt sit scribendum, *hæc tingendis lanis vtilior.*

Sed nec illud satis expedire possum, quod idem Plinius in Hispaniæ descriptione tradit libro tertio, Capite primo: *Tarraconensis* (inquit) *Solorio monte, & Oretanis iugis, Carpetanisque, & Asturum, à Bætica, atque Lusitania distinguitur.* nisi forte mendum inest librariorum, qui pro Vettonum, Asturum supposuerunt. Nam post Carpetana iuga, quæ Tagus interfluit, Vettonum montes, quorum sunt fauces Balneorum dictæ iuxtà Capparam, & Placentiam in Durium amnem porriguntur. Asturum verò montes ante Durium esse nequeunt, auctore Plinio,

nec constanter ab eo possunt ad Lusitaniæ, & Tarraconensis distinctionem accommodari, si pro Asturum Vettonum reponeretur, nihil esset offensionis, Vettones enim Plinio, & Strabone auctoribus, non Vergaones, vt corruptè vulgò legitur in exemplaribus Ptolemæi, nuncupantur populi, quos dixi montes vltra citraque accolentes, quorum iuga cùm Lusitaniam à Tarraconensi distinguant, non dubium est, quin vetere, & commodiore Hispaniarum partitione, quam sequitur Plinius, Salmantica, & cætera oppida citra horum montium iuga, quæ Lusitaniæ Ptolemæus adscribit, Tarraconensi potiùs annumerarentur, vt Bæticæ tota Bæturia Turdulorum, licet eius partem attingentem Oretana iuga ratio Ptolemæi interiecta linea transferat ad Tarraconensem.

Nam illud ex quarto libro Capite vigesimo te non leuiùs, vt video, quam me offendit, vbi de saltu Pyrenæo verba faciens, *Immensum*, inquit, *quantum hinc Oceano, illinc Iberico mari comprimentibus*. cui tu commodiùs fortasis ita mederis, vt pro quantum cuneata reponas, mihi si pro immensum, immissum reponeretur, planus, rectusque sensus fore videbatur in hunc modum, & intelligentiam, immissum montem, quantum hinc Oceano, tantum illinc Iberico mari comprimentib. Immittur enim Pyrenæus in vtrumque mare duobus appositis promontorijs, & ad immensum facilis est lapsus ab immisso, quo vocabulo Mela vtitur in eundem sensum de Hispania, atque eodem Pyrenæo saltu differens his verbis, *Donec per omnem prouinciam longo limite immissus* & in Asiæ descriptione, *Pelagus*, inquit, *quod inter ambas immissum est*. Sequitur in eodem loco : *Ipsa Pyrenæi iuga ab exortu æquinoctiali ad occasum brumalem fusa*, quæ oratio te tantoperè offendit, vt in diuersam commutandam putes. Cæterum haud scio, an nihil ea verborum inuersione proficiamus: quanquam locum impeditum esse fateor, & mihi suspectum. Cui expediendo Mathematicorũ præceptum adhibere oportet, qui ad verbis, aut prouinciæ, cuiusuis denique loci partes pro discriminibus cælestium regionum distinguendum, primum omnium certum aliquem locum constituere iubent, quo ratio tota referatur. Nam si quis diuersa, & disiuncta loca respiciat, licebit huic eundem montem, aut vrbem à diuersis cœli plagis sitam esse memorare, ita cum nullus locus huic rei accommodatior sit, quàm medius, hunc auctores, quasi centrum in huiusmodi rationibus constituere solent, vnde lineæ ad diuersas cæli partes deducantur, quam consuetudinem, vt cæteris in regionibus, sic in Hispania tenuisse Plinium certum habeo. Cùm ergo in Hispaniæ descriptione Plinius Pyrenæi iuga ab ortu æquinoctiali proficisci tradit, quid aliud intelligi oportet, quã huius saltus initium repeti ab ea parte, qua linea transit à medio Hispaniæ in ortum solis æquinoctialem producta. Quã rationem secutus Ptolemæus, hoc Hispaniæ latus æstiuum ortum spectare dicit, dum medij lateris non extremorum rationem habet. Nam quod in eiusdem Hispaniæ de-

niæ descriptione, lib. tertio Cap. primo de Bæturia laboras consentientibus exemplaribus, vide ne cùm Plinius Bęturiam tradit in duas partes esse diuisam, duas esse Bæturias innuat, alterã Celticorum, Turdulorum alteram, vt Hispaniam quidam bipartitam esse aiunt, alij duas Hispanias dicunt citeriorem, & vlteriorem. Quod si ita est, vt esse videtur, non est, quòd culpam Librariorum incusemus, atque eo minùs, quòd oppida, quæ postremò memorentur, sunt haud dubiè in ea, quam Turdulorũ Bæturiam dixerat, Lusitaniæ, & Tarraconensi finitima, vt Mirobriga, in cuius vestigijs duo lapides nuper reperti sunt, quorũ ego inscriptiones legi, oppidum illud Mirobrigensium fuisse declarantes non longè ab eo, quod Capillam nunc appellant in finibus Comitatus Bellalcazarensis. Vale.

ARGVMENTVM.

Fern. Pinciani sententiam quam de Saltu Pyrenæo habebat, emendat: ipsumque temeritatis arguit.

I. Genesius Pinciano suo.

S. D.

EPISTOLA XLVI.

EGO te Pinciane pro iure nostræ amicitiæ superioribus diebus admonui, vt tuarum in Plinium obseruationum locum illum, qui saltus Pyrenæi situm attingit, diligentiùs recognosceres, perstrictis causis, cur verborum mutatio, qua tu vulneri medendum putabas, mihi non satis probaretur. Tu tamen vt video, nondum scilicet inuentionis, qua tibi magnoperè placueras, amore refrigerato, vt ex mei Villasicci literis, deinde scriptis tuis cognoui, non solùm in sententia perstas, sed meam admonitionem, velut inanem, & ab Astrologiæ exigua fortasis cognitione profectam aspernaris, nec audiendam putas. Ego quantum operæ in astrologicis theorematis adolescens posuerim, referre nihil attinet, sed quoniã ἐλευθεριάζειν ὅμιλον χρὴ, πρὸς τοὺς φίλους vel te auctore, quod exploratum habeo, te non celabo: Illud igitur dico e Plinij verbis contra fidem omnium exemplarium periculoso exẽplo, & à magnorũ, tuique similium virorũ consuetudine multũ abhorrente, invertendis non solùm nihil ingenioso isto commento proficere, sed in falsum sensum, & quem tueri nulla ratione possis, orationem repugnantem detorquere, & qui constare nullo modo possit, nisi Pyrenæis montibus, quos ipse ab ortu Brumali ad occasum æquinoctialem ducis, è regione Diani inter Toletum, & Cordubam Vlyssipponem versus deductis. Hispania enim, vt cum cæteri Geographi, tum omnium diligentissimus Claudius Ptolemæus testatur, sic locata est, vt ab ortu æstiuo mediam Pyrenæi saltus partem spectet, à brumali verò

insulas

insulas Baleares. Quoniam igitur vna parte constituta, constitutæ sunt omnes, describatur circulus vetusta mathematicorum ratione, cuius centrum sit in media Hispania, ducaturque meridiana linea, & item altera transuersa, quæ secet hanc ad angulos rectos, & duæ præterea per idem centrum inter illas paribus interuallis decussatim in hunc modum.



Hæc figura Aristot. (Met. 2.) & Plinio libro historiæ naturalis decimo octauo, & Vitruuio libro de Architectura primo, Ortus, & Occasus æquinoctiales & solstitiales in quaque regione indicat. Duc igitur lineam, quæ Pyrenæum signet, ab ortu brumali in Occasum æquinoctialem, & cùm omnia paulò diligentiùs consideraueris, quàm rectè verba Plinij commutaueris, non poteris ignorare, simulque cognoices, si quid mutandum est in Plinio, vt omnino esse videtur, pro occasu brumali, Occasum æstiuum esse reponendum in verum & commodum intellectum. Hunc enim esse montis situm exploratum nobis & perspectum est. Nam quòd Ptolemæus Pyrenæum esse tradit ab ortu æstiuo, dum medij rationem ducit, non discrepat à Plinio, qui de initio montis ab Austro sumpto memorat. Illud igitur pro iure nostræ amicitiæ te hortor, & moneo, vt in alienis scriptis castigandis temperantiùs agas, nec auctoris verba sine certissima ratione præter omnium exemplarium fidem inuertere, aut quoquo modo mutare animum inducas.

eas.hoc enim periculosum habetur. Ad illud nō cuiuis in promptu est, nec caret egregia iudicij,& eruditionis laude dissentientibus exemplaribus,veram & germanam lectionē asserere. Nec id, quod veteres magnos viros factitasse constat,existimationem minuere solet, non ante libros emittere, quàm fuerint doctorum amicorum iudicio probati, hoc certè Plinium,hoc Ciceronē fecisse legimus, nec erat alia honesta causa libros conuocatis amicis,quod olim passim fiebat,recitandi.Ego verò non solum doctissimos,si quos nactus sum,sed etiam semidoctos adhibere soleo. Nam πολλάκι τοι καὶ μικροῦ ἀνὴρ μάλα καίριον εἶπε, οὐχ ὅπως οἱ τὰ μέτρια πεπαιδευμένοι ἄνδρες,& vt virtus in quoque colenda est,sic veritas à quouis accipienda,gratiæq; agendæ. Quid igitur sentiam,quid probare,quid vicissim damnare soleam,exposui: quæ si tibi non probabuntur,erit tamen humanitatis tuæ cuncta in bonā partem accipere,& ab optimo,fido,amicissimoq; animo profecta esse existimare.ἀριλῶς γὰρ καὶ φίλως, ἴσθι, ὅτι, ὅλως δὲ κατὰ φιλόσοφον ἔγραψα πάντα. Vale Valdolito.

ARGVMENTVM.

Contra Pincianum,admodum ex hac sententiarum de saltu Pyrenæo contentione commotum,circuli sui,in superiori epistola,rationem defendit.

Genesius Pinciano suo.
S. P. D.

EPISTOLA XXXXVII.

QVoniam contentiones etiam literarias ab amicorum consuetudine submouendas censes,& rectè censes,ne (quod interdum effitetur)coniunctorum animorum alienationem pariant, faciam, quod præcipis,& tibi,quem propter ingentem tuam doctrinam,singularem humanitatem,& suauissimos mores iam inde ab ineunte mea ætate colo, & obseruo,morem geram,quanquàm ego quod scripsi,non vt tecum certarem,crede mihi,scripsi,sed vt te admonerem,ineptè fortasis,optimo tamen,& amicissimo animo, qood meum factum quando ipse,vt video,aliorsum accepisti,non committam post hac,vt te admonendo bis stultè ὡς κωμικός φησι facere dicar, laborem ipse in meis maximis occupationibus inanem capiam, & tibi, cui placere maximè cupio,molestus sim,sed ita legam scripta tua, cùm per otium licebit,vt quæ mihi maximè probabuntur, vt multa probantur, hæc sim meritis laudibus libenter affecturus: si qua verò dubia,aut minùs probabilia esse videbuntur,vt esse aliqua necesse est in opere longo & magno,ea tamen tacitus putem fundamentis inniti altiùs à te iactis, quàm

quò valeat ingenij mei acies intenta penetrare. Nam licet adhuc pauca legerim, hoc est, ea duntaxat, quæ pertinent ad Hispaniæ descriptionem, in qua tunc temporis scriptorum meorum causa versabar, ita tamen captus sum quibusdam à te optimè castigatis locis, vt totum opus mihi per otium perlegendum putem. Semel igitur disputatione de Plinianis castigationibus tuis omissa, respondebo tamen sed paucis ad eum epistolæ locum, in quo te meam vel doctrinam, vel intelligentiam maximè desiderare scribis, quòd sic tibi figura quadam Hispaniæ partes pro ratione cœlestium regionum designauerim, vt linea recta paulò suprà Toletum ab Oriente in Occidentem ducta, quæ alteram à Septentrione in meridem contendentem transuersa secet ad angulos rectos, Ortum & Occasum æquinoctialem suis extremis demonstrare dicerem. Nam si hoc verum est (inquis) efficitur, vt Toletana regio circulo æquinoctiali sit ad perpendiculũ subiecta, vnde tamẽ constat eam partes amplius quadraginta Septentrionem versus recessisse. Addis præterea tertiam & quartam lineas, quæ in decusses obliquæ Ortus & Occasus æstiuos ac brumales ostendunt, perperàm in eadem figura per partium nonagenarum medios arcus fuisse ductos arcubus, quos in portiones longè impares partitos oportebat, in prorsus æquales diuisis, quorum vtrunq; per magnum videlicet errorem commissum esse à me homine in literarum studio tandiu versato, vehementer te demirari conscribis. Atque hæc quidem summa est (vt arbitror) accusationis, admonitionisq; tuæ, quæ tantum abest, vt mihi molesta, aut grauis acciderit, vt fuerit etiam grata, & periucunda. Quid enim mihi philosopho, id est discendi cupido, optatius accidere potest, quàm si quis me doctorum amicorum officiosè velit labentem sustinere, prolapsumúe erigere, aut erranti viam, vt est apud Ennium, comiter monstrare? Cæterùm ego excusationem affero non modò probabilem, vt spero, sed legitimã etiam, & qua iure possim culpam omnem deprecari, quod me non temeritas, aut nouus & insoleus quasi trames abstulit, sed ratio, & publica via veteribus ac doctissimis pertrita in eam, quæ tibi tantoperè improbatur, sententiam induxit. Rationem enim secutus sum, quam vt alios magnos Philosophos, & Mathematicos omittam, Plinius tuus Aristotelesque tradiderunt, aut hos igitur mecum erroris & insciticæ damnare debes, aut cum eis me culpa omni liberare, qui mihi auctores fuerunt ortus & occasus solis in quaq; regione ad illum, quem damnas modum, per descriptam figuram designandi, alter (vt scis) in Naturalis historiæ libro decimooctauo, Cap. trigesimotertio, & trigesimoquarto, alter in Meteorologiæ secundo libro. quod, vt cætera Aristotelis opera te legisse, & relegisse, nunquam equidem, vt tibi, nescio qua ex causa, suspicari in mentem venit, dubitaui, sed profectò quò sæpiùs te Plinium Aristo-

um Aristotelemque legisse puto, qui non obscuris aut ancipitibus, sed perspicuis planisque verbis de hac quæstione disseruerunt, hoc magis miror, te nunquam antè commotum fuisse præcepti huius absurditate, qua tantoperè nunc offenderis, postquàm cùm descriptione literas meas cum clarissimorum auctorum præceptis ad amussim congruentes accepisti, quanquam non miror te ad eam salebram offēdisse, quò multos incurrere video, diutiùs etiam in studijs Astrologiæ versatos, itidem illam figuræ describendæ rationem, ad regiones duntaxat æquinoctiali circulo subiectas rectè accommodari posse existimantes. Qua de re nescio quid nugarum his paucis diebus rudioribus fortasse non inutile futurum meditabar, scriptoq; mandabam. certissimis enim argumentis, quę persequi epistola longum & ineptum esset, declaraui nihil ad illam certissimam & verissimam rationem interesse, sub æquinoctiali circulo regio sita sit, an vltrà citráue, etiam sub ipso mundi cardine, qui πόλος ἀρκτικὸς à Græcis nominatur. Quòd si nec Plinio credis, nec Aristoteli, ipse te rerum vsus in iam appetente æquinoctio poterit edocere, si periculum facere libuerit, & ratio, si rem cum doctissimis Mathematicis contuleris, si quem fortè nactus eris, nec enim passim reperies, qui planè possit causas, & initia rationis huius explicare, his enim expositis, atque perspectis, & ad instrumenta Astrologica præsertim globota examinatis, facilè intelliges, illam rationem ortus & occasus æquinoctialis inuestigandi omnibus terræ regionibus rectissimè accommodari, nec cum Plinio errasse me putabis obliquis lineis ita ducendis, vt in æquas portiones interualla illa partium nonagenarum diuidant, non quòd sic vsu veniat vbiq; terrarum, sed quia id medium est, nec procul abest à norma Hispaniæ nostræ, & Italiæ, vbi Plinius ea prodebat conueniente, non enim si sol viginti tres gradus & semis circiter declinat ab æquinoctiali circulo, protinus idem Cancri primam partem obtinens, eadem distantia suprà finitorem ascendit in quaq; regione, cùm id in recta dumtaxat sphæra contingat, hoc est, sub æquinoctiali sita, nam obliquis ita variat, vt interdum per locum plus etiam quinquaginta gradibus ab æquinoctiali circulo remotum supra finitorem emergat, & oriatur ratione mirabili quidem non expertis, sed Mathematicis διὰ τῶν ἀστρολογικῶν θεωρημάτων explorata.

Vale. Ex oppido Valdolito, septimo Cal. Aug 1544.

ARGVMENIVM.

Miratur Pinciani pertinaciam in tuenda sententia sua: De motu solis per signiferum ad terram relato, de ratione cœlestes regiones designandi, & de Orospeda e montis situ: Suamq; opinionem Quignonio explicat, à quo se contra calumniatores defendi cupit.

I. Genesius Sepulueda I. Quignonio gymnasij Salmanticensis præfecto.

S. P. D.

EPISTOLA XLVIII.

VIDISTI ne quenquam pertinaciorem, quàm fuit Fernandus Pincianus in illa Salmanticensi disputatione, cui tu, Neylaque noster, & Oliuarius vir astrologia, cæterisque mathematicis disciplinis eruditissimus interfuistis? cùm ille non à me solùm, sed à vobis etiam omnibus, quibus meam sententiam certissimis rationibus probaueram, obstinatissimè propter inueteratam in ipso, & plerisque alijs opinionem dissentiret: de motu scilicet solis per signiferum ad terram relato, deque cœlestes regiones designandi ratione, & Orospedæ montis situ. his enim de rebus disceptabamus. Erat autem meæ sententiæ, orationisque summa, de progressu quidem solis, omnem ab eo terram tum ad Meridiem, tum ad Septentrionem longissimo interuallo relinqui. Ita vt terræ duntaxat rotunditas obstet, quo minùs vmbræ omnes Europam incolentium statim post vernum AEquinoctium sole cæli medium obtinente, in meridiem iactentur, quod, si terra plana esset, vsu veniret. Quanquam enim sol per signiferum incedens, nec solstitia transit, nec radijs ad perpendiculum iactis Torridam terrestrem zonam, & Syenem vrbem prægreditur, tamen postridie verni AEquinoctij omnem terram à meridie relinquit, quam terram cœlesti globo, cui sol affixus conuoluitur, comparatam pro puncto esse, inter mathematicos constat. De regionibus autem cœlestibus, si per lineam meridianam linea recta, quæ illam secet ad angulos rectos, ducatur, huius altera parte ortum solis æquinoctialem, altera occasum in quaq; parte orbis terræ monstrari confirmabam, in quo theoremate nõ ab Aristotele solùm, sed etiã à veteribus mathematicis magno cõsensu tradito pleriq; iuniorũ hallucinabãtur, id regioni dũtaxat æquinoctiali circulo subiectæ accommodari existimantes. De Orospeda verò hũc esse montem asseuerabam, qui ex media ferè Idubeda circa Saguntiam vrbem profectus in occasum excurrit, Segobrigenses, & Segobienses, Auelensesque fines à Carpetanis disterminãs, deinde in Meridiem flexus Lusitanos à Toletanis dirimit, tum Spartarium campum, & ex altera parte Bæturiam prætergressus, Carthaginensibus montibus coniungitur, & per oram interni maris vsque ad fretum Herculeum excurrit, cuius sententiæ auctor Strabo est, qui libro de situ orbis tertio Hispaniæ mediterraneas regiones, quæ inter Pyrenæum saltum, & la-

tus;

tus Septentrionale vsque ad Astures continentur, duob. maximè montibus disterminari testatur. Idubeda,& Orospeda, deinde vtrumq; describens ex media Idubeda à Cantabris ad mare nostrum non procul Iberi Ostio pertinente ortam Orospedam, per quas dixi regiones,ad Calpem vsque deducit. Quo planè publicus error,in quo Pincianus erat,conuincitur omnem Orospedam existimantium ora maris nostri contineri,& maximum Hispaniæ, maximeque in oculis hominum positum montem esse nominis expertem. Quarum rerum memoriam faciendum putaui,vt tibi per epistolam renouarem, vt in isto clarissimo & doctissimis hominibus frequentissimo gymnasio Salmanticensi, cui ipse scholarchus ecclesiastica dignitate præes,& cum egregia tua laude pro tua singulari,& hæreditaria prudentia,virtute, & grauitate moderaris, si quis apud te de meo his de rebus iudicio perperam, vt passim quosdam factitasse exploratum habeo, memorauit,calumniam possis pro tua in me beneuolentia, meaque in te obseruantia tum ex tuo grauissimo testimonio,tum ex meis literis refellere. Quanquàm de solis per signiferum motu, & terræ transitu libello huic quæstioni dicato, de ratione verò cœlestes regiones in quaque terrarum parte demonstrandi, cùm in vtraque quæstione non modò Pincianum, sed multos præterea aduersarios habuissem,in epistolis ad eundem Pincianũ missis accuratiùs disputaui. Quo in loco mons idem Orospeda me cuiusdã publici item erroris admonet, de quo te celatum nolo:ex Orospeda enim Bætis fluuius in Oretania non procul capite Mariani montis,qui & ipse ab Orospeda proficiscitur,exoritur,diuq;Mariano παράλληλος in occasum delapsus, & non procul Hispali in Meridiem deflexus duobus ostijs in Oceanum Atlanticum emitti à veteribus scriptoribus cùm memoretur,iuniorum tamẽ communis sed falsa persuasio iam pridem inualuit, alterum Bætis ostium paulatim euanuisse, cuius aliei clara vestigia circa Rotam littorale Castellum extare, quidã ex nostris scriptoribus,dum cæteris diligentiores, nec temerè publicam persuasionẽ secuti esse videri vellent,literis mandare non dubitarunt, magna scilicet securitate.Bætis enim vt olim,sic hoc tempore duobus ostijs in Atlanticum Oceanum emittitur. A quo flumine quatuor insulas infra Hispalim effici constat,sed duas,quas memorare non pigeat, alteram sexdecim, alteram vigintiocto circiter milia passuum longitudine patẽtes,minorem,&maiorem appellatas,quarum inferiorem Bætis,duobus quasi brachijs complexus alluit; donec Oceano breui sinu terras vsque ad insulam intranti occurrat,quæ duo brachia Oceanum dextra, læuaque influentia veteres duo Bætis Ostia,vt sunt,sic esse dixerũt, vt Strabo grauis auctor declarat,his verbis; *Bætis bifariam partitus in Oceanum exit, inter cuius Ostia intercepta insula centum,vel vt quidam tradunt,amplius stadijs à litore distat*; cum hac enim Strabonis oratione nunc quoque res quadrat

ad amussim. Nam frõs insulæ huius tribus nostratibus Leucis, quæ summa fere est cẽtum stadiorum, abest à Salucare, quod castellum primum est in Oceani littore extra sinum ori tamen ipsius appositum, quem sinum non amnis in vnum corpus redeuntis, sed maris partem esse veteres magna ratione propter aquarum tum salsedinẽ perpetuam, tum latitudinem statuerunt. Nam si interceptam insulam accipias spatium Salucari, & Rotę interiectũ, quod iuniorũ scriptis est consentaneum, insula nõ stadijs cẽtũ à littore aberat, vt Strabo tradidit, sed ipsa littus efficiebat, & Oceani fluctibus alluebatur. Vale Corduba Nonis Decẽbris.

IOANNIS GENESII SEPVLVEDAE CORDVBENSIS EPISTOLARVM

LIBER IIII.

ARGVMENTVM.

Ramirum Nugnum Gusmanum salutat, eumque ad literarum scriptionem prouocat.

Io. Genesius Sepulueda Ramiro Nugno Gusmano. S. P. D.

EPISTOLA XLIX.

Oannes tuus, seu noster potiùs dicendus est, quẽ tu genuisti, ego doctrina literarũ excolui, ad me nuper scripsit, te propter quãdã de studijs meis opinionẽ nescio quib. meis nugis legẽdis perceptã animũ à me gerere nõ alienũ, ac proinde rẽ fore tibi nõ ingratã, si te, quãdo aliter nõ datur, missis literis salutarẽ: quod officiũ tãtũ abest, vt ipse recusarẽ, vt iã pridẽ nihil libentiùs susceperim. Nã mihi crede homini ab assentationis crimine alieniſsimo, paucissimos esse ex Hispana nobilitate, quos meus animus pari obseruantia, & quasi religione cõplectatur, ac te, quem maiore, certè neminem. Nam te optimum virum & sapientissimum esse, non tam mihi persuasit consentiens omniũ, qui propiùs virtutes tuas perspexerunt, testimoniũ, quàm probatissimi, suauissimique mores tuorum filiorum, Alfonsi & Ioannis, quos ego familiari longioris temporis cõsuetudine cum magna non modò iucunditate colui, sed etiam admiratione tam humanam & comitate conditam grauitatẽ, tam pertinax omniũ vitiorum odium in adolescentes ea ætate potuisse cadere. Sic enim statui nullis posse hanc morum felicitatem contingere, præter eos, qui

domestica disciplina, & singulari paternarum virtutum exemplo liberaliter sanctèque fuerint educati. Accedit ad causas meæ in te singularis obseruantiæ, quòd tu præter morem gentis nostræ bellicam laudem doctrina politicorum literarum cumulasti: in qua senex, & quidem ea ætate quò perpauci, & hi per summam vitæ superioris continentiam perueniunt, tam libenter versaris, vt in ea duntaxat adquiescas, ac eius consuetudine interuenientes molestias lenias, & curas etiam asperiores depellas. Hæc igitur ad te scripsi simul vt morem gererem Ioanni filio tuo, quem ob egregias eius virtutes & amo & suspicio, simul vt tantisper optatissimo colloquio tuo, quacunque ratione datur, fruerer. Quòd si mihi hoc epistolio aliquid à te literarum elicere contigerit, iam me putabo nunquam operam nauasse fructuosiùs. Vale. Roma Cal. August. An. Christi nati. 1533.

ARGVMENTVM.

Genesij literis respondet, quas sibi pergratas fuisse scribit, earumque studio se iam dedere non posse, propter ætatem grandæuam: hortaturque eundem vt Hispanorum res gestas in lucem proferat

Ramirus Nugnus Gusmanus Io. Genesio Sepulueda S. P. D.

EPISTOLA L.

MAGNO equidem gaudio affectus sum ijs literis, quas proximè à Ioanne filio, abs te recepi, fuissemque multò maiore, si eas mihi accipere contigisset eo tempore, quum otium atque ætas tulit, vt ad amicos Latinè scriberem. Nunc autem quid commercij cum literis homini octogenario, ac tot malis morbisque obnoxio? Cui nihil magis curæ esse debet, quàm vt animum veteribus piaculis grauatum, assidua meditatione atque pœnitudine, in rerum diuinarum cogitatione exerceat, Deoque placando quàm maximo possit affectu studeat. Vnum interim mihi reliquum est, vt semper doctissimorum hominum scriptis, si quando ad manus meas peruenêre, maximè oblecter. Quòd filius meus te præceptorem sortitus sit, gaudeo maiorem in modum neque dubito, quin doctrinæ tuæ iactis fundamentis ad altiora propediem te ducente securus euadat. Is mihi nuper significauit, te Hispanorum regum historiæ expoliendæ, atque à barbarie vindicandæ prouinciam suscepisse, quo mihi nihil gratius afferri potuit. Scio enim qua eloquentia atque prudentia es, neque ad stylum, neq; ad rerum gestarum fidem tibi quicquam defuturum. Age igitur, & nostratium Principum gloriã, quę vel temporum culpa, vel scriptorum ignoratione tamdiu latuit, in lucem profer. Vale, & me inter intimos tibi annumera. Datum duodecimo Calen. Nouembris. 1533.

ARGV-

ARGVMENTVM.

Ioannis Taueræ Pontificis Toletani literis respondet de Caroli Cæsaris rebus bellicis & infausta ad Argeliam Mauritaniæ nauigatione, deque suo ob continuos Aquilones & hyemis siccitatem ex Bætica in Vacceorum fines discessu.

I. Genesius Sepulueda Io. Taueræ Pontifici Toletano, & Eccl. Rom Cardina.

S. P. D.

EPISTOLA LI.

SVAVISSIMAS tuas literas Præsul grauissime, & simul exemplaria epistolarum, quæ ad te de rebus bellicis, & infausta illa nostrorum ad Argeliam Mauritaniæ nauigatione, à Carolo Cæsare missæ fuerunt, accepi. vtræque mihi optatissimæ contigêre, & fuerunt instar magni beneficij, sed vario diuersoque modo legentem affecerunt, haud enim facilè dixerim, vtrum mihi gratius iucundiusque fuerit humanissimum tuum colloquium, quo tuam in me voluntatem perspectam mihi quidem multis documentis, sed suauissimam & peroptatam per literas declarasti, an tristior contemplatio naufragij, & à nostris acceptæ calamitatis, de qua in suis literis Carolus memorabat, indignus profectò, cuius tam pios conatus iniquitas fortunæ frustraretur. Cæterùm fit nescio qua Dei occulta rerum administratione, vt scelera populorũ obsint interdum bonorum Principum pietati, vt vicissim peccatis regum nonnunquam commoda populorum impediuntur. Quàm valde iam pridem in nos & hæc tempora conuenit dictum illud Hieremiæ oraculumque diuinum, *Ab Aquilone pandetur omne malum!* Nam ab Aquilone Lutherus eiusque discipuli longè iam magistro nocentiores non cessat ecclesiæ quietem conturbare, cuius nitorem ac puritatem fœdissimis maculis inficere conantur. Ad Aquilonem vergentes nationes ferè solent reliqui nostri orbis pacem publicam sollicitare. Aquilonij flatus ad oram Mauritaniæ in hostium conspectu autumno superiore nostrã, Imperatoriamque classem afflixerunt. Aquilonibus eisdem ab eo tempore penè continenter flantibus, perpetua totius hyemis inducta serenitate bona pars Hispaniæ, sed maximè Bætica nostra reddita est consimilis AEgypto, quæ pluuijs rarissimè madescit, sed hoc sumus nos, quã AEgyptij duriore conditione, quòd nullum habemus Nilum, qui restagnantibus aquis stato tempore nostros, vt illorum agros fœcundet. Itaque frumenta sub ipsa hyeme sitiunt humore destituta, pecora fame cõficiuntur pabulo non suppetente, vel ob hanc igitur causam nobis hinc migrandum est, & ad vos & feliciores nunc, vt opinor quidem, Vaccęorum

rum fines redire maturandum, cuius rei & hoſpitij parandi cauſa meum Petrum Martinum, vt ſoleo præmiſi. Cuius expectaui diſceſſum, vt has ad te literas darem, huic, vt in mea cauſa faueas, eandemque pro tua ſingulari humanitate, & conſuetudine ſuſcipias, te etiam atque etiam oro. Vale.

ARGVMENTVM.

Ad eundem Io. Taueram ſcribit, ſe nouo patriæ deſiderio teneri, vt commodius res geſtas Caroli Cæſaris percipiat.

I. Geneſius, I. Taueræ Archiepiſcopo Toletano. S. R. Eccl. Cardinali.

S. P. D.

EPISTOLA LII.

CVM eſſem apud vos, hyberna patria deſiderabam, nunc in hybernis eiſdem veſtram, hoc eſt aulicam conſuetudinem requiro, vtrùm magis ratione faciam haud facilè dixerim. Nam fortaſſe fit vtrunque vitio quodam naturæ, vt nos rerum præſentium ſatietas, abſentium deſiderium celeriter capiat, ſed me nunc nihil æquè ſolicitat, ac ignoratio rerum, quæ in hoc pio bello à Carolo rege noſtro Imperatoreque geruntur. quippe ſerò ad nos perferuntur, & per magnos anfractus. Itaque boni conſului, nuper literas à meo Petro Martino ex maioribus baleáribus ſexdecim diebus, quibus datæ fuerant accepiſſe. Tunc cognoui de obitu Compoſtellani præſulis. Mirum eſt, Italia quàm inclementer iampridem cum noſtræ nationis Cardinalibus ſe gerat. Quo igitur animo nunc eum eſſe putemus, qui anno ſuperiore inuitus & reluctans illuc tãquam ad Anthropophagorum regionem iuſſus peruenerat, nunc ſocijs omnibus aut abſumptis, aut fuga ſubtractis, ſolus relictus eſt velut Achæmenides Vergilianus in patria Cyclopum. Hæc ad te ſcripſi pater ampliſsime, qui pro tua humanitate ſoles meas literas præſertim Latinas non inuitus legere, vt tantiſper tuo ſuauiſsimo colloquio fruerer.

Vale.

ARGVMENTVM.

Petro Fer. Velasco Friarum Duci, duarum columnarum ad Ferrariam, inscriptiones explicat, & soluit controuersiam Soriæ Zamoræque vrbium inter se, de Numantiæ situ, demum locum Orosij interpretatur, quo se Zamorani Numantinos probant.

Io. Gen. Sepulueda Petro Fer. Velasco Friarum Duci, & Castellæ Comestabili.

S. P. D.

EPISTOLA LIII.

COLVMNARVM quas non procul à Piloraca flumine ad Ferrariam tuæ ditionis castellum, tibi repertas esse proximis ad me literis scripsisti, inscriptiones libenter, vt iusseras, consideraui, deque his cum viris doctis communicaui. Erant autem huiusmodi.

TI. R. DIVI. A V G. F.
DIVI. IVL. N. AVG. PONT. MAX.
TRIB. POT. XXXV. IMP. IIX.
COS. V. A. PISORACA.
M. I.

In altera columna.

NERO. CLAVDIVS. DIVI.
CLAVDI.
AVG. F. GER. CAES. AVG. N.
TI. CAES. AVG. PRO. N. DIVI.
AVG. AB. N. CAES. AVG. GER.
PONT. MAX. TR. POT. IMP. COS.
A. PISOR. M. I.

Post longam igitur disputationem in eam opinionem discessimus, hos lapides ad milliariorum interualla more veterũ Romanorum notanda fuisse constitutos, principio scilicet à Piloraca flumine sumpto, vnde, vt scribis, mille circiter passibus absunt. nam illæ literæ. M. I. milliarium vnum signant. Quamquàm enim in vijs militaribus, quæ à magnis vrbibus proficiscerentur, nec vrbis, nec milliariorum mentio nominatim fiebat, sed numerum tantùm adscribere mos erat, vt indicant ij, qui in via ab Emerita Augusta Salmanticam ferente dispositi sunt, cùm tamen de initio dubitari poterat, nomen eius non prætermittebatur, vt in duabus item marmoreis columnis animaduertere licet, quæ

non

non ita pridem Cordubę ad ędem sacrarum maximam repertæ ac effossæ sunt, Aug. Cæs. Tiberioque dicatæ, cum inscriptionibus huius modi.

IMP. CAESAR. DIVI. F. AVGVSTVS. COS. XIII. TRIB. POTEST. XXI. PONTIF. MAX. AB AETE. ET. IANO AVGVST. AD OCEANVM. LXIII.

TI. CAE. DIVI AVGVSTI. F. DIVI IVLII NEPOS AVGVSTVS PO. MAX. XXI. COS. VI. TRI. P. XXXVII. ABIANO AVGVSTO. QVIES TAD BAETEM VSQVE AD OCEANVM. LXIII.

Quod de Numantia quæris, vnde nata sit Soriæ Zamoræque tam distantium inter se vrbium de situ illius controuersia, dum vtraque veterum Numantinorum velut maiorum gloriam sibi vendicaret, haud paruæ quæstio est, quam tibi tamen breuiter explicare tentabo. Veteres auctores, qui de situ orbis scripserunt, tum Romani, tum etiam Græci Numantiam circa Durij fontes collocarunt, & horum consensu Soriani, qui non procul ab eius fluminis capite absunt, nituntur. Cæterùm Orosius scriptor natione Hispanus, qui diui Augustini æqualis, & auditor fuit, Numantiam in capite Galleciæ sitam fuisse prodidit, cuius testimonium sic interpretantur Zamorani, vt vrbem suam ab Orosio designari confirment. Zamoram enim caput esse Galleciæ, quippe quæ in publicis Castellanorum concilijs pro se Gallecisque suffragium init. Quod verò ad auctores pertinet, Hispanum scriptorem de locis & vrbibus Hispaniæ differentem omnibus Græcis & Latinis præferendum esse contendũt. hę sunt igitur causæ, hęc contentionis origo. Quòd verò iudicium meum exquiris, cognitis rebus facilis est iudicãdi ratio. Nam à veterum tum Romanorum, tum etiam Græcorum scriptorum consensu dissentire temerarium puto, atque eò magis, quòd Strabo grauis auctor & diligentissimus, interuallum etiam prodit octingentorum scilicet stadiorũ, id est, leucarũ nostrarum vigintiquinq;, quo Numantia distat à Cæsarauguста. Hîc autem in Hispaniæ descriptione, & locorũ cõ-

memoratione Polybium Græcum Hiſtoricum, quem ſæpe citat, maximè ſequitur magnæ virum auctoritatis, Africani Scipionis comitem, quiſque bello Numantino interfuit, idque à perpetua hiſtoria, vt Cicero teſtatur, ſeparauit. Numantia igitur, vt eſt publica eruditorum perſuaſio, non in Soriæ ſolo, nec tamen longè à Soria ſita fuit, ita cùm regio talium virorum procreatrix Soriæ ſit cum Numantia communis, iure Soriani veterum Numantinorum vicinæ ciuitatis gloriam ſibi poſſunt bona ex parte vendicare. Supereſt vt rationem, quam Oroſius ſequutus eſt, paucis explicemus, huius enim ignoratione Zamorani lapſi ſunt. Trium Hiſpaniarum, & earum cuiuſque fines ſæpe à Romanis, ſub quorum imperio erant, fuiſſe mutatos, cùm alij Geographiæ auctores, tum maximè Strabo libro tertio De ſitu orbis teſtatur, idque pro iuriſdictionis ratione factum fuiſſe declarat. Cæterùm Agrippæ Auguſtique Cæſaris, qui de ſitu orbis cum ſumma etiam ſtatuendi poteſtate conſcripſerunt, inſtitutum atque rationem veteres & grauiſsimos auctores ſecutos fuiſſe conſtat. Horum conſenſu Gallecia propriè intelligitur ea regio, quæ à Durio flumine per Oceani oram ad Aſturiam vſque procurrit. Hanc prouinciam Tiberij principatu legatus vnus præſidij gratia cum duabus legionibus obtinebat, poſteà verò, Pauliſque Oroſij ætate huius legati prouincia ab Oceano Callaico ad Celtiberos vſque cùm eſſet protracta, cœpit totus ille tractus vſque ad fontes Durij propter communem legatum Galleciæ nomine vocari. Ita cùm Numantia in confinio Celtiberiæ & eius regionis, quæ Gallecia tunc vulgò dicebatur, ſita fuiſſet, factum eſt, vt eadem in capite Galleciæ ab Oroſio ſita fuiſſe diceretur. Quo planè intelligitur, Oroſij teſtimonium nihil Zamoranis ſuffragari. Cuius tamen ciuitatis ac regionis ἐγκώμιον, ſi quis adornaret, non deeſſet aliunde larga virtutis laudiſque materia, vt tibi in primis notum eſſe certum habeo, qui vt Hiſpanorum procerum opibus & auctoritate primus es, aut certè nulli ſecundus, ſic omnibus noſtris non dico proceribus, ſed hominibus hiſtoriarum noſtræ gentis notitia & vetuſtatis, vt equidem mihi perſuaſi, cognitione præſtas. Nam de cætera tua prudentia & ſingulari humanitate, & in omni genere virtutis præſtantia non eſt huius loci commemorare. Vale. Valdolito, Idibus Iul. Anno 1545.

ARGVMENTVM.

Laudat Alphonſum Guaiardum, illumque inter alia negocia verſantem, ad ſtudia literarum excitat.

I. Geneſius Sepulueda Alfonſo Guajardo.

S. P. D.

EPISTO-

EPISTOLA LIIII.

ACcepi literas tuas plenas beneuolentiæ & humanitatis, quòd enim me ijs laudibus oneras, quas ego nec agnoſco, nec poſtulo, quid aliud quàm indulges veteri noſtræ amicitiæ & mutuo amori, qui ſolet interdum homines in amicorum cauſa ad errorem inducere, vt quæ parua humiliaque ſunt, magna putent & ſublimia. Quòd verò peracre ingenium tuum & non vulgarem literarum Latinarum eruditionem, quæ certè vicit opinionem meam, tantoperè extenuas, præte fers egregiam quandam humanitatem & moderationem, quæ omnia, quanquam mihi erant iam pridem cognita & perſpecta, tamen hoc nouum documentum perſuaue perque optatum fuit. Illud quoque gratiſsimum, quòd te licet negotijs familiaribus iam pridem implicitum, non tamen ab ſtudio literarum abhorrere animaduerti, & ijs potiſsimum, quæ ingenuo ac libero homine digniſsima ſunt, animum oblectare. Perge igitur, & vt inſtituiſti, ſtudia intermiſſa reuoca, & diligenter cole. Nam mihi crede, magnitudine ingenij tui per curam & laborem vel mediocrem quicquid voles conſequêris. Vale, & me, quod mutuò facis, ama.

ARGVMENTVM.

Alphonſo Guaiardo, cum pro ratione anni, locorum mutationem, liberamque peregrinandi licentiam, Geneſio inuideret, varia peregrinantium incommoda tranſcribit, eiusq; vitæ ſtatum in matrimonio, ſuo in cœlibatu multas ob cauſas anteponit.

I. Geneſius Sepulueda Alfonſo Guajardo ſuo.

S. P. D.

EPISTOLA LV.

INVIDERE te mihi ſcribis viuendi libertatem, qui nulli loco addictus, nulla nec vxoris, nec liberorum cura ſolicitante regiam aulam in Carpetania, & frigidiore etiam nunc Vaccæorum regione magna ex parte commorantem, pro iniuncto mihi munere æſtate ſequar, frigoribus autem appetentibus patriam repetam, meque in Bæturiam commodiſsimam hybernis regionem conijciam, nullam nec locorum commoditatem, nec ſtudiorum occaſionem prætermittens more Gruum & cæterarum auium, quæ locorum opportunitates annua migratione conſectantur Quòd igitur ſedes pro temporum anni ratione & viciſsitudine mutaret & in diuerſas plagas migrare vtilem quandam iucunditatem afferre putas, facilè tibi aſſentior: valet enim non

solùm ad incommoda,& iniurias frigoris & caloris vitandas, sed nonnihil etiam ad valetudinem tuendam. Veruntamen si vitam hanc irrequietam & laborioſam ob eam cauſam,eorum otio, qui ſe domi cũ ſuis continent.& rarò moleſtias variaq; peregrinationis incommoda experiuntur,prę ferendã cenſes,vehementer erras,prę ſertim in ætate ingraueſcente,& ſenectute,quę laborem,quo gaudet interdum firmior ętas, imbecillitate refugit, quietem amat captatq;,*ad focum ſi frigus erit, ſi meſſis in vmbra*,vt ait Poëta.Quod ſi nobis datum eſſet,quod volucrib. quas memoras,natura tribuit,vt breui tempore,paruo labore, nulla impẽſa longa ſpatia volando tranſmitteremus, & confecto itinere gratuita cibaria,& domus ad diuerſandum ſine moleſtia contingeret, haud equidem erat, quod magnoperẽ huiuſmodi peregrinationem recuſaremus.Nunc magno labore,& impendio iter faciendum nobis eſt, & cum peruentum fuerit, frumentum, & iumentorum pabulum, quod quieti ſolent in annum recondere,magnis impenſis in diem quæritandum,& quod omnes labores,moleſtiasque vincit,hoſpitium, vt iam ſine pretio propter regiæ familiæ priuilegium contingat, multis precibus à metatoribus poſcendum, conuitijs efflagitandum, ad ſummam, ferè non niſi poſt diuturnam pugnam vel extorquendum, vel impetrãdum.Alia ratio eſt,ſi pretio hîc labor redimatur, quam conditionem libenter equidem tantis moleſtijs & indignitatibus anteferrem, ſi res ſimpliciter ageretur, nec munus timore legitimæ pœnæ recuſantium ſimulatio,& verſutia artificio quodam eſſet & occultis precibus expugnãda,quod ipsũ,nec moleſtia vacat,nec indignitate. Quib.malis atq; moleſtijs ſæpe hoſpitum ipſorum querimoniæ,iurgia,& nõnullorũ lites etiam accedunt Quod autem de vxore & liberorum,famulorũq; cura memoras, fateor in his nonnihil eſſe impedimenti auctore Paulo ad Chriſtianè & Apoſtolicè philoſophandum, ſed crede mihi, clericorum vita non quidem eorum,qui viuunt in diem, ſed quibus pars Eccleſiaſticarum facultatum ad ſe, & familiam pro ſuæ cuiuſque dignitatis gradu honeſtè alendum, & pauperum indigentiam, quatenus res patitur,ſubleuandum commiſſa eſt,multò maioribus moleſtijs, quàm veſtra profanorum implicatur. Vos enim vxor & filij piè ſancteque colunt, & venerantur, in vos vt in omnium bonorum ſuorum ſecundùm Deum auctores intuentur, veſtræ dignitatis primam rationem ducunt,veſtris commodis, vt ſuis diligenter ſeruiũt, in cuſtodiã rei familiaris,ne ab exteris inuadatur, excubãtes. Nos in famulorum,miniſtrorumque poteſtate ſumus,in quos (paucis exceptis,ſi quis fortè ſyncerè amicus, fideliſq; ſeruus Dei munere contingat)maximè conuenit illud euangelicum,*inimici hominis domeſtici eius*,qui furandi,diripiendi,fraudandi omnes occaſiones, quas apud vos vxoris cuncta recondentis,habentisque in ſua poteſtate,cura & diligentia tollit,vi-

lit,vigilanter captant,ne desit facultas veneri,& gulæ,& item aleæ(his enim ferè se addixerunt)seruiendi: à quibus imperiosis dominis sæpe, ne domi præstò sint,néue,cũ res postular,nobis officium præstare possint, prohibentur: quæ quotidiana flagitia & indignitates quis animo ingenuo,& libero sine magna molestia,& cruciatu ferre valeat? Itaque expertis res fidem facit veteris fabellæ, qua traditur, quidam animi tranquillitatis amator,ne ministrorum molestias ferret, ad monachatum confugisse,in quadam videlicet frugum copia & annorum,qualis nunc est,vbertate.id enim bonum hoc,vt res docet,importat malī,non quidem suo,sed hominum sæpe bonitate rerum abutentium, vitio,vt infimi ordinis improborum arrogantia,& licentia, operarumque sine immoderata mercede laboris detrectatio existat: quod nescio an magis reip.noceat,quàm annonæ caritas,sit modò tolerabilis, quæ solet multorum auaram, & copia insolescentem pauperiem in officio continere.Sed longiùs me hac in parte indignatio, & duorum quorundam pedissequorum molesta recordatio prouexit, qui nuper ex hac εὐετηρία,& temporis conditione,cui me cessurum existimabant,arrogantia sumpta,cum ea libertate,ea laboris & curæ vacuitate, quam, vt opinor,nunquam antè ausi fuerant optare, apud nos in hoc Putalbano secessu abuterentur, leuissima & æquissima iussa detrectantes, iubendi leges mihi imponere tentarunt, quam ipse impudentiam non ferendam ratus,statim eos missos feci,longiusque facescere iussi, vel meram solitudinem talium ministrorum frequentiæ non grauatè præfaturus,nec recusaturus,si res poscat,quo minùs τῇ αὐταρκείᾳ facilitateque naturæ vtar,quæ natura ipsa sibi sufficit, paruoque & parabili non in victu solùm,sed etiam in reliquo vitæ cultu contenta est, illius philosophi documento,qui cum ex omni patrimonio & instrumento, poculum modò vt necessarium sibi reseruasset,animaduertens homini cuidam rustico ex fonte haurienti cauam manum cyathi vicem expleuisse,ipsum quoque poculum vt superuacaneum abijciendum existimauit. Vale pridie nonas Octobris.1552.

ARGVMENTVM.

Laudat argutum & elegãs,eiusdem Guaiardi ingenium,eumq; monet,vt cautim agat se suo dialogo aliorum in se animos concitet.

Genesius Sepulueda Alfonso Guajardo.

S. P. D.

EPISTOLA LVI.

GRATIS.

GRATISSIMA mihi fuit epiſtola tua plena beneuolẽtiæ & humanitatis: iucundiſsimus dialogus, in quo libenter ingenium tuum agnoui argutum, & elegans, & tibi ſum vehementer gratulatus, quòd tantoperè cum muſis in gratiam redieris. Quo ſi te Enquiriæ noſtri compulit æmulatio, eſt quòd illi gratiam etiam atque etiam habeas, quòd te tam vtiliter ad certamen literarium prouocauerit, quem ſi tuum dialogum elegantem, acutum, & ingenioſum perlegit, vt perlegiſſe probabile eſt, ſuſpicor hac in parte deſperata victoria, ad cœleſtia theoremata confugiſſe, vt te, quem eloquentia æquare non poteſt, fulgetrorum, tonitruumque denuntiatione, atque minis oppugnet. Tu verò, ſi te bene noui, ne pluuiam quidem extimeſces ab eo, qui ſæpè largos imbres minatus vix potuit tenues, & infœcundas nubes obſtentare. Cæterum tu vide, ne quum hunc aduerſarium ſubmoueris non admodum pertinacem, alios prouoces, cum quibus tibi ſit longè difficilior concertatio. An ignoras, quos aduerſarios irritet, qui monachorum in ſe quacunque ratione concitat inuidiam? Præſertim ſi quis refricet ea vulnera, vnde bellum exarſit in Eraſmum, quem eo nomine nonnulli capitaliter oderunt, nec deſinunt manes eius tanquam impios omnibus conuitijs & execrationibus lacerare. Lude igitur, ſed ita, ne ludus emanet extra domeſticos parietes, ſed intra familiariũ cõſuetudinem contineatur. Vale. Ex Madritio.

ARGVMENTVM.

Excuſat ſe de longo literarum interuallo, & Alphonſum Guaiardum laudat, de eius in ſe propenſa voluntate, mittitque cum epiſtola, carmen, quod luſerat in aduentu Maximiliani Archiducis Valdolitum.

I. Geneſius Sepulueda Alfonſo Guajardo.

S. P. D.

EPISTOLA LVII.

QVOD ad tuas literas tam longo interuallo reſpondeam, non obliuione tui factum eſt, aut aliqua mea negligentia. Quis eſt enim me magis vel amicorum memor, vel impiger in ſcribendo? Sed tot impedimenta, tantæq; curæ, & hæ magna ex parte moleſtæ ſuperiore æſtate meum animum occuparunt, vt his officijs, quę vacuum & hilarem animum deſiderant, ſatisfaciendi locum non relinquerent. Nunc quando in hunc optatiſsimum ſeceſſum reuerſus, me magna ex parte moleſtijs exolui, reſpondebo epiſtolæ tuæ non ſolùm officij gratia, ſed etiam vt qua ratione datur, tantiſper colloquio tuo & iucundiſsima conſuetudine fruar. Quòd ergo mihi per literas de literarij certaminis victoria gratularis, agnoſco tuam in me voluntatem & propẽſum animum,

qui

qui de victoria sperata quasi parta gratularis, quanquam si victoria est meliorem causam in iudicio tueri, vicimus. Sed quid facias turbulentis, importunis, ac inuidis hominibus, qui suam & amicorum libidinem iustitiæ ac veritati pertinaciter præferunt? & hoc demum laudem esse ducunt alienis inuentis obstrepere, & laudibus obtrectare? Sed hæc commodiùs, & pluribus coràm nec ita multò post, vt spero. De veteribus sodalibus perpaucos reperi Compluti, plurimos longitudo temporis absumpserat. Cæterùm vereor ne partium, quæ post meum in Italiam discessum leuitate quorundam extiterant, & vigent etiam nunc, studium innocenti mihi nocuerit. Castillus noster valet, sed iam pristino magistratu abijt, & pro aulico prætore factus est regius consiliarius. Maximilianum patruelem Philippo nostro in regni procurationem succesisse nosti. Carmen, quod in eius aduentu lusi, ad te cum his literis mitto, ne te lateat me cum Musis mansuetioribus in gratiam rediisse. Vale ex meis hybernis Putalbanis, pridie Calend. Nouembris. 1548.

In Maximilianum Archiducem Austriæ, quo Valdolitum ingresso, mox imber optatissimus flante Aquilone decidit, Epigramma Genesij Sepuluedæ.

TERRA debiscebat sitiens, fonteſq; perennes
Aruerant: mœror cuncta premebat iners.
Te veniente redit facies lætissima rerum,
Imber & optatus flante Aquilone cadit.
Arridensq; tibi vires natura remittit,
Et pluuias infert, quo prohibere solet.
Ergo tuus fastum Boreas dulcissime Princeps
Aduentum signat, cunctaq; læta fore.
Vnde venit Boreas, hac te regione profectum
Excipimus læti, tempora læta dabis.
Longaq; felici perages cum coniuge felix
Tempora, sed socero cum seniore senex.
Sospite Philippo, quo discedente feremus
Mœrorem grauiter, te remanente minùs.

ARGVMENTVM.

Apud eundem Guajardum se excusat, quod ruri delitescat, eum ob solitudinem musis amicam, tum ob vrbis patriæ quotidiana flagitia.

I. Genesius Sepulueda Alphonso Guajardo. S. P. D.

EPISTOLA LVIII.

MIraris accusasq; per epistolam consilium meum, quòd in vico, aut etiam ruri malim, quam in vrbe, & commodissimis meis ędibus hybernare, & solitudinem præferam magnę hominũ frequẽtiæ. Quid si scires me in hac ipsa infrequentia excursus ad vicinam villam, & item ad proximas syluas, sæpe colloquiorum non contemnendorum occasionibus, quum animus est à seuerioribus studijs remittendus, anteferre? Quod me igitur vt rhetoricè ac ingeniosè, sic amicè in vrbem vocas, facilè ac libentissimè tuum & acre ingenium & in me propensum animum agnosco, est tamen quo me possim aduersus accusationem tuam, quæ plus habet beneuolentię, quam æquitatis, tueri. Nõ enim Scipioni solùm, vt arbitror, datum fuit id, quod à multis memoratur, vt nũquam minùs solus esset, quam quum solus. Idem omnibus, qui rectè, nec inuiti philosophantur, contingit. Quomodo enim solus esse potest, qui cum viris optimis & sapientibus, quorum scripta lectitat, quotidiè colloquitur? Quod igitur ad me attinet, qui nulla re magis, q̃ studio literarum oblector, equidem in hac, quæ cum vrbe collata solitudo tibi esse videtur, tamẽ cum Hieronymo, Ambrosio, Augustino, & cæteris Christianæ religionis magistris: item cum Aristotele & Platone, adde etiam Ciceronem & cæteros Philosophos & Oratores, quorũ libros partitis temporibus lectito, viuere mihi videor. Non semper (inquis) est cum mortuis colloquendum, nec viuorum consuetudo more Timonis μισανθρώπου fugienda, fateor, sed cùm ætatem in Principis aula, & magna nobilissimorum virorum frequentia transegerim, mihi annua consuetudine ad Cordubensia hyberna redeunti, pergratus est non sine causa tempori accommodatissimus Petrochiensis, Putalbanusque secessus. Age verò quid est hoc tempore, quod me magis possit in vrbe delectare? an magnificarum ædium incendia spectare? an nocturna latrocinia, quæ vt mare piratica solet, sic ipsa nuper, vt audio Cordubam infestam reddiderãt, solicitè cauere? an sacerdotum meiq; ordinis hominum intestinas discordias, quæ paucorum inhumana crudelitate & peruicacia plusquam hostiliter cum magna infamia totius ciuitatis exercentur, videre? Quas indignitates ne audire quidem sine maximo dolore possum. Hæc cùm ita sint, teneor tamen vrbis patriæ

desi-

desiderio, nec me tam deterret quorundam importunitas, quàm allicit tua cæterorumq; tui similium ciuium & amicorum virtus & humanitas. Itaque propediem domum redire cogito, me igitur quum se primũ frigora remiserint, id est, circa Idus Ianuarias expectabis, tu interim vale, & me quod mutuò facis, ama. 4. Calend. Ianuar.

ARGVMENTVM.

Alphonsus Guaiardus Io. Genesio Sepuluedæ narrat agri sui delicias, & sub finem vitæ aulicæ incommoda recenset.

Alf. Guajar. I. Genesio Sepuluedæ S. P. D.

EPISTOLA LIX.

CVM mihi in mentem venit te toties hyberna tua Petrochiensia meritò magni facere, quod rigidum brumæ tempus varijs loci cõmoditatibus possis superare, ager meus veris amœnitate decoratus, bellus mihi interdum visus est, & certè dignus, quem mihi inuidere incipias, qui nulli inuidere consueuisti, atque eò magis, quòd patria profugus aulam sequeris, quo tempore pecus omne sub vlmo est, & coquit insana canicula messes. Ager itaque noster octo fermè passuum millibus ab vrbe distat, vico proximus, ac potiùs contiguus, quo domus est non prorsus contemnenda, sed quæ dominum valeat honestare. Hac egressus animi gratia mollibus passibus agrum meum inuisere soleo, bone Deus quot delicijs affluẽtem, placidus in primis est soli planicie miroq; situ gratissimus, qua itur breuiuscula via floribus scatet, varijsque eorum coloribus, quasi penicillo depicta est, hàc me venientem lætissimus auicularum cœtus festiuissimè excipit, ac multisonis vocibus, cantusque suauissima modulatione salutat. Ingredior tandem limites meos oculos circumquaque diuertens. Nunc me violæ, nunc lilia detinent, sed rosarum fragrantia spiritus reficit, & aura temperatissima præcordijs arridet. progredior passim singula lustrans, hîc satas arbores placida iuuentute crescentes longiuscula quadam tarditate contemplor, hîc pullulantium fructuum varia fertilitate recreor: illic me nouellæ vites vuarum pendentibus botris, nec inuitum remorantur, tum nouellas moros ramis, & foliorum viriditate formosas miratus vix gressum moueo, qua me vi singula ad se trahunt. Cæterùm vbi ad aquarum riuulos perennemq; fontem, ex quo deriuantur, accedo, ὦ ζεῦ καὶ θεοί quàm mihi beatus videor, consideo tantisper, & lotis manibus faciem etiam lauo, dum me aquarum impetus leni tulurro demulcet, deinde villicum meum cuncta immissis aquis irrigantem placido sermone saluto, nunc hæc, nunc illa, familiariter rogans, sole verò altiùs ascendente sub opaca ficu, aut patula

tula moro à proxima domo mihi prandium miniſtratur: adſiſtit famulus, & remota menſa, pallioq; herbis impoſito tantillum incubans mẽbris indulgeo, & placidum ſomnum lætus expectare incipio. Videas interdum aquarũ murmure, ramorumq; motu concitatas auiculas varijs clamoribus modulantes, & raucos turtures querula ſimplicitate languentes, ſed inter oẽs Philomela eſt, quæ ſopito mihi molliùs gratiſſima voce blanditur. Venit tandem optatus ſomnus, qui tacito ſopore artus reficit, etiã humanæ neceſsitati ſuccurrit, quo citius expergefactus, graues oculos lenta caligine ſtudeo liberare, & Ciceronem noſtrũ frequentius, ſed interdum Liuium, aut Curtium intẽtus lectito, dum ſolis æſtus deferuet, quo in occaſum declinãte, relicta lectione, iterum atq; iterum vniuerſa cõtemplor, & noctis crepuſculo me domum recipio. Age tu, qui aulicus es, & cui præ cæteris Cæſaris negotia magis curæ ſunt, quiq; ipſo Cæſaris colloquio interdum vteris, & tanti Principis gratia propria virtute dignus haberis, & prædicaris, tetrica illa magnatum ſupercilia, ſuperbasq; familias & elatas, quasq; poſtulant adorationes, ruri meo præferenda cenſebis? nónne illa putida ſunt, & libero homine prorſus indigna? Quid referam labores, ſolicitudines, moleſtias, tumptus, incommoda, (& quod grauioris iacturæ eſt) ſeruã libertatem, quæ omnia cæca neſcio qua expectatione deluſi patiuntur aulici, grande aliquid egiſſe putantes, ſi Cæſarem importuniſsimè ſecuti, miſeram & ignobilem ſeruitutem ingenuæ libertati prætuliſſe videantur. Tu verò (ſi te bene noui) vnicum ſeruitutis oſorem triſtia hæc omnia & omnino miſera, ſat ſcio, moleſtiſſimè ſuſtines, ſed tui officij memor, vel ſufferre cogeris, vel diſſimulare contendis, mihi verò fallaci fortunæ prorſus diffidenti, & vtriuſque vitæ non ignaro longè diuerſus eſt animus. Cum Aglao Arcade tutiùs ſentiendũ exiſtimo, quem Gygi Lydiæ Regi iure prætulit conſultus Apollo. Vale pridie Calen. Maias.

ARGVMENTVM.

Gratulatur Alphonſo Guajardo Geneſius, quod feliciter Oſcam peruenerit, hortaturq; vt ciuitatis expectationi de ipſo conceptæ ſatisfaciat, reiq; bene adminiſtrandæ modum late deducit.

I. Geneſius Sepulueda Alf. Guaiardo.

S. P. D.

EPISTOLA LX.

PErgratum mihi eſt quod ſcribis Oſcam te, quo anni per ſe ſuſpecti alieno tempore profectus fueras, incolumem peruenisſe, & magna cum ciuitatis gratulatione tuum aduentum equeſtribus ludis fuiſſe ce-

ſe celebratum, optima ſcilicet ſpe publicè concepta, fore vt te præſide & correctore, bonis otio & pace frui, ſuumq; negotium agere, improborum iniurijs non interpellantibus liceat, quam ſpem non ſolum antecedens tuarum virtutum fama, ſed etiam præſentis corporis dignitas dediſſe videri poteſt. Nã corporis dignitas quæ ſine proceritate, vt philoſophus teſtatur, non contingit, ſpem animi pulchritudinis, quę virtutibus conſtat, plerumque ſolet inijcere. Quo tibi maior eſt adhibenda cura, vt quam expectationem tui feciſti, hanc non modò ſuſtineas, ſed etiam vincas, & officio ſatisfacias. Quod ita demũ fiet, primùm ſi te in adeundo facilem præbueris, nec tamen nimia prouincialium familiaritate contemni patiaris. Deinde ſi Ciceronem auctorem adhibueris, ſic in libro primo officiorum differentem, *caput eſt in omni procuratione negotij, & muneris publici, vt auaritiæ pellatur etiam minima ſuſpicio* & paulo poſt, *nullum*, inquit, *vitium eſt tetrius, quàm auaritia præſertim in principibus, & rempub. gubernantibus*: tum ſi probis hominibus affabilem te, & humanum præbueris, ſceleſtis autem, & flagitioſis formidabilem. vt exemplo præceptum Pauli comprobes, qui ad Corinthios ſcribens, *Vis*, inquit, *non timere poteſtatem? fac bonum, & habebis laudem ab illa: ſi autem malum facis, time, nõ enim ſine cauſa gladium portat*. Nec verò hoc dico, vt aduerſus eos, quos improbos putes, excandeſcas. Hoc enim non eſt conſtantis & recti iudicis, non magis, quàm precibus calamitoſorum illacrymari, vt Calliſtratus Iurecõſultus prudentiſſimè tradidit, ſed vt bonos pro virtute collaudes, facinoris conuictis, aut etiam confeſſis gratiam criminis ne facias. In hos enim miſericordem eſſe, quid aliud eſt, quàm in bonos ſæuire, & Reipub. nocere? cuius intereſt ne crimina maneant impunita, & violare leges, quibus ſalus Reipub. continetur, eaſdemq; ſuo fine fraudare. Leges enim Iſidoro auctore factæ ſunt, vt earum metu humana coerceatur audacia, cutaq; ſit inter improbos innocẽtia, & in ipſis improbis formidato ſupplicio refrænetur audatia & nocendi facultas. Quo magnus quorundã & legib. ac Reip. religioniq; inimicus error conuincitur, qui humanitatis & pietatis officium eſſe putant pro improbis & ſceleratis hominibus ſupplices eſſe prætoribus, non animaduertentes ſontium impunitatem innocentium eſſe perniciem. Neq; verò te nolo propenſiorem eſſe ad abſoluendum, quam ad condemnandum in cauſa dubia, præſertim eorum, qui non fraude ex inſidijſue aut conſuetudine, ſed impetu quodam, & perturbatione animi deliquerunt. Nam minore vel culpa, vel infamia ſontem abſolueris, quam innocentem condemnaueris, & ſic animatum eſſe nec ſcientem & volentem à iuſtitia & æquitate, quę ſemper eſt sũmo iuri præferẽda, diſcedere, boni viri eſt, boniq; prætoris. Eadẽ eſt enim vtriuſq; virtus. Nam Reipub. præſidentem meum potentiorũ animiué mollitia, vel amicorũ ambitioſis precibus culpas pœnaſq; remittere, aut cauſę cognitionẽ in longum ducere, aut etiã

ſucceſſori tradere, legeſq; violari conniuentem pati, qui boni viri eſſe dicunt, boni præſidis præfectiq; negant, hi magno in errore, & Reipub. perniciosiſſimo imprudentiſſimè verſantur. Nam qui munus ſuæ fidei publicè commiſſum negligit, inutilitérue, & cum magno Reipu. detrimento gerit, hunc ego nõ bonum virum, ſed ignauum, inertem, & datæ fidei iuriſq; iurandi violatorem, & in bonos & innocentes, ipſamque Remp. iniurioſum eſſe dico. Hęc ad te ſcripſi, non tui docendi cauſa, cui ea domi naſcuntur, ſed vt rebus his commemorandis, quarum recordatio nec inutilis tibi ſit, nec iniucunda, te tua ſponte incitatum, ad laudẽ & officium cohortarer. Vale.

ARGVMENTVM.

Ludoico Caruajali Franciſcanorum ad Bæticam prouinciali, ipſius Cordubam aduentum ſibi gratum eſſe ſcribit, ſimulque noua, quæ pro anni tempore, ruri accidebant tranſcribit, cupiens ab eodem certior fieri quid rerum nouarum agatur foris.

I. Geneſius Sepulueda Lud. Caruajali Franciſcanorum Monachorum ad Bæticam præfecto Prouinciali S. P. D.

EPISTOLA LXI.

PERGRATVM mihi eſt, te Cordubam hoc animo rediuiſſe, vt diutiùs apud nos, quàm ſuperiore anno ſis commoraturus. Illud miror, quid tibi in mentem venerit, ad me in prædio meo Mariano otij ſtudiorumq; gratia ruſticantem mittere, & per literas nunciosque monachos petere, vt te de rebus nouis certiorem faciam. Quid enim noui eſſe poteſt rebus quietis in montibus & conuallibus? ſtirpibus exceptis, quæ à terra feraciſſima nouo germine procreantur? Niſi fortè ſcire vis, iam Turdos, qui hanc regionem, cui nomen dederunt, hyeme complere ſolent, cibo deficiente demigraſſe, quippe vnedonis, oleaſtri, lentiſci, & myrti ſponte paſſimque in ſaltu Cordubenſi prouenientium fruticum baccis, quarum iam tempeſtiuitas effluxit, paſcuntur. Et apes, quæ bruma conduntur, & perpetua multorum dierum quiete deliteſcunt, iam tempore inuitante, thymoq; & rore marino, & cæterorum generum herbis florentibus nouam fœturam vrgentes pabulatum prodire: quarum ſolertiam curamq; Reipub. cui partita officia cupidiſſimè ac mirabiliter impendunt, & cætera magna miracula, quæ in paruo inſecto Ariſtoteles cæterique rei ruſticæ auctores perſequuntur contemplari me magnoperè delectat. Nam hoc quoq; iucundiſſimum ſpectaculum, & hanc philoſophandi occaſionem nobis noſtrum Marianum ſuppeditat. Cuius Citrei varij generis, cæterasque frugiferas arbores

bores superioribus diebus excoluimus, vites putauimus, ablaqueauimus, atque mergis propagauimus, fruticibus extirpatis multa mitiorũ arborum semina radicata suffecimus. Hæ igitur res nouæ sunt apud nos quibus de studio fessus animum soleo magna iucunditate relaxare, & item noua villa, quam æstate superiore, vt tecto commodiore vteremur, ædificandam curaui. Quid Carolus Cæsar, quid frater Fernandus agat, quid Henricus Gallorum Rex, qui Mediolanensibus furijs exagitatus non potest quiescere, moliatur, iam pridem ignoro, nec equidem scire, si saluo officio id facere possem, magnoperè curarem. Nuper amicorum literis certior factus sum, Carolum ex Germania Inspruchum veniſſe, vt à bello Parmensi, & Tridentino concilio propiùs abesset, Fernandum Transyluaniam Pannoniæ inferioris regionem, Georgio Monacho auctore, inuitissimis Turcis recepisse. Vale. Postridie Id. Feb. An. Christi 1552.

ARGVMENTVM.

Præmissa officiorum suorum commendatione, Manrico Laræ duci Naiarensi, de splendida Barcinonensi cœna, à Petro Fer. Velasco instructa, habitisque in ea sermonibus narrat.

I. Genesius Sepulueda Manrico Laræ Duci Naiarensi.

S. P. D.

EPISTOLA LXII.

VOlebam te Dux clarissime per epistolam longiore scilicet interuallo salutare, ne parum hoc in genere officiosus cliens esse viderer in maximum & optimè de me meritum patronum, sed cũ nihil esset quod scriberem, nisi me tuarum laudum esse studiosissimũ, & tuorum in me magnorum meritorum semper memorem fore, mihi venit in mentem cœnæ illius Barcinonensis, ad quam Petrus Fernandus Velascus Castellæ Comestabilis te fratremque Io: Manricum, & Fernandum Raimundum Cardonæ Ducem, & item Cortensem Marchionem, quatuor viros Principes vocauerat, qui ad Carolum Cæsarem regem nostrum post Gallos à Perpignani obsidione nostrorum virtute depulsos conueneratis: vnde argumentum epistolę nasci posse existimaui, tibi nec ingratum, nec inuucundum. Nam mihi cœna digna visa est, quę non minùs, quam Platonicum illud conuiuium, si qua facultas esset, celebraretur. De qua & habitis in ea sermonibus non Aristodemum aliquem referentem, vt Apollodorus apud Platonem, audiui, sed ipse interfui, vt nosti. Nam me quoque Velascus idem pro singulari sua humanitate

manitate adesse, & vobis pro vestra in doctrinarum studiosos indulgẽtia non indignantibus, iussit *mensis accumbere diuûm*. vt verbis vtar poêtæ. Quod conuiuium à veterum Romanorum, & Athenienſium, laudata consuetudine non abhoruisse, testis est Marcus Varro, qui de ipsa consuetudine memorans, aptum conuiuarum numerum definit, vt à gratijs profectus musarum multitudinem non excedat, id est, vt nec pauciores sint, quàm tres, nec plures, quàm nouem, ne conuiuium sit vel paucitate & silentio subtriste, vel multitudine & strepitu turbulentum, quorum numerorum cœna illa Barcinonẽsis medium tenuit. Nã quinque sine me accumbebatis, nec muti, nec loquaces, quales idẽ Varro conuiuas esse oportere tradit, qui conuiuium ita demum suis omnibus numeris absolutum fore docet, vt Gellius refert, *si belli homunculi collecti sint, si lectus locus, si tempus lectum si apparatus non neglectus*, quarum rerum nihil, vt opinor, abfuit conuiuio vestro, nisi quòd non belli homunculi conuenistis, sed magni viri, & proceres opulenti, multisq; populis imperitantes, grauissimi quidem, sed morum suauitate, & sermonis lepore iucundi, & quod apparatus modum excessisse videri poterat, nisi mensæ fuissent tantis principibus instructę. Nec mirum, nam vestrę, id est procerum Hispaniæ quotidianæ quoque mensæ, & familiaria conuiuia eò luxus processere, vt non iniuria à frugi, & antiquarijs hominibus improbari videantur, vtpote longè à veterum parsimonia degenerantes. Nam maiores nostri necessario, aut paulò etiam liberaliore victu & cultu contenti, Lacedæmoniorum frugalissimæ nationis morem æmulari, & tenuiorum amicorum, non gulæ exquisitis dapibus indulgere, sed inopiam rebus necessarijs suggerendis subleuare, id demum procerum officium, & egregiam laudem existimabant. Nam illa erat communis Hispanorum laus, auctore Trogo, quòd eis essent corpora ad inediam laboremque, animi ad mortem parati, duraque omnibus, & stricta parsimonia. Nostra verò ætas, externorum, vt opinor, cõsuetudine, & peregrinis moribus deprauata, accedente diuturnæ ad Hispaniam Caroli Imperatoris Regisque nostri beneficio pacis licentia, tantoperè in diuersum deflexit, vt principum virorum mensæ, pro Laconica parsimonia Syracusanum luxum graui Platonis censura notatũ imitentur. Sed redeo ad cęnam Barcinonensem, in qua me sermones habiti de administranda rep. in primis delectarunt: quibus initium, occasionemque mentio dedit, nescio quo pacto, de seditionibus popularibus exorta, ad quas seditiones compescendas Velasco eodem belli summam obtinente, ipse puer à patre cum manu militari missus, magna generosæ indolis documenta præstitisti, sed in ea disputatione cum multa libenter audirem, illud non perinde placebat, quòd tu, dum in statũ reip. popularem vehementiùs inuehereris, in paucorum potentiam, quæ parum abest à tyrannide, inclinare videbaris. Quanquàm non dubito,

bito, quin ea à te non ex animi sententia, sed disceptandi gratia, & in odium reipub. popularis dicta sint, & harum trium reip. deprauationum nullam non damnes, ex tribus rectis regiam, vt plerique omnes sapientes, maximè probes, qui regibus nostris pace belloque tam non grauatè, tamque libenter operam, & industriam, studium que more maiorum tuorum nauare soles. Sed ea contemplatio ex omnibus gratissima mihi fuit, quòd primæ classis Hispaniæ proceres opibus, auctoritate, & clientelis prępotentes, magnarum olim, & hostiliter disidentium factionum principes omni simultate deposita, mutua consuetudine frequenter frui, multùm simul esse, simul epulari (quod sæpe antè animaduerteram) gauderetis. Quo nomine tacitus Hispaniæ, seculoque nostro vehementer gratulabar, & Carolo Cæsari regi nostro tantæ felicitatis pro sua iustitia, & animi magnitudine auctori apud animum meum ingentes gratias agebam. Vale.

IOANNIS GENESII SEPVLVEDAE CORDVBENSIS EPSTOLARVM LIBER V.

ARGVMENTVM.

Ad Martinum Oliuanum Inquisitorem Apostolicum scribit, pergratum sibi fuisse commentarium eius, de fraterna correptione, paucisque disputat, de puniendis hæreticis meliùs.

I. Genesius Sepulueda M. Oliuano Inquisitori Apostolico.

S. P. D.

EPISTOLA LXIII.

COMMENTARIVM de fraterna correptione, quod mihi redditum est cum tuis humanissimis literis, libentissimè perlegi, pergratumque fuit in eo magnum ingenium tuum, & singularem eruditionem, copiam, & facultatem agnoscere. Nam multa mihi visa sunt à te, & subtiliter ex media iuris vtriusque doctrina deprõta, & prudenter disputata, vt accuratiùs nequiuerit locus de ratione hæresis occultæ, deque ipsius denunciatione tractari, quem ego ex industria vobis, qui officio,

quod vt est, sic sanctum nucupatur, præfecti estis, dijudicandum in meo Theophilo reliqui. In quo mihi propositum fuit de morum magis peccatis, quàm de mentis erroribus, quas hæreses appellamus, vt ad te nuper scripseram, differere. Sed quamuis tua mihi sententia in primis probetur, nec possim, aut debeam à vestro grauissimo decreto dissentire, quædam tamen inter legendum mihi venerunt in mentem, quę si libellum edere cogitas, non erit fortassis abre, paulò latiùs explicare, vt nõ solùm æquis hominibus, sed contentiosis etiam satisfacias. Quibus de rebus cùm Cordubam rediero, quod propediem facere cogitabam, coram, nisi tibi molestum fuerit, commodiùs differemus. Nam quòd ais hæreticos etiam occultissimos esse iure excommunicatos, tibi etiam atque etiam assentio, nec probari mihi vnquam potuit illa mentis duntaxat assensus, & actus exterioris quamlibet arcani, à iunioribus inducta distinctio, sed semper est visa commentitia (Caiet. 22. q. 11. art. 3 & 4.) nec dubito quin in foro conscientiæ ecclesia militans iurisdictionem habeat in crimina etiam occultissima. Sacerdos enim, qui pars est ecclesiæ, & eiusdem Deique administer, in confessione sacra de mentis quoque cogitationibus inquirit, & pœnas imponit, & si quis occultissimè clericum percusserit, iure ecclesiæ excommunicatus est (c. non dubium. de sentent. excom.) eodemque modo, si quis vel sola cogitatione mentis & assensu, qui per se valet absolutum hæreticum reddere, fiat hæreticus (c. excommunicamus. de hæreti.) cùm Ecclesiæ non magis hoc incognitum, occultumque sit, quàm illud, & vtrumq; penitùs ignoretur; sed in foro exteriore Ecclesia ius non habet nominatim in quemquam inquirendi, aut puniendi morum peccata penitùs occulta, etiam si fuerint opere patrata, nec qui propter tale crimen fuerit excommunicatus, hunc habet Ecclesia in foro exteriore pro excommunicato, nec iudex conscius posset ipsum, aut deberet palàm prohibere sacris (glos. c. multorum. §. verum. de hæret. in Clem.) Cæterùm de crimine hæresis vtrùm aliter sit statuendum, nihil definio, sed integram causam vobis, quorum officium hoc magis attingit, vestróque iudicio relinquo, quos huius generis quæstiones cunctas diligenter excussas, & piè sacrisque legibus conuenienter constitutas, ac dijudicatas habere conuenit. Vale. Toleto, postridie idus Decembris. An. 1538.

ARGVMENTVM.

Eidem Oliuano, locum Catonis, & C. Marij, quo videntur literas græcas contemnere, explicat, easque contra obtrectatores defendit.

Io. Genesius Sepulueda Mart. Oliuano Inquisitori Apostolico.

S. P. D.

EPISTO.

EPISTOLA XLIV.

SCRIBIS ad me, petisque Oliuane doctissime, quidnam causæ fuisse putem, cur M. Cato, qui vir optimus habitus est, & omni ciuili facultate præstantissimus, literas Græcas tantoperè damnaret, vt de Græcis commemorans ad Marcum filium, illud multorum ore celebratum scribere non dubitaret, *Hoc puta Marce fili vatem dixisse, Quandocunq; ista gens suas literas dabit, omnia corrumpet.* Quod vaticinium non in veteres Romanos magis, quàm in nostræ memorię Germanos editum esse videri tibi profiteris. Nam vt Romanis olim morum magnam corruptelam, sic nuper Germanis religionis labem insignem literarum Græcarum eloquentiæque studium & scientiam attulisse, vt iure querela peruetusta nouis exemplis renouari posse videatur. His addis Caij Marij testimonium ex illa nobili oratione, qua est in optimates inuectus, vbi literas Græcas non obscurè vir magnus & suis virtutibus clarus contenere atque improbare visus est. Hæc est, vt arbitror, summa tuæ non sententiæ, sed quæstionis, nec enim adduci possum, te virum pergraue m, & præstante tum ingenio, tum etiam doctrina falsæ & iniustæ Catonis accusationi, vt huic parti primùm respondeam, suffragari: nec tamen miror eundem te cum multis viris eruditissimis tanti viri auctoritate commoueri, & de facti causa dubitare. Sed crede mihi, periniqua est Catonis literarum Græcarum criminatio, quæ non aliunde nata mihi esse videtur, quàm ex errore quodam & odio. Accidit enim nescio quo pacto tetricis hominibus, vt quos oderint propter vitia, in his etiam si qua probanda sunt, affectu impediti nõ agnoscant, ac potiùs vitio vertant. Quod Catoni homini seueriſsimo in hac causa vsu veniſse certum habeo, qui cùm Græcos propter insitam multis eorũ leuitatẽ, vanitatemq;, & alia vitia, quæ vulgò huic nationi tribuuntur, magnoperè, vt res ipsa docet, odisset ac improbaret, omnes eorũ artes suspectas habebat, vituperandasq; putabat magno medicinę argumento, quã facultatem necessariã & salutarem, cùm in Græcis vel doctissimis cõdemnaret, eius tamẽ commentariũ sese habere profitebatur, quo sibi, filio, seruis, & familiaribus mederetur. Quòd si quis Græcarum literarum ignarus (*Sunt enim quidã*, vt ait Hieronymꝰ, *qui optima quæque contemnere videri malunt, quàm discere*) Catonis testatam opinionem non errorem esse asserat, sed rectum iudicium, & ratione destitutus in tanti viri authoritate satis esse ponderis ad fidem faciendam contendat, possumus & nos eiusdem Catonis iudicium, & multò quidem incorruptius opponere, qui cùm vir probus esset, nec in errore pertinax, literas Græcas, quas iunior temerè damnauerat, senex prudentissimè didicit, dignasque putauit, in

quibus opera & tempus etiam à grauissimis viris poneretur. Quæ res multò plus ponderis habet ad Catoniani iudicij declarationem, non solùm propter prudentiorem ætatem, sed etiam quia magnis Philosophis auctoribus, ad cognoscendam proborum hominum de rebus bonis ac malis sententiam, non tam dicta ipsorum spectare oportet, quam facta, si vita scilicet ab oratione aliqua in parte dissentiat. At euenit Catonis vaticinium, nec priùs vitia Romanos penitùs inuaserunt, quã Græcorum literæ, & artes in vrbem reciperentur: fateor, sed nec priùs, quã hostibus longissimè submotis, optatissima pace fruerẽtur. Nam in bello & negotijs per parum loci relinquitur studijs literarum, quæ pacis comites sunt otijque sociæ, vt pacem eodem modo condemnare liceat, sine qua tamen ciuitatibus felicitas non contingit. Vt igitur pacis nulla culpa est, quòd quietis potissimum temporibus voluptati eiusque ministratricibus artibus sese homines tradunt, sic ea mala Romanis non literarum studia, in quibus maximum est ad virtutes colendas præsidiũ, sed prauitas hominum libertate & otio turpiter abutentium inuexit. Nam in rerum difficultatibus, bellicisque laboribus atque periculis homines ferè incommoda calamitatesque patienter ferre, pericula subire, voluptatibus abstinere coguntur, qua consuetudine virtutes quædam ingenerantur, sed pace reddita, & confirmata, vt iam mores, & studia, non necessitas & timor, sed consilium, & voluntas moderetur, multi nullis honestatis adminiculis suppetentibus se inertiæ ac turpitudini per licentiam dedunt, pauci vel bonitate naturæ, quæ quosdam finxit ad honestatem & officia procliuiores, vel bonarum artium, quas ab ineunte ætate coluerunt, exercitatione subleuati, & ope summi Dei, qui rectè agere conantibus vires liberaliter subministrat adiuti, virtutem libenter colunt, & via, quæ proxima est ad felicitatem, gradiuntur. Sed cùm vtrique hominum generi per bonas leges consulendum sit, & vtriusque temporis habenda ratio, tamen vna est communis prouisio sapientium consensu, vt homines ab ineunte ætate honestis actionibus delectari consuescant. Sic enim natura comparatum est, quemadmodum non philosophi solùm sed rerum vsus declarat, vt homines, quibus vitam licet arbitratu suo traducere, magna ex parte in ijs rebus versentur, quibus maximè gaudent. Sed interest, quòd boni rebus honestis, mali turpibus delectantur. Cæterùm cùm aliæ virtutes alij parti vitæ sint aptiores, fortitudo, & laborum calamitatumque tolerantia, vt ijdem philosophi docent, propriè negotijs atque bellis vtilissimæ sunt, paci verò, & otio philosophia, vtriusque autem temporis communes iustitia, & temperantia, quæ tamen otium, & pacem agitantibus magis conducunt. Itaque philosophiæ, & doctrinarum studium, quas Cato in literis Græcis, quibus potissimùm continentur, damnabat, tantum abest, vt probis moribus officiat, vt sit præcipuum

virtu-

virtutum in pace præsidium, & maximum ad bene beateque viuendum adiumentum, quod studium sapientium testimonio, vt pueris pro Architæ crepitaculo est, sic viris optimis optima ratio fruendi otio, & vitam honestè, iucundè, ac liberaliter degendi, præsertim philosophiæ impensum, quæ non solùm est vitæ, morumque magistra, sed ingenerat etiam quendam virtutis, & rerum honestarum amorem in ijs quidem, qui rectè philosophantur, nec doctrinarum studio more sophistarum ad quæstum, aut ostentationem abutuntur. Non enim quid virtus sit sciendi, sed rectè & ex virtute viuendi causa doctrina morum inuenta est. Itaque philosophia, quæ latissimè patet, & omnes liberales doctrinas complectitur, animos hominum, qui semel vitijs, & prauis opinionibus extirpatis, paulò familiarius se per longam consuetudinem in eius amicitiam insinuarunt, ea dulcedine complet per optimarum rerum scientiam, & contemplationem, vt facilè cæteras omnes voluptates contemnant. Quæ res si ad Deum referantur, & ex præceptis Christianæ philosophiæ administrentur, fiet, quod fieri non posse cuipiam fortasse videatur, vt sapiens tum in hoc seculo, tum in futuro vitam beatam cum maxima iucunditate degat, quam alij per huius vitæ calamitates, & supplicia post mortem duntaxat assequuntur. Nam multis vijs, sed quarum vnus est exitus finisque Christus, ad æternam vitam peruenitur. hoc enim illud est, quod Paulus ait, *Vnusquisque proprium donum habet ex Deo, alius quidem sic, alius verò sic.* Scilicet quia virtus egregia in vtraque fortuna nitet, & viros præstantes non solùm probis hominibus ad laudem, sed multò etiam magis Deo ad æternam felicitatem commendat. Vt paucis igitur summam complectar, vitiorum mala, quæ per otium & securitatem ex prauitate hominum oriuntur, paci, aut doctrinarum studijs accepta ferre, simile est, ac si quis felicibus annis, cùm inutiles herbę, quibus vites, & reliquę arbores sterilescunt, & iacta optima semina obruuntur, atque necantur, in agris malè cultis vberiùs proueniunt, agricolarum culpam in rusticarum rerum vtilissimam & honestissimam artem, aut temporum felicitatem conferat. Atque hæc quidem ad Romanorum exemplum, quod quidam iniustæ Catonis literarum Græcarum vituperationi suffragari putant. Venio ad Germanorum calamitates, & religionis corruptelam, quas si ab hominibus Græcarum literarum, & eloquentiæ studiosis inuectas esse contendis, nihil pugno: sed si ob eam rem eloquentiam, & Græcarum disciplinarum notitiam vituperandas putas, quòd eis interdum ad scelus praui homines abutantur, vide ne iniustam, & periculosam iudicandi rationem inducas, qua liceat eodem modo non solùm vires, & pulchritudinem, facultates, & gloriam condemnare, sed & solertiam, & eos habitus, quos in viris probis prudentiam, & virtutes nuncupamus. Qui-

bus rebus,cùm optima ſint,& magna Dei munera, tamen praui homines nonnunquam ad magnas iniurias abutuntur. Qua de re ſic memorat Ariſtoteles philoſophorum Princeps in libro primo de Repub. *Homo*(inquit)*vt perfectus ſiue probus omnium animalium eſt optimus, ſic lege, iuſtitiáque vacans, cunctorum peßimus habetur, perniciosißima eſt enim armata iniuſtitia,homo autem prudentia,& virtute armatus eſt, quibus vti poteſt in contraria.* Igitur eloquendi facultas, & Græcarum Latinarumque literarum ſcientia honeſtiſsimis facultatibus iure optimo annumerantur. Quibus Gregorius Nazianzenus,Ioannes Chryſoſtomus,Baſilius ex Græcis, ex noſtris Gregorius,Hieronymus,Ambroſius,Auguſtinus, cæteriq; optimi,& ſanctiſsimi viri inſtructi,magnas religioni Chriſtianæ commoditates attulerunt.Germanis autem,vt eadem hac memoria magnoperè nocerent, non ipſarum culpa factum eſt, ſed ſcelere, & impietate quorundam,qui optimas ſua natura facultates ad euertendam Chriſtianam religionem in fraudem & malitiam conuerterunt. Non enim,vt apud nos pia principum, & vtiliſsima Reip. prouiſione per vrbes viri doctrina,virtute,ac religione præſtantes,officio, quo tu iam pridem cum magna tua laude fungeris, præficiuntur, hæreticorum temeritatem,ac ſcelus vindicandi,ſic apud Germanos, aut certè non ea auctoritate & poteſtate vindices erant impietatis, qui turbulentorum & flagitioſorum hominum in religione rebus nouis ſtudentium, ſcelus & audaciam coërcerent.Quod verò pertinet ad Caij Marij teſtimonium viri militari tolerantia & bellicis artibus, quã innocentia & iuſtitia pacis virtutibus clarioris,qui in cõcione populari ſic de Græcis literis diſſeruit,vt eaſdem cum nobilitate iure contemnere videretur, idque Romanæ plebi,cuius ſuffragio conſul factus eſt,perſuaſit, quid habet argumenti, niſi hominibus inertibus, aut improbis in generis claritate, aut literarum notitiam parum eſſe præſidij ad laudem egregiam, ſed præſtante virtute opus eſſe ad res maximas gerendas. At viris probis,& honeſtatis amatoribus,quis ſanus neget plurimum eſſe adiumenti ad colendas virtutes, tum in paterna maiorumque virtute & gloria, tum in rerum optimarum ſcientia? Cùm hæc virtutis viam oſtendat, illæ ad ingrediendum domeſticis exemplis adhortentur. Præclara igitur ornamenta,quorum expers erat Marius,contemnere ſe magis, quã requirere callida oratione iactabat,vt ſe indocte plebi hac quoq; ratione commendaret.Hæc mihi in mentem venerunt, quibus ad literarum Græcarum vituperationem, tuamq; quæſtionem reſponderi poſſe videbatur.Quæ ſi tibi probabuntur, facilè omnes omnium tetricorum inuidorumq; calumnias contemnam,ſin aliter,tuum erit, vt me refellas hominem minimè pertinacem, & prudentioribus tuis monitis & auctoritati facilè conceſſurum.Quanquam enim literas græcas,quibus

me à

me a puero dedi, nihil habeo, quod accuſem, quin potiùs eis magnam habeo gratiam, quòd ipſarum beneficio tum in Græcorũ Philoſophorum libris, tum in ſacris præſertim noui teſtamenti literis, ita ſum verſatus, vt mihi liceret ex fontibus potiùs haurire, quam interpretum riuulos conſectari, tamen te auctore & prudentiùs admonente literariũ Græcarum ſtudio vel omnino deſiſtam, vel ſi hoc propter diuturnam conſuetudinem nimis erit difficilè, temperãtiùs vtar. Vale, & me, quod mutuò facis, ama. Ex meis hybernis Putalbanis, Idib. Decembris. Anno Chriſti. 1547.

ARGVMENTVM.

Oliuanus Geneſio Sepuluedæ, à monachis Dominicanis Cordubæ palæſtram literariam ſeptem diebus quæſtionibus Theologicis exercitam, ſcribit: eamque epiſtolam quam in defenſionem literarum Græcarum miſerat eſſe approbatam: deinq; quod ab Hieronymo Garſia Francorum Reginæ à ſecretis, duo volumina operum Geneſij, ſibi tranſmitti poſtulauerit.

Martinus Oliuanus Iu. vtriuſque D. I. Geneſio Sepuluedæ ſacræ Theologiæ Doctori.

S. D.

EPISTOLA LXV.

POſteaquam literas tuas accepi, nihil omnino fuit noui, de quo te certiorem facerem. Nunc autem eſt quod ſcribam. Superioribus diebus in hac vrbe in monaſterio D. Pauli monachi Dominicani Bæticæ prouinciæ, quorum multi erant ſcientia & dignitate præſtãtes, cum conuentum agerent, quod ipſi capitulum prouinciale vocãt, ſeptẽ cõtinuis diebus palæſtram literariam theologicis quæſtionib. exercuerunt. Quorum fuit & inter ſe & cum alijs cæterorum ordinũ monachis non minima cõcertatio, dum ſuam quiſq; tueri conaretur opinionem: fuerunt autem inter alias quæſtiones duæ præcipuæ, quarum altera circa ea verſabatur, quæ tu in Dialogo, cui titulum Democratem ſecundũ feciſti, accuratiſsimè pertractaſti, vtrum barbaris noui orbis, quos Indos Hiſpana conſuetudo vocat, liceat bellum inferre, & cætera, quæ in eodem libro elegantiſsimè perſequeris. Altera vtrum Romanus Pontifex poteſtatem habeat ſuprà id, quod œcumenica Synodus ſtatuerit, definiendi, aut ipſa per ſe etiam contra voluntatem Pontificis quidquam ſtatuere poſsit. De qua quæſtione ſpero citò te librũ magna cum ſtudioſorum vtilitate in lucem emiſſurum, & vtrunque opus vt, quamprimùm in lucem prodeat, vehementer exoptò: erunt enim mihi gratiſſima, vt cætera ſcripta tua, quæ neſcio doctrina, an elegantia magis

magis eruditorum præconio commendentur. Vellem itidem, vt in secunda tui Theophili editione illud quoque adderes, quod ad hæresis crimẽ occultum de fraterna correptione attinet, de qua ipse in eodem libro disputasti. Quod negotium si obiter ac breuiter percurreris, aliorum periculis & erroribus occurres, præsertim cum ad id ipsum nemo non alioquin teneatur: Quoddam exemplar illius eruditissimæ & elegantissimæ epistolæ, quam ad me iam pridem scripseras, vt in eo mihi satisfaceres, quod hîc sæpè familiariter sumus collocuti, posteaquàm tibi literis significaui, vtrùm Græcarum literarum studium hac nostra ætate Germanis ad religionem Christianam offecisset, misi ad Ioannem Oliuanum fratris filium, qui non sine aliquo bonarum literarum tanquam fundamento iuri ciuili Salmãticæ incumbit, qui cũ nõ ignoraret epistolam propter eruditionem & doctrinam, qua vbique scatebat, magno in pretio habendam, gymnasiarchæ, & Doctori Neylæ tibi amicitia coniunctis, alijsque illius Academiæ scientiarum omnium peritis eius copiam fecit. Quam epistolam mihi per proximum tabellarium remittens, negat per literas se satis dignè referre posse, quanto applausu, quantisq; laudum generibus eam susceperint. Iam verò quid mihi responderint Vreniæ Comes, Marchio Comarienſis, alijque bonarum literarum studiosi viri, quibus eam feci etiam communem, quid refert commemorare? Omnes vno ore prædicant, te nunquam non debere calamo operam dare, vt & te & patriam ea gloria famaque illustres, qua vix alius quisquam antiquorum vnquã condecorauerit. Quod non dubium est, quin facilè consequaris, data videlicet occasione, ac monachorum molestijs & controuersijs, alijsque familiaribus, quæ se, vt necesse est, præter spem quotidiè offerunt, omnino expulsis. Ad Hieronymum Garsiam Francorum reginæ à secretis Parisijs commorantem nuper dedi literas, quibus postulabam, vt tuorum operum, quæ hactenus in lucem prodierunt, duo ad me volumina transmittat, ac præterea vt quantum in se fuerit, Chalcographum, cui curæ est tua politica prælis committere, identidem inuisat, horteturque, vt quàm citissimè optima fide in lucem emittat. Hoc genere scribendi meum ingenium alij studio deditum nunc exercere volui Latino sermone potiùs, quàm Hispano, non quòd nostram vernaculam linguam facundam atque suauem parui faciendam censeam, sed vt à te in omni genere literarum consummato viro Latinam etiam epistolam cæteris tuis similem eliciam, doctè scilicet, grauiter, & eleganter scriptam, quæ mihi erit summæ voluptati. Vale, & me, quod mutuò facis, ama. Cordubæ Calend. Augusti. Anno.

1548.

ARGV-

ARGVMENTVM.

Respondet Martino Oliuano ad literas præcedentes, sibi eodem tempore certamen fuisse acerrimum cum summis theologis, vtrum bellum Barbaris sit inferendum, probatque partem dicentem summorum virorum autoritate.

Genesius Sepulueda Martino Oliuano Inquisitori Apostolico.

S. D.

EPISTOLA LXVI.

PErgrata mihi fuit epistola tua, erudita, humana, & beneuolentiæ plena, in qua quod scribis monachos Dominicanos, qui Cordubæ conuentus prouincialis agendi causa ex more frequentes conuenerant, palæstra literaria sese exercentes vobis spectaculo non iniucundo scilicet fuisse, gratulor vobis, quibus extra teli iactum pugnæ simulachrum spectare licuit. At mihi eisdem dieb. cum alijs doctis sed pertinacibus theologis non ludicra palæstra, sed verum certamen fuit, atque vtinam æquo, & aperto marte, pariq; pugnandi conditione fuissemus congressi, nec ipse verlutissimi ducis arte fraudeq; circumuentus fuissem, ijs copijs ad defectionem per dolum, & figmenta solicitatis, & abductis, quarum præsidio ipse mihi certam victoriam pollicebar. Itaque non victi iudiciali pugna excessimus, sed eluſi, & destituti, quippe in optima nostra causa paucorum iudicio à Gymnasijs bona fide commissa, eosdem magna ex parte iudices habuimus, & eosdem per quorundam artificium pertinacissimos aduersarios. Quibus reiectis ad sanctiùs tribunal prouocauimus, firmioribus, & constantioribus auxilijs vsuri, & his partim ex ipsorum aduersariorum grege. Nam paucorum vel potiùs vnius iniquitate, & quorundam cæcitate perspecta, optimus, & doctissimus quisque causæ nostræ fauet, quam tibi & grauissimo, atque doctissimo, tuique simili collegæ non improbari mihi fuit gratissimum ex tuis literis intelligere. Nec miror vos grauissimos, & integerrimos iudices, qui religionis, & catholicæ Ecclesiæ contemptores, coêrcendi officio cum summa potestate præestis, ab ea sententia non abhorrere, quæ vt cætera fundamenta, quibus præaltis nititur, taceam, summum pontificem, & qui nobis in Ecclesia pro Christo est, vnum & alterum auctorem habet, & ipsius Ecclesiæ auctoritate fulcitur. Quod vt habeas exploratius, exemplum ad te mitto literarum, quas Alexander sextus Pontifex maximus Fernando, & Isabellæ regibus nostris rescripsit, quibus non so-

lùm bellum Barbaricum probat, sed ad id suscipiendum, & obeũdum, Barbarosq; in ditionem tradendæ pietatis causâ redigendos, magnoperè religiosos principes cohortatur, qua de re Fernandus Valdesius sanctissimi tribunalis vestri omnis Hispaniæ præfectus, & idem præsul Hispalensis, quem virum grauissimum, & iuris consultissimum nosti, nuper cùm viri multi grauitate & doctrina præstantes adessent, sic mecum est collocutus. Cur (inquit) Genesi libri tui editionem quidam viri alioquin docti, & graues tantoperè impediunt? Et ego, Quid tu (inquam) præsul amplissime me de negotio percontaris, quod melius nosti, quàm ego? Causa (inquit ille) quam ipsi iactant, perleuis est, & mihi nunquam probata, qui cauendum esse dicunt, ne milites nostri per occasionem libri grauiùs sæuiant in Barbaros, at hoc ne fiat, ipsorum muneris est, quantum res patitur, prouidere. Nam bellum, vt sine aliqua iniuria, & maleficio geratur, aut fieri non potest, aut est difficillimum: & cùm parumper siluisset, adiecit illud. Dicam equidem quod sentio, meliùs ijdem suæ famæ consulerent, si potiùs librum hunc ipsi grandioribus literis excudendum, & per omnem Hispaniam ex suggestis ad publicam commoditatem prædicandum curarent. Sed de his hactenus. De commentatiuncula à me de Pontif. Maxim. & concilij vniuersalis potestate, & comparatione in libro, quem de regno inscripsi, elucubrata, argumentum est lubricum, & sic à quibusdam viris doctissimis tractatum, vt in eis partium studium magis extet, quàm synceræ veritatis amor. Ego vt vtrique parti satisfacerem, suumque ius ac dignitatem tribuerem, etiam atque etiam elaboraui, an sim assecutus, tuum erit iudicium, perlecto libello, cuius tibi copiam libenter faciam, sed cùm vos reuisero Cordubam reuersus, vt eum tunc maximè legas, cùm erit colloquendi facultas, & coram perpensis in vtranque partem rationibus disputandi. Quòd meam sententiam exquiris de ratione in hæresi occulta testificandi, ego quid in occultis criminibus faciendum putarem, edito, quod scis, libello quàm potui diligenter exposui, tu si quid in eo desiderari putas, & hæreticorum causam à cæteris criminibus separandam censes, docere me magis debes, qui hanc quæstionem propriè ad tuum officium pertinentem doctissimo commentario persecutus es, quàm vt quid sentiam, explicem postulare. Vale ex nostris Putalbanis hybernis Calend. Nouembr.

ARGVMENTVM.

Eundem Oliuanum inuitat ad prædij sui amœnitatem narratque successum reportatæ sententiæ suæ de gerendo contra Barbaros bello.

Genesius

Geneſius Sepulueda Martino Oliuano I. V. D. Inquiſitori Apoſtolico. S. P. D.

EPISTOLA LXVII.

EPiſtola tua Oliuane plena officij & beneuolentiæ reddita mihi fuit ad meum prædium Marianum, quò & otij, & ſtudiorum gratia non minùs libenter ſecedere ſoleo, quàm Cicero quondam ad illud ſuum, quod doctiſsimis, & eloquentiſsimis ſcriptis nobilitauit, Tuſculanum, cui hoc noſtrum ad conuallem Mariani montis, qua Cordubæ noſtræ imminet, ſitum, obſcurum adhuc, & Galli cognomine contentum, quantum fama cedit, tantò amœnitate ſuperius eſſe certum habeo, ſiue arborum frugiferarum varia genera perpetua viriditate vernantia, ſiue dulciſsimarum aquarum copiam ſpectes, quæ ex duobus perennibus fontibus manantes, cum iucundiſsimo murmure delabuntur. Sed de his hactenus. Malo enim te oculis, cùm ad nos grauiſsimarum rerum, & ad pietatem Chriſtianam, hæreticoſque coërcendos pertinentium cura relaxatus in rem præſentem veneris, vt te facturum oſtenderas, quàm auribus de fundi noſtri amœnitate conſtituere. Quod quæris de iudicio doctiſsimorum grauiſsimorumque virorum, quos ex omnibus regijs conſilijs delectos cum quatuor Theologis eruditiſsimis Carolus Cæſar cauſam de bello barbarico cognoſcere voluit, quam ego cauſam libello perſecutus eram, cui titulus eſt Democrates ſecundus, ſiue de iuſtis belli cauſis, longum eſſet præſtigias, artes, & machinamenta commemorare, quibus me deprimere, & veritatem atque iuſtitiam obſcurare conatus eſt artifex ille verſutiſsimus & idem vigilantiſs mus, & loquaciſsimus, cui Vlyſſes Homericus collatus iners erat, & balbus. Huius enim artificio, & quorundam amicorum pertinacia haud procul ab eo fuimus, vt periculo noſtro iudices abſtraherentur, ſummque iudicium iure periti ſuſpectorum theologorum auctoritati poſthaberent, vt aliqui fecerant in eadem cauſa eiſdem præſtigijs ludificati. Quod præiudicium eiſdem artibus eiſdemq; auctoribus extortum aduerſarij paſsim citabant, & iudicibus oſtentabant, Cui præiudicio nos Doctorum Romanorum conſenſum, & Vicarij P. Max. & Magiſtri ſacri palatij, itemq; doctiſsimi viri ex Rotæ grauiſsimo tribunali, qui tres nominatim in excuſo libello memorantur, ipſiusq; vrbis Romæ, vbi meus libellus ab his comprobatus, & impreſsione euulgatus erat, multò & grauiorẽ & anguſtiorem auctoritatem & maieſtatem opponebamus. Quod verò pertinet ad rationes, his quoque ipſi longè ſuperiores eramus. Cæ-

terùm aduersarij, vt erant valentes Dialectici, diuque in scholasticis palæstris exercitati, ingeniosis & callidis interpretationibus sic scripturarum,& sanctorum patrum testimonia in suum sensum detorquebant,vt illustrissimæ veritati tenebras offunderent. Quas ipse cùm excutere,ac diluere via & ratione conarer, hoc minùs auctoritate valebam, quò me magis ambitionis nomine suspectum quorundam artificiosa versutia reddiderat.Qui me non publicum negotium,quanquam id principes,& nationem nostram plurimùm attingat,sed meam causam agitare cauillabantur,iactabantque vt meo nomini, existimationiq; consulerem,ne vnde gloriam assertæ in lucem veritatis,multis doctissimis alioquin viris non animaduersę,& ignoratę petiueram,inde contumeliam ferrem, si meam sententiam datis iudicibus non probassem,victusq; discessissem.Sed in tanta rerum iniquitate, dum quorundã ingenijs vnius artificio appeteremur, Bernardinus Areualus monachus Frãciscanus,vir vt sacrarum literarum & Ecclesiasticorum doctorum cognitione,solidaq; doctrina,sic sanctitate morum,& pietatis, ac religionis opinione præstans, opportunissimo præsidio venit, qui nostram velut aciem non quidem profligatam, vt aduersarij per literas & nũtios falso & præpostero encomio quoquo versus diuulgarant,at certè primo congressu, quibus artibus diximus, inclinatam, non tam orationis seu rationum nouitate, quàm auctoritatis pondere restituit.Quanquã enim causam ille grauissimè tractauit, & libellum à se in eandem sententiam doctissimè confectum cæteris iudicibus recitauit, grauissimæ tamen, & efficacissimæ rationes, quibus & ipse, & cæteri, qui eandem sententiam post me libellis confirmarũt,qui octo numero fuerunt nostræ nationis viri eruditissimi,in meo libro de iustis belli causis iam pridem multis exemplis vulgato,vel ipsæ,vel fundamenta ipsarum continentur. Erat scilicet Bernardinus ex numero iudicum, sed vulneribus primùm à sodali, monacho furente illatis, deinde pedum doloribus impeditus, nec nostris disputationibus, nec iudicum inter se consilia conferentium disceptationibus interesse valuerat. Ita nemine respondente captiosa aduersariorum Theologorum oratio in conuentu iudicum inualescebat,& recentiores iureperitos conturbabat.Nam veterani & doctissimi, quibus ab initio nostram causam probaueramus,in sententia constantissimè permanserunt. Sed cùm interiecto multorum dierum spatio, ad rationes, quas alij ab alijs in consiliorum & sententiarum collatione audierant,diligentiùs considerandas,dato rursus ad negotium conficiendum,& quid cuique placeret constituendum conuenissent, Bernardinus nondum satis recepta valetudine,cùm adesset, primo loco sententiam rogatus grauissima,& cum meo libello, quem in manibus habuerat,nec oscitanter perlegerat, congruente ad amussim oratione ta-

toperè

toperè commouit eorum animos, quos sermo aduersariorum theologorum abstraxerat, vt rationes, quibus in diuersum deducti essent, suspectas sese habere non obscurè significarent. Quippe omnes ad vnum eius causę iudicium ad Theologos reijciendum esse censere se dixerunt, qui scilicet faciliùs possent decipulas captiosorum Theologorum, quibus decipulis ipsi Iureperiti opportuniores essent, vitare. Sed horum cunctationem, & superius consilium seniores grauissimis verbis castigarunt, indignum esse confirmantes illorum grauitate in causa iudiciali, & legibus atque rationibus à iure, cuius scientiam ijdem profiterentur, petendis dijudicanda obmutescere, & cùm haberent ex suis doctores grauissimos, qui eandem causam sapientissimè tractassent, & quorum auctoritatem grauissmè sequerentur, præsidium petere ab externis, & damnato suo suorumque iudicio, alienorum arbitrium consectari. Qua oratione iuniores officij sui admoniti, & Bernardini auctoritate permoti pristinam sui quisque iudicij libertatem, quam illorum Theologorum auctoritati addixerāt, recipere cœperunt, atque eò magis, quòd cum illis dissentientibus in consessu iudicum, me non iam scriptis, sed voce disceptare cupiente, vt theologicis rationibus accuratiùs vtrinque collatis, quid religionis ratio postularet, appareret, idque per libellum eodem loco palam recitatur, postridie quam Bernardinus perorauerat, postulāte, eosdem theologos certamē detrectasse perspexerant. Quam recusationem in doctissimis & acerrimis disputatoribus, quis à causæ diffidentia profectam esse nō suspicaretur? Ab eo igitur tempore cæteri iudices aures, quas ad meas admonitiones, ac disputationes, quasi ad Sirenum mortiferos cantus obturauerant, mihi singulos adeunti, & veterem cantilenam, quasi nouam recinenti, aperire, & rationes admittere cœperunt, & quibus difficultatibus afficerentur indicantes, explicari à me facilè patiebantur. Ita breui factum est, vt iudicibus ijs, quos error abstulerat, in viam redeuntibus, omnes eam sententiam probarent, in qua ipse tuenda iam multos annos fueram occupatus, vt barbaros noui orbis, quos Indos vocamus, in Christianorum ditionem redigi ius, & fas esse censerent. Vno duntaxat Theologo contradicente, nam ex duobus reliquis vnus Tridentum concilij causa iam pridem discesserat, alter vt sententiam suam aperiret, pronuntiaretque, adduci non potuit, scilicet, vt quidem multorum opinio fuit, ne vel contra mentem nostris rationibus victam impiè iudicium ferret, vel contra amicorum voluntatem, quorum animos offendere nolebat, statuisse videretur. Nam iure periti ex quatuor rationibus, quibus ipsi singulis confici negotium conscripseramus, cùm alius alia magis duceretur, & in quibusdam pertinaciores tergiuersarētur, illam tamen, quæ ad cultum Idolorum prohibendum, & asserendā legem naturæ pertinet, omnes post eam, de qua dixi grauissimorum ca-

stigationem, incunctanter probauerunt. Hæc ad te pluribus verbis scripsi, vt te, qui pro tua in me singulari & mutua beneuolentia de mea existimatione æquè ac de tua laborare soles, solicitudine, si qua supereſſet liberarem. Nam te in magna tunc fuisse, cum falsus rumor de nostræ causæ iudicio, & quasi mala pugna à turbarum architecto dissipatus ad tuas aures peruenisset, non solùm ex tuis, sed etiam aliorum literis intellexeram. De pingui sacerdotio, quo Caroli Cæsaris beneficio auctus es, tibi etiam atque etiam gratulor, idque gradum ad maiora fieri, & opto, & spero, vt magnæ ciuitatis antistes ex archimandrita factus, hominibus tuarum virtutum lumen fructuosiùs ostendas. Vale. Calend. Octob. 1551.

ARGVMENTVM.

Martino Oliuano S. Ioannis ad Petram Abbati, reditum in patriam, & negocium à Philippo Principe commissum, gratulatur, laudemque suam extenuat, quam contra Zoilos defendit.

I. Genesius Sepulueda Mar. Oliuano sancti Io. ad Petram Abbati.

S. P. D.

EPISTOLA LXVIII.

INCOLVMEM te Cæsarauguſtam vrbem patriam post longam peregrinationem remeantem perueniſſe, & in magni, & honorifici ſacerdotij iam pridem tuis virtutibus debiti poſſeſsionem deiectis aduerſarijs inductum fuiſſe, pergratum mihi fuit ex tuis literis intelligere. Illud quoque me delectauit, quod de Philippi principis, quem ad Valdolitum venerabundus ſalutaueris, humanitate in te, iudicioque memoras. Qui negotium, quod ſingularem tùm rerum iurisque prudentiam, tum iuſtitiam, & integritatem requirit, tibi rectè committi exiſtimauit, nec mandare dubitauit. Quod verò te multis cum doctis hominibus collocutum, animaduertiſſe ſcribis, mihi primas in philoſophia conceſſu eruditorum inter Hiſpanos deferri, haud equidem me meæ tenuitatis conſcium tali dignor honore. Nam in latiſsima, & ingeniorum feraciſsima regione cùm in quaque ſcientia excellere magnum eſt, tum in philoſophia maximum, & certè longè mea facultate maius, in ea dico, non quam huius temporis ſophiſtæ profitentur, in nouo quodam philoſophandi genere, id eſt in nugis & puerilibus tricis tempus infeliciter terentes, ſed quam viri grauiſſimi & ſapientes tradiderunt, maximè Ariſtoteles, ſiue in natura rerum explicanda, ſiue in tradendis morum præceptis verſetur. Quanquàm me in huius philoſophi cuiuſque generis ſcriptis lectitando, è Græco in Latinum conuertendo,

quædam

quædam etiam scholijs enarrando multum temporis consumpsisse noui in eo inficias οὐ γὰρ εἰρωνεύομαι χρὴ. Sed non defuerũt videlicet placidi homines, qui vt tuo mearum laudum singulari, quod præ te fers, studio morem gererent, apud te mihi de philosophiæ non vulgari cognitione blandirentur. Nisi fortè, quod magis suspicor, in aliquos meos inimquos, & æmulos incidisti, quorum quosdam, exploratum habeo, de meis in philosophia studijs liberaliter prædicare solitos, non vt in hac seueriorum doctrinarũ parte meam existimationem, cui minimè fauent, augeant, sed vt meis Theologicorum argumentorum scriptis auctoritatem minuant, quæ ipsis multis, & contradicentibus confeci, & doctissimis grauissimisque Theologis approbantibus edidi. Nam primùm ijdem vtriusque linguæ, eloquentiæ diuturnum studium mihi obijciebant. Deinde cùm id parum procederet, cunctisque constare videretur, me quicquid huius facultatis nactus sum, id totum partim in Aristotelem conuertendum, & enarrandum, partim in grauiorum doctrinarum locos tractandos, & quæstiones explicandas conferre, & Romæ publico salario moralem philosophiam docuisse, ad hoc artificicium ingeniosè, vt sibi videbantur, descenderunt, ne quid intactum relinquerent, quo eorum scriptorum meorum, quibus ipsi offendebantur, auctoritas minui posse videretur, dum sibi persuadent, quantum mihi in philosophiæ studijs tribuitur, tantum in Theologicis detrahi, in quibus consenui, quoniam pigri homines cæteros ex sese metientes, nec fieri nec persuaderi cuiquam posse putabant, vt quisquam in vtroque genere elaborasset, quos vtinam tam facile esset liuoris morbo, & obtrectandi libidine sanare, quàm erroris conuincere, testibus maximis auctoribus, & veteris memoriæ sapientibus, quorum nemo in aliqua doctrina principatum est consecutus sine eloquentiæ præsidio, & reliquarum disciplinarum, quæ omnes inter se cognatæ sunt, adiumento, quanquàm ea laus sine magnitudine ingenij, indefesso studio, & ætatis longitudine non contingit. Quorum præstantium virorum industriam imitari me conatum fuisse profiteor, assecutum fuisse, mihi non arrogo, longè enim abest. Cæterùm hoc, quantulumcũq; ingenij est, quod certè vel mediocre mihi contigisse boni consulerem, & ea diligentia, quam mihi præsidio comparaui, quantum in longa ætate profecerim, si quid profeci, æquiorum iudicium esse velim, non eorum, qui ex alienæ laudis obtrectatione, vel sibi famam ambitione præpostera, vel suis erratis patrocinium per superbam pertinaciam quærunt.

Vale.

ARGV-

ARGVMENTVM.

Anton. Augustino sacri palatij Auditori mittit libellum à se conscriptum : iurene an iniuria Barbari in Christianorum potestatem redigantur, eiusque iudicium expectat, num libellus edendus sit an secus.

Io. Genesius Sepulueda Antonio Augustino sacri Palatij causarum auditori

S. D.

EPISTOLA LXIX.

IVRE an iniuria barbari, quos Indos vocamus, pagani, idolorumq; cultores in Christianorum Hispanorum ditionem redacti sint, redigantur que, vt sublato idolorum cultu, paratioribus animis prædicationem euangelicam audire cogantur, dubitatum est à nostrorum doctis quibusdam hominibus, & non sine contentione in vtramque partẽ disputatum. Quam ego controuersiam dirimere cupiens, quæstionem dicato libello accuratiùs sum persecutus, & quid sentirem, testatus, rectè an secùs, maximè vellem tuo tuique similium eruditissimorũ virorum, qui Romam ex omni orbe Christiano confluere solent, grauissimo iudicio declarari. Causa pergrauis est, nec indigna, quæ talium virorum sapientia & auctoritate dijudicetur. Pertinet enim ad vniuersalem ecclesiam, & iustam rationem gentes paganas ad Christi fidem inducendi. Cui⁹ quæstionis summam in morem scholasticum rationibus vtriusq; partis explicatis redactam tibi mitto. Erit igitur humanitatis officijque tui, vt primùm per te causam collatis rationibus pro tua singulari eruditione diligenter consideres, deinde viros aliquot, quorum tibi grauitas, & doctrina, iudiciumque maximè probetur, tum Theologos, tum iuris Pontificij peritos adhibeas, præsertim ex vestro Rotæ collegio, cuius est in toto orbe Christiano auctoritas grauissima, vt sententijs communicatis, quid hac in causa verum iustumque sit, & num libellus edẽdus esse videatur, constituatis, vt ego vestram auctoritatem secutus libellum vel vanum & inutilẽ, si vobis ita visũ fuerit, supprimã, vel incũctanter primo quoque tempore emittendum curem, si eisdem vobis (vt spero) ad publicum commodum, & declarandam in re grauissima veritatem pertinere iudicabitur. Vale. Ex Valdolito, septimo Calen. Septembris. 1549.

ARGVMENTVM.

Antonius Augustinus ad præscriptas literas respondet.

Antonius Augustinus Io. Genesio Sepul.

S. D.

EPISTO-

EPISTOLA LXX.

SVMMAM illius quæstionis de bello Indico, quæ à te de iustis belli causis pluribus verbis perdoctè perque eleganter disputatur, cum optimo Antistite Philippo Archinto P.M. Vicario, & cum religiosissimo viro Aegidio Foscarario sacri palatij Magistro, atque alijs grauissimis & doctissimis Theologis, ac iureconsultis communicaui, sic enim mihi per literas mandaueras. Omnes singularem in omni genere literarum eruditionem, & acre ingenium tuum semper admirati sumus atque coluimus. Hæc etiam nobis quæstio digna visa est, quæ in omnium hominum theatro tractaretur. res enim maxima est, & ad plurimos homines nostræ nationis ac gentis pertinet, neq; est à Rep. Christiana aliena. Itaque libellum ipsum pluribus exemplis describi, ediq; permisimus, te fortasse non inuito, qui quamuis hæc non eo animo scripseris, vt in vulgus manarent, tamen comprimi ea abs te & abscondi oportuerat, si non te digna euolatura fuisse putaueras. Tu nos ama, & Vale. Roma, Calen. Apr.

ARGVMENTVM.

Apud Antonium Honcalam se excusat: quare apologiam scripserit in Erasmum.

Io. Genesius Sepulueda Antonio Honcalæ Doctori Theologo Canonico Auelensi S. P. D.

EPISTOLA LXXI.

EPISTOLAM tuam libenter legi, ex eaque cognoscere, tibi optimo viro, & Theologo primario meam in amicum illum nostrum (scis quem dico) apologiam probari, mihi fuit pergratum. Quòd autem me dehortaris, ne asperius agam in ordinem maximis præsidijs munitum, id cuiusmodi sit, nõ satis intelligo. Nam quem ordinem, seu familiam significare videris, hanc ego semper suspexi, & magna veneratione colui. Quòd si iniuriam, quę mihi ab vno vel altero monacho infertur, paulò liberiùs propulsare nitor, quod mihi leges omnes omniaque iura concedunt, cuius æquitatis est, hoc vel iniustum esse, vel ad totius familiæ iniuriam pertinere interpretari? Non improbo, inquis, defensionem, sed temperamentum requiro. At ego Hieronymum auctorem oppono, qui oportere negat in suspicione hæresis quenquam esse patientem. Et rursus dico, vnius hominis aut alterius causam cum toto ordine communicare iniquum esse. Præsertim cùm à nobis sint plerique eiusdem familiæ monachi doctissimi & grauissimi. Loquor autem de causa belli barbarici, nam de loco Pauli, quem mihi monachus ille obiecit, dissentire puto præterea neminem. Quæ à me idcirco

dicta sunt, non solum, vt me tibi purgarem, sed multò etiam magis, vt si hæc ex aliorum sermone & querimonia scripsisti, habeas quo me possis ab iniquorum calumnia vindicare. Atq; eò magis, quod res tota sine vllo conuitio peracta est, nec quidquam asperius in quenquam priuatim dictum, licèt quædam vniuersè iactauerim. Quæ si quis in suam contumeliam interpretabitur, is non à me, sed à seipso magis accusari videndus erit. Vale.

ARGVMENTVM.

Ludoici Lucenæ consilium probat, quo literarum gratia in vrbem profectus est, multaque addit de inuidorum calumnijs, à quibus se variijs modis vindicare conatur.

I. Genesius Sepulueda Ludouico Lucenæ Artium & Medicinæ Doctori S. P. D.

EPISTOLA LXXII.

QVOTIDIE magis magisq; probo consilium tuum optime atque doctissime Lucena, qui ex Hispania, vbi natus & ad multam ætatẽ educatus fueras, quam longo post tempore reuiseras, Romã quasi ad sedem patriamq; communẽ eo consilio, vt mihi discedens indicaueras, remigrasti, non vt ambitioni, & cupiditati seruires, vt tibi affirmãti facilè credidi, noui enim modestiam tuam, & singularem in omni genere continẽtiam, sed vt otio literario, & honesta libertate in ea regione atque vrbe fruereris, vbi magna est tum studendi occasio, tum facultas simpliciter & sine fuco fallacijsq; degendi. Nam cum viris optimis, & doctissimis viuere, ac sine inuidia, & obtrectatione philosophari, nihil fingentem, nihil fictum audientem, nihil ad falsam virtutis sanctimonięque ostentationem simulantem, non calumnias, non sycophãtias metuentem, id demum mihi non modò libertas, sed instar etiam beatæ vitæ videri solet. Quanquam enim in Hispania multi viri optimi sunt, & ijdem grauissimi, quidam etiam doctrina præstantes, & animo candido, nulla tamen Roma est, quò tales homines confluentes, & commorantes tantarum commoditatum occasionem præbeant, nec desunt alij, & hi non pauci ex literarum studiosis, qui ambitione quadam præpostera famam sibi ex aliorum obtrectatione quærendam putent, præsertim si quis nonnihil nominis inter eruditos consecutus esse videatur. Quod mihi si non ingenio, at industria, & pertinaci studio, & diligentia in longa ætate contigisse, quanquam nemini offensum, aut inuidiosum esse debuit, quosdam tamen sic exagitat, quasi mea existimatione nonnihil extante, ipsorum fama emergere nequeat. Qui vt duplici genere sunt (pars enim linguarum & eloquentiæ, alij scientiarum studia seperatim æmulantur) sic duabus sed contrarijs rationibus

nibus opinionem, nomenq; meum minuere conantur. Nam qui diserti videri volunt, & in vtriusque linguæ cognitione ætatẽ consumpserũt, hi mihi grauiorum doctrinarum, quas ab adolescentia colui, longi temporis studium, illi alteri operã in politiore literatura diu positã obijciunt. Vtriq; fieri posse negantes, vt quisquã simul in ambobus generibus magnoperè profecerit, in quorũ altero sit difficillimũ excellere. Quos vtinam mihi tam facile esset inuidiæ, arrogantiæq; morbo sanare, meq; magnorum virorum diligentiã non frustra æmulatum fuisse probare, quàm mendacij ab inertia vel tarditate profecti conuincere. Quotus enim quisque Græcorum vel Latinorum olim principem locum in doctrinis liberalibus, philosophiaq; tenuit, qui non idem facultate valeret suas cogitationes, atque præcepta culta oratione disponendi, & illustrandi? Cæterùm ego, qui quo in me quisque animo præter meã culpam sit, præstare nequeo, de obtrectatorum meorum inuidia haud equidẽ laborarem, si periculosis saltem calumnijs temperarent. Nunc quidam eò liuoris processerunt, vt occasionibus immineat mea vel dicta, vel scripta calumniandi, non solùm in eo genere, vbi mendum litura tollitur, sed etiam vbi error infami palinodia more nostro vindicatur. Quod periculum nuper quidam nostrorum Theologorum mihi, tanquam in insidias per imprudentiam præcipitato, diuersi magnificis verbis cùm denuntiassent, sic meam causam libellis, & apologijs editis egi, vt eos fregisse viderer, ac doctis hominibus probasse eosdem, dum alienam inscitiam insectarentur, suam prodidisse, & meos iniquos intemperantiæ suæ pœniteret. De quorum inuidentia, dum iusto dolore impulsus paulò concitatiùs memorarem, illud in apologia quadam adieci, me longè æquiores externos homines expertum fuisse, quiq; candidiùs de meis studijs tum voce tum scriptis prædicarent, quàm meorum Hispanorum quosdam. Et testimonio ætatis non frustra in studio literarum consumptæ mihi à viris doctissimis dato vsus sum, in primisq; ex Italis à Paulo Iouio episcopo Nucerino, & Francisco Florido Sabino, & vtriusque verba sine locis & librorum titulis, vt mihi à te fuerant ex vrbe Roma missa, subiecí. Nam libri nondum ad meas manus peruenerunt. Feceris igitur mihi pergratum, si vt verba, item loca, titulosq; librorum mihi primo quoque tempore, ne quis me finxisse putet, mittere nõ grauaberis. Cæterùm quod pertinet ad iniquorum meorum inuidiam, hi fortasse non gentis nostræ priuato vitio, sed communi hominum vtuntur, hoc est enim τὸ τὸ ὡσαύτως, καὶ κεραμεὺς κεραμεῖ κοτέῃ, καὶ τέκτονι τέκτων. Quid his maximè, qui eiusdẽ nationis, aut etiã ciuitatis sunt, vsu venire declarat illud eiusdẽ poëtę ζηλοῖ δὲ γείτονα γείτων. Cęterũ quod ait ἀγαθὴ δὲ ἔρις id in eos haud dubiè cõuenit, qui suis virtutib. sine alterius iniuria pũtare vo

lunt,non in ieiuna, exiliaque ingenia, quæ laudis alienæ obtrectatione,& calumnijs nituntur,quorum est ἔρις κακόχαρτος καὶ ἀνιμαμητὴ. Vale Calend.Ianuarij.1549.

ARGVMENTVM.

Ludouicus Lucena gaudet consilium suum quo Romam migrauerat Genesio probari, mittitque ad eum Pauli Iouij,Francisci Floridi & Petri Curtij de ipso elogia, & monet ne propter paucorum zoilorum temeritatem,multis succenseat.

Ludouicus Lucena I. Genesio Sepul. S. P. D.

EPISTOLA LXXIII.

PERGRATVM mihi est probari à te tali tantoque viro consilium meum remigrandi Romam. Nam quòd te ex meo sermone intellexisse ais,me non cupiditatem,aut ambitionem secutum esse, sed officium,& studiorum,ac honestæ libertatis rationem,verissimum est. Adde, quòd me locus ipse delectat, qui quasi theatrum est orbis Christiani,& in quo parietes ipsi,& vrbis ruinę eruditionem quandam prę-bere videntur,& nusquam est maior doctorum hominum vndique cō-cursus, cum quibus, vt ais, viuere & philosophari iucundissimum est, quod tunc etiam mihi gratius erat, cùm tuo, tuique similium Iacobi Neylæ nostri,Ortisijque optimorum,doctissimorumque virorum consuetudine frui licebat. Quæ de inuidis, & tuæ laudis obtrectatoribus scribis,molesta mihi,non tamen miranda acciderunt. Nam vt fulmina montes,ac æditiora loca tangere magis solent,quàm deiecta,sic magni viri,quàm parui magis patent iniquorum inuidiæ.

Pauli Iouij,& Francisci Floridi elogia, quæ ad te descripta locis non citatis misera, nunc vt iubes locis, & librorum titulis adscriptis remitto,adiuncto etiam Petri Curtij honorifico testimonio.

Paulus Iouius Episcopus Nucerinus in libro de clarorum virorum imaginibus in Hispanorum mentione.

Sed hodie procul dubio Io. Sepulueda Cordub. ipsam eximiæ laudis arcem tenet, qui Græcæ peritus linguæ, & scientiarum propè omnium validis instructus præsidijs, dum assiduè,atque ideo feliciter stylum exercet,eloquentissimus euadit. Franciscus Floridus Sabinus in apologia in linguæ latinæ calumniatorem. *Ioannem Sepulueda Hispaniæ seculiq; nostri decus,philosophum, Theologumque egregium, prout par esset,celebrare, maius est opus, quàm vt à nobis commodè præstari possit, siquidem eius scripta exactam rerum cognitionem,mirumq; in latinitate candorem præferunt.* Petrus Curtius in libro apologetico pro Italis in Erasmum. *Quid tu Gen. Sepulueda Hispanum,qui Philosophiam,ac Theologiam Græcis Latinisque literis gnauiter persecutus vtramque etiam orationis vbertate & vitæ grauitate decorauit, ad scribendum contra te traxisse cogites,nisi officium? nisi pietatem?*

Hæc Italorum tuarum virtutum & doctrinæ prædicatio hoc plus ponde-

ponderis habere mihi videtur, quòd quamuis hęc natio ſtudijs literarũ maximè dedita ſit, ac eruditorum dignitati faueat, tamen ita ſibi placet interdum, vt ſuos tantùm Muſas ritè colere videri velit.

Quod verò pertinet ad noſtros Hiſpanos, nolo te propter paucorum, qui tibi negotium faceſſunt, temeritatem multis ſuccenſere, cùm maior pars, & in hac doctiſsimus quiſque tuam doctrinam & eloquentiam magni faciant, nec verbis ſolùm, ſed etiam ſcriptura prædicent. Sed in magna turba & ingeniorum varietate neceſſe eſt tale aliquid accidere. Vale. Roma. Calend. Aprilis. An. Chriſti 1549.

ARGVMENTVM.

Lætatur de Laurentij Caruajali bona valetudine, eumq; incitat ad ſtudia literarum alacriter proſequenda.

Io. Geneſius Sepulueda Laurentio Caruajali. S. P. D.

EPISTOLA LXXIV.

EX literis, quas ad me proximè miſiſti, te & rectè valere, & libenter in ſtudio literarum verſari didici. Vtrumque mihi fuit pergratum. Nam ſolet Salamantica adoleſcentium ſtudia literarum æmulantium valetudinem tentare, eorum præſertim, qui cœlo clementiori noſtræ regionis ab ineunte ætate ſint aſſueti ſiue aquarum id vitium eſt, ſiue plagæ rigidioris intemperies. Quod verò pertinet ad literas, multùm te in eis profeciſſe declarat ſtudendi voluptas, quæ magnum eſt ingenerati habitus, vnde manat, argumentum. Quippe id ſine multa in quoque genere nauata opera non contingit. Perge igitur, totoque animo in hanc curam incumbe, vt qua ratione cepiſti, ad virtutis doctrinæque ſummam peruenias. Huc autem ducentem viam optimè, voluptatibus, quæ iſtam ætatem ſolicitare ſolent, prætermittendis, & liberalium doctrinarum aſſidua meditatione munies. Quod vt diligenter facias, te domeſtica exempla, maiorumque tuorum ſpectata virtus adhortari debet, qui, quam partem virtutis ſibi colendam ſtatuerunt, in ea cum egregia ſua laude plurimùm elaborarunt. Nam viros generoſos aliud decet belli tempore, cùm ciues ad arma ratio Reipub. vocat; aliud populo longam pacem agitante. Et patriæ, diuerſis belli pacisque artibus, vel manu, vel conſilio rem gerentem conſulere licet, & vtrumq; pulcherrimum habetur, Vale.

ARGVMENTVM.

Vaſcoſano librario Pariſienſi ſcribit ſibi gratum fuiſſe, Ariſtotelis politica à ſe conuerſa, ab ipſo eſſe edita, cupitque vt propter errata quæ propediem miſſurus eſt, recudat accuratius.

Io. Geneſius Sepulueda Vaſcoſano Librario Pariſienſi

S. P. D.

EPISTOLA LXXV.

OPVS Ariſtotelis de Rep. Vaſcoſane, quod ipſe è Græco in Latinem ſermonem vertendum, ac ſcholijs enarrandum curaui, à te potiſſimùm viro docto,& diligéte excuſum fuiſſe mihi fuit pergratum. Nam & characteres mihi probantur, nec tuam vigilantiam magnoperè deſiderarem, niſi inter initia nonnihil dormitaſſes. Itaq; menda, quæ non pauca librum percurrendo videre contigit, adnotaui, nec dubito, quin me aliqua præterierint. Ex literis amicorum intellexi opus in Gallia, Italia, & Germania, Belgioque exceptum fuiſſe non ſine doctorum approbatione,& vt ſcribunt, applauſu, & tibi eſſe in animo rurſus propediem excudere. Quod ſi ita eſt, tuum erit, vt me certiorem facias, vt tibi errata, de quibus dixi, deſcripta, mittam, quæ niſi fuerint emendata,& noua vt fieri ſolet, acceſſerint, rationibus tuis & opinioni nonnihil decedat neceſſe eſt. Vt igitur res procedat, multùm te iuuabit diligentia mihi in emendatione libri adhibita,& quæ fortaſsis maior adhibebitur. Vale. Valdolito, Calend. Auguſt. An. 1549.

ARGVMENTVM.

Recognitionem ſuorum opuſculorum mittit Vaſcoſano, quam ab eodem ſeparatim edi pit,

Io. Geneſius Sepulueda Vaſcoſano librario Pariſienſi

S. D.

EPISTOLA LXXVI.

CHARTAM recognitionis meorum opuſculorum, quam Gaſpari Trechſello proficiſcenti ad te dederam, ſed auctiorem, mitto, quã vt ſic imprimendam mandes, peruelim, ea forma & characteribus, qui mea opuſcula, vt à Colinæo anno Chriſti. 1541. excuſa ſunt, imitentur. Quod vt primo quoque tempore facias, te etiam atque etiam rogo, etiam ſi Trechſellus alteram impreſſerit. Res eſt paucarum horarũ, & minimæ impenſæ, & hanc ipſam faciet Orator Cæſareus patronus meus. Ego tamen pro re exigua tibi magnam habebo gratiam. Centum exempla mihi ſatis erunt, quæ tradi volo hæredibus Colinæi, vt ſingula totidem meorum opuſculorum codicibus addantur, præter ſex aut ſeptem, quæ ad nos per trãſeuntes à Cæſare tabellarios mitti volo, quam

curam

curam idem Orator, vt beneficium absoluat, suscipiet. Hoc cùm effeceris, erit diligentiæ tuæ, vt Trechsellum, ne fortè laborem inanem capiat, certiorem facias. Vale. Ex Valdolito Nonis Iulij. An. Christi. 1550.

ARGVMENTVM.

Laudat Antonium Cordubam quod in ista ætate, relictis voluptatum illecebris literis animum adplicet, eique hanc quæstionem determinat:
Vtrum ars theorica præstet practicæ?

Io. Genesius Sepulueda Antonio Cordubæ.

S. P. D.

EPISTOLA LXXVII.

GRATVLOR tibi Antoni Corduba, qui adolescens ista fortuna, isto familiæ splendore, tot vndique illecebris auocantibus, sic in studia literarum incumbis, vt hæc cæteris omnibus iucunditatib. anteferre videaris, quod cùm anteà tuorum familiarium consentiente voce ad nos perferretur, proximè tamen ex tuis literis magno documento libentissimè cognoui. De rebus enim eiusmodi per eas me consulis, ac edoceri poscis, quibus nemo nisi philosophiæ, & optimarum doctrinarum perstudiosus solicitari solet. Quæris enim, qua ratione inductus Cicero ciuilem, hoc est eorum, qui in ciuitatum Reipublicæque administratione versantur, contemplantium vitæ, quæ cæterorum ferè sapientium iudicio potior, & præstantior habetur, præferendam esse in opere de officijs, vt persuadeat, contendit. Nam de veritate, vt video, non ambigis, & quidem magna ratione, quod enim Christi verbis in Maria, & Martha dijudicatum est, de hoc nefas fuerit Christianum hominem dubitare. Quamobrem hac quæstione, quæ, si quis in vtramq; partem disputare vellet, epistolę modum excederet, omissa, quę mihi vt quæstioni tuæ responderem in mentem venerunt, paucis explicabo. Cùm duæ viæ ad colendam virtutem pateant, altera qua qui Remp. administrant, & rebus gerendis sunt occupati; altera, qua philosophi, & qui se rerum contemplationi dedunt, ingrediuntur, in vtrauis satis esse præsidij ad bene beateque viuendum, Peripateticorum dogma est, à quo nostri, id est qui Christianè philosophantur, parum, aut nihil abhorrent. Nisi quòd nostri felicitatem in hac mortali vita, quam peregrinationem potiùs, & exilium vocant, in spe duntaxat agnoscunt, Peripatetici rebus etiam felices esse tradunt, qui alterutro genere virtutis, modò non impeditæ fungantur, virtutis enim vsum nunc egestate, nunc aduersa valetudine impediri docent. Cæterùm potiorem facilioremque esse otiosorum, & contemplantium vitam, quàm eorum, qui negotijs & rebus gerendis implicantur, cũ Peripateticis nobis conuenit

uenit magno conſenſu qua tamen in parte magni viri, quorum, vt ſcribis, Marcus Tullius fuit, non defuerunt, qui ab vtriſque diſſentientes, eorum qui in Rep. militiæ aut togę adminiſtranda verſantur, vitam potiorem beatioremq; putarent, quàm qui ætatem in doctrinis, rerumq; contemplatione degunt. Diſſentiendi cauſa duplex mihi eſſe videtur, altera quòd qua quiſque in re vel excellit vel excellẽdi facultatem habet, hanc cæteris præſtare, & potiorem haberi, vt cupit, ſic interdum ſibi perſuadet, ita ſit, vt tum oratores, qui vel in ſenatu, vel in foro & cõcionibus quaſi dominantur, tum viri ſtrenui, qui in rebus domi foriſq; gerendis cum laude verſantur, cæteros præ ſe quaſi deſides, ignauos, & nihil agentes contemnant. Altera cauſa eſt, quòd in hac diſputatione quidam rationibus ſpecioſis magis quàm veris, hoc eſt, paralogiſmis abſtrahuntur, qualis illa ratio eſt, qua Cicero vtitur in libro de officijs primo, *Quis*, inquit, *tam cupidus eſt inperſpicienda, cognoſcendaque rerum natura, vt ſi ei tractanti, contemplantique res cognitione digniſſimas, ſubitò ſit allatum periculum, diſcrimenque patriæ, cui ſubuenire, opitularique poſſit, non illa omnia relinquat, atque abijciat, etiam ſi dinumerare ſe ſtellas, aut metiri mundi magnitudinem poſſe arbitraretur, atque hoc idem in parentis, in amici re aut periculo fecerit*: Fallitur igitur paralogiſmo, vir alioquin doctiſſimus, non enim ſi qua res alicui, aut aliquo tempore magis expetenda, ſiue deligenda eſt, protinus eadem potior & melior habetur. Quod exẽplo cõmodiſſimo Topic. lib. 3. docet Ariſt. *Philoſophiæ*, inquit, *quàm rei familiari operam dare melius, & præſtantius habetur, ſi quis tamen rebus neceſſarijs indigeat, huic cura potius rei familiari adhibenda eſt, quàm philoſophiæ vacandum*. Sic igitur in Ciceronis exemplo, optimarum cœleſtiumque rerum contemplatio omni reip. adminiſtratione melior, & præſtantior eſt, tamen in ciuitatis, parentis, aut amicorum periculo omittenda contemplatio eſt, & Reip. aut amicis vel cum indignitate ſeruiendum, non quòd hæc meliora ſint, ſed quia magis neceſſaria. Quo mihi pertinere euangelicum illud videri ſolet, *vnum eſt neceſſarium. Maria optimam partem elegit*. Nam audire verba Chriſti, & contemplationi vacare, optima vitæ pars erat, longeq; melior, quàm menſam, & res accipiendis hoſpitibus neceſſarias parare, at niſi Martha eã curã, qua nõ ſine laude fungebatur, ſuſcepiſſet, cõtra officium forſitan erat Mariã mun° neceſſarium contemplationi tantiſper non anteferre. Item rei diuinæ, ac ſacrificijs intereſſe res optima eſt, multoq; melior, quàm texere, vel nere; at ſi qua materfamillas, quæ non aliunde poſſit, quàm ex huiuſmodi artificio liberos alere, hoc omiſſo, ſacrificiorum cauſa manè & veſperi diebus etiam profeſtis, in ſuorum fame & nuditate, & grandiore fortaſſe filia per occaſionem matris abſentis malè cogitante, tẽpla per ſpeciem pietatis frequentet, quis prudens conſilium eius laudet? quæ vt munere, quod ſine peccato præteriri poteſt, fungatur, officium neceſſa-

ceſſarium negligit, contra legem diuinam & naturalem, reclamante ipſo Deo, *Obedientiam volo, non ſacrificium.* & Paulo, *Qui non habet curam ſuorum, & maximè domeſticorum, fidem negauit, & eſt infideli deterior.* Simpliciter igitur auctore philoſopho vt res quæque optima eſt, ſic maximè deligenda, alicui tamen vel aliquo tempore vt neceſſaria meliori præferatur, ordo naturalis, id eſt lex æterna poſtulat, quam voluntatem eſſe Dei Auguſtinus interpretatur. Sed redeo ad Ciceronem, qui alia quoque ratione dum laudem, & popularem gloriam cupidiùs ſequitur, in errorem lapſus eſſe videri poteſt. Nam vt philoſophi, & his vita ſimiles viri moderati gloriam, & res humanas magno animo contemnunt, paruoque ſunt, & parabili contenti, ſic ferè, qui naturæ adiumentis inſtructi, ſe rebus gerendis dedunt, vtrumque maximè conſectantur. Quãquam enim melior, &, vt Cicero ipſe ait, facilior & tutior, minusque alijs grauis, aut moleſta vita eſt otioſorum, tamen fructuoſior hominum generi, & ad claritatem amplitudinémque aptior eorum, qui ſe ad Rempub. & magnas res gerendas accommodarunt. Cæterùm in magnarum rerum & facultatum dignitate, & natiua perfectione æſtimanda, vtilitatem nihil momenti addere, doctrinarum & artium inter ipſas comparatio magnoperè declarat, quarum, vt quæque maximè ſeipſa contenta eſt, & ſponte ſua, ipſiusque cognitionis duntaxat gratia, nõ propter aliud aduentitium expetitur, hoc maioris dignitatis ac potior habetur. Quo argumento Philoſophus primæ philoſophiæ, quam eandem Theologiam vocat, principatum in doctrinis tribuere non dubitauit, quia & de reb. optimis & diuinis eſt, & Dei ſcientiam æmulatur. Quæ omnia vt contemplationis propria ſunt, ſic vitæ actiuæ, eiuſque rationibus aliena: quanquam neminem eſſe idem Philoſophus docet, qui perpetuam vitam in contemplatione ducat. Sæpe nauque homines tum ſuis, tum patriæ, vel cognatorum & amicorum temporibus atque rationibus, à contemplatione, in qua maximè adquieſcũt, ad officia neceſſaria, & res vel publicè, vel priuatim gerendas auocari. Itaque ſolius Dei eſſe, nullis in contemplatione negotijs externis, nullis curis, aut moleſtijs interpellari. Vale. Corduba. poſtridie Non. Maij. 1552.

ARGVMENTVM.

Gaſpari Villalpando rationibus oſtendit, ſibi non probari eorum opinionem, qui putant Ariſtotelẽ à Pythagorica παλιγγενεσία nũ abhorruiſſe nonnullorumque ſententias adfert, de animæ creatione & æternitate, manetque in ſuo de libris exotericis iudicio.

Io. Geneſius Sepulueda Gaſpari Villalpando S. P. D.

EPISTOLA LXXVIII.

IMprobari tibi eorum perſuaſionem ſi qui putant Ariſtotelem à Pythagorica illa παλιγγενεσίᾳ non abhorruiſſe,nihil miror,cùm idem Ariſtoteles in libro de Anima primo, hanc Pythagoricorum non opinionem vocet,ſed fabulam.Cæterum mea, de qua te Sebaſtiani Leonis mei familiaris literis intellexiſſe ſcribis, non perſuaſio eſt, ſed ſuſpicio : quanquam ne ſuſpicari quidem mihi vnquam in mentem venit, placuiſſe Philoſopho humanas animas in aliorum animalium corpora migrare.hoc eſt enim, quod ille planè fabuloſum eſſe certiſſima ratione confirmat,à quacunque anima quoduis corpus ſine diſcrimine formari poſſe & animari, cùm propriam quodque animal ſpeciem & formam habere cernatur.Alia ratio eſt, Si hominis defuncti anima in alterius naſcentis hominis corpus migrare, ipſumque animare exiſtimetur.Quod licèt ſit,vt eſt,commentitium, non tamen Ariſtotelica illa ratione redarguitur.Magni enim refert,duo corpora alterũ elephanti,exempli gratia,alterum hominis,quorum habitus & conſtitutio plurimùm differunt,eadem anima deinceps informari, an in duo corpora humana eandem animam rationis compotem diuerſis temporibus recipi dicas:quorum vtrumque quia non modò Pythagoræ,ſed etiam Platoni placuiſſe conſtat, ſuſpicari mihi in mentem venit, Ariſtotelem magiſtri ſententiam vna parte reiecta, in altera ſecutum fuiſſe, vt hac ratione in æternitate mundi,quam ipſe aſſerit,animarum rationis compotum infinitum numerum,cùm morte non deleantur,effugeret. Animas enim humanas immortales eſſe Ariſtotelis etiam ſententia, certum habeo,quod ipſe erudito Commentario,quod nuper libenter perlegi,magno ingenio, & egregia doctrinæ Ariſtotelicæ cognitione collegiſſe mihi viſus es. Hanc enim animarum migrationis plagam accipere,leuiùs puto,quàm illam alteram de vnitate cunctorum hominum intellectus,quam Themiſtium, Alexãdrum Aphrodiſienſem, noſtrumque Auerroem conuenienter,vt ipſi ſibi videbantur, Ariſtotelis ſententiæ probaſſe videmus: Quod eis accidit,dum explicare aliter non poſſent,quomodo non pugnet cum reliqua Ariſtotelis doctrina, animam rationis compotem,quam intellectum agentem ipſe nominat,ſuam cuiuſque hominis haberi, & eandem incorruptibilem eſſe & immortalẽ quod idem ſæpe in libris de Anima teſtatur, ſed apertiſsimè libro primo(tex.65.)vbi intellectum agentem ſubſtantiam quandam eſſe,nec interire teſtatur.& in tertio (tex.10.)eundem ſeparatum,immortalem, & ſempiternum eſſe,idque præfatus, hoc quod mihi ſuſpicionem mouet, adiecit,*Sed non memnimus*, inquit,*quoniam hic intellectus perpetuitatis eſt immunis, paſsiuus autem.ſine quo nihil intelligit,mortalis eſt*. Hoc enim dicere videri poteſt,intellectum,qui nunc per migrationem eſt,exempli gratia, Iulius, & priùs fuerat Alexander, non meminiſſe eorum, quæ ab Alexandro viſa,auditaúe fuerunt,propterea quòd intellectus paſsiuus, id eſt,phantaſia,

tasia,seu facultas imaginandi,sine qua nec intelligere datur,nec meminisse,cum corpore extinguitur,& impressa per sensum phantasmata, id est,rerum imagines,quarum contemplatio intelligere est, & meminisse,simul delentur,& alia imaginandi facultas nascenti homini ingeneratur. Atq; hęc quidem de Aristotelis opinione,qui mundum æternum, & species rerum mundo coæuas esse putauit:non enim de veritate quęrimus,quæ nobis,id est,Christianis oracula diuina patefecerunt, Mundum à Deo creatum esse, animas rationis compotes aliquando non fuisse,nec tamen interituras,quanquam de ipsarum initio inter pios etiã &catholicos controuersia fuit,nec defuerunt,qui eas initio rerum cum angelis simul creatas à Deo fuisse existimarent, & in prima corporum generatione in suum quamque semel scilicet è cœlo demitti:quibus de rebus si legere libuerit,Augustinus in epistola,quæ est ad Marcellinum (epistola.7.)Gregorius Epistolarum libro septimo(epistola. 53.)& Hieronymus contra Rufinum (libro.2.)pluribus verbis differuerunt, nec eorum iudicio hæc opinio damnata est.Cæterùm posteriorum Theologorum consensus est(sentent.2.distinct.17.) animas in sui quamque corporis generatione creari,& ipsum informare.De libris exotericis quid sentirem in scholijs à me in opus Aristotelis de Republica editis, vt nosti,testatus,sum,non ignarus magnos viros tum Græcos, tum etiam Latinos aliter prodidisse.Sed certam rationem, quam secutus mihi fuisse videor,omnibus omnium coniecturis, & opinionibus potiorem habui, & semper habebo,auctore Augustino(de ciuit.lib.1.cap.23.) donec me certior alia,si qua erit, in diuersum reuocauerit. Nec meum animum offendet,si quis meam opinionem non ambitiosè & leuiter, sed veritatis gratia grauibus,& doctis rationibus refellere curabit. Ego verò cuiuscunque ingenio,& industria fuero errore, si errorem esse conuicerit,liberatus,huic ingentem habebo gratiam.Antonio Cordubæ nostro meis verbis plurimam salutem renunciabis. Vale.Corduba,nono Cal. April. 1552.

IOANNIS GENESII SEPVLVEDAE CORDVBENSIS EPISTOLARVM LIBER VI.

ARGVMENTVM.

Alphonso Stunicæ Marchioni explicat ſuam opinionem de iſta quæſtione: Vtrum columbas educare, quæ non conditiijs cibarijs alantur, ſed agreſtibus ſeminibus ſeſe ipſæ paſcant, ſit contra iuſtitiam.

I. Geneſ. Sep. Alfonſo Stunicæ Gibraleonis Marchioni & Bellalcazaris Comiti S. P. D.

EPISTOLA LXXIX.

EX LITERIS, quas ad me proximè tuus Franciſcus Metina miſit, ſolicitari te cognoui quæſtione quadam, de paruis quidem rebus, publica tamen & magna, vtique ſi ad Theologorum controuerſiam ſpectes, à quibus nondum eſt ſatis dijudicata, num columbas educare, quę nõ conditiijs cibarijs alantur, ſed agreſtibus ſeminibus ſeſe ipſæ paſcant, ſit contra iuſtitiam, ſic vt domini damnum præſtare debeant, ſi quod ab illis fuerit alienis ſegetibus datum. Quoniam igitur rem non ingratam me tibi facturum ſcripſit, ſi quid mei iudicij eſſet, paucis explicarem, obſequar voluntati tuæ, nec te longiore oratione tenebo. Damna non ſolùm quæ per ſe quiſque, ſed etiam quæ per animalia ſua dederit, ſarciri oportere ius naturale eſt lege pontificia explicatum (c. ſi culpa. de iniurijs & dam. dat.) ſed hæc lex cũ iuſta ſit, & à iure diuino, ac vt dixi, naturali ducta, ſæpe tamen æquitate quadam item naturali temperatur, ſi damnum exiguum ſit, & publicam vtilitatem attingat. Ab agro alieno paſcuo conſito, vel frumentario pecora ſua continere, ius eſt, & hanc curam qui negligit, aliena inuadit. At iuſta lege cautum eſt, & moribus inualuit, vt poſt conditam meſſem alienum agrum depaſcere liceat impune, quid ita? nempe quia damnum priuatum eſt parũ, & pertinet ad bonũ publicum, quo minore impendio alantur pecora ad victũ, & veſtitũ Reip. nec eſſaria, ac proinde minore pretio vẽdantur. Itẽ fera animalia, vt lepores, & cuniculi priuatis poſſeſsionib. multò etiã magis, quã columbæ nocere ſolẽt, at hoc priuatorũ damnũ principes,

cipes, quique Reip. cum summa potestate præsunt, sine vlla culpa cùm prohibere possint, tamen propter publicam vtilitatem negligunt. Nec solùm huiusmodi paruarum ferarum saluti, ne penitus absumantur, capi eas procreandi ac niuium tempore vetantes, consulunt, sed etiam ceruos, & capreas toxico venatorio interfici prohibent, ne huiusmodi animalia, quæ natura in publicam hominum vtilitatem cibi, & aliorum vsuum gratia procreauit, magnoperè minuantur. Nec tamen damna ab eis priuatis hominibus data ex publico sarciuntur. Quæ ratio eodem modo conuenit in columbas, quæ agrestibus seminibus magna ex parte pascuntur. Harum enim viuaria, quę columbaria nominantur, idcircò publico more permittuntur, pœna etiam insidiantibus constituta, quia paruum damnum est, & bonum publicum attingit. Itaque principis, qui totius populi, ac Reip. personam gerit, voluntas per morem & legem non scriptam parua damna à columbis data dominis condonare videtur, vt pœna damni dati non teneantur, non magis quàm domini pecorum alienum agrum post messes conditas depascẽtium. Neutrum enim fit inuitis agrorum dominis, qui in Principis voluntate, in quem populus suam potestatem transtulit, consensisse intelliguntur, ac proinde datum damnum condonare videntur. Hæ autem leges & mores legem illam diuinam, & rationem eius imitantur, quæ messem ad solum vsque secari, & remanentes spicas colligi vetabat (Leuit. 23.) vt ex sua quisque segete aliquid ad publicos pauperum, quæ maxima populi pars est, vsus relinqueret. Hoc enim sine agricolarum damno non fiebat. Sed quia id erat exiguum, & ad multorum vsum pertinebat, ferre agricolæ ijdem lege à Deo lata iubebantur, qui nullam vnquam ad suam, sed omnes leges ad publicam hominum vtilitatem ferre consuerit. Illud quoque quod est in sacris prouerbijs, *Per me reges regnant, & legum conditores iusta decernunt*, declarat iusta Principum decreta, siue tacita ea sint, vt mores populi silentio Principis firmati, siue scripta auctoritatem à lege æterna ipsoque Deo sortiri. Iustum autem intelligitur, quod ad bonum publicum refertur, auctore philosopho libro. 3. de repub. & Thoma primi libri parte prima quæstione nonagesima sexta (ar. 4.) quo in loco de vniuerso genere iacturæ, quam populares legibus aut moribus propter bonum publicum subire coguntur, prudentissimè differit. Alia ratio est, si quis cuiuscunque generis animalia non ad vsum, qui ad multos peruenire possit, sed animi sui causa, gratiaq; voluptatis alat, ab his enim illata damna dubium non est, quin tum diuino, tum etiam humano iure sint sarcienda. Vale.

ARGVMENTVM.

Gonsalo Peresio Matheseos studioso, explicat locum Plinij lib. 2. cap. 11. Immensum esse &c. *quare per solem vmbræ parallelæ iaciantur, & quomodo sol per æquinoctium omnibus in meridiana plaga habitantibus vmbras absumat.*

I. Geneſius Sepulueda Gonſalo Pereſio.

S. P. D.

EPISTOLA LXXX.

GRatiſsima mihi fuit epiſtola, quam ad me proximè miſiſti, non ſolùm propter opinionem, quam de meis ſtudijs tua conſuetudine præfers, qui libenter de his ſoles, dum ſcilicet tuæ in me mutuæ beneuolentiæ indulges, cum egregia mea laude prædicare, ſed etiam quia ſimul ex eiſdem literis intellexi, te in tuis maximis occupationibus aſsiduaque opera, quam principibus noſtris in ſecretioribus epiſtolis impendis, Philoſophiæ, & Mathematum ſtudijs, ſi quid temporis a negotijs vacuum contingit, tribuere, vt non modò vtriuſque linguæ notitia, ſed etiam doctrinarum cognitione valeas. Itaq; Aſtrologicis & libris & inſtrumentis comparatis, libenter in erudito Mathematicorum puluere verſaris, vt indicat illud quod ſcribis, ſolicitari te quæſtione quadam ad ſolis magnitudinem, & vmbrarum rationem pertinente, quæ nuper à nobis diſputari cœpta eſt, nec tamen ſatis dijudicata, quamq; tibi à me velis per reſcriptam epiſtolam explicari. Nata eſt aũt quæſtio ex verbis illis, quæ Plinius libro ſecundo capite vndecimo naturalis hiſtoriæ de ſolis magnitudine memorãs, ſcripta reliquit, *Immenſum*, inquit, *eſſe conſtat, quia arborum in limitibus porrectarum in quotlibet paſſuum millia vmbras paribus iaciat interuallis, & quia per æquinoctium omnibus in meridiana plaga habitantibus ſimul fiat à vertice.* Quæris enim, & quidem magna ratione, quî fieri poſsit, vt ſolis terra centum ſexaginta octo circiter partibus, auctore Ptolemæo, maioris immenſitas faciat, vt arborum in longiſſimum ſpatium porrectarum vmbræ παράλληλοι ab eo iaciantur, cùm luna, quam vinci conſtat terræ magnitudine, idem efficiat, vt ipſe quoque meo monitu notaſſes. Prætereà ſi ſol æquinoctij die ob eandem vaſtitatem omnibus habitantibus in meridiana plaga vmbras abſumit, vt neceſſe eſt, ſi omnib. fiat à vertice, cur cùm ſit quàm tota terra tot partibus amplior, nõ idem facit per totum ſpatium, quod ſimul illuſtrat? Faciam igitur quod iubes, & quidem libenter, eoq; expeditiùs, quòd me non imparatum offendis. Nam me idem ſcrupulus, eadem cogitatio multos dies ſolicitauerat, impuleratq;, vt rem accuratiùs intentioreq; animo pertractarem.

Arborum in longiſsimum ſpatium porrectarum vmbras paribus interuallis à ſole iaci, vſqueadeò verum eſt, vt omnes omnium arborum corporumque vmbræ vbique terrarum, quicquid eodem tempore radijs ſolaribus illuſtratur, paribus interuallis iaciantur, quod ad medias vmbrarum lineas referendum eſt, quæ nuſquam concurrent, etiam ſi in

infinitum

infinitum recta ex vtraque parte protendantur. Cuius rei causam non esse in tanta solis vastitate, certissimo argumento est, quod scribis de luna, qua lucente vmbræ eodem modo parallelæ iaciuntur. Nec enim sol materias, vnde vmbræ iaciuntur, per sui partes illustrat, sed ad singulas etiam minimas vmbras iaciendas totus in pyramidem, vt necessaria ratione docemur, rotundatur, cuius pyramidis basis est pars solis quasi tympanum diametris æquale: quod tympanum per singulas pyramides ita variat, vt nullæ duæ vmbræ eodem temporis puncto possint à duabus pyramidibus in plano dirigi paribus interuallis. Quippe quarum ea ratio est, vt quò longiùs ducuntur, eò magis earum cuspides inter se discedant, quæ descriptis in plano figuris facilè perspicies, duabus scilicet, aut pluribus pyramidibus, à circulo qui solem referat, ad materias opacas minùs etiam inter se distantes quàm diameter circuli pateat, ductis. Non igitur vastitas solis, sed ipsius terræq; rotunditas facit, vt vmbræ parallelæ iaciantur. Idem enim faceret stella multò etiã quã luna minor infra lunam collocata, quæ omnia planè deprehendes, si animũ à planicie, quam terra oculis præferens nonnunquam parum intentos in errorem inducit, ad terræ veram & Mathematicis cõfessam rotunditatem reuoces, sic enim omnes vmbrãs inter se paribus interuallis necessariò iactari deprehendes, pyramidibus solarium radiorum ad latera rotunditatis vt materiæ collocatæ sunt, deductis, eodemq; modo exploratum erit, quod Aristoteles Mathematicique tradũt, omnes lineas rectas rectam meridianã ad angulos rectos vbicunq; terrarum secantes, ortum æquinoctialem ostendere. Ad quã quæstionẽ explicandam, theoremaq; mõstrandũ, cùm frustra viros doctissimos consuluissem, aptissimũ instrumentũ cõmodamq; rationẽ reperisse mihi visus sũ, quã paucis explicabo. Describatur in plana charta linea meridiana, cuius inueniendæ cõmodissimã rationẽ Vitruuius lib. 1. de Architectura tradit, deinde aliæ rectæ itidem, quotquot libuerit, trãsuersæ per hanc ad angulos rectos paribus interuallis perducãtur. Tum faciamus pro sole corpus sphæricum luminosum amplius tota charta ad capita linearum collocari, atq; inde pyramides ad media linearũ arborib. cõfita deduci. Hoc enim si fiat in plano, apparebit fieri non posse, vt vmbræ paribus interuallis iaciantur. Cæterùm si charta eadem cylindro circundetur, sic, vt terram cum lineis contingentibus solem spectantibus imitetur, vmbras parallelas per eas lineas pro ratione pyramidum iaci, non poterit dubitari, easdemq; omnes in corpus solis æquatorem centro suo possidentis sic spectare, vt circuli cuiusdam idem centrum ambientis terræ diametro paris circunferentia terminentur. Quod verò Plinius idẽ, solẽ per æquinoctiũ omnibus in meridiana plaga habitantibus simul à vertice fieri tradit, id si ad viuum reseces, defendi omnino non potest, nõ dico si meridianã plagã omnem torridã Zonam appellet, in

pellet,in qua per æquinoctiũ meridiani temporis pũcto (hoc enim fine controuerſia ſpectatur)cum paululum ab æquinoctiali circulo diſceſſeris,vbique vmbræ aliæ ad Septẽtrionem,aliæ ad Auſtrum, vt libellus de Sphæra docet,iaciuntur,ſed etiam ſi mediam regionem duos omnino gradus patentem plagæ meridianæ vocabulo ſignet . Non enim vt gnomonis ſub ipſo æquatore ſiti ſol meridie vmbram abſumit, ſic item alterius vno gradu ab æquinoctiali remoti , quoniam ſi ita eſſet , eius gradus differentia per ſolem,& aſtrolabium percipi non poſſet, cui ratio Mathematicorum aduerſatur.Cleomedes quidem Theorię libro ſecundo ad Syenem ſole Cancrum obtinente meridiano diei articulo vmbras abſumi in orbem refert, cuius diameter quadringenta ſtadia, hoc eſt,paſſuum quinquaginta millia pateat, quod ſi verum eſt, meridianam illam plagam,dequa Plinius memorat,ad eaſdem anguſtias renocari neceſſe eſt. Vale.

ARGVMENTVM.

Diſputat cum Franciſco Argoti de Barbaris in Hiſpanorum ditionem redigendis,

I. Geneſius Sepulueda Franciſco Argoti.

S. P. D.

EPISTOLA LXXXI.

EPISTOLA tua, per cuius omnes partes cum egregia quadam humanitate mirificum in me ſtudium, & amorem pręfers, reddita mihi eſt ad meum prædium Marianum, quò multis ante diebus ſtudiorum animique cauſa, amœniſsimi per ſe loci verna iucunditate multipliciter inuitante,ſeceſſeram, ſimulque doctiſsimam tuam commentationem accepi, & diſceptationem cum homine docto habitam libenter perlegi.Quanquam faciliùs erat calumniam refellere, quàm orationem falſitatis conuincere.Nam Barbaros iſtos noui orbis, quos Indos vocamus,bonis ſpoliare,& in ſeruitutem redigere, ius non eſſe verum eſt.Sed mihi hanc ſeueritatem , à qua longè abſum, obijcere, hominis eſt,qui cauſæ iam mea opera,& magno doctorum aſſenſu damnatæ diffidens à mendacijs,& calumnijs præſidium petit.Non ego Barbaros illos in ſeruitutem abſtrahendos eſſe dico, ſed in ditionem redigendos,non bonis ſpoliandos,ſed ſine iniuria conſeruandos, nec heriliter eis,ſed regiè ac ciuiliter ad ipſorum ſcilicet vtilitatem imperandum:vt primum Barbaricis moribus ſublatis,humanè, & ex lege naturæ viuere cogantur,deinde præparatis ad Chriſtianam religionem excipiendam animis,in veri Dei cultum per Apoſtolicam manſuetudinẽ pijs,blandisque verbis inducantur . Quod verò ais,iuſtum eſſe fortio-

res,ac potẽtiores infirmioribus imperare,id à te ſic dictum accipio, dũmodo ſubſit iuſta cauſa debellandi. Nam imperium iniuria quæſitum iuſtum eſſe non poſſe,ipſe quem citaſti,auctor eſt Ariſtoteles, qui hanc ipſam ſentẽtiam in libris de Rep.ſi purè & ſimpliciter accipiatur, refellit.Alia eſt prudentium,& humaniorum in diſſimiles cauſa. Nã gentes humanæ ſuo naturali iure imperium in Barbaros ſibi depoſcunt, nõ ad iniuriam,& herilem dominatum,ſed ad officiũ,& humanitatem:vt barbari ex moribus natura damnatis in melioris,mitiorisq; vitæ cultũ per iuſtas,& naturæ conſentaneas leges traducantur,& vtriq;, clientes & princeps,natio viciſsim ope mutua,mutuisq; officijs ſubleuentur.Iacobum Argotem propinquum tuum, cuius eximias virtutes commemoras,& propenſam in me voluntatem exponis, vtroq; nomine chariſsimum habeo,& dignum duco,quem omnes diligant, egoq; in primis & colam,& obſeruem.Vale.

ARGVMENTVM.

Reſpondet Franciſci Argotis petitioni,de columbis per agreſtia ſemina educandis,& refutat cuiuſdam Iuris conſulti obiectionem contrariam.

I. Geneſius Sepulueda Franciſco Argoti.

S. D.

EPISTOLA LXXXII.

PERGRATA perq; iucunda mihi fuit epiſtola tua, qua tuum in me propenſum animum,ac mei nominis ſtudioſum liberali oratione & humaniſsimis verbis declaraſti.Qua in re quoniam prouocatum pari voluntate non reſpondere, turpe habetur & inhumanum, haud equidem committam, vt ipſe mutuum meum officium in eo genere iure poſsis accuſare.Quod quæris de colũbarum educatione, ego feras columbas,quæ ſe agreſtibus ſeminibus paſcant, erectis columbarijs educare,non eſſe contra iuſtitiam,nec ab eis illata damna ſarciẽda, probabile mihi videri,magno amico iudicium meum exquirenti ſubiectis cauſis per epiſtolam reſpondi.Qua tu,cùm forte in eius exemplũ incidiſſes,perlecta,me eiſdem de rebus, quid ſentiam per literas percunctaris.Hoc videlicet,vt opinor, innuens, moueri te oratione acuti hominis,& iuriſperitiſsimi,qui aduerſus meam ſententiam, quam ipſe perdoctè defendebas,magna,vt ſcribis,contentione,incertum per ambitionem,an ex animi ſententia differebat. Ego verò in ea diſputatione,quam mihi perſcripſiſti,nihil ab illo allatum puto, quod in epiſtola mea fuerit prætermiſſum,nihil obiectum,quod non facilè poſsit ex noſtris fundamentis refelli. Nam quòd lege ciuili ſancitum eſſe ait,

vt damna, quæ per se quisque, vel per animalia sua intulerit, sarciantur, & iustam legem etiam ciuilem non sine peccato violari libenter ipsi omnem hanc solicitudinem remisissemus externa & ciuili lege confirmandi, quę à nobis posita sunt, & lege pontificia firmata, quam eandem diuino & naturali iure niti fatemur. Non igitur actum agere, sed de iustitia inductæ à nobis exceptionis disputare docti hominis erat, & perspicacis. Num parua priuatorum damna, quę ad publicum bonum referentur, à communi lege excipienda sint, vt nobis æquitatem quandam naturalem, & publico gentium more probatam sequẽtibus videtur, & in eo si aliter sentiret, nostram opinionem nõ tam hominum doctorũ, quos interdum videmus, vt necesse est, in longis operibus dormitare, quàm certioribus rationibus refellere. Quid igitur ego sentiam, quib. rationibus, & quasi fundamentis nitar, illa mea epistola te facilè docebit, nec erit difficile tibi viro docto & acuto ex eisdẽ, si accuratiùs consideres, disidentium cauillationes confutare. Si quid præterea desiderabis, fieri enim potest vt nos pro nostra imbecillitate præsertim in tãtis tenebris allucinemur, & ad latentem aliquam salebram imprudentes offendamus, tuum erit oculatiores intelligentioresq; ac minus occupatos consulere. Vale Corduba postridie Non. Aprilis. 1552.

ARGVMENTVM.

Laudat eiusdem Argotis in patriam amorem eumque dum ab ipso quædam encomia Cordubæ communis patriæ colligi cupiebat, remittit ad libellum à se de appetenda gloria conscriptum.

I. Genesius Sepulueda Francisco Argoti. S. P. D.

EPISTOLA LXXXIII.

PATRIAM tibi esse charissimam, teq; Cordubæ, vbi honestissimo loco natus es, singulari quodam amore teneri, quod omnibus partibus epistolæ, quam ad me misisti, profiteris, lætor equidem, & laudo. Nam qui patriæ amore ducitur, is si quidem sibi constare velit, enixè dabit operam, vt eidem, quantum in ipso fuerit, vbique laudi sit & ornamento. Quod cùm ab omnibus probis ciuibus postulandum & sperandum est, tum ab eis maximè, qui domesticis exemplis ad gloriam, quod tibi accidit, excitantur. Neque verò mirum est, te patriam adamare, vrbem iam olim præclaram, alumnorum bellica virtute, & doctrinarum scientia in primis nobilitatam, præterea à regionis felicitate, siue vbertatem spectes, siue agri amœnitatem & cœli temperaturam quæras, nulli terrarum posthabendam, cùm Homericus ille Vlysses vir

ſes vir ſapientiſsimus Ithacam patriam ſuam in aſperrimis ſaxis, vt Cicero ait, tanquam nidulum affixam immortalitati prætuliſſe memoretur. Quòd autem hortaris, vt quæ in auctoribus ad laudem Cordubæ communis patriæ pertinentia notauerim, in vnum quaſi encomium congeram, non eſt quod vacui ſcriptoris, & ſcribendi argumenta quæritantis onus mihi homini occupatiſsimo, & mole neceſſariorum ſtudiorum preſſo imponas. Cæterùm adoleſcens iſta ætate, qua tu nunc es, & iſto animi feruore libellum ſcripſi de gloria appetenda, in quem aliqua congeſsi iſti tuæ voluntati non aliena, vnde ea petere licebit, editus eſt enim libellus, & cum cæteris meis opuſculis fertur. De conditore nihil, quod equidem legere meminerim, traditum eſt, niſi quòd Strabo Cordubam Marcelli opus eſſe ſcripſit, non, vt opinor, quòd ab eo condita ſit, quam eſſe multò antiquiorem certum habeo, ſed quòd Patricios Romanos cum ſelectis indigenis in eam coloniam, quæ idcirco Patricia cognominata eſt, Marcellus deduxerit. Nam ante bellum ſecundum Punicum nondum imperio Romanorum in Hiſpaniam vlteriorem progreſſo, Cordubam Bæticæ principatum obtinuiſſe declarat Silij Italici carmen, qui de gentibus Hiſpaniæ, quæ Annibalem in Italiam infeſtis ſignis proficiſcentem ſecutæ ſunt, memorans ait.

Nec decus auriferæ ceſſauit Corduba terræ.

De cœli regione non dubium eſt, quin quarto climate Corduba contineatur, quod medium locorum tenet, ac proinde cœlo vtitur ex omnibus temperatiſsimo. Guajardus noſter, quod ipſi per literas mandaueras, mecum egit diligenter, vt eſt in omni genere officioſus: ſed ad cætera iam ſuprà reſpondi. Errata, quibus Librarij opus Ariſtotelis de Repub. à me conuerſum & enarratum multis in locis deprauarunt & emendationes, cum his ad te literis mitto: quas cùm ſcribebam, paucis diebus in prædium meum Marianum, inde in vrbem cogitabam. Vale. Ex hybernis meis Putalbanis, quinto Idus Februar. 1554.

ARGVMENTVM.

Prædium ſuum Marianum cum Leopoldi Auſtrij Epiſcopi Cordubenſis latifundio comparat & vtrumque pulcherrimè deſcribit.

I. Geneſius Sepulueda Leopoldo Auſtriæ Epiſcopo Cordubenſi.

S. P. D.

EPISTOLA LXXXIIII.

AGELLVM cum latifundio, villam cum prætorio conferre leuitatis est; me tamen meum prędium Marianum, quò nuper ex more, studiorum gratia secessi, non minùs delectat, quàm te Præsul amplissime ager iste tuus, cui alneta dedere nomen. Magna res est, fateor, & quę possit regios animos solicitare, cum tectis magnificis latissimè patẽtem fundum habere, qui binos hortos irriguos complectatur, & Neronianis vastiora prata, quæ boum, ouium, & generosarum equarum gregibus pascendis sufficiant, idq; ad ripam Bætis nobilis amnis, ad quem oues olim aureis velleribus indui solitæ fuisse memorantur, ac vt verbis vtar Martialis lib. 9. epigr. 62.

Vellera natiuo pallent vbi flaua metallo,
Et linit Hesperium bractea viua pecus.

Et hæc omnia in suburbano loco possidere, ad quem tibi Corduba post prandium profecto, diu commorari, & occidente sole domum redire liceat, quod ipse tum valetudinis animique gratia, tum vt ineptorum hominum molestias, interpellationesque deuites, tertio quoque die facere consueuisti. At me paruus, si cum tuo conferatur, & meæ tenuitati conueniens ager hoc magis delectat, quò longiùs abest ab vrbano tumultu, & me magis potest ab interuentorum inutilibus congressibus vindicare. Non quòd me *μισανθρωπία* Timonis illius Athenienſis imbuerim, nec quòd mores hominum ferre nequeam, vt quidam, quos ob eam causam in agris vixisse testatur Cicero, contentos re sua familiari. Inhumanum est enim hominem natum gregale animal de communi hominum conditione recusare. Sed quoniam studiorum, in quib. maximè acquiesco, magnam occasionem solitudo præbet, quam sæpe cogor inter aulicos & vrbanos strepitus desiderare. Quod si magnitudine vincimur, num etiam amœnitate? Non hàc magnus aliquis fluuius præterfluit: at fontes duo perennes aqua dulcissima largiter manant, quorum alter citrearum omnis generis opacam syluam sedibus, & quasi gradibus instar theatri in montis latere distinctam rigat, a quis per euripos non sine iucundo murmure delabentibus, & subinde per opportuna præcipitia maiore strepitu gradatim desilientibus. Alter, qui cœlesti aqua ex montibus confluente augeri solet, imam vallem interfluit, quæ syluam, de qua dixi, & alios præterea vndique impendentes montes partim vitibus, ficis, oliuis, cupressis, amygdalis, pinisque, & ilicibus, partim vnedonibus, myrtis, & lentiscis, cæterisque sponte nascentibus fruticibus vestitos excipit, exigua quidem, sed multis varij generis frugiferis arboribus, cydoneis, punicis, persicis, cerasis, pomis, pyrisque consita: his addè prunas, & nuces tum auellanas, tum etiam iuglandes, alnos ad interfluentis riui crepidinẽ sponte nascentes, & salices gallicas, itemq; vimineas, & arũdines

dines prætereo, ne hac quoque parte, qua sumus longè inferiores, temerè vobiscum certare, & de paruis rebus leuiter blandiri nobis videamur. Aluearium memorare idcirco me nec piget, nec pudet, quoniam mihi de regno ciuiliqúe administratione hoc temporis commentanti illud regiæ Reipub. in paruis insectis simulachrum contemplari gratissimum est. Quis enim cum voluptate quadam apum in suis regibus educandis, deinde ex copia deligendis, & sublata seditionis occasione officijs omnibus colendis, curam & quasi pietatem non demiretur? prætera in muneribus, quæ partitis prouincijs suscipiuntur, flores & nectareum humorem comportandi, & congerendi, fauos, mella, cerasque cõficiendi & figurandi, obeuntis solertiam & studium? Ad hæc mirificam in paranda re familiari diligentiam, in vtẽda parcitatẽm, & in colonijs tempore deducendis, denique in omni parte Reip. in communem vtilitatem gerenda, industriam, atque prudentiam? quarum rerum contemplatione non solùm oblectari, sed interdum etiam, quid naturæ ratio in cœtu hominum, & ciuilibus administrationibus poscat, vtiliter admoneri licet. Itaque hanc ego philosophandi operam ab studijs literarijs non segungo. Sed video te aluearium facilè posse auiario magno cõpensare, quod tibi multis & domi & rure generibus constat, Cygnorum, Gruum, Phœnicopterorum, Ciconiarum, Tardarum auium, ac vt cæteras prętream, quas pro nouitate, & pulchritudine demirari magis possum, quàm Latinis nominibus appellare, Pauonũ magno numero, quos idcirco tibi maximè ex omnibus inuideo, quoniam Tusculanum illud Ciceronis, cuius hoc nostrum Marianum pro nostra tenuitate æmulum esse peruellem, hoc genere abundasse constat, vnde Cicero idem ad Papyrium Pœtum scribens, *Plures* inquit *iam ego pauones conferi, quàm tu pullos columbinos*; atque eò magis, quòd pauones, vt aspectu sunt pulcherrimi, sic cibo gratissimi, & ad magnos amicos, si fortè accidat, accipiendos mensis aptissimi, cùm vos autem opulenti, & magno animo Principes speciosa, tenuiores vtilia magis consectentur, quod re vtraque commendatur, omnibus solet esse cordi, vt intelligas, quàm grato animo tuum de pauonum noua fœtura promissum expectemus. Accedit, quòd villatici pauones hoc sunt à ferarum maleficio tutiores, quod noctu, cùm illæ maximè grassantur, tectorum cacumina, aut transuersos in sublimi palos cubandi gratia, quod ad tuum prætorium animáduerti, sponte conscendere, ac aduolare solent, cùm gallinæ, quæ cum paucis columbis, summa est auiarij nostri, & cæteræ cohortales non solùm interdiu pascendi gratia vagantes, sed noctu etiam, si curam villicus concludendi remittat, vulpecularum insidijs apud nos quidem in hac nemorosa regione sint opportunæ, nisi essemus contra maleficorum animalium iniurias vigilantissimorum canum præsidio muniti. Quorum partitis locis in villæ, agriqúe custodiam excubantium nocturni latratus, præ-

fertim cùm feram inſequuntur, nobis interdum non minùs grati ſunt, quàm matutini luſciniarum, & reliquarum auicularum cantus iucundi, quæ huc frequentiſsimæ confluere ſolitæ, aures noſtras tunc maximè certatim concinentes demulcent, cum lucente die cubitu ſurgentes per tramites arborib. interiectos officio fungimur horariarum precũ, dumque res diuina, quam feſtis, & tertio quoque die patrare quaſi legitimum nobis eſt, paratur, inambulamus, aut cum de ſtudio feſsi ad eaſdem ſemitas animi relaxandi gratia inclinato iam die remeamus, & opaca conſectantes inter aquarum ſuſurros & ſuauiſsimos odores, qui ex arborum præſertim citrearum, quas *Narangios* patrio vocabulo nuncupamus, floribus afflantur, capita fontium & proximam piſcinam inuiſimus. Quæ largioris ſuperioriſque fontis aqua excepta colligitur, vt copioſior inde per riuos deducta, commodiùs ablaqueatarum arborum radicibus infundatur. Atque hanc quidem philoſophandi viciſſimque honeſtiſſimis oblectamentis animum ab ſtudiorum fatigatione recreandi facultatem nobis noſtrum Marianum, hoc quidem verno tẽpore ſuppeditat, nemini iniuriam aut negotium faceſſentibus, nullius pacem ſollicitantibus. Itaque Marianenſes hi dies, & cum manſuetioribus muſis conſuetudo mihi tantoperè placent, vt libenter ſim omnibus omnes opes conceſſurus, dum mihi ſaluo officio liceat hoc modo viuere. Quam vitam ſi quis morum tetricus magiſter, & cenſor homine Theologo parum dignam eſſe putat, Paulum audiat ſic Romanos alloquentem, *Regnum Dei non eſt eſca, neque potus ſed iuſtitia & pax, & gaudium in ſpiritu ſancto.* Non enim iucũdè viuere turpe eſt, ſed turpibus rebus delectari. Nam honeſtis rebus gaudere, id demum eſt virum probum eſſe, & virtutis alumnum, quod genus vno iuſtitiæ nomine Paulus, vt ſæpe ſolet ſcriptura ſacra, nuncupauit. Nam gaudium in ſpiritu ſancto quid aliud eſt, quam iucunditas, quæ ex habitu, vſuque virtutum, & rerum optimarum contemplatione contingit? Hæc vt ad te ſcriberem illuſtriſsime præſul, ea me ratio hortata eſt, non ſolum quòd huiuſmodi res vt ſentire ſuaue, ſic animo retractare pergratum eſt, ſed etiam quòd argumentum epiſtolæ non iniucundum id fore putaui, qua te forſitan ad alneta tua ineptas interuentiones vitantem citra moleſtiam ſalutarem, ſimulque gratias agerem pro artocrearum xenio, quod cum ipſum per ſe mihi gratum fuit, qui cæteras omnes venationes cum apro non confero, poêtæ iudicium, pacatumque ridere ſolitus, qui ſæpe apro deguſtato, lepori tamen potuit primam gloriam inter quadrupedes tribuere, tum eo nomine gratiſsimum, quod te tui Geneſij non immemorem agere, libenter animaduerti. Vale ex eodem Mariano ad vndecim. Calen. Maias. An. Ch. 1554.

ARGVMENTVM.

Eid. mſcribit de quinque menſium imbribus continuis, varijſque propterea incommodis, &

dis,& quod moerentem ideo animum ad alia auocarit, occasione epistolæ cum Breuiario ad se missæ.

I. Genesius Sepulue. Leopoldo Austrio episcopo Cordubensi.

S. P. D.

EPISTOLA LXXXV.

PAVCIS antè diebus in Marianum veneram, cùm reddita mihi epistola tua, veneram autem otij studiorumque causa, amœni simul & arbitris remoti loci opportunitatem secutus, quò me serena bidui tempestas subinuitauerat, falsa scilicet spe iniecta, exacto æquinoctio verno, optatissimum tempus aduenisse, quo se cœlum mortalibus aperiret, imbresque remitterent, qui iam quintum mensem præter morem naturæ penè continuati sæuire, & magna variaque incommoda omnis generis animantibus importare non desistunt, dum cultum agrorum impediunt, segetes corrumpunt, afflictarum pecudum fœturam supplemento necessariam labefactant, apum pabulo, & mellificationi obsunt. Nam me hoc quoque mouet, qui alueario intra fundum dispositio, philosophando & regiæ Reipub. simulachrum contemplando non mediocriter oblectari soleo. Adde vias luto impeditas, itinera non solùm torrentibus & fluminibus, sed etiam interruptis locis obsessa, vt commeatus necessarios nec inuehere liceat, nec vicissim exportare. Iam illud detrimentum quantum est? passim macerias diruere, ædificia demoliri, hominum animos tristitia cõtrahere, corpora per desidiam remittere. Nam hi quoque, quibus est inimica quies, duram egestatem quotidiana opera sustentare solitis, intra stillantia tecta compulsi otio ingrato quasi veterno torpent, multi etiam exesorum madentiumque parietum ruinam metuentes, duabus quasi furijs, timore, & fame exagitantur. Quorum malorum, & publicæ vastitatis, difficillimique temporis cogitatione mœrentem animum meũ exhilarauit epistola tua perhumaniter scripta, & ab ea molestia ad iucundiores considerationes reuocauit, per occasionẽ libri, qui simul redditus mihi est de ratione Deum per preces diei temporibus accommodatas ritu Cordubensi placandi, quod clerici more nostro Breuiarium appellamus. Quanquã enim vna est ecclesia catholica, vnaque fides, tamen piorum eidem ecclesiæ probata consuetudo inualuit, vt Deum Christum varijs ritibus per prouincias & diœceses veneremur. De quo libro, & precandi modo per clericos diligentes, & eius generis formularum peritos tua volũtate nuper correcto, & cõcinnato nõ paucos te cõsuluisse scribis prudente scilicet cõsilio, vt res, quæ ad multorũ vsũ pertinet, multorũ iudicio cõprobetur, sed vt multi multa loquũtur, varias fuisse cõsultorum sententias, quocirca me rem tibi gratã facturũ, si librũ legerẽ, sententias tuis literis explicatas perpenderem, & ad te, quid mei iudicij esset, perscribe-

scribberem. Faciam igitur quod iubes, et ad te quid sentiam separatim perscribam. Vale. Pridie Calend. April. An. Christi. 1555.

ARGVMENTVM.

Petro Sepulvedæ fratris F. mandat, vt marmoreum lapidem, cui epitaphium, quod sibi ipse fecerat, inscriptum erat, ad se mittat & quid velint hæ literæ S. V. F. ipsi explicat, sibique & fratri Barth. sepulturæ locum destinat, eô magis memor mortis, quò grauius anno præcedenti decubuerat.

Io. Genesius Sepulueda Petro Sepulvedæ Portionario Ecclesiæ Cordubensis

S. P. D.

EPISTOLA LXXXVI.

SCripseram ad te, dares operam, vt Epitaphium, quod meo tumulo confeceram, in lapide marmoreo incidendum curares, id autem erat huiusmodi.

D. X. S.

I. Genesius Sepulueda, qui se ita gerere studebat, vt ipsius & mores probis pijsque viris, & doctrina, scriptique de Theologia, & Philosophia, historiarumque libri doctis, & æquis probarentur.

S. V. F. Vix. An.

Tu inscriptum iam esse lapidem rescripsisti, sed obscuram inscriptionẽ ex parte tibi & amicis, quibus eam legisses, videri, notæ illæ punctis distinctæ quid signent ignorantibus, atque quærentibus, de quo velis edoceri. In qua scilicet hæretis antiqui moris ignoratione. Solebãt enim veteres Romani, quos imitari mihi placuit, studentes breuitati, pro verbis verborum primas literas, præsertim in sepulchrorum lapidibus adscribere. Si quis ergo sibi cum inscripto lapide sepulchrum parauerat, pro his verbis *sibi viuens fecit*, eisdem illis notis, quæ vos perturbarunt, per puncta distinctis vtebatur. Hæc igitur amicis dubitantib. dicere poteris, & lapidem ad nos primo quoque tempore mittes. In huius enim nostri Putalbani municipij æde sacrarum maxima, & primario sacello, Presbyterorum primum, deinde etiam Antistitis concessu duabus sepulturis loca designaui: quarum alteram mihi in pariete inclusam construere molior, quæ isto inscripto lapide claudatur: alteram in proximo, Bartholomæo fratri, & posteris destinaui, viro vt nosti optimo & grauissimo: vt qui post diuturnam peregrinationem, ille ex bellis, in quibus

quibus diu non ſine ſua laude verſatus fuerat, ego ex gymnaſijs literarij in patriam reuerſi, ſumma concordia & charitate annos iam circiter viginti ſimul viximus, & vt ſpero viuemus, ijdem poſt mortem eodem ſacello iaceamus. Me namque mortalitatis vehementer admonuit grauiſſimus ille periculoſusque morbus, quo diu anno ſuperiore, quem ſuſpicor mihi fuiſſe climactericum, medicis iam, vt noſti, de mea ſalute deſperantibus, conflictatus fui. Quo in morbo ſi quid mihi accidiſſet, illud me in primis ſolabatur, quod talem fratrem nominis bonorumq; meorum hæredem, quibus ſe ipſe aleret, & ſacrificulo impartiretur, qui ſtatis in perpetuum diebus re diuina facienda iram Dei nobis, noſtrisq; corpore exutis animis placaret, & te non abſimilem alterius olim defuncti fratris filium, ſuperſtites relinquerem, qui communi conſilio, opeque mutua vobis ipſis & familiæ proſpiceretis, & mea vice propinquorum indigentiam pro veſtra facultate aliqua ex parte leuaretis. Nam te quoque vehementer gaudeo virum probum & eſſe, & ab ijs, qui tuos mores longa conſuetudine perſpexerunt, exiſtimari, id eſt, à cæteris Eccleſiæ Cordubenſis ſacerdotibus viris grauiſsimis & prudentiſsimis, quibus ita probatus es, vt quæ munera ſingularem fidem, integritatem, ac diligentiam requirunt, ea nulli omnium nec frequentiùs quàm tibi, nec incunctantiùs mandare ſoleant. Quo te magis hortor, vt quam expectationem de te concitaſti, quam tui opinionem hominibus dediſti, hanc non tuearis modò, ſed officijs etiam vincas, & cumulatè ſatisfacias. Nam virtutis & induſtriæ ſola via eſt, quæ ad veram laudem ducit, & quà proximè itur ad felicitatem ſempiternam. Hoc inſtitutæ vitæ tuæ ratio poſtulat, hoc presbyterum decet, id eſt, Chriſti miniſtrũ, & diſpenſatorem myſteriorũ Dei. Hoc mihi, quo auctore loco iſto collocatus es, nec viuo, nec mortuo gratiùs quidquam facere, maioremúe gratiam referre potes. Vale.

ARGVMENTVM.

Purgat ſe Fernando Valeſio Pontifici Hiſpalenſi, quod morbo impeditus, & amicis annum climactericum timentibus, iam pridem literarum nihil dederit.

I. Geneſius Sepulueda Fernando Valdeſio Pontifici Hiſpalenſi. Inquiſitori generali.

S. P. D.

EPISTOLA LXXXVII.

NVLLA mea negligẽtia factũ eſt, præſul ampliſsime, vt nihil iam pridem ad te literarum dederim, qui te libentiſsimè ſoleo, cùm locorũ interuallo diſtinemur, per epiſtolas pro meo in te ſtudio,

& obſeruantia ſalutare. Sed me diu grauiſsimi & periculoſi morbi vis ſic afflixit æſtate ſuperiore, medicis iam de mea ſalute deſperantibus, ſic vires extenuauit, vt eas, quamuis valetudini diligenter ſeruierim, & & iã ab initio morbi nonus hic mẽſis agatur, ſatis recipere nequiuerim, ſcilicet vt ſolent ſenes paulatim, nimisque tardè conualeſcere. Hunc ego annum ætatis meæ ſexageſimumquartum numerabam, tamen nõ defuerunt ex amicis meæ ſaluti metuentibus, qui ſuſpicione ad ſexageſimumtertium reuocarent, vt eſſet is annus climactericus traditione medicorum infamis. De quo Gellius noctium atticarum lib. 16. *Obſeruatum* inquit, *in multa hominum memoria, expertumque eſt in ſenioribus pleriſque omnibus ſexageſimum tertiũ vitæ annum cum periculo, & clade aliqua venire, aut corporis morbique grauioris, aut vitæ imeritus, aut animi ægritudinis.* Idemque ex epiſtola Auguſti Cæſaris ad Caium citat hæc verba, *Spero te lætum & bene valentem celebraſſe quartum & ſexageſimum natalem meum.* Nam vt vides κλιμακτῆρα cõmunem ſeniorum omnium tertium & ſexageſimum euaſimus. Talia igitur amici mente agitantes hoc magis meæ ſaluti metuebant. Ego verò, fuerit ne hic annus meus κλιμακτηρικὸς, pro certo affirmare nihil poſſum, illud certò ſcio, multis me grauioribus & corporis, & animi ægritudinibus, & moleſtijs, itemque rei familiaris iacturis laboraſſe, hinc morbo, illinc iniquorum meorum calumnijs conflictantibus. Illud me ſolicitat etiam nunc, quòd cùm ætate ingraueſcente magis indies à peregrinationibus, vt natura fert, abhorrerem, hæc aduerſa valetudo ſic me extenuauit, vt verear, ne mihi non liceat ſine periculo hoc anno me in viam dare, vt ad vos perueniam. Quod multis ex cauſis maximè vellem, præſertim ſi Carolus Cæſar rex noſter in Hiſpaniam, vt eũ parare rumor eſt, omnibus quidem ſed mihi inprimis optatiſſimus, lõgo ſcilicet poſt tempore remeauerit. Hæc ad te pontifex grauiſſime, & mihi maximè colende patrone, cui res meas, nomen & dignitatem pro tua humanitate, meaque in te ſingulari obſeruantia curæ eſſe magnis documentis perſpexi, ſcribenda putaui, ſimul vt apud me quomodo eſſet, intelligeres, ſimul vt me tibi purgarem, ſi fortè meum officium vel ad te ſcribendi, vel in aulam regiam muneris mei cauſa redeundi deſideraſſes, accuſandumue putaſſes. Vale pridie nonas Martij Anno Chriſti. 1555.

ARGVMENTVM.

Laudat Iacobum Fernandum Græcarum literarum Salmanticæ profeſſorem & ad maiores progreſſus excitat.

I. Geneſius Sepulueda Iacobo Fernando Græcarum literarum in Academia Salmanticenſi Profeſſori.

S. P. D.

EPISTO-

EPISTOLA LXXXVIII.

QVAE meus Neyla vir optimus, ac vt ipse scribis, grauissimus simul,& humanissimus ad me de tuis moribus,& doctrina summatim scripserat, hæc tuæ literæ perhumaniter scriptæ abundè declararunt. Quippe quarum partibus omnibus singularem quandam modestiam,& virtutis,ac optimarum artium,& doctrinarum studium præ te fers. Quod vel ex eo intelligi poterat, quòd eos tantoperè colendos, & obseruandos putes, quos harum rerum opinio non vulgaris,& hominum eruditorum fama commendat, quod mihi pro tua scilicet humanitate,& animo in meam laudem propenso accidisse, conscribis. Quantos autem progressus in literis tum Græcis, tum etiã Latinis feceris, & quantum de te sperare liceat, eiusdem epistolæ elegantia & prudentia demonstrat. Perge igitur,& quam expectationem de te concitasti, eam fac vt tuearis atq; sustineas, meq; diligas, id enim mutuò facies, nec cõmittam, vt illa seueritate, de qua legenti mihi risum mouit locus epistolæ tuæ, iure ab scribẽdo deterritus, retardatusúe fuisse videaris Vale.

ARGVMENTVM.

Apud Iacobum Neylam conqueritur de inuidorum suorum calumnijs, miscetque hinc inde sententias morales.

I. Genesius Sepulueda Iacobo Neylæ. I. Pont. Doctori, Canonico Salmanticensi.

S. P. D.

EPISTOLA LXXXIX.

Περὶ σοῦ δὲ, inquis, οὐδεὶς λόγος. *Insere nũc Melibœe pyros, pone ordine vites.* Ergone inimicorum calumnia perijt labor irritus anni? imò annorum multorum? *sæpe malum hoc nobis si mens non læua fuisset.* Quid enim oportuit spretis veterum ac fidorum, vsuque rerum peritorum amicorum monitis, crabrones irritare? Talia scilicet tibi in mentem venisse, & talibus pro tua in me singulari,& multis in rebus perspecta beneuolentia te vicem meam solicitari solitum, nec ego dubito, & tuæ literæ significabãt. At [θαρσεῖν χρὴ φίλε βάτλε, τάχ' ἄυριον ἔσται' ἄμεινον.] Ego verò neminem lacessiui, sed cum meum, ac potiùs publicum nationis negotiũ agerem, quorundam animos inuitus offendi, nec cum crabronibus mihi rem futuram esse existimaueram, sed cum mitioribus apib. & hoc illi erant fortasse, nisi ducem hac in parte mirificè & inusitatè aculeatũ habuissent, versutia scilicet plusquam vulpina, scorpione nocentiorẽ. Cui tamẽ illud obijcere nõ possũ, me nõ indicto bello ab eo fuisse suis armis oppugnatum. Qui mihi inter initia contentionis periculum apertè per amicos denunciauerat, meminisseque iusserat, neminem cum ea fami-

lia ſine ſua pernicie contendiſſe. Quaſi verò mihi cum tota famlia, quam veneror & ſuſpicio, certamen fuerit, & non cum pauciſsimis ex ea, quorum tamen nemo fuit, præter hunc, qui ad calumnias deſcenderet, nemo qui à nobis pertinaciter & acerbè diſſentiret, vt ſolent probi & religioſi animi à callidis & calumnioſis conſilijs, quibus diſsimiles quidam paſcuntur, abhorrere: & turbulentorum ingeniorum imitationem & ſocietatem, vt impiam & ſceleratam ſibiq́ue probroſam aſpernari. Niſi quòd illam verborum iactationem ipſe ad errores literarios, quos eò diligentiùs mihi cauendos eſſe intelligebam, non ad calumnias, & falſa crimina, queq́ue mihi in illo altero genere nocere poſſent, referebam, quod tamen damnum hoc ego patientiùs fero, quòd memini, ſemperq́ue meminero, virorum ſapientium iudicio felicitatem, quæ mortalibus poteſt in hac vita contingere, & quam vſu virtutis non impeditæ metiuntur, non tam ad publica negotia, & magnos honores, qui rarò ſine periculis & laboribus ſuſcipiuntur, quàm ad otium honeſtum referri, quod ſit cum literis, & optimarum rerum contemplatione coniunctum, & mediocritatem vbique optimo iure commendari. Itaque non ſine magna cauſa Heſiodium illud laudatur; ἕνατ πλέον ἥμισυ παντὸς. quod Pittacus Mitylenæus ex ſeptem Sapientibus vnus, in reddenda tyrannidis depoſitæ cauſa vſurpaſſe memoratur. Nolo igitur te earum rerum cura de me ſolicitari, quibus ipſe minimè angor, vtpote quæ nec meliorem me fortaſſe facerent, nec doctiorem, nec ad vitam vel trãquilliorem, vel minùs laborioſam traducerent. Sed quædam, inquis, non ad opes, quarum mediocritate, quæ nobis ope diuina, noſtraq́ue induſtria contigit, contenti eſſe debemus, expetuntur, ſed ne officia, ſtudiaq́ue noſtra ſordere, cui minimè vellemus, vel contemptui eſſe videantur. Fateor me nonnihil interdum iſtiuſmodi cogitatione commoueri. Sed quid agas, ſi quis te calumniandi verſutiſſim⁹ artifex, erroris, quo ſe inſolentiùs iactabat, & religioſorum principũ fidei, vt verbis vtar Pauli, dominari volebat, per te cõuicti dolorẽ impatientiſsimè ferens, apud eoſdẽ principes, quo tuã auctoritatẽ, gratiamq́; minuat falſis criminib. circũueniat? oppugnetq́; quæ nominatim diuinare, & refellere nequeas? Quæ eſt iniquiſsima cõditio, vt indicta cauſa tacito iudicio cõdemneris, idque notiſsimæ verſutiæ ac vanitatis inimici teſtimonio. Sed nos fortaſſe vaticinamur, & longè diuerſa ratio inſontibus obfuit, ambitionis ſuſpicionem ambitioſa cautione vitandi, quæ parum fortaſsis habeat æquitatis, ſi pariter in impares habeatur, ne fortè res per ſe honeſta maioribus officijs atque virtutibus obſiſtat. In tãta igitur maleuolorum iniquitate, cùm nihil ſit ſapientis præſtare præter culpam, ſtultum eſt, Fortunæ temeritati ſuccenſere, ac potiùs à Dei volũtate fruſtrà & impiè diſcrepare, qui occultis rationib. per ſummã ſapientiam mortalib. conſulit, ſæpe optatis meliora tribuendo.

Quid

Quid si etiam reb. maioribus indigni sumus? vt certè sumus. Hoc enim fortasis verè obijciat ex obtrectatoribus quispiam, cum quibus mihi de religionis,& virtutis possessione pugnare, non est consilium, facilè melioribus concessuro, modò ne nobis vtramque ipsis fortasse non negligentiùs colentibus vitio det quisquam, quòd id sine fuco fallacijsque,& cum ingenua quadam & honesta libertate facimus. Néue quis nobis succenseat, aut crimini vertat, quòd vtimur ingenio nostro paulo scilicet liberiore. Est autem proprium ingenij liberi, nullius gratiam mendacijs, vel assentationibus aucupari, offensionem animorum, ne ab officio discedas, non magnoperè vereri, in amicis, si res poscat, admonendis, & in viam, si fortè deflexisse videantur, reducendis, non esse timidum. Vt nihil fingere, sic nihil fictum libenter audire, nihil ad voluntatem, ad veritatem omnia loqui, cognitæ veritatis susceptum patrocinium deserere, prævaricationis instar esse putare. Neque verò ignoro, facilitas obsequendi quantùm animos hominum alliciat, veritas quantum alienet, sed & illud scio, quosdam per seueriores, & liberiores mores duce natura summam, & iustissimam laudem fuisse cõsecutos. Quis igitur iure nobis obtrectet, si magnorum virorum exemplo & præcepto in eam partem, quo igniculi naturales sine crimine vocant, non inuiti sequamur? Nam suo quemque ingenio, modò ne vitioso, seruire censent viri sapientes, nec quidquam facere inuita Minerua, id est, natura repugnante. Quæ omnia hoc liberiùs apud te virum optimum & doctissimum, libenterque commemoro, quoniam cùm ab adolescentia Compluti, Bononiæ, Romæque tecum simul familiarissimè vixerim, & postea quàm in Hispaniam reuertimus, ad hanc ætatem coniunctissimè viuamus, quotidiè per literas, quando coram non datur, colloquentes, meam naturam, studia, mores, & instituta tu ex omnibus optimè perspexisti, & quas persecutiones, vt verbis vtar Euangelij, propter iustitiam & veritatem passus sim, quibus dolis & machinis, nisi has strenuè dissipassem, appetitus fuerim, tu optimus testis es, qui particeps etiam molestiarum fuisti, & in iniurijs propulsandis adiutor. Vt igitur ad propositum redeamus, sic iucundè securèque, & ex Christiana Philosophia viuere licebit, si quâdo rectè viuendi instrumẽtis à re familiari non vsquequaq; destituimur, ita nos comparabimus, vt extrinsecus ne pendeamus, néue dolendi, & gaudendi rationes aliũdè sulpensas habeamus, sed officiorum fructum satis magnum in rectè factorum conscientia situm esse existimemus, qui gradus est, & proxima via ad ciuitatem illam permanentem, de qua semper quidem, sed in hac maximè iam propè decursa ætate nobis cogitandum est, & fluxa hæc, & caduca pro nihilo ducenda. Ne quæ alij minoribus fulti præsidijs delata magno animo contemnunt, hæc ipsi exiguo, expectata duntaxat opinione hominũ magnifacere videamur. vale.

ARGVMENTVM.

Reginaldum Polum S. R. E. Cardin. laudat, quod per ipsum Britanni ad fidem Catholicam redierint, & addit difficultatem conscribendæ historiæ suamque de principibus Hispanis, & rebus Britannicis ipsi emendandam transmittit.

I. Genesius Sepulueda Reginaldo Polo S. Romanæ Ecclesiæ Cardinali S. P. D.

EPISTOLA XC.

POst optatissimum, & bonis pijsq; omnibus gratissimum nuntium, quo tui Britanni, te potissimùm, secundùm Regem, & reginam optimos & religiosissimos Principes, auctore ad sanitatem, fidemq; catholicam rediuisse nũtiati sunt, sępe mihi in mentẽ venit illius diei, quo mihi ad te, cœnamq; Toleti vocato cum alijs quibusdam meæ gentis studiosis literarum hominibus humanissima simul & iucundissima consuetudine tua, doctissimoq; sermone frui datum est: cùm ipse nihil nisi de religione, de studio literarum, & doctis hominibus loquereris. Itaq; multus nobis colloquentibus sermo, si meministi, de Alberto pio Principe Carpensi patrono meo, deq; Erasmo Roterodamo eorumq; literaria contentione habitus est. Nam cùm res in Britannia post obitum Heduardi Regis gestas, quarum tu magna pars fuisti, memoriæ mandare pro iuncto mihi à Carolo Cæsare munere instituissem, & res ad tui mentionem peruenisset, pergrata recordatione mihi ante oculos obuersabatur nostrum illud Toletanum colloquiũ, ex quo te propter perspectas mihi excellentes tuas virtutes, singularemq; doctrinam, & eloquentiam, diligere, atq; etiam absentẽ memoria colere cœpi. Quo mihi leuior erat scribendi labor, vt esse solet, cùm oratio in eorum rectè factis, quorum dignitas mihi chara est, commemorandis versatur. Aliâs enim huius generis scriptio hoc mihi grauior esse consueuit, quo magis auocor à studijs doctrinarum, in quibus orsus à puero consenui, quæq; tum sua dignitate, tum propter diuturnam cõsuetudinẽ ad se me magis alliciunt. Quanquam ei muneri satisfacere, nemini non est, vt opinor, laboriosum. Est enim magni negotij, & magnæ tum diligentiæ, tum in dicendo facultatis historiam scribere, quòd cum eruditi omnes fateantur, plerisq; tamen vel ratione cognitum est, vel quia sic ab expertis acceperunt, ego verò multis meis laboribus, cura, & solicitudine didici. Solicitum autem me habere solet ea cura, non tam, vt historiam optimi, & maximi Principis orationis ornamentis illustrem, (stultum est enim vltra vires nitendo inani labore se fatigare) quàm ne in rerum gestarum, quas ab alijs acceperim, commemoratione fallar, néue parũ ei legi seruiuisse videar, de qua Ciceró in libro de Oratore secũdo memorans,

morans, *Prima*, inquit, *historiæ lex est, ne quid falsi dicere audeat, deinde ne quid ve rè non audeat: ne qua suspicio gratiæ sit, ne qua simultatis.* In qua lege violanda hoc meum esset maius peccatum, quod me ad officium non ratio solùm, & institutum, sed natura etiam adhortatur, quę mihi mentem à mẽtiendi, & blandiẽdi vitio plus etiam quàm amici vellent, qui meis commodis fauẽt, alienam ingenerauit. Mea igitur maxima cura est, vt auctores inueniam viros probos & graues; qui me de rebus gestis, quibus interfuerint ipsi, aut etiam præfuerint, bona fide doceant. Sed quoniam aliqua interdũ silentio non prætereunda, scribentibus & singula intẽtiore cura rimantibus, in quibus hæreant, occurrunt, quæ percunctantibus, aut referentibus in mentem non venerint, commodissima perquirendi ratio semper mihi visa est, & qua ipse, cùm licet, diligenter vti soleo, quod scripserim ex prima manu, per partes cum viris grauibus Latinè doctis, quibus facta, & consilia nota sint, communicare. Eam igitur partem historiæ, quę Principes nostros, & communiter rem Britannam attingit, ex commentarijs quibusdam, quæ ad manus meas peruenerũt, & tum aliorum grauium virorum, tum ipsius Philippi Regis epistolis ad Ioannem soro: em missis, à me proximè prima manu confectam tibi mitto, precorq;, & oro, quod sine tua molestia fiat, vt libellum bona cũ venia legas, & tum orationis vitia, si qua erunt, vt erunt fortasse multa, quæ tuas castigatissimas aures offendant, pro tua humanitate & sapientia corrigas, tum in rerum gestarũ narratione, quæ desunt, adijcias, quæ perperam posita fuerint, emendes: in primisq; hominũ, regionum, oppidorum, fluminumq; nomina, à nobis non per incuriam, sed per ignorationem prætermissa marginibus adscribas, deprauata corrigas. Quæ si per te facere grauaberis, hoc est, si quæ te maximæ, & maximarum rerum occupationes, vt solent, impedierint (non enim vereor, ne rem tetuamq; nationem, & reges attingentem, & ad vestram iustam laudem celebrandam pertinentem contemnas) erit humanitatis tuę, vt negotium totum, aut per partes alicui tuorum, vel aliquib. idoneis hominib. committas. Quorum diligentia, & cura emẽdatus in margine libellus, aut etiam emendationum, admonitionumq; chartis adiectis, ad me primò quoq; tempore remittatur. Illud autem mihi feceris gratissimum, si earum concionum, quas prudentiæ, ac pietatis, vt ferunt, & facilè mihi persuadent plenas, ad tuorum Britannorum concilium habuisti, exempla cum libello ad me mittenda curaueris.

Vale Corduba Calen. Octobris. 1555.

IOANNIS

IOANNIS GENESII SEPVLVEDAE CORDVBENSIS EPISTOLARVM

LIBER VII.

ARGVMENTVM.

Perlegerat partem commentarij Serrani, in lib. primum Aristotelis de moribus, totum enim non licuerat: in quo reprehendit ipsius seueritatem, qua ait neminem asserere posse: Ethnicos philosophos salutem consecutos fuisse, *multisque argumentis probat sententiam contrariam, aliorumq; rationes refellit, & conatur ostendere Aristotelem, quia legi naturæ conuenienter vixit, beatum esse: eumque defendit à veterum aliquot Græcorum calumnijs.*

I. Genesius Sepulueda Petro Serrano Doctori Theologo.

S. P. D.

EPISTOLA XCI.



Ommentarium tuum in primum Aristotelis de moribus librum, quod mihi cum epistola misisti, ex parte legi, & quidem libenter. nam vt perlegerem, me partim ipsius longitudo, partim meæ magnæ occupationes prohibuerunt. Cæterùm vt ex vngue Phidias leonem æstimasse fertur, sic ego ex primo capite, in quo magnum ingenium, magnamque doctrinam præfers, nec abhorres à moderato dicendi genere, & politioribus Philosophis conueniente charactere, de toto opere coniecturam feci, accuratè id scriptum esse, & varia eruditione plenum, tibique de optima studiorum indole gratulatus sum, quæ nihil aridum, nihil ieiunum præfert, sed omnia copiosa, & exuberantia: ita vt multis etiam scitu dignis resecatis, & in alium locum, aliudque scriptionis genus reiectis, iusta & legitima enarratio relinqui posse videatur. Sed vt liberè tecum pro iure nostræ amicitiæ, & quia sic ipse per epistolam hortaris, agam, in eo tuam vel diligentiam, vel æquitatem nonnihil desideraui, quòd te nimis seuerum, & acerbum præbuisse visus es in Philosophos etiam probatissimæ vitæ, id est, in viros optimos & sapientes in causa ipsorum capitali, quam extra ordinem cognoscendam, & iudicandam amicorum rogatu, vt scribis, suscepisti.

Sic enim

Sic enim ais,Primum hoc indubitatum apud catholicos ſupponitur,neminem aſſerere poſſe, ſalutẽ eos Philoſophos (Ethnicos ſcilicet & ſapientes mundi)conſecutos fuiſſe,& cauſas deinde ſubijcis,& teſtes,auctoresq; producis.De quo tuo dogmate vt nominatim memorarem, & in id ſummatim nonnihil differerem, ea maximè ratio me hortata eſt, quòd ego in libro de iuſtis belli cauſis à me nondum impreſſione edito,ſed regij conſilij iuſſu multis deſcriptis exemplis, Complutum,Salmanticamque miſſis euulgato, eundem locum obiter cum tractarem, ſententiam à tua diuerſam ſecutus fueram , quam nunc tuis rationibns victus damnare videri poteram, ſi tuum Commentarium, in quo mihi multa probantur,ſine vlla exceptione commendarem. Itaque faciendum putaui,vt earum,quas ſecutus ſum rationum ſummam complecterer, & tibi meum iudicium in vniuerſum exquirenti de hac parte proponerẽ,vt intelligas me non ſine magna cauſſa in illã opinionẽ diſceſſiſſe.Quarum rationum caput eſt, nullum fuiſſe genus hominum , cui Deus Optimus Maximus & idem Clementiſſimus, qui vult omnes homines ſaluos fieri, & ad veritatis agnitionem, vt Paulus ait, venire (1. Timoth.2.)non aliquod iuris,legumque præſidium præberet,quo ſalui eſſe poſſent,Deũ venerando,& iuſſis eius obſequendo. Cuius præcepti auctorẽ habemus Petrum Apoſtolũ, ita differentẽ in Actis Apoſtolorũ (c.10.)*Nõ eſt perſonarum acceptor Deus,ſed in omni gente,qui timet Deũ, & operatur iuſtitiam,acceptus eſt illi* Quam ſententiam explicans Auguſtinus in epiſtola,quæ eſt ad Deo gratias Presbyterum, numero quadrageſima nona,in reſponſione ad ſecundam quæſtionem. *Ab exordio*, inquit, *generis humani quicunque in Deum crediderunt,eúmque vtcunque intellexerũt, & ſecundùm eius præcepta piè & iuſtè vixerunt,quandolibet & vbilibet fuerint , per eum proculdubio ſalui facti ſunt.* Conſtat autem ab orbe condito ad Chriſti aduentum duo duntaxat iura à Deo mortalibus eſſe data, vnum quod moribus cõſtaret ad normam rectæ rationis, quæ imago eſt æternæ legis mentibus hominũ naturaliter conſignata,directis,quod ius naturale dicitur,perpetuum, & immutabile,quo mortales omnes vterẽtur.Alterum ſcriptum, quod ius Moſaicum nominatur, propterea quòd der Moſen datum eſt ad naturale ius cæremonijs quibuſdam,& præceptis iudiciarijs,& quaſi ciuilibus additis, quo iure gens tantùm Iudaica, cui datum eſt, teneretur. Nam vt eſt in epiſtola ad Romanos (c.7.)*Quæcunq; lex loquitur, ijs,qui in lege ſunt,loquitur.* & in Pſalmo 147. *Non fecit taliter omni nationi,& iudicia ſua nõ manifeſtauit illis.* In Deuteronomió quoque ſcriptum eſt (c.33.) *Legem præcepit nobis Moyſes hæreditatem multitudinis Iacob.* Itaque cęteræ gentes nec Moſaico nec alio diuino iure,quàm naturali tenebantur,eiusque præceptis ſeruandis ſalutem animarum conſequebantur, vt Paulus in eadem ad Romanos epiſtola(cap 2.)declarat his verbis, *Non enim auditores legis iuſti ſunt apud Deum,ſed factores legis iuſtificabuntur, Cùm enim gentes,quæ legem non habent,*

naturaliter ea, quæ legis sunt, faciunt, hi legem non habentes ipsi sibi sunt lex, qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis. Naturaliter enim dixit Paulus, id est, vt Thomas exponit, ad præscriptum legis naturæ, quæ petenda, fugiendaq; docet. in eumdemq; sensum paulò pòst ait, *Si igitur præputium iustitias legis custodiat, nonne præputium illius in circuncisionem reputabitur? & præputium ex natura legem consummans iudicabit te, qui per literam, & circuncisionem præuaricator legis es.* Quam Pauli sententiam, & auctoritatem Thomas idem secutus (in summa secundi libri parte prima. q. 98. artic. 5.) Gentiles ante Christi aduentum sola lege naturali obligatos, & eius præceptis faciendis saluos fieri solitos fuisse confirmat, quamuis auxilio legis Mosaicæ faciliùs seruarentur. idemque testatur secunda parte quæstione secunda art. 7. Alfonsus autem Tostatus noster auctor grauissimus, in libro, quẽ de Paradoxis inscripsit, non solùm incunctanter probauit hanc sententiam, sed multis etiam verbis multisque capitibus rationem explicauit (Paradoxa quinta, articu. 107. ad c. 134.) qua Gentiles à Deo peccatorum veniam impetrarent. Cuius orationis summa est, Gentilibus vsq; ad Christi passionem, & promulgatum Euangelium peccatum originale deleri solitum, in pueris quidem per fidem parentum, si quis fideles parentes haberet, id est, qui de Deo rectè sentirent, quæ naturaliter sentiri possunt, & idolorum immunditias cauerent; in adultis autem per primum actum bonum, quem in Deum dirigerent, Mortalia verò peccata per contritionem eisdem Gentilibus, vt nunc Christianis remitti. Atque hos quidem auctores, has rationes secutus, Ethnicorum Philosophorum, qui ex preceptis legis nature vixerunt, causam defendi posse existimaui. Nisi fortè putamus cæteris Ethnicis hominibus per legẽ naturæ viam ad salutem patuisse, eandem philosophis fuisse interclusam, qui in Deo ex rebus creatis intelligendo cæteris erant perspicaciores, & in virtute non solùm voce, sed vita etiam & factis docenda æratem consumpserunt. Superest, vt ad rationes, & testimonia, quæ te in oppositam persuasionem induxerunt, paucis respondeamus, & quam vim habeant, explicemus. Quarum rationum summa, nisi fallor, triplici capite continetur. Primùm, quòd seruandis naturalibus præceptis non faciebant, quod erat in se, vt à Deo de via salutis edocerentur. Deinde quòd cum eius naturalia præcepta cognoscerent, ipsis tamen non parebãt. Postremò quia Christi fidem, sine qua nulla est ad salutem via non habebant. De primo igitur capite primùm differamus. Non faciebant, inquis, quod erat in se philosophi, quo digni essent, vt de via salutis diuinitus edocerentur, nec enim ad hoc satis erat præcepta legis naturæ seruare. Quid opus facto sit, vt homo quod erat in se, fecisse intelligatur ad bonum aliquod impetrandum à Deo, non est huius loci disputare. Nam siue id positum est in libero hominis arbitrio, siue in auxilio Dei, siue quod verius est in vtroque, & sine hoc conatu saluus fieri

nemo

fieri nemo poteſt; hũc ijs omnib. affuiſſe, quib. ſalus contigit in lege naturæ, non poteſt dubitari, niſi fortè nemini contigiſſe putas, quod perſpicuè hiſtoria ſacra conuincitur, vt docet Auguſtinus in ea de qua dixi epiſtola (Ep. 49.) de his ipſis rebus ediſſerens, cuius verba infrà ſcripta ſunt *Cùm enim nonnulli commemorantur in ſanctis Hebraicis libris iam ex tempore Abrahæ, nec de ſtirpe carnis eius, nec ex populo Iſrael, nec ex aduentitia ſocietate in populo Iſrael, qui tamen huius ſacramenti participes fuerunt, cur non credamus etiã in cæteris hac atque illa gentibus alias alios fuiſſe, quamuis eos commemoratos in eiſdem auctoritatibus non legamus? Ita ſalus religionis huius, per quam ſolam veram ſalus vera, veraciterque promittitur, nulli vnquam defuit, qui dignus fuit, & cui defuit, dignus non fuit.* Hæc Auguſtinus. Adde quòd ille conatus, qualiſcunque eſt, quocunque iure diuino homines vterentur, & quibuſcunque ſacramentis eſſent initiati, etiam euangelicis, ſemper ab eo poſtulatus eſt, qui ex odio peccati à ſe commiſſi ad Dei gratiam ſaluti neceſſariam aſpiraret. De hac enim præparatione ad gratiam, quæ latiùs patet, & fuit omnibus omni tempore neceſſaria, differendum magis erat, quàm de illa altera hominem dignum, ſeu idoneum faciente, qui de Chriſti myſterijs diuinitus extra ordinem doceretur, quod paucis ſingulari Dei beneficio contigit. Nos enim & vt arbitror ij, qui tuam ſententiam ſciſcitabantur, non de priuilegio, ſed de communi priſcarum gentium conditione laboramus. Quod ſecundo loco Ethnicos Philoſophos à Paulo in epiſtola ad Romanos (cap. 1.) damnatos eſſe dicis, ſcis eo loco Paulum de improbis, & vitioſis, idolorumque cultoribus memorare, qui cùm Deum cognouiſſent, non ſicut Deum glorificauerunt. quorum hominum conditio in omri religione damnatur: nobis autem de viris ſapientibus, & optimis ſermo eſt, qui vnum Deum agnoſcebant, & venerabantur, eiuſque præceptis ad iuris naturalis præſcriptum obtemperabant. De quibus Paulus idem non ita multis verbis interiectis differens, non quòd auditores, ſed quòd factores legis eſſent, iuſtificatos eſſe teſtatur, quippe qui ſine doctrina Moſaicæ legis naturaliter, id eſt naturali ratione docti, præcepta legis eiuſdem ad mores ſcilicet pertinentia facerent. Hæc enim eadem ſunt vtriuſque legis veteris, & item euangelicæ communia, & omnia diuina. Quod obijcis poſtremò de fide Chriſti, quo præſidio ad ſalutem omni tempore neceſſario veteres philoſophos inſtructos fuiſſe negas, ſi claram & expreſſam fidem in philoſophis poſtulas, idem argumentum valebit in Hebræos. Quotus enim quiſq; veterum Iudæorum claram habuit Chriſti, eiuſq; myſteriorum notitiam, aut fidem? Non igitur aperta, & explicata Chriſti fides priſcis vel Hebræis, vel Gentilibus neceſſaria erat ad ſalutem, ſed intecta, & complicata ſatis fuiſſe præſidij, Theologi, magno conſentu declarant, auctorem adhibentes Paulum, qui ad Hebræos ſcribens (cap. 11.) *Oportet* (inquit) *accedentem ad Deum credere, quia eſt, & inquirentibus*

ſe remunerator exiſtit. Quem locum enarrans Thomas, *Gentilibus*, inquit, *qui ſalui facti ſunt, ſufficiebat credere, Deum eſſe remuneratorem, quæ remuneratio non ſit, niſi per Chriſtum.* Quam eandem ſententiam in ſumma Theologiæ repetit (22.q.2.ar.7.) præfatus paulò antè (q.1.ar.7.) illis Pauli verbis omnium articulorum fidem implicitam contineri. Quæ igitur obieciſti, ea parũ aut nihil videntur obſtare, quo minus Ethnici Philoſophi, qui Deum eſſe, & curam gerere rerum humanarum, præmium & pœnam pro cuiuſque merito retribuentem, credentes, rectè ex naturæ legibus vixerunt, ſalui fuiſſe cenſeantur, quo in numero vel in primis fuiſſe Ariſtotelem non tam ex aliorum ſermone, quàm ex ipſius ſcriptis licet exiſtimare. Nam vnum eſſe Deum optimum maximum, quanuis multis nominibus appelletur, multis in locis confirmat, vt in libr. 12. de prima Philoſophia. & lib. de mundo ad Alex. itemq; in lib. de motu animalium. in quo de ipſius immobilitate, & ſumma potentia Iouis nomine memorauit. Eundemque curam gerere rerum humanarum, & ſapientes maximè diligere & remunerari, Eth. lib. 10. (cap. 8.) teſtatur. Quod verò pertinet ad Ariſtotelis mores, ſcio ab eius iniquis, & inuidis Stoicis, Epicureiſque ſiniſtros quoſdam de ipſo ſermones fatos fuiſſe ad Ariſtotelicæ doctrinæ de moribus auctoritatem minuendam, vt cui ingenio & rationibus pares eſſe non poterant, hunc mendacijs, & calumnijs oppugnarent, vulgoque perſuaderent, Ariſtotelis vitam ab oratione diſcrepaſſe, ab eodemque ſua dogmata contrarijs factis, quorum eſt maius quàm orationis teſtimonium, fuiſſe damnata. Ariſtoteles enim qui omnem de moribus doctrinam ad communem hominum ſenſum, qui vim habet legis naturalis, & proborum hominum cõſuetudinem prudentiſſimè accommodauit, ſummum bonum, de quo eſt omnis Philoſophorum diſſenſio, in vſu virtutis nõ impeditè collocauit. Hanc enim partim aduerſa valetudine & calamitatibus, partim inopia earum rerum impediri docuit, quæ res adiumenta ſunt ad vſus vitæ, tum neceſſarios, tum etiam liberales. Itaque virtutem in ſummo bono, quæ felicitas quoque nominatur, principem locum obtinere, bona tamen corporis, & externa adeſſe oportere, ne virtus vtilibus, aut etiam neceſſarijs adminiculis & quaſi inſtrumentis deſtituta, infirmior ſit ad officia, & res prdclaras gerendas. Sed nec ſine voluptate vitam beatam contingere ſcripſit, non quauis, ſed ea, quæ ex vſu, & ingenerato habitu virtutis exiſtit, iramque, & cupiditatem, & cæteros affectus, ſi modum teneant, non eſſe à virtute & conditione ſapientis alienos, cùm in his moderandis virtus moralis ſit occupata. Epicurei voluptatem ſummum bonum eſſe contendebant, Stoici verò ſola virtute vitam beatam metiebantur, etiam, ſi quis vir optimus extrema inopia & maximis calamitatib. vrgeatur, reclamante Paulo, qui ad calamitates, quibus Chriſtiani initio naſcentis Eccleſiæ conflictabantur, intuens, in hanc vocem prorupit,

Si in hac vita tantùm sperantes sumus in Christo, miserabiliores sumus omnibus hominib.
Prætereà nec iram, nec cupiditatem in sapientem, quales se videri volebant, cadere contendebant, vt tacita contemptus rerum humanarum, & diuinæ cuiusdam constantiæ, & integritatis professione sese vulgò, & suam disciplinam commendarent. Ita cùm Aristotelis doctrina, & eius præceptis à natura ductis, vt Epicureorum libido & dissolutio, sic Stoicorum ineptiæ, & venditatio cum eorum existimationis iactura à Peripaticis conuincerentur, factum est, vt multi ex his duabus disciplinis, quæ post mortem Aristotelis inualescere cœperunt, æmuli & obtrectatores eius existerent Quorum vanitatem & petulantiam Suidas diligentissimus auctor, & idem prudentissimus paucis verbis adnotauit in verbo, Aristoteles, qui cùm de calumnijs Timæi cuiusdam in Aristotelem petulanter iactis memorasset, *Sed is*, inquit, *dum talia iactat, vix hominum numero mihi habendus esse videtur, circulator, petulans, & rabula loquacissimus. Aristoteles enim notarius naturæ fuit, cui scilicet natura ipsa scribenda dictabat, & qui calamo intellectum irrigabat, qui nihil fortasse rebus vtilibus indigebat: quanquam figmentum refellere maioris artificij est, & superuacaneum.* Cæterùm inuidendi calumniandique occasio inde primùm Græculis quibusdam leuiculis, & famelicis hominibus data est, quòd Aristoteles à Philippo Rege Macedoniæ vocatus, Lyceo relicto in aulam venisset, ibique pro virtutis, & doctrinæ magnitudine indulgenter fuisset habitus, quasi literarum studio, in quo solùm acquiescebat, & in quo dies ac noctes, vt res ipsa docet, ad extremum spiritum consumens extinctus est, contempto inertiæ sese, atq; desidiæ, & desidiosorum voluptatibus tradidisset. Quorum omnium leuitas, & impudentissima mendacia valido scriptorum eius argumento redarguuntur: tot enim libros Aristotelem in omni doctrinarum genere sapientissimè, & cum magna & consentiente hominum approbatione confeciisse constat, vt miremur eis elucubrandis vnius hominis ætatem sufficisse. Quo declaratur Aristoteles in studio literarum, & optimarum rerum contemplatione, id est, in optima virtute, & diuinæ felicitatis æmula omnem ætatem consumpsisse, iucunditate scilicet laborem minuente, quæ, vt periti nouerunt, & ipse expertus testatur Ethicorum libro decimo, maxima capitur, cùm ex omni virtutis habitu, & vsu, tum maximè intellectiuę, vt nec corporeas, turpesq; voluptates desideraret, nec locum, tempusue relinqueret ad eas fruendas, & more desidiosorum confectandas. Nam vt eodem auctore (Ethic. 10, c. 4.) & vsu rerum didicimus, vt res maximè placent, sic in eas quisque, & ex eis maximè operatur, voluptate opera perficiente, & absoluente, & philosophia voluptates præbet tum puritate, tum firmitudine mirabiles. Cuius Philosophiæ, quæ & sapientia dicitur, amor in animos rebus virtuti contrarijs occupatos, & criminibus contaminatos non cadit: *quoniam in maleuolam animam non intrabit sapientia, nec habitabit in*

bitabit in corpore subdito peccatis. Quod non solum de diuina illa sapientia, quæ virtutes omnes, in primisque theologales dictas complectitur, & suggerit, sed etiam de humanitùs inuenta Philosophia, & maximè morali verissimè dicitur. Moralis enim Philosophia, quæ latissimè patet, pertinetque ad omnes vitæ partes, & rerum publicarum, legumque ferendarum rationem, & moralium dogmatum, quæ à recta ratione æternæ legis imagine proficiscuntur, cognitio, & inuentio in vitiosum, & intemperantem hominem cadere non potest, cùm sit inquinata eius & mens, & conscientia, vt Paulus ait, hoc est corrupta ratio, & intellectus obcæcatus, ita vt mala pro bonis iudicet, & bona pro malis virtute destitutus. Quæ virtus causa est rectè de principio, vt ipse Aristoteles docet, existimandi. Principium autem in rebus agendis est finis, vt suppositiones in Mathematicis. Quo fit, vt vitiosus malè iudicet de fine, qui non solum voluptates corporeas infrænis consectatur, sed etiam maximè consectandas esse corrupta ratione iudicat (Ethic. 7. ca. 8) quo morbo qui laborat, is quomodo potest conuenienter rectæ rationi à qua ipsius vtraque animæ pars appetitus, & ratio longè abhorret, philosophari? & de bonis malisque rebus, quarum norma virtus & vir probus est (Eth. 10. c. 5. & 6.) rectè constituere, & præcepta dare? præsertim si quis, vt Aristoteles maximè fecit, non alienis vestigijs insistat, sed suo ingenuo, & iudicio nitatur, & alienos errores conuincat, cui ex suo de cæterorum bonorum sensu, ad quem omnia moralia præcepta accõmodãtur, iudicandũ est & statuendũ, quæ omnia cũ Aristoteles ex omnibus mortalibus qui via & ratione naturali philosophati sunt, rectissimè & prudentissimè præstiterit, non modò non vitiosus, sed vir optimus & temperantissimus fuisse certissima ratione declaratur, auctore item Augustino, qui in libro de vtilitate credendi, *Honestissimè*, inquit, *vir bonus fuisse creditur, cuius literis generi humano, posteritatiq; consultum est* Quòd si Aristoteles affectibus humanis, vt homo erat, nonnunquam cesserit, vt sæpe cessisse certum habeo, in multis enim delinquimus omnes, septiesque in die cadit iustus, & optimus est, qui minimis vrgetur, ijs tamen qui longo vsu virtutis habitum induerunt, post peccatum pœnitentia statim animum subeunte, facilis est ad insitam virtutem receptus, & expeditior in gratiam cum Deo redeundi conatus. Qua in causa si quis validis argumentis non contentus, testes etiam requirit, vnum scilicet qui pro multis sit, producamus Philippum regem Macedonum, de quo suprà mentionem feci, Principem, vt inter auctores constat, grauissimum & prudentissimum, cuius auctoritate, quæ omni ponderè grauior est habenda quàm omnia malè uolorum testimonia, facilè iplorum calumniæ conuincuntur. Extat eius ad Aristotelem epistola, qua se Alexandro filio auctum esse certiorem eum facit, seque dijs immortalibus gratias agere profitetur, non tam quòd sibi

natus

natus sit filius, quàm quòd Aristotelis tempore natus, à quo educatum eum, & doctum se regniq́ue successione dignum euasurum speraret. Qua in re non solùm ad ingentem doctrinam, sed multò etiam magis ad probatissimos Aristotelis, & publica fama commendatos mores regem sapientissimum spectasse, ipse suis verbis perspicuè declarat. Accenit Plutarchi auctoris grauissimi testimonium, qui de hac ipsa re in Alexandri vita memorans, *Philippus cernens ingenium Alexandri talle esse, quod cogi omnino nollet, facile autem sermone ad officium faciendum perduci haberetur, ipse etiam suadere potius quam mandare ei instituit: musicesque & encicliorum doctoribus haud satis institutionem eius credens, quam rem maioris negotij futuram arbitraretur, (vt est apud Sophoclem) Quod frena multa, multaque gubernacula desideraret, Aristotelem Philosophorum clarissimum & sapientissimum accersiuit;* vt filij scilicet mores à turpitudine cohibendo, ad virtutem & honestatem incitando formaret. Quod à magistris non solùm ratione & verbis sed multò magis vita, & exemplo rectè factorum præstatur: verba enim cùm discrepant à vita, vt idem Philosophus ait Eth. 10. non sunt nisi verba, id est inanis, & infirma ad fidem faciendam ostentatio. Qualis erat eorum, de quibus Paulus ait, *Confitentur se nosse Deum, factis autem negant* Sed hæc hactenus, de quibus libenter feci, vt paulò verbosiùs loco non alieno memorarem, vt optimo & sapientissimo viro optimeque de mortalibus præsertim nostri ordinis merito, apud te virum probum & doctum, eiusque philosophi inprimis studiosum iusto aduersus inuidorum, & maleuolorum obtrectationes patrocinio gratiam aliquam referrem. Vale. Ex Mariano Sexto Idus Maij. 1554.

ARGVMENTVM.

Petro Serrano, à quo monitus erat vt istis temporibus vitaret paradoxas opiniones, respondet, falsoque de se dissipatum rumorem, quod dogma illud probaret simplicem fornicationem non esse peccatum. qua occasione verbosius agit de suorum inuidorum calumnijs.

Ioannes Genesius Sepulueda Petro Serrano Doctori Theologo.

S. P. D.

EPISTOLA XCII.

SCribis ad me Serrane doctissime, & pro iure nostræ amicitiæ mones, vt cautiùs agam, diligenterque his periculosis temporibus vitem paradoxas opiniones. Admonitio nimirū prudentissima, & ab optimo, & amicissimo animo profecta, sed mihi tantoperè probata sponte mea, vt iam pridem in hoc maximè sim occupatus, vt dogmata paradoxa refellam, & eatuear, quæ communi hominum sensui, qui sapientibus est pro lege naturæ, ac proinde diuina, sint consentanea, & qui-

quibus omnes homines probi,& religioſi, cùm res vſu venit,factis ſuffragantur.Quod eſt multò certius , & efficacius cuiuſque ſententiæ teſtimonium in rebus agendis , quàm verborum: verba enim cùm à vita diſſentiunt, vt philoſophus ait, non ſunt niſi verba (Ethicor.10.) Quo pertinet illud Pauli ad Titum (cap.1.) *Confitentur ſe noſſe Deum, factis autem negant.* Tu igitur vide, ne quas in meis ſcriptis opiniones paradoxas vocas hæ inſitæ ſint omnibus hominibus, & publicæ mortalium perſuaſioni, id eſt legi naturæ congruentes , cuius tanta vis eſt,vt euangelica præcepta ad mores pertinentia, quæ dura eſſe & paradoxa videntur,à ſacris doctoribus interpretatione molliantur, & in eum ſenſum reuocentur , qui communi hominum perſuaſioni & cæteris moralibus præceptis , quæ ad naturæ normam diriguntur, nihil repugnet. Non enim nobis de fide eiusque vocatis articulis ſermo eſt, in quibus oportet,vt verbis vtar Pauli, omnem intellectum in captiuitatem redigere in obſequium Chriſti (2. Cor. 10.) Quod igitur pertinet ad morum præcepta,vter magis in paradoxis verſari dicendus eſt,qui ea præcipit,quæ mens humana reſpuit, nullis ingenioſorum hominum acugis , quàm probabilibus inuentis præoccupata, quæque pugnant cum proborum hominum communi conſuetudine, an qui publicum bonorum morem,qui pro lege naturæ eſt, vt dixi, maximè tuetur? & ſuam ſententiam tum magnis auctoribus defendit, tum ijs rationibus confirmat, quas contradicentes potentiſſimas , & vrgentiſſimas eſſe confiteantur? quòd amico illi noſtro, viro alioquin doctiſſimo in eas accidit, quibus ipſi noſtram ſententiam in cauſa illa matrimonij citra tamen aſſerendi temeritatem confirmabamus.Qui ſe non videbat ea confeſſione,dum aliud ageret, noſtram opinionem veram eſſe , & à nobis demonſtratam teſtificari , quid eſt enim ſuam ſententiam in cauſa morali veram eſſe demonſtrare,ſi hoc non eſt? eandem potentiſſimis, & vrgentiſſimis rationibus confirmare? cui confeſſioni ſimillimum illud eſt, quod erat in eadem epiſtola tua, huiuſmodi eſſe probationes per me in illa altera huic cauſæ finitima quæſtione allatas,vt eis nullis niſi commentitijs rationibus poſſit obſiſti.

Quod autem ad te fama perlatum eſſe addis, dogma illud Theologorum cõſenſu damnatum mihi probari, ſimplicem fornicationẽ nõ eſſe peccatum,nihil miror,hunc rumorẽ ab eis auctoribus ſparſum eſſe, à quibus alter multò periculoſior,multòq; latiùs patens, vnde hic emanauit;diſſipatus fuerat,de quo non eſt hic locus diſputandi. Neq; verò hæc prima fuit iſtorũ calumnia, ſed ex alia ſuperiore, & impudentiore manauit.Nam cum ego de cauſa matrimonij difficillima, (cis quam dico , Compluti conſultus , & me nihil pro certo in reſponſione aſſeueraturum profatus,Euſtratij dictum anceps, & ſuſpectum, ſed parum diſcrepans à facto Iudith ſacra hiſtoria celebrato, & ab eo, quod

ab

ab Augustino de muliere Antiochensi lib.1.de sermone Domini in mõte traditur,retulissem,isti de meo sermone,& responso cũ resciuissent, pro suo candore & æquitate, quod ego auctori nominatim citato placuisse dixeram, id ex animi sententia à me dictum esse iactauerunt, ex eodem quoq; periculum mihi, nisi eis negotium facessere desisterem, per amicos denuntiantes,loco scilicet iniuriæ ponebant, quòd ego in mea sententia de iustitia belli barbarici tuenda constanter perseuarem:quàm ipsis inuitissimis non solùm Romæ, & per omnem Hispaniam,sed etiam per omnem Christianum orbem doctis omnibus,nõ pertinacibus probaui. Itaque cùm veris rationibus me nec per se, nec per amicos calumniarum artifex refellere posset, ibi quoque ad mendacia descendit.Scripseram ego in libro de iustis belli causis, & certissima ratione à legibus diuinis, & naturalibus, decretisq; Ecclesiasticis ducta,docueram,ius esse & fas Barbaros noui orbis in Christianorum ditionem à nostris principibus redigi,non vt bonis,& libertate, quod esset iniurioſum,spolientur,sed vt barbaris moribus sublatis, & obsistẽdi Euangelicæ prædicationi facultate dempta, paratiores fierent ad Christianam religionem excipiendam : isti me improborum quorundã militum, qui dedititiorum Barbarorum bonis per iniuriam, & auaritiam direptis,ipsos in durissimam seruitutem redigebant,patrocinium suscepisse,non voce modò, sed excusis etiam libris impudentissimis,& turbulentis, vt de insana, ne dicam impia doctrina taceam, prodiderunt,vt meum scilicet librum infamarent, in quo ipse clarissimis verbis censere me conscripseram, in eosdem milites seueriſsimè, vt in latrones,& plagiarios esse vindicandum. Quinetiam contentionis initio,ne quem calumniæ lapidem immotum relinquerent, per omnem regiam aulam, & apud omnes regiorum consiliorum senatores singulos adeuntes,& appellantes rumorem disiparunt, me ad eum librum conficiendum animum appulisse,non quòd ita sentirem, vt scribebam, nec officio & pietate ductum, quemadmodum prædicarem, vt gentis nostræ,nostrorumque Principum,quos ipsi non malitia, tyrannidis nomine,sed per errorem, & ipsorum optimi iuris ignorationem infamauerant, existimationis in sua iustissima causa patrocinium susciperem,sed mercede conductum, vt venalem scribendi operam quinque aut sex ducatorum aureorum millibus locatam latronum ducibus præstarem.Deinde cùm parum proficerent,& flagitiosum impudentissimumque mendacium, vt erat tum per se improbabile,tum auctoris notissima versutia,& vanitate suspectum, nemini persuaderi animaduerterent,hoc omisso,ad alias artes, aliaq; figmenta confugerunt.Sed hæc vetustiora. Illud recens, quod tibi notũ esse oportet, & mihi nuper ab amico viro graui & docto perscriptum est, rumorem Compluti à meis obtrectatoribus sparsum increbuisse,me à vindicibus

hęreticorum, quos Inquisitores nominamus, vocatum retentumque fuisse, vt rationem redderem quorundam locorum in meis scriptis suspectorum. At me nulla ex parte huiusmodi suspicionibus obnoxium sciunt omnes, non solùm Cordubæ, cùm adsum, ab Inquisitoribus viris doctissimis & grauissimis, sed etiam cùm ad aulam regiam commoramur, ab ipsis regij tribunalis summæ auctoritatis iudicibus ad dubias hæreticorum causas cognoscendas cum alijs probatæ fidei, atque doctrinæ Theologis adhiberi solitum, tantum abest, vt de me meisque scriptis sinistrum aliquid viri grauissimi & sapientissimi suspicentur. Sed de meorum iniquorum calumnijs hactenus, de quibus vt paulò verbosiùs tibi rescribens commemorarem, me impulit locus epistolæ tuæ, de simplicis fornicationis calumnia, vt his rebus omnibus cognitis, etsi bonam partem tibi aliunde cognitam esse non dubitabam, & ipse intelligas, & pro tua in me mutua beneuolentia cæteros admoneas, si quid tale de me iactatum fuerit, nec temerè rumoribus esse credendum, & de mea sententia, non ex maleuolorum per calumniam fato sermone, sed ex meis incorruptis scriptis statui oportere. Cæterùm quòd maleuolorum & iniquorum meorum sępè mentionem feci, nolo te putare meam querimoniam ad plurimos pertinere. Nam vt in causa belli barbarici pauci, & hi forsitan non ex animi sententia, certè sine acerbitate à me de veritate dissentiunt, sic ad calumnias pauciſsimi descenderunt, hoc est, vnus aut alter, sed qui pro multis sit versutia & loquaciſsima vanitate. Vale.

ARGVMENTVM.

Michaeli Metinæ Franciſcano ostendit, locum illum Aristotelis. Laudabile est inimicum vlciſci potius, quam reconciliari, *contra aliquorum opinionem, non abhorrere à Christianis institutis, & in fine de loco animæ rationalis disserit.*

I. Geneſius Sepulueda Michaeli Metinæ monacho Franciſcano

S. P. D.

EPISTOLA XCIII.

NIHIL miror, venerande pater, te, qui monastica vita, & instituto religioso morum perfectionem, & iniuriarum tolerantiam profiteris, verbis Aristotelis offendi, quibus laudabilius esse tradit iniurias perſequi, quam in gratiã cum inimicis redire, idq; viri fortis officij rationem postulare. Quo præcepto Aristotelẽ nullum veniæ, ac misericordiæ locum apud virum fortem relinquere, tibi videri scribis, & quid de hoc sentiam, per epistolam percunctaris. Ad quam quæstionem non ex tempore, quæ in mentẽ venerint, sed meditata respondebo, ea

debo,ea scilicet,quæ iam pridem respondi cũ Alexius Venegas vir non solùm humaniorib.literis in primis eruditus, sed etiam in studio Theologiæ versatus Madritij apud me in colloquio familiari, & eodem literario,cui Honoratus Ioannes vir nobilis & doctissimus aderat, id ipsum Aristoteli me quoque eadem oratione perstringens obiecisset: is enim cum in Aristotelis mentionem incidissemus, me huiusmodi oratione compellauit,Quid tu,inquit,qui Aristotelis præcepta, vel vt naturæ ipsius oracula proferre soles,perstas ne in sententia,vt Aristotelicam doctrinam,cum de virtutibus agitur, & contrarijs vitijs, maximè cõuenire putes cum Christiana philosophia? At ego multa in eo philosopho præcepta notaui, quæ longissimè abhorrent à Christianis institutis,quale illud in primis est, quod primo de Rhet.ad Theodectem libro scriptum reliquit.*Laudabile est* inquit,*inimicos vlcisci potiùs, quàm reconciliari Nam malum pro malo reddere iustum est;& omne iustum laudabile. Præterea fortis est,inuictum esse.* Et addit,Euangelica Christi doctrina inimicos diligere nos iubet,Petri, Pauliq́ue præcepto malum pro malo reddere vetamur,Aristoteles tuus simultatem alere,iniuriasq; persequi iubet, & malum pro malo reddere,magnæ virtutis opus esse confirmat.Hæc igitur doctrina,quæ impia sibi, & nefaria esse videretur, quomodo cùm vera & Christiana philosophia non pugnet, me,si possem, docere iubebat,aut temperantiùs agere in studio Ethnici Philosophi, ne falsis, & impijs eius dogmatis,per Philosophiam scilicet, & inanem fallaciam, quod Paulus monet, decipiamur. Ad hæc ego summatim voce, quę mihi visa sunt,postridiè autem scripto latius explicatis rationibus respondi. Cuius meæ disputationis summa paucis repetenda tibi ad eandem quæstionem respondebo. Nec ibo inficias, me Aristotelem tantifacere,vt eum naturæ interpretem mortalium omnium sagacissimum,id est philosophorum facilè Principem fuisse putem, sed ita, vt eum hominem fuisse meminerim, quem multa ignorasse sit necesse: illud tamen affirmo,quæ Aristoteles non viderit, in quibus rebus elaborauit,hæc vt acie ingenij à natura tributa quisquam videat,lynceum esse,& omnium oculatissimum oportere. Hoc autem quod à vobis objcitur refellere,& doctrinã,quæ vobis à dogmatis Christianis tãtoperè videtur abhorrere, tueri,si æqui esse volumus, non erit fortasse difficile. In qua quæstione illud in primis meminisse oportet,præcepta de iniurijs patienter ferendis,& inimicis diligendis,quæ Euangelicis, & Apostolicis scriptis traduntur,& cætera id genus, non ad communem vitam, & morem popularem, sed ad sapientium perfectionem, vel ad cuiusuis animi prę̃parationem,vt Augustinus docet,pertinere. Sic enim Christianum animatum esse oportet, vt si hoc ratio charitatis poscat, iniurias patientissimè ferre non sit recusaturus:hoc autem si absit, nec pietatis ratio, ac humanitatis adhortetur, iniurias persequi, &

auctores vlciſci,nec à Chriſtianis inſtitutis abhorret, nec æternæ legi eſt alienum. Illorum igitur Ariſtotelis verborum non ea vis eſt, vt eo auctore laudi detur,ſi quis odium aut iram explendi cauſa, inimicum vlciſcatur,eidemq; illatæ iniuriæ pœnitẽti,& veniã ſuppliciter poſcẽti ſeſe præbeat inexorabilem: hæc enim longè aliena ſunt ab eiuſdem philoſophi doctrina,& magnanimi, fortisque hominis officio, quem ipſe Ethicorum libro quarto facilè iniuriarum obliuiſci docet his verbis,οὐ δὲ μνησίκακος οὐ γὰρ μεγαλοψύχου, τὸ ἀπομνημονεύειν, ἀλλὰ κακὰ, ἀλλὰ μᾶλλον παροράν. Non igitur trucem, & inexorabilem animum gerere,quod barbarum eſt, & inhumanum, Ariſtotelis approbatione commendatur,ſed fortem,& conſtantem eſſe in hominum ſuperborum,& violentorum iniurijs tum in ſe,tum in cæteros bonos,aut etiam in Rẽpublicam illatis vindicandis,& coẽrcendis. Nam vt pœnitentibus,& ſupplicibus veniam pernegare puſilli animi eſt, & à Chriſtiana philoſophia,& humanitate penitus auerſi,ſic illud iuſtitiæ, magnæq; virtutis iniurias perſequi potiùs,quàm iniuſtis, & inſolentibus hominibus remittere,quorum importunitas, niſi coërceatur, eiſdem, quos ſemel læſerint,periculoſa ſit,aut etiam ſpectet ad Reipub. malum. Talibus enim hominibus malum pro malo reddere, iuſtum eſt, & Reipub. ſalutare,cùm impunitas,ac indulgentia prauis hominibus, vt ait Ambroſius,inuitamentum ſit peccandi:tales enim propriè inimici dicuntur,aut hoſtes,non qui pœnitente animo parati ſunt de iniurijs ſatisfacere. Nec intereſt,ciues ſint,an externi, niſi quòd in alteros legib. in alteros iuſtis armis vindicatur. Nam iuſta bella, vt ait Auguſtinus, definiri ſolent,quæ iniurias vlciſcuntur. Cæterùm iniurias aliter Princeps ſeu magiſtratus,aliter priuatus perſequitur,ille,*qui*,vt verbis vtar Pauli,*miniſter Dei eſt, vindex in iram ei, qui malum agit, per ſe, & ſua*, quæ eadem eſt Reipub. auctoritate, priuatus autem præſidio legum, & Principis officium implorando,vterque ex lege diuina,& naturali, qua iniuſtorum,ſuperborumq; crimina,ne bonis ampliùs & Reipub. noceant, iuſtiſsimè vindicãtur. Itaq; huiuſmodi vindicationes ad inimici non malum,præterquàm ex accidente,ſed emendationem,& coërtionem, nec ad explendam iram inferendo dolore, ſed magis ad ſuum, ſuorumúe aut etiam Reipub. periculum depellendum, denique ad impendentium iniuriarum propulſationem, & iure naturali conceſſam defenſionem ſpectant, vt praui homines, & violenti, qui ferè venia & facilitate,vt dixi,quam ſæpe ignauiam eſſe interpretantur, ad nouas iniurias inuitari ſolent,timore deterreantur,aut eiſdem per iuſtam necem peccandi poteſtate ſublata,bonorum & Reipub. ſaluti, otio & tranquillitati proſpiciatur. In quam ſententiam à Thoma ſecundi libri ſecunda parte(quæſt.108.art.1.)prudentiſsimè,vt ſolet, diſputatur.

Tunc

Tunc igitur inimicos constanter vlciſci Ariſtoteles probare censendus est,cùm iniurias negligere, & cum superbo inimico in gratiam redire, turpe esset,ac vitiosum,vt est,si temere fiat & ignauè, & cum certo bonorum,aut etiam Reip.periculo.Nam odium non quidem iniustitiæ, & criminis,prauorumque morum,sed hominis animo deponere, semper ratio postulat non religionis Christianæ solùm,sed etiam humanitatis. Quod deinde quæris de loco animæ rationalis quid sentiam, num eam putem totam singulis corporis partibus adesse, an corde duntaxat, vt Ariſtoteles innuere videtur,contineri,ego à Thomæ,hanc quæstionem primæ partis.q.76.arti.8.differentis sententia non abhorreo:qui nō modò rationalem,sed etiam cuiusuis perfecti animalis animam totam esse docet in toto corpore,& totam in quauis parte,totam autem,id est,secundùm omnem sui perfectionem,& essentiam : non autem secundùm omnem dimensionem,cùm sit expers quantitatis, nec secundùm omnē virtutem & potentiam:sic enim tota est in toto,& pars in parte, in oculo exempli gratia, secundùm videndi virtutem,in auribus secundū virtutem audiendi.Cęterùm in corde,vt in principe instrumento non mouendi solùm,sed etiam sentiendi. Quapropter idem Philosophus in libro de motu animalium in corde animæ sedem esse dicit, scilicet vt in primo & communi sensorio , primoque instrumento cætera membra, totumque animal mouendi.Vale.

ARGVMENTVM.

*Eidem Michaeli Metinæ respondet,quid sentiat de ista quæstione quæ Compluti magna contentione disputata fuerat.*Num fas sit homini Christiano,vt amici saluti consulat,mortem,quam vitare possit,oppetere.

I.Genesius Sepulueda Michaëli Metinæ Monacho Franciscano.

S. P. D.

EPISTOLA XCIV.

MAGNA nuper contentione Compluti disputatum fuisse scribis inter viros eruditissimos,& Theologię proceres;Num fas sit homini Christiano,vt amici saluti consulat,mortem,quam vitare possit,opperere.Alijs ius naturæ vrgentibus,quæ non patitur, vt cuiquā alter charior sit,quàm ipse sibi,alijs contra hæc doctrinam euangelicā, & Christi exemplum allegantibus. Nam Euangelio Ioannis (c. 15.) ea charitas maximè commendatur, si quis animam suam ponat pro amicis suis,& Christus pro genere humano sponte mortem subiuit ; *Oblatus est enim,quia ipse voluit* (Esaiæ.53.) Cuius exemplum sequendum nobis esse, docet Ioannes idem,alio in loco (1.Ioan.3.)cùm ait, *Deus animam suam pro nobis posuit,& nos debemus pro fratribus nostris animas ponere.* atque hæc quidem

ſcribis,& vtra mihi ſententia magis probetur,exquiris. Obſequar igitur voluntati tuæ, atque eo minùs grauatè quod licèt magni negotij ſit, doctiſsimorum hominum controuerſiam vero ſtatuendo dirimere, tamen vtro mihi ſententia magis placeat, ſubiectis rationibus explicare, non fuerit ita difficile, nec tè longiore ſermone tenebo, quàm modus epiſtolæ patiatur. Illud autem in primis conſtitutum eſſe debet, nullam legem euangelicam, quæ quidem mores attingat, à iure naturali diſcrepare. Nam, vt omnia vera inter ſe cõcinunt (Ethico. 1.) ſic omnium iuſtarum legum magna quædam eſt inter ipſas conuenientia, quo fit, vt lex nulla poſsit eſſe iuſta, quæ diſcrepet à iure naturali. Nam etiam in temporali lege, vt ait Auguſtinus (libro. 1. de libero arbit.) Nihil eſt iuſtum, ac legitimum, quod non ex lege æterna homines deriuauerint, per legem ſcilicet naturalem, quæ ipſius imago eſt in cordibus hominum impreſſa. Cæterùm multas eſſe cauſas, cur vir fortis certum mortis periculum piè pro alijs, & cum laude ſubeat, nemo ignorat: nam pro patria & Repub. quo pertinet exemplum Chriſti, qui pro genere humano mortem oppetiuit, & pro religione vir probus, & fortis, ſi officium poſcat, mori non recuſabit, vt plerique pro patria pugnantes, & plurimi martyres, pro religione fecerunt. nam bonum hoc maius eſt, & magis aſciſcendum, quo pertinet ad plures (Ethic. 1.) item pro parentibus, qui iure naturæ chariores nobis eſſe debent, quàm noſipſi, vt docent Philoſophi (Ethi. 9. c. 2.) Eos quoque vel cum periculo vitæ noſtræ temporalis defendere fas eſt, qui noſtræ fidei commiſſi ſunt, præſertim in ipſorum animæ periculo. Nam ſocij, ſiue proximi animæ ſalutem ſaluti ſui corporis anteferre, pietatis eſſe, conſenſus eſt Theologorum, & Euangelico præcepto de boni paſtoris officio docemur, nec id munus poteſt ſine ſcelere præteriri. Quin etiam ignotum hominem armis ab iniuria tueri, ſi poſsis (quod plerunque non ſine periculo fit) ad officium pertinere, Ambroſius docet exemplo Moſis (Officio. libro. 1.) Alia ratio eſt, ſi quis amicitiæ duntaxat gratia nullis alijs grauioribus rationibus adhortantibus, mortem ſubeat, quo alterius ſaluti conſulat, vt de Pylade & Oreſte Tragici Poêtæ, vt eſt apud Ciceronem in libro de Amicitia, memorant, quorum amiciſſimè facta cùm in ſcena proferuntur, admirationem magis imperitæ multitudini mouent, quàm à viris grauibus id vnquam in homines ſanos cecidiſſe creditur aut iuſta laude dignum eſſe exiſtimatur, cùm fieri non poſsit ſine ordinis naturalis perturbatione, quæ vetatur æterna lege, vt docet Auguſtinus, eſtque ab ordine charitatis auerſum, vt alterum plus animo, vel opere diligas, quàm teipſum. Nobis enim noſtra vita, & ſalus, noſtraque commoda, quàm aliena, chariora eſſe debent iure naturæ, exceptis Deo, & parentibus, quorum charitas latè patet, & eſt cum religionis patriæque

& Rei-

& Reipub. dilectione coniuncta. Nam suas facultates minuere, & alterius commodis liberaliter, cùm res poscit, seruire, non est alterum opere plus, quàm se diligere, nec idcirco vacat culpa, quòd de rebus, quorum domini sumus, liceat nobis arbitratu nostro constituere, cùm id fiat sine alterius iniuria, vt nuper quidam magni nominis Theologi non solùm de pecunia temerè profusa, sed etiam de fama sua à se consultò læsa, fallò prodiderunt: idque Ambrosij perperam, vt equidem certum habeo, & in ipsius magnam iniuriam conficto exemplo confirmare nituntur, quem ascitis domum meretricibus, seipsum infamare conatum esse imprudentissimè, nescio quis, si non etiam calumniosè commentus est, ne Mediolanensis Episcopus propter bonam famam inuitus constitueretur. Non animaduertentes in exemplo, quod probant, & similibus infamiam per falsa crimina, & perniciosa, non verborum, sed factorum mendacia stultissimè, ne dicam impiè, & contra charitatem sui, & Reipub. quæri. At licet cuique reb. suis, vt velit vti, fateor, non tamen temerè prodigorum & amentium more, sed ad normam virtutis, vt faciunt liberales, & intra fines honestatis, & prudentiæ, quos non sine culpa, & delicto transieris. Nam quod aiunt, si quis volens suam pecuniam profundat, vel famam violet, facto omnem iniuriam abesse, quippe quæ volenti non infertur (Ethic. 5.) ac proinde peccatum, dupliciter opinione falluntur. Primùm sine iniuria fieri putant, quod fit cùm iniuria Reipub. cuius interest, ne quis re sua malè vtatur (Qui sint sui, vel alieni iuris inst.) deinde neminem peccare existimant sine alterius iniuria, quod tamen sæpe intemperantes faciunt, & incontinentes. Dilapidator igitur rerum suarum, aut etiam famæ violator, sibi iniuriam non facit, tamen sibi temerè nocet, ac magnarum virtutum instrumenta adiumentaque stultissimè profundit, ita cùm faciat contra charitatem grauiter peccat, à qua temeritate & iactura procul abest liberalis, qui rei familiaris detrimentum cum longè maiore commodo humanitatis, pietatisque, & bonæ famæ compensat. Pro altero igitur mortem oppetere amicitiæ duntaxat gratia, contra iura humanitatis esse opinor, & legem tum Euangelicam, quæ iubet proximum tanquam seipsum diligere, id est secundùm se, & æternam quæ ordinis naturalis perturbatione violatur. Cuius sententiæ auctorem habemus Augustinum, qui in libro de mendacio (cap. 5.) *pro vita* inquit, *temporali proximi, si quis suam ipsius temporalem perdat, non est tam diligere sicut seipsum, sed plusquàm seipsum*, quod famæ doctrinæ regulam excedit, hoc autem sic accipiendum est, nisi fortè amicus is esset, in cuius discrimine Reip. salus ageretur, vt rex, vel exercitus ductor: tunc enim officium non tam amico, quàm toti Reipub. præstaretur.

ARGVMEN-

ARGVMENTVM.

Ioannem Corduham Ecclesiæ Cordubensis Decanum laudat, quod ædes, quas in Iesuitarum cœnobium & publicos studiosorum vsus dicauerat, nouis ornamentis, decorarit, eñque instruit de patria Aristotelis & Quintiliani, quos Cordubenses putabat.

I. Genesius Sepulueda Ioanni Cordubæ ecclesiæ Cordubensis Decano, & Abbati Rutensi.

S. P. D.

EPISTOLA XCV.

NVPER amicorum literis certior factus sum, te magnificas ædes, & magnis à te impensis Cordubæ ædificatas, quas in Iesuitarum optimorum, & religiosorum hominum Cœnobium, & publicos studiosorũ adolescentiũ vsus pro tua insita liberalitate, & magnificẽtia dicaueras, nouis ornamentis decorare, & eam partem, quam tibi habitandam reseruasti, virorum scientia clarorum, quos Corduba tulit, imaginibus cum elogijs illustrare, scilicet vt eorundem adolescentium animi propositis exemplis ad maiorum suorum industriam, & gloriam æmulandam magis excitentur, qui nuntius pergratus, perque iucundus mihi fuit. Nam me cùm omnia virtutis documenta delectant, tum ea maximè, si qua in patriæ decus à meis ciuibus eduntur. Nam ego quoq; me φιλόπατριν esse profiteor, sed vt hoc tuum factum, institutumque laudo, & amplector, sic officij mei esse duco, vt te horter, id quod est grauitatis & prudentiæ tuæ, vt in congerendis talibus viris nostræ ciuitatis alumnis ne cupidiùs agas, neúe committas, vt studio, & nimia patriæ charitate inductus, aliena inuadere videaris. Audio enim te testimonia nescio quorum haud prorsus repudiare, qui Aristotelem etiam, non modò Quintilianum, Cordubensem fuisse somniarunt, idque memoriæ prodiderunt. Quanquam de Quintiliano, si erratum est in eo, faciliùs fuerit veniam ab æquis iudicibus impetrare, quippe cuius & patria ignoratur, & de natione non satis constat inter eruditos. De quo Hieronymus aduersus Vigilantium Calagurritanum scribens, ipsum quoque Quintilianum Calagurritanum fuisse innuit. Laurentius Valla, vt erat Romanus, & Quintiliani studiosissimus, Italum eundem, & ciué suum fuisse contendit, publica tamen persuasio nostræ nationi Quintilianum attribuit, cui persuasioni Eusebius Cæsarensis suffragatur, dum Quintilianum ab Imperatore Galba ex Hispania scilicet, vbi fuerat imperium adeptus, Romam perductum fuisse in libro de temporibus memorat. Nihil igitur mirum est, extitisse ex nostra ciuitate, qui communem opinionem secuti, Quintilianum per Hispaniam in certis sedibus vagan-

vagantem in suam vrbem Senecarum, Lucani, Gallionis illius æqualium, & multorum præterea superioris, & inferioris ætatis doctissimorum virorum patriam recipiendum, & Cordubensi ciuitate donandum putarent, cùm de Homeri poêtæ natali solo septem vrbes contendant, Smyrna, Rhodos, Colophon, Salamin, Ios, Argos, Athenæ, quarum vrbium sibi quamque cæteris repugnantibus Homerum pro suo ciue vendicasse constat. Aristotelem autem Stagiritam fuisse, quæ vrbs, auctore Suida, Thraciæ est, omnes eruditi consentiunt, & vulgatissima ipsius operum inscriptio declarat. Vt enim Apelles Cous, Democritus Abderita, Thales Milesius à patria, sic Aristoteles Stagirita vetustissima, & constantissima doctorum consuetudine nominatur. Aristotelem igitur cum bona gratia dimittamus, & in Thraciam Græciamque mandemus: aut si retineri placeat, vt sapientium à te institutum chorum illustret sua claritate, vel eo nomine, quòd philosophi Cordubenses ferè hoc duce tantos in philosophia fecere progressus, vt hospes erit, non vt ciuis, sed in locum honoratissimum, qualis Coryphæo philosophorúque Principi conuenit, recipiendus. Quod verò ad me attinet, quē ipse dum tuæ in me ornandum, meamque dignitatem augendam propensæ voluntati indulges, in tantorum virorum numerum & chorum pro tua largitate retulisti, tibi gratiam etiam atque etiam habeo, hoc enim maior est tua in me ornando liberalitas, quo minùs meo merito hoc mihi tribuis, quod ego nec agnosco, nec postulo, nec equidē tali me dignor honore. Tu igitur vide, ne dum in augenda vnius amici, atque clientis fama, idque ante mortem, quæ solet inuidiam extinguere, prodigus es, restrictior in alios esse videaris, & multorum animos offendas. Sunt enim non pauci, qui aliorum laudibus suas minui putant, & alienæ virtutis, & industriæ commendatione ità cruciantur, quasi eadem sit ipsorum ignauiæ, & vitiorum exprobratio. Vale. Ex nostro Putalbano secessu. septimo Calend. Octobris. 1555.

ARGVMENTVM.

Ioānes Corduba Genesio Sepulueda gratias agit quod se de Aristotelis patria instruxerit, & reddit caussam quare ipsum adhuc viuum reliquis virorum clarorum Cordubensium imaginibus præposuerit.

Ioan. Corduba Ecclesiæ Cordubensis Decanus, & Ruti Abbas Io. Genesio Sepulueda S. P. D.

EPISTOLA XCVI.

LIteras tuas, vir vndecunque doctissime, non minùs beneuolentiæ, quàm eruditionis, & humanitatis plenas maxima cum lætitia ac-

cepi,quibus ita ſum delectatus,vt noſtræ neceſsitudini,cui nullam poſſe fieri acceſſionem arbitrabar,hoc tui amoris tum in me,tum etiam in patriam teſtimonio maximum cumulum acceſsiſſe confitear, quòd te tantum virum ampliſsimis & Cæſaris Inuictiſsimi, & Chriſtianæ Reipub.negotijs occupatum,mearum & patriæ rerum ita ſatagere videam, vt inter hæc ipſa tanti ponderis negotia, me quoque eorum, quæ aut quorundam auctoritate ductus,aut nimio patriæ illectus amore forſan erraſſem,humaniter admonendum curares. Quam quidem amantiſſimam admonitionem eo animo accipio, vt vel hoc nomine me plurimum tibi debere ſentiam, & patriæ noſtræ, quæ te tanta ſapientia clarum veluti ducem nobis tribuit, vehementer gratulandum cenſeam.Tuis autem literis reſponſurus, etſi me longè imparem cognoſco, tamen ne inhumanus videar, ſi à tanto viro prouocatus prorſus obticuero,illis,vt potero,ordine reſpondebo. Quòd noſtram erga ſocietatem Ieſu liberalitatem iucundam tibi fuiſſe dicis,valde lætor: nam etſi erga illius religionis viros propter eximiam ipſorum pietatem eum affectum indui, vt nunquam me huius facti pœnitudine capiendum putem, tamen confirmantur noſtra conſilia, cùm ſentimus prudentibus, fideliterque ſuadentibus idem videri.Quod autem in accumulandis viris, quorum imagines in huius noſtræ domus penetralibus depingendas curauimus, tum vt tantos viros noſtræ Cordubæ ampliſſimum ornamentum ab obliuionis iniuria, quoad eius fieri poſſet, liberaremus, tum etiam vt iuuentuti noſtræ ad conſimilia ſtudia amplectenda ſtimulos adderemus, erratum à nobis ſcribis, ſic habeto, nos veterum hiſtoriarum aliquantum rudes, vtpote qui in alijs ſtudijs vitam conſumentes, parum huic inuigilauimus, quorundam virorum alioqui doctiſſimorum auctoritate perſuaſos Philoſophorum principem Ariſtotelem inter Cordubenſiũ imagines, vt Cordubæ prolem depinxiſſe, nulli iniuriam fieri ratos. Tantum namque omnium ſcientiarum torrentem ex vberrimo ingeniorum fonte, Corduba matre noſtra manaſſe non improbabile videbatur. Nunc autem quando has opiniones minimè tibi probari video, in melius ſententiam mutare ſtatui. Tanti enim eſt apud me tua auctoritas, vt te auctore non dubitem Quintiliano, qui dubius de paterno ſolo per alienas ſedes errabat, in hoſpitium ciuitatemque recepto, peregrinum Ariſtotelem in ſua Stagira remittere. Nihil enim neceſſe habemus, Cordubã ſuo ſplendore ſatis illuſtratam, luce lucere aliena. Præſertim cùm facta iactura in eius imagine citra magnum negotium,& cum lucro reſarciri poſſit,elogio,quod Ariſtotelem falſò indicabat,in laudem Auempaces mutato, vt quæ figura anteà Stagiritam Ariſtotelem adulterino titulo Cordubenſem faciebat, ea nunc errore expulſo noſtrum Auempacem,quem propter rei ignorationem humi iacere patiebamur, veris

literis

literis repręsentet. Ita fiet, vt tua admonitione Stagira, quę per errorem à nobis spoliata erat, suum retineat alumnum, & patria nostra iam pridem temporum iniuria amissam recuperet prolem, amplissimumq; filiorum chorum feliciter foueat. Cui choro quòd te viuentem adhuc tanquam agonothetam præposuimus, id non immeritò, nec sine exemplo fecimus, sed Asinium Pollionem principem Oratorem, & principem ciuem Romanum, vt Plinius septimo Historiæ naturalis libro ait, secuti, qui in bibliotheca, quæ prima in orbe ab ipso de Manubijs publicata Romæ est, Marci Varronis vnius viuentis imaginem, inter veterum scilicet sapientium statuas posuit. Non est igitur, quòd inuidorum tuorum sermonem, de quo pro tua modestia scripsisti, extimescamus. Nam tu inuidiam magnitudine doctrinæ, & eloquentiæ, vt de cæteris tuis singularibus virtutibus, & vitæ honestate & grauitate taceam, vicisti. Inuidia enim aut inter æquales, aut inter eos, qui se exiguo discrimine superant, suam potentiam extendere solet. Tu verò tantum inter cæteros tuæ professionis viros caput extulisti, quantum lenta solent inter viburna cupressi. Ita scilicet, vt ex magno huius ætatis prouentu, & omnis generis doctissimorũ virorum frequentia ipse in Theologia pauciſſimos, in reliqua philosophia, & eloquentia parem habeas neminem. Itaque si Marcus Varro, vt Quintilianus testatur, habitus est Romanorum doctissimus, tu non solùm Cordubensium, sed etiam Hispanorum constante eruditorum ex omni natione virorum, qui de claris huius ætatis viris scripserunt, testimonio, eruditissimus & eloquentissimus, & seculi nostri decus esse prædicaris. Quapropter tantum abest, vt me tua modestia ab incœpto deterreas, vt confirmes potiùs vehementer gaudentem, & Cordubæ nostræ gratulantem, quæ vt quondam viros fama quidem & doctrina claros, sed veri Christianique luminis claritate priuatos produxerat, sic te doctrinæ, & eloquentiæ nomine clarissimum, simulque veri luminis splendore illustratum & tum Peripatetica, tum Christiana philosophia præstantem nostra ætate pepererit, qui tuæ doctrinæ splendore Ethnicorum nebulas expelleres, & veræ luci lucem adderes, id est hæreticorum errores conuinceres, fraudes detegeres, multa obscura loca in vtraque Philosophia illustrares, nodos difficiles explicares, & multas veritates doctissimos etiam latentes, & ad publicam vtilitatem pertinentes ex ignorantiæ tenebris in lucem erueres, & idẽ Latina & luculenta oratione historiã regũ nostrorũ scriberes, & Hispanorũ res strenuè nostris temporib. gestas, & memoria digniſsimas illustrares, quæ omnia doctissimis, & elegãtissimis libris cũ magna tua laude præstitisti, & præstare nõ desistis. Sed hæc hactenꝰ, quæ à me paulò latiùs explicata sunt, nõ vt tuas aures blãda oratione mulcerẽ, sed vt hac epistola meũ factũ aduersꝰ vel tuã modestã incusationẽ, siue dehortationẽ, vel aliorũ iniustã obtrectationem, si qua

fortè fuerit, excusarē. Vale. vir eruditissime, & nos quod mutuò facis, dilige.

ARGVMENTVM.

Petitioni Gasparis Castri de studijs suis, de ratione viuendi, de familia satisfacit, ijsq; quomodo tribus sacerdotijs, cum nulli præsens sit, præesse possit.

I. Genesius Sepulueda Gaspari Castro suo.

S. P. D.

EPISTOLA XCVII.

MAGNAS nuper Andreas meus apud me tibi gratias egit, quòd Ledesmæ hospitio receptus, & indulgenter à te habitus, atque in negotio de Archipresbyteratu, in quod missus à me fuerat, conficiendo, & expediendo, ope & consilio fuerit adiutus. Nam quæ officia tu nostræ veteri necessitudini præstitisti, ijs optimæ indolis adolescens se tibi non minùs, quàm me obligatum esse constituit. Idem de tuis virtutibus, & religione mihi non ignaro quidem, sed libenter audienti cómemorauit. Nec silentio præteriuit, te curiosiùs non modò de meis studijs, sed etiam de viuendi ratione ex se conquisiuisse, quàm essem assiduus in re diuina, quæ missa dicitur facienda, quantam familiam alerē, & quomodo me cæteris in rebus officijsque gererem. Illud etiam liberiùs exquisiuisse, cuius à me rationem idem tu per literas quoque pro cætera ingenij tui libertate, & iure nostræ veteris amicitiæ poscis, qua securitate faciam, vt cùm tribus sacerdotijs cum animarum cura præfectus sim, nulli tamen præsens assiduam operam impendam. Quibus ille percunctationibus idcirco satisfacere non poterat, quia nondum ei per ætatem primùm, deinde per studia literarum, quorum causa diutiùs abfuerat, meam domum frequentare licuerat, nec mihi eodem familiariter vti, qui paucis ante diebus, quam ad vos proficisceretur, domum redierat. Quæ me res hortatur, vt tibi non ad epistolam solùm, sed etiam ad interrogata respondeam, atq; eò magis, quòd vt ex eodem accepi, simul adiecisti, te quominus ille ad me tuum de his rebus sermonem perferret, nihil impedire. Cæterùm quod de studijs quæris, nihil noui est quod ad te scribam, in eisdem enim non inuitus versor etiam nunc, quę me Romæ libenter tractare iampridem, id est ante annos viginti videbas (tamdiu enim qui multos annos officijs, & consuetudine coniunctissimi simul vixeramus, locorum interuallo distinemur) nisi quòd grauioribus doctrinis aliquid temporis subducere cogor, vt conscribendæ historiæ muneri, mihi à Carolo Cæsare iniuncto satisfaciam. De re diuina, hanc mihi Mercurij, & Veneris, festisque diebus facere quasi legitimum est, nisi fortè impedior aduersa valetudine. De familia quod quæ-

ris

ris hęc mihi viginti amplius domesticis cõstat, partim ad vsus vel necessarios, vel liberales administris, partim propinquis, quorũ quidẽ in sacerdotiorũ ipsis à me traditorũ ministerio sunt occupati, alij studia literarũ æmulantur, quibus alendis, & officijs, quæ pauperib. debẽtur, præsertim consanguineis, qui etiam ab inuitis ea sacerdotibus extorquere solent & cæteris necessarijs, & personæ conuenientibus sumptibus cũ satisfeci, crede mihi, parum ex annuis fructibus fit reliqunm: quo non ad ambitionem, sed ad humanitatem & pietatem vti cogito, vt moriẽs pio & optimè de me merito fratri aliquid relinquam, quo se cõmodiùs alat, & sacrificulo Deum certis dieb. perpetuo munere nostris animis placaturo impartiatur. Quòd autem sacerdotiorum multitudine offenderis, nõ ego tribus cum animarum cura, vt perperam tibi persuaseras, sed vni duntaxat præeram, antequàm mihi nuper iste Archipresbyteratus obueniret, & illo me propediẽ abdicare moliebar, cuius rei gratia literas cum mandatis, diebus superioribus Romam miseram. Quòd verò meam præsentis assiduam in loco sacerdotij curam requiris, eius muneris vacatio mihi per Põtificis maximi priuilegium data est, dum modo officio per vicarium idoneum satisfaciam. Qua libertate non ad inertiam & socordiam abutor, scis enim, quam inquies mihi animus sit à natura tributus, quamque opere pascatur, nec ad venationem, aut ludum, vt quidam, negotiaue secularia, quibus Paulus clericos implicari vetat, obeunda, sed vtor ad studia literarum à bono publico non abhorrentia, in quibus solis acquiesco. Quæ immunitas si ijs iure Pontificio conceditur, qui ad publica Gymnasia discendi gratia conueniunt, quãtò causatius cõcessa ijs videri debet, qui in studijs ad publicam commoditatem pertinentibus dies noctesque non inuiti consumunt, & ob eam rem secessus ab interuentoribus vacuos studiosè consectantur? Hæc tuis seuerioribus, sed ab optimo, & vt certum habeo, amantissimo animo profectis monitis, & literis prouocatus ad te scripsi, & vitæ institutique mei rationem tibi poscenti non grauatè reddidi. Est enim mihi pergratum, tibique ingentem habeo gratiam, quòd me liberè, vt amicos decet, mei officij admones, ne qua fortè obrepat obliuio, vel negligentia, & res meas, æstimationem, & vtramq; salutem tibi esse curæ præ te fers, & certo documento declaras. Vale.

ARGVMENTVM.

Iacobi Symanchij I.C librum de catholicis Institutionibus commendat, quem nulli inuidiæ ait obnoxium, cupitque ab eo sæpius ad se literas scribi.

I. Genesius Sepulueda Iacobo Symanchio iureconsulto ex Valdolitani conuentus iudicibus. S. P. D.

EPISTOLA XCVIII.

LIBRVM tuum de catholicis Institutionibus libenter legi, meque multa in eo scitu dignissima diligenter à te, & prudentissimè collecta,& doctissimè disputata videre delectauit.Quibus non solùm tui iure periti, qui errata, & delicta in hæreticis & impijs emendandi, & vindicandi officio præsunt,sed etiam Theologi nostri, qui solent ab eis,cùm res poscit,in consilium adhiberi, magnoperè iuuari queant. Cuius rei causa mihi librum eundem non negligenter iterum & sæpiùs legendum puto.Quæ tua scripta cum meis mihi conferenti, tum alijs rebus,tum propterea meliore conditione esse visa sunt, quàm mea, quòd tu nullos habes aduersarios, qui eisdem de rebus aliter scripserint,mihi nescio qua mea sortè rarò desunt obtrectatores, & æmuli, quorum quidam mihi negotium exhibuerunt ob id ipsum, vt probè nosti,quòd aliqua, non equidem(sic me Deus amet) contentioni, aut ambitioni seruiens, sed veritatis inuestigandæ gratia diligenter pro rei magnitudine conscripseram, sententiam secutus ab eo diuersam, quod ipsi,vel ipsorum amici scriptis, aut sermone docuerant. Quibus molestijs quòd ipse vaces, & liber tuus doctis & catholicis acceptus, in nullius præterquàm hæreticorum offensionem cadere possit, vobis etiam atque etiam gratulandum puto.Hæc ad te scripsi, vt tantisper tecum per literas,quod libenter facio,colloquerer, teque simul prouocarem,vt ad nos rescribas.Erit enim pergratum, vt maximè quidem de valetudine,cæterisque tuis rebus, sed simul etiam si quid noui istuc ab aula Imperatoria,vel Regia fuerit allatum,nos certiores facias. Quanquam enim Franciscus Symanchius frater tuus vir optimus & grauissimus,Canonicus quidem & Archidiaconus Cordubensis, sed episcopatu dignissimus,qui à te frequenter fit certior, nobis exquirentibus læta de te & quæ volumus respondere solet, tamen eadem ex tuis literis intelligere,nobis erit gratissimum.Vale Corduba.

ARGVMENTVM.

Purgat se Guilielmo Malinæo,quod tam sero ad eum scripserit, propter incommodam valetudinem,cuius causam itineris Hispanici difficultatibus adscribit:eumq; certiorem reddit de recuperata valetudine,post quàm statim Io.Sleidani commentarios à Lud. Aula ad se missos,perlegit,de quibus suum iudicium subiungit.

I. Genesius Sepulueda Gulielmo Malinæo suo S. P. D.

EPISTOLA XCIX.

NOLIM

NOLIM optime,& doctiſsime Guilielme, vlla mea vel obliuione tui,vel negligentia factum fuiſſe putes, vt ad te tam ſerò ſcriberem,deq; meis rebus certiorem facerē: quod me primo quoq; tempore facturum receperam.Nā me tua vel ſingularis virtus, vel perſpecta humanitas ita nuper cepit,officijsq; demeruit,vt tui, & tuorum in me meritorū obliuiſci ſine crimine nō poſsim. Accedit ſtudiorū cōmunitas,magna beneuolentiæ inter viros probos conciliatrix. Non igitur obliuio,aut alia mea culpa , ſed incommoda valetudo literarum officium tardauit:quam inualetudinem tum ex longi,& (vt opinor) totius Hiſpaniæ difficillimi itineris labore,tum ex temporis inuſitatè ſęuientis iniuria contraxi.Nam ex Bæturia menſe Martio multorum dierum ſerenitate ſubinuitante, & falſam diuturnioris trāquillitatis ſpē inijciente profecti, Oroſpedam montem intrauimus,diuq; frequentibus collibus magna moleſtia,& multis fluminibus,atq; torrētibus, qui propter pluuias ſtatim cōſecutas plenis alueis defluebāt traiectis,proceſſimus,& per Guadalupum oppidum in agrum Placētinum venimus, vt Carolum Cæſarem longo quatuordecim annorum interuallo viſerem (tādiu enim abfuerat ab Hiſpania)& venerabundus ad eum receſſum ſalutarem,quem ipſe ſibi ad radices eiuſdem Oroſpedæ,quà Meridiem,& Occidentē ſolem ſpectat, opportuno loco,amœno,& ſalubri ad vitam priuatam peragendam delegerat: vbi tibi quoq; magna fuerit ſtudiorum occaſio,cùm te occupationibus,& officio, quod eidē Carolo familiariſſimè tribuis,relaxaueris.Sed redeo ad itineris ærumnas, quo repetito,cùm à vobis Cæſare ſalutato diſceſsiſſem, proximum iugum arduum(vt noſti) per frequentiſsimos ad iter molliendum ingeniosè ductos, & reductos anfractus ingenti labore conſcendimus : vt eſt ea viæ pars præmio quidem longè diſpar , ſed difficultate illi non abſimilis,de qua meminit Heſiodus,quæ ad virtutem in celſiſsimo poſitam,& felicitatem ducit,Μακρὸς δὲ(inquit)καὶ ὄρθιος ὄιμος ἐπ' αὐτὴν, καὶ τρηχὺς τὸ πρῶτον . Atque vtinam conſcenſus tantùm fuiſſet laborioſus , & non maiore etiam moleſtia deſcendentibus fuiſſet laboratum,& per medium ſummumque montem trepidatum. Eſt enim iugum illud , vt initiò in ſublime directum , ſic poſtremò præceps, nec , vt ad virtutis ſublimem ſedem difficili , & multi ſudoris via cùm proceſſeris , ſic cum pari labore in Oroſpedæ iugum euaſeris, Ῥηιδίη δ' ἔπειτα πέλει χαλεπή περ ἐοῦσα . Sed ſemita magis quàm via inæqualis excipit, & ſalebroſa, molliter illa quidem per glacialia cacumina decliuis,lubrica tamen , vtpote latioribus petris ſtrata , & quæ diu per capita & marginem magnorum præcipitiorum ducit , vnde in ima fluenta per celſiſsimas crepidines , & abrupta ſaxa deſpectus ipſe horrorem nobis incutiebat . Ad ſummam

ea lo-

eà locorum facies obijciebatur, in ijs itineris anguſtijs, & iniquitate verſabamur, vt omiſsis iumentis, octo circiter millium ſpatium peditès conficere præoptaremus. Accedebant imbres, niuesque decidentes, quibus ſubinde laceſſebamur. Itaque aſperrimis ſaltibus ingenti labore tranſmiſsis fatigati, & malè accepti, vix Albam, deinde Salmāticam proceſsimus, vbi paucis diebus apud Iacobum Neylam canonicum Salmanticenſem veterem amicum quieti datis, ab eoque magnificè, & indulgenter habiti, Bletiſam presbyteratus mandati mihi ſacerdotij ſedem peruenimus. Nihil dum temporis ſæuitia ſeſe remittente, quæ has citra Oroſpedam regiones ab ineunte menſe Martio ad hunc vſque diem, qui non procul abeſt à ſolſtitio, pluuijs, & frigoribus tam pertinaciter præter naturæ morem infeſtauit, vt ne vno quidem die hoc toto tempore ſerenum, ac ſudum cœlum homines viderint. Tot igitur, tantisque incommodis homo id ætatis, ſeptimum annum agens & ſexageſimum, cùm par eſſe non poſſem, incidi paulatim in morbum, non acutum illum quidem, nec tam vehementem, vt me proſterneret, & in lecto contineret, moleſtiſsimum tamen, & qui me dies & noctes infeſtaret, humore, qui fuerat in caput contractus, in fauces, interdum etiam ad interiora continenter diſtillante, vnde aſpernatio ciborum conſecuta me vehementer debilitauit. Hæc apud te pluribus fortaſſe quam oportuit, commemoraui non inuitus, tum vt tecum diutiùs loquerer, quod libentiſsimè facio, tum quia ſedata tempeſtate, iucunda eſſe ſolet in portum deuectis hauſtorum laborum recordatio. Cæterùm cùm emergens morbo conualeſcere cœpi, me ad priſtina ſtudia, in quibus ſolis adquieſco, retuli, ſed timidè & parcè. Ac primum omnium Io. Sleidani commentarios lectione percurrere placuit, quos Ludouicus Auila noſter, religioſorum equitum ex Alcantara præfectus, vt te præſente receperat, nuper ad me miſit ea conditione, vt perlectos ſtatim remitterem, quos mihi vſui eſſe poſſe ambo mihi verè confirmaſtis, ad ea recognoſcenda, quæ ipſe de rebus Germanicis conſcripſeram. Itaque in huius commētarijs, dum per valetudinem licet, lectitādis, etiam nunc libenter verſor. Non quòd mentem eius probem (nam quî poſſum impio nouarum rerum ſtudio deprauatam?) vel ſtylo deleCter parum culto, & à veterum & probatorum ſcriptorum nitore, & puritate procul abhorrente, ſed quia in commemoratione rerum hac ætate ad illas regiones geſtarum, quarum quædam mihi longiſsimè remoto non ſatis erant exploratæ, diligentiſsimus fuiſſe videtur, niſi quòd in ijs collocandis, ac digerendis nimiam quandam & ineptam atque moleſtam ſuum cuique particulæ tempus reddendi, & annotandi diligentiam affectauit. Nam ſæpè quæ vno loco tradi & poterant & debebant, hæc ipſe minutatim concidit, & longis interuallis diſpergit, quo fieri neceſſe eſt, vt lectoris animus ad exitum, vt fert natura, properan-

properantis, anxius reliquarum partium desiderio pendeat. Itaq; longum est, & laborioſum ſingula negotia ex his commentarijs perdiſcere. Idem in contentionibus perturbatæ religionis, & eorum conſilijs, ac machinis commemorandis: qui pios Caroli Cæſaris de eccleſiaſtica concordia, & publica Chriſtianorum pace concilianda conatus impedire, ac fruſtrari per ſummum ſcelus nitebantur, multus eſt, atq; adeò nimius, in cæteris verò partibus parum operæ conſumit. Certè Terouennæ dirutæ, Heſdiniq; recepti hiſtoriam, cuius prætermiſſæ culpam vos mihi vt crimen, & inſignem negligentiam obijciebatis, ille quinq; aut ſex verſiculis abſoluit. Quo magis nobis enitendum eſt, vt res tanta quantam vos fuiſſe dicitis, ſcriptis noſtris pro dignitate, ſi qua facultas erit, celebretur. Quo tuum de illius belli commentario promiſſum atque receptum cupidiùs expecto. Hæc cùm ſcriberem, Valdolitum propediem cogitabam, quo cùm peruenero, te certiorem faciam, Vale ex Ledeſma, quam veteribus Romanis Bletiſam fuiſſe repertorum lapidum inſcriptiones declarant, Calend. Iunij. Anno Chriſti nati. 1557.

ARGVMENTVM.

Iacobum Neylam I. Pont. Doct. rogat, vt librum epiſtolarum accuratè excudendum curet.

Io. Geneſius Sepulueda Iacobo Neylæ. Iur. Pont. Doctori, Canonico Salmanticenſi S. P. D.

EPISTOLA C.

EPISTOLARVM librum, cuius editionem alijs quoque doctis & grauibus amicis efflagitantibus, ſed te maximè, cuius iudicio id tribuo quod pauciſſimis, adhortante, maturandam ſtatui, tibi mitto, vt Salmanticæ, quemadmodum conuenerat, excudendum mandes. Tuum igitur erit curare, vt bonis characteribus quàm emendatiſſimus exeat. Quod ita demum fiet, ſi in tuis magnis occupationibus (ſcio enim quanto onere rerum tibi pro tua magna doctrina, prudentia, & grauitate in iſta Salmanticenſi Eccleſia iniunctarum premi ſoleas) tamen aliquid temporis impertiri huic negotio non grauaberis. Quod vt ſuſcipias oro, vt Romæ in dirigenda & emendanda impreſſione eius libri feciſti, qui clericorum conſuetudine Breuiarium Romanum appellatur, propterea quòd formulas Deum Chriſtum Romano more precandi continet, quem librum Quignonius Cardinalis Patronus noſter te potiſſimùm adminiſtro & adiutore κἀμοῦ συμπράττοντος Clementis ſeptimi Pontificis Maximi voluntate confecerat, itaque non rudis eius artificij ad negotium accedes. Intelligo me tibi onus im-

ponere moleſtum & negotioſum, nec ſatis auctoritate tua dignum, & ipſum per ſe ſuisque momentis & ponderibus exiſtimetur: ſed multa munia (quod ipſe non ignoras, & maximi Philoſophi teſtantur) per ſe magnorum virorum conſuetudine & dignitate aliena ſunt, quæ tamẽ honeſtè, & cum egregia ſua laude ab eiſdem, vel Reipub. vel amicitiæ cauſa temporibus ſuſcipiuntur. Quod officium vt ſponte ſubire ſæpe laudi datur, ſic ab amicis petere neceſſitate aliqua inductum, ingenui animi eſt, & hominis amiciſſimi, qui quod amico ipſe non grauate præſtaret, id ab eodem pro mutua voluntate poſcere non dubitet. Quanquam amicorum non indoctorum ſcripta emendare; quod ego tibi libenter in meis permiſi; & excudendi munus ſcitè & prudenter, (quod paucis datum eſt) dirigere, non eſt vulgaris facultatis, ſed egregiæ doctrinæ & ſingularis induſtriæ. Vale.

ARGVMENTVM.

Conatur Artheagæ perſuadere, vt Fortunio Garſiæ conſulat, ne in Hiſpaniam recedat, ob varia quibus cariturus eſſet ſi Garſia careret, quem laudat propter plurima in Iure præclare præſtita confertque ſub finem Cantabros cum Cordubenſium conatibus in ogaſagoque.

Ioannes Geneſius Sepulueda Iacobo de Artheaga Collegæ ſuo, iuris vtriuſque Profeſſori Doctiſſimo, S. P. D.

EPISTOLA CI.

AVDIO FORTVNIVM noſtrum in Hiſpaniam velle proficiſci, iamque ſarcinulas, quod aiunt, colligere: & acerbè fero. Acerbè autem, & quidem (niſi dolori nimis indulgeo) cauſatiſſime, videor enim mihi facturus grauem iacturam, ſi eius viri conſuetudine fructuq; orbatus fuero, quẽ mihi & morũ, & ſtudiorũ ſanctiſſimũ velut exemplar propoſuerã, atq; ita propoſuerã, vt tanquã vitæ meæ magiſtrũ moderatoremque reuererer. Ideoq; metuo, crede mihi, ne hoc abſente viuam negligentius. FORTVNIVM, me Hercle Iacobe, ante etiam, quam ipſum viderem, ex nomine tantum diligebam, animoque obſeruabam. Diligo enim ſtudioſos, eruditos etiam obſeruo. Nunc autem cum penitus, ac familiariter introſpexi, diligo, obſeruo, & admiror. Tunc enim audieram, id quod eſſet, hominem eſſe literarum ſtudijs addictiſſimum, conſecratumque, acri, flexibili, multiplici ingenio præditum, quam acriter, quam ſubtiliter, ad ſummam, quanta cum ſua, Hiſpaniæque gloria mille quingentas Concluſiones lubricæ & ancipitis difficultatis plenas, Bononiæ primum, deinde Senis, poſtremo

mo in vrbe diſputaſſet, hæc, inquam, conſtanti omnium ore acceperã. Nam quid homines eo tempore, quo ego in Italiam aduentaui, niſi de FORTVNIO loquebantur. Videbam præterea commentarios illos *de pactis*, eruditionis remotiſſimæ, qui iam in manus hominum exierant, Bononiæ circumferri, & apud doctiſſimum quemque in precio eſſe, nunc verò cum Cæcilio dicere poſſum: *Magna FORTVNIVM fama præceſſerat, maior inuentus eſt.* Diſpeream, ſi ſcio quid in eo potiſſimum admirer. Etenim quæ eſſe poteſt, aut in illo vnquam fuit humanitas, cuius in FORTVNIO proprium exemplum non reperias? ſi ad mores ſpectes, nihil eſt hoc homine compoſitius, nihil cultius, nihil denique ſui ſimilius. Ita eſt grauis, vt minimè ſit auſterus. Ita eſt comis, hactenus cum ſuis familiaritati expoſitus, vt tamen ipſius autoritas, grauitasque cõſtet. Et, vt ſemel dicam, ita omni in re modicus, vt in eo nihil emineat, nihil tamen deſideretur. Hæc quidem perquam magna ſunt, & quæ præter ſapientem integerrimumque cadunt in neminem. Illud certè Socraticum, quod cum ſit innatum ferè Cantabris (nec enim vobis blandiri eſt animus) indomitum neſcio quid, ſi quando FORTVNIVS eſt à quopiam, vt fit, vehementer prouocatus, ac Cantabricos animos concipit, mirum eſt vt nihil ſibi indulgeat, vt potius imperet, repugnet, moderetur, poteſtne magis barbari illius magiſtri temperantiam effingere? Iam verò in conſultationibus quid grauius, quid conſultius, quid denique eo circunſpectius? cuius auctoritas, quod ad me attinet, in rebus dubijs ſatis mihi pro ratione eſt. Nam quod ad literatutam attinet, ſolet mihi eſſe admirationi, quòd cum ad eum tanquam ad oraculum Pythium ſcolaſtici iuuenes magna turba quotidiè ventitent, nodoſas, abſtruſaſque quæſtiones ſciſcitabundi, nihil eſt quod ignoret, nihil tamen temere ac ſine cunctatione reſpondet, diuerſitate rationum diſtractus, vt plane intelligatur illud Thucydidis eſſe quam veriſſimum:

ἀμαθία μὲν θράσος, λογισμὸς δὲ ὄκνος.

Nihil enim ſe ſcire arbitratur, quod non à cauſis vſque, & origine ipſa repetat, diſpiciat, perpendat. Nec ſatis habet inter Iuris auctores prudentiſſimos quosque tractare, excutit Philoſophos, Theologos non prætermittit. Sed non rectè, inquies, Theologiæ Iure conſultum, idemque parum doctum ſapientiſſimè perſpicere poteſt: ita eſt, non tamen verebor, meum ferre iudicium, ſi quando cum doctiſſimorum virorum ſententia congruit. Congruit autem ſi vnquam alias, maximè in admiranda FORTVNII ſapientia, cuius teſtes ſpero fore ſempiternos Commentarios illos omnigena eruditione ſcatentes, quos proxima fetura natos, iam illum emittere velle audio: illos dico de vltimo fine vtriuſque iuris, doctiſ-

simis etiam euitata materia, & de lege illa, *Gallus*, vel ipsis Vlpiano, Modestoque formidabili, vt cæteros præteream, sapientia non minus refertos, quos tu, cæterique viri doctissimi, eidemque amicissimi, quibus suarum lucubrationum, etiam ante maturitatem, solet copiam facere, vt emittere incipiat olim efflagitatis. Eat nunc Iuuenalis, quæratque *Cantaber vnde Stoicus*. Quanquam quis fore vnquam speraret, vt apud Cantabriam illam horridam olim, ac intractabilem, inter armorum strepitus, Martiosque furores literarum studijs locus relinqueretur? Atqui nostra tempestate bonas disciplinas hæc gens tam religiosè colit, vt de Cantabriæ principatu Minerua cum Marte vt quondam cum Neptuno Athenarum. Qua admonitione succurrit admirari peruetterem illam querelam, sed quæ quotidie magis inualescit, reputantium effœtam iam & exhaustam naturam, nihil tam laudabile nihil tam magnum parturire. Effœtam quisque dicit naturam, quæ in Martia Vulcaniaque regione tales viros generat, qualis est, (vt te præteream, qui minimè glorioſus es, alioſque viros literatissimos conteraneos tuos) FORTVNIVS noster? ignosce fatenti, Iacobe, nec enim possum dissimulare. Sæpe mihi hæc animo recolenti, venit in mentem, cũ sim Cordubensis, tuæ Cantabriæ subinuidere, certè admonitus sum, (nec sine magno dolore) vecordiæ Cordubensium: inter quos iam pridem nullos Senecas, nullos Lucanos, nullos Auerroes cernimus, nullum denique Menam, nam cur hunc quoque inter maximos non numeremus? licet sint qui ita excusent, non posse Cordubam literarum simul & armorum studia colere, Granatenses debellare, Africam Hispaniæ imperio continuare, toties de Gallia triumphare, pariterque imbræ, & otij, togæ deniq; munera obire. Ad summam quæ olim magnos philosophos procreasset, satis esse his temporibus magnos duces produxisse, parentem Romam vel in hoc maximè imitatam. Quæ excusatio etsi cæteris satis magna videtur, mihi tamen nullam militiam literis anteferenti non eo vsque satisfacit, vt Cordubenses nullius desidiæ teneri putem. Sed, vt aliquando redeat epistola vnde profecta est, vides quantum sit in Italia FORTVNII nomen, quanto cum honore Bononiæ sit publicè Ius pontificium professus, vt honestissima conditione fuerit à senatu Florentino in Pisanam academiam inuitatus atque adeò summoperè flagitatus. Nemo est quin speret eum breui facultatibus atque honoribus etiam atque etiam auctum iri, si, quem cepit, velit tenere cursum. Ipse verò in Reip. gubernationem propensus, haud tanti illa omnia putat, huc dirigit omnes animi sui commentationes vt *Regi* inquit *meo deseruiam* hoc esse affirmat optimo cuique cunctis votis expetendum, Platonicum scilicet dictitans elogium

ἕκαστος ἡμῶν οὐχ ἑαυτῷ μόνον γέγονεν, ἀλλὰ τῆς γενέσεως ἡμῶν τὸ μέν τι ἡ πατρὶς μερίζεται. Quasi vero non secus possit patriæ suæ quidquam impartiri. Hæc eo tendunt, vt si mecum sentis, FORTVNIO suadeas supersedeat hoc laborioso itinere. Sin aliter, idipsum rescribas, subiectis causis, vt FORTVNII absentiam æquiori animo feram. Sed vltra modum epistolæ prouexit me dulcedo tecum loquēdi. Quare iam benè vale.

INDEX EPISTOLARVM

QVIS, CVI, QVOTIES SCRIBAT, COMMONSTRANS.

A.

Alberto Pio	*Epist. 12. Propediem*	*fol. 138*
Alphonso Valdesio	*Epist. 10. Erasmi*	*136*
eidem	*Epist. 11. Accepi*	*137*
eidem	*Epist. 18. Accepi*	*145*
Alphonsus Valdesius Sepulvedæ	*Epist. 17. Literas*	*145*
Alphonso Porticello	*Epist. 41. Epistolam*	*175*
Alphonso Guzmanno	*Epist. 42. Chirographum*	*176*
Alphonso Guaiardo	*Epist. 54. Accepi*	*197*
eidem	*Epist. 55. Inuidere*	*197*
eidem	*Epist. 56. Gratissima*	*200*
eidem	*Epist. 57. Quod*	*200*
eidem	*Epist. 58. Miraris*	*201*
eidem	*Epist. 60. Pergratum*	*204*
Alphonsus Guaiardus Sepulvedæ	*Epist. 59. Cum*	*203*
Alphonso Stunicæ Gibraleonis Marchioni	*Epist. 79 Ex literis*	*236*
Antonio Augustino	*Epist. 69. Iure*	*224*
Ant. Augustinus Sepulvedæ	*Epist. 70. Summiam*	*225*
Antonio Honcalæ	*Epist. 71 Epistolam*	*223*
Antonio Corduba	*Epist. 77. Gratulor*	*231*

D.

DES. E. Roterodamo	*Epist. 1. Antapologiam*	*123*

DES.E.Roterodamo	Epist.2.Accepi	124
eidem	Epist.3.Iampridem	125
eidem	Epist.4.Miror	127
eidem	Epist.5.Quam	129
F.		
Fernando Pinciano	Epist.43.Periucunda	176
eidem	Epist.44.Libentissime	177
eidem	Epist.45.Plinianæ	179
eidem	Epist.46 Egote	183
eidem	Epist.47.Quoniam	185
Fernando Valdesio Archiepiscopo Hispalensi	Epist.87.Nullæ	249
Francisco Florido	Epist.21.Accepi	150
Francisco Toleto	Epist.23 Literas	152
Francisco Argoti	Epist 81.Epistolæ	240
eidem	Epist 82.Pergratæ	241
eidem	Epist.83.Patriam	242
G.		
Gaspari Villalpando	Epist.78.Improbari	133
Gaspari Castro	Epist.97.Magnas	276
Gaspari Contareno Card.	Epist 24.Cum	153
eidem	Epist.27.Quod	158
eidem	Epist.28.Scripseram	161
Gaspar Contarenus Sepulueda	Epist.25.Accepi	155
idem	Epist.26.Nullo	157
Gonsalo Peresio	Epist.80.Gratissima	238
Guilielmo Malinæo	Epist.99 Nolim	278
H.		
Honorato Ioanni	Epist 33.Dederam	167
I.		
Ioanni Valdesio	Epist.19.Ego	147
Ioanni Mart.Silicæo	Epist.37.Iume	172
Ioanni Quignonio	Epist.48.Vidisti	188
Io Matthæo Giberto Episcopo Veronensi	Epist 6.Epistolæ	132
eidem	Epist 7.Binus	133
eidem	Epist 8 Quod tam	134
Ioannes Matthæus Gibertus Sepulueda	Epist.9.Etsi	135
Inacho Mendozæ Episcopo Burgensi	Epist.13. Grauissimus	139
		eidem

eidem	*Epist 14. Incolumem* 142
eidem	*Epist.15. Nemeum* 141
Ioanni Toleto Episcopo Cordubensi	*Epist.22. Ingentes* 151
Ioanni Taueræ Episcopo Toletano, Cardin.	*Epist.51. Suauissimas* 192
eidem	*Epist.52. Cùm* 193
Iacobo Fernando	*Epist.88. Quæ meus* 251
Iacobo Neylæ	*Epist 89. Περὶ σοῦ δὲ .* 251
eidem	*Epist.100. Epistolarum* 281
Ioanni Cordubæ	*Epist.95. Nuper* 272
Ioannes Cordubæ Sepulvedæ	*Epist.96. Literas* 273
Iacobo Symanchio	*Epist. 98. Librum* 278
Iacobo ab Artheaga	*Epist.101. Audio* 282

L.

Laurentio Caruaiali	*Epist.74. Ex literis* 229
Leopoldo Austriæ Episc. Cordubensi	*Epist.84. Agellum* 244
eidem	*Epist.85. Paucis* 246
Ludoico Auilæ	*Epist. 6. Commentarios* 144
Ludoico Caruaiali Prouinciali	*Epist 61 Pergratum* 206
Ludoico Lucenæ	*Epist.72. Quotidie* 226
Ludoicus Lucena Sepulvedæ	*Epist.73. Pergratum* 226

M.

Marchesiæ Zeneti	*Epist.29. Aue* 163
Maio Vicecancellario Arragoniæ	*Epist.31. Vereor* 165
Michaeli Metinæ	*Epist.93. Nihil* 266
eidem	*Epist.94 Magna* 269
Martino Oliuano Inquisitori	*Epist.63. Commentarium* 209
eidem	*Epist 64. Scribis* 211
eidem	*Epist.65. Postea* 215
eidem	*Epist.66. Pergratæ* 217
eidem	*Epist.67. Epistolæ* 219
eidem iam Abbati	*Epist.68. Incolumem* 222
Manrico Laræ Duci Nauarensi	*Epist.62. Volebam* 207

P.

Petro Messiæ	*Epist 30. Epistolæ* 164
Petrus Auila Nauar. Marchio Sepulvedæ	*Epist.35. Vetustiss.* 170
Petro Auilæ	*Epist.36. Accepi* 171
Petro Fernando Velasco Friarum Duci	*Epist.53. Columnarum* 194

Pedrosa	*Epist. 40. Pergrata*	174
Petro Sepulueda	*Epist. 86. Scripseram*	248
Petro Serrano	*Epist. 91. Commentarium*	256
eidem	*Epist. 92. Scribis*	263
Philippo Hispaniarum Principi	*Epist. 34. Quoniam*	168
R.		
Roderico Manrico	*Epist. 20. Ex literis*	149
Rodulpho Pio Cardin.	*Epist. 32. Quod*	166
Reginaldo Polo Cardin.	*Epist. 90. Post*	254
Ramiro Nugno	*Epist. 49. Ioannes*	190
Ramirus Nugnus Sepulueda	*Epist. 50. Magno*	191
S.		
Simoni Colinæo	*Epist. 38. Scripsi*	173
Sebastiano Leoni	*Epist. 39. Pergratum*	174
V.		
Vascosano Librario Parisiensi	*Epist. 75. Opus*	230
eidem	*Epist. 76. Chartam*	230

IOANNIS

GENESII SEPVL= VEDÆ CORDVBENSIS DE CORRECTIONE ANNI MENSIVMQVE ROMA- NORVM, COMMENTATIO.

Ad Ampliſſimum Patrem, præſulemque grauiſſimum, doctrina omnique virtutum genere præſtantem

GASPAREM CONTARENVM ECCLE. ROMA. CARD.

PRAEFATIO.

MAgnam ſpem melioris eccleſiaſticarum rerum conditionis mihi nuper in hac temporum iniquitate libellus attulit, quo tu alijq; grauiſſimi & prudentiſs. viri voluntatem Pauli tertij Pontificis Maximi, iuſſumq; ſecuti, cuncta ſacerdotum vitia, & quaſi morbos collegiſtis, quibus coacto ſacerdotum concilio vniuerſali, medendum imprimis exiſtimaretis. Nec enim arbitror id vos egiſſe, vt crimina clericorum, & ſacrilegia prædicaretis duntaxat cæteris hominibus, vt domeſticis teſtimonijs ac noſtra potius confeſſione damnati & conuicti maiori iuſtioriq; odio eſſemus popularibus, quaſi deſint ex his obtrectatores, qui probrorum etiam ſacerdotum mores ſua ſponte calumnientur. Cum hoc igitur incommodum ſapientiſſimo Pontifici, vobisq; optimis & prudentiſſimis viris eſſet etiam atq; etiam cauendum, dubitari non debet, quin libellus ab eo animo profectus ſit, qui totus in eam curam incumbat, vt ea vitia, quæ clara voce ſcriptoq; damnaſtis, è vita Clericorum tollantur, atq; ita tollantur, vt omnis virtutis ac pietatis clara & illuſtria exempla cæteris hominibus Clerici præbeant, fiatq; quod nobis Chriſtus præcepit illis Euangelij verbis. Sic luceat (*inquit*) Matth. 5.

(*inquit*) lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona, & glorificent patrem vestrum, qui in cœlis est. *Quare cum haberem pro explorato fore, vt auctoritate Pontificis Maximi vestrâq; opera concilium sacerdotum ad maximas Ecclesiæ cõmoditates primo quoq; tempore cõueniat, (quid enim nobis serio agentibus obstet?) haud mihi putaui in tanta vestra, & cæterorum boni publici studiosorum sacerdotum cura & festinatione, cessandum atq; torpendum. Ne cum cæteri sua quisq; fidei cõmissa talenta, iuxta Euangelicam parabolam duplicauerit industria sua, ipse talentum* Matth. 25. *vel drachmam potius mihi traditam per vecordiam & negligentiã defodisse viderer. Sed aliquid conandum, vt dum vos in vinea Christi maiores & vtiliores operas præstatis, colendo, repastinando, ac vites propagando, inutiliaq;, aut etiam pernitiosa sarmenta vicissim amputando: ego in adminiculorũ saltem ordinibus dirigendis non inutiliter essem occupatus. Dum vos igitur maiora curatis, morib. ac religioni cõsulentes, ego qui huic quoq; parti siquid inseruire possem, editis in hæreticos & turbulentos homines libellis, dum fuit otium, tentaui superioribus diebus, in meis magnis occupationib. aliquid tamen scribere de ratione anni multifariam deprauata, atq; eius correctione constitui, & libellum, quem ad te mitto confeci, vt si coacto concilio patribus, quemadmodum spero, visum fuerit in hanc quoq; curam descendere, habeant vnde possint nostris lucubrationibus aliqua ex parte iuuari. Nec enim adduci possum doctissimos, grauissimos, & antiquitatis præsertim Ecclesiasticæ peritissimos viros, in hanc curam descendere grauaturos, vt ratio temporum nõ modo religionem, propter plurimorum festorum dierum celebrationem, sed omnem propemodum humanæ vitæ partem attingens, corrigatur, multiplici errore sublato, qui magna incuria & negligentia superiorum sacerdotum irrepsit, cum veteres illi singulari pietate ac religione patres in sanctissimo ac omnium celeberrimo concilio Niceno hoc vel inprimis ad suum officium & Ecclesiæ dignitatem commodumq; pertinere existimauerunt, vt in die festo resurrectionis Christi, & paschate celebrando, sic anni tempus obseruaretur, vt constaret ratio mensis atq; diei, & solis ac lunæ progressionum in signifero: quæ cura tanto opere neglecta est à posterioribus, errore in dies augescente, vt celebratio Paschatis interdum plusquam mense discrepet ab illo vetere sanctorum patrum instituto: vt interim taceam, quod natale Christi, quod erat in ipsa bruma (quo die Christum natum esse constat, cum Sol à nobis quam longissime potuit digressus, quod tanquam semnum eius dicitur, remeare incipit, rursusq; nouus appellatur) celebrandum, iam quartodecimo circiter post die celebratur, ac cæteri omnes festi dies eodem modo: & veterum medicinæ, reiq; rusticæ auctorum præcepta, & mortalibus vtilissima, ac potius necessaria*

ria doctrina, qua rerum tempestiuitates prudentissime traditæ sunt, multum abhorreat ab hac temporum peruersa computatione. Vnde magnus error in vitam hominum inductus, nisi cohibeatur, infinite crescat necesse est. Sed cum huius erroris emendandi duplex sit ratio, neutram intactam relinquere consilium fuit: sed alteram, quæ ad cæli astrorumq; motum pertinet, idcirco leuiter & summatim perstrinxi, quoniam de hac video quosdam astrologos diligenter & docte ac iustis voluminibus disseruisse: alteram, quæ ciuilem institutionē & iura vetustatis attingit, accuratius explicuimus. Quæ cū sit velut caput huius quæstionis, & quasi fundamētum, quo niti debeat tota correctionis ratio, miror equidem eam tam negligenter à prioribus fuisse tractatam. Vale.

IOANNIS GENESII SEPVLVEDAE CORDVBENSIS DE CORRECTIONE ANNI MENSIVMQVE ROMANORVM, COMMENTATIO.

VM cælestium corporum rati, constanteſq; motus magna cura & longissimi temporis Mathematicorum obseruatione notati sint, ac mirabiliter deprehensi, tamen cæterorum astrorum cursus mens humana, vt natura est sciendi cupida, curiosa magis diligentia inuestigasse videri potest: Solis autem, qui contra cæli ambitū cuncta secum diurna vertigine trahentis, orbem signiferum peruagatur, vt cognoscerēt homines, & obseruarent, magna quadam commoditate atq; adeo necessitate inductos fuisse putare conuenit: quippe omnem virtutem eorum, quę oriuntur & occidunt, omnemq; rerum naturalium vicissitudinem motu solis eiusq; accessu & recessu gubernari, vt à magnis philosophis traditum, sic vsu atq; rerum argumentis cognitum est & exploratum. Itaq; motu Solis ignorato, vitam in hominum magno errore versari necesse est. Arandi enim excolendique terram, frumenta & cæteras fruges seminandi, serendi arbores & inserendi, & aliarum plurimarum ad vitam degendam necessariarum rerum tempora scire nemo possit, cui non sit motus solis eiusque discrimina cognita. Iam verò fa-

ſtorum ratio, qua bona pars religionis continetur, cognoſci qui poteſt ratione temporis ignorata? Nam qui motum ſolis ignorat, huic eſſe tempus ignotum teſtis locupletiſſimus eſt Plato: qui tẽpus hoc eſſe definit, quod motum ſolis: atteſtante Ariſtotele, qui tempus dicit eſſe *menſuram motus*, non cuiuſuis, ſed *lationis orbiculatæ*, hoc eſt cæleſtis circumactus: quod ad ſolis maximè motum referri ſatis ex ijs, quæ ſuprà diximus, intelligitur. Sed quoniam exacta ſolis ambeuntis ratio non poteſt niſi paucis, hoc eſt doctis hominibus & mathematicis eſſe cognita, cõmodiſsimam rationem inierũt veterum mortaliũ, qui omnium prudẽtiſsimẽ temporis partes diſtinxerunt: vt res cunctis hominibus neceſſaria, à nullo quãuis rudi & indocto poſſet ignorari conſtituto anno, qui cum ſolis motu ſigniferum peruagantis congrueret, & menſibus, quib. ſingulis motus lunæ, aut mora ſolis in quoq; ſigno, aut vtrunque paruo diſcrimine notaretur.

Annus apud priſcos variis ſpatijs claudebatur.

Quanquã enim nonnullæ nationes breuioribus olim ſpatijs ſuos annos concludebãt: vt Cares Acarnaneſq; ſemeſtri, Arcades trimeſtri, Aegyptij primũ vnius, deinde quatuor menſiũ ſpatio, Albani decẽ: omnibus tamen, vt auctor eſt Cenſorinus, cura fuit, diebus aut menſib. intercalandis ſuũ ciuilẽ annum ad naturalẽ, qui ſolis ambitu perficitur, dirigere. Sed eã rationẽ metiendi annum, ſolis circũactu duodecimq; mẽſib. diſtinguendi, vt eſt optima & maximè naturalis ſic omniũ antiquiſſimam eſſe declarant ſacrarum literarum vetuſtiſsima monumẽta, quæ

Gen. 8.

in alluuionis vniuerſalis cõmemoratione de vndecimo menſe dieq; mẽſis vigeſimaſeptima mentionẽ faciũt. quo planè intelligitur, iã ante Moſẽ, qui ſpiritu Dei afflat⁹ ſcriptorũ vetuſtiſsimus illa memoriæ mãdauit, (fuit. n. ante bellũ Troianũ, vt colligit Euſebius Cæſariẽſis, annos circiter trecẽtos quinquaginta) ſimilẽ rationẽ anni menſiumq;, & horũ parem numerum fuiſſe humaniorib. ferè gentibus, atq; poſt eũ Hebræis

Lib. 1. c. 3.

ad hanc vſq; memoriã annum ad ſolis, menſes & lunæ progreſſum accommodantib. vt colligit Auguſtinus in lib. 15. de ciuitate Dei. qui mos idẽ propemodũ fuit Athenienſib. niſi quod Hebræi ab æquinoctio verno vitiũ faciunt ſui anni, Atheniẽſes ab æſtiuo ſolſtitio. Hãc igitur naturalẽ cõmodiſsimamq; rationẽ Romani vt ſequerentur, iã inde ab vrbe cõdita ſibi propoſuerãt, ſed ignoratione motuũ cæleſtiũ nõ ſtatim aſſequi potuerũt, quod petebãt. Nã Romulus decẽ dũtaxat menſiũ annũ cõſtituit, Albanos, vnde Romani orti erãt, imitat⁹: quorũ menſiũ quatuor vocati pleni, Martij⁹, Maius, Quintilis, October, tricœnos ſingulos dies habebãt. Reliqui caui nũcupati, Aprilis, Iunius, Sextilis, Septẽber, Nouẽber, Decẽber, tricenos. Itaq; totus annus dieb. trecẽtis & quatuor explebatur, nec poterat niſi magnis, & incõmodiſsimis intercalationib. ad ſolis curſũ, & naturalẽ annũ reuocari. Qđ animaduertẽs Numa Põpilius, duos mẽſes adiecit: Ianuariũ, quẽ primũ anni, fecit, à bicipite Iano nominatum,,

nominatum,quòd altera fronte superioris anni finem, altera sequentis principium respiciat: & Februarium à Februo, qui deus lustrationibus præesse putabatur.hoc enim mense vt dijs manibus iusta soluerentur, idem Numa veteris Romanorum religionis auctor constituit: atque ita facti sunt menses duodecim,quorum Ianuario,Aprili,Iunio,Sextili,Septembri,Nouembri,Decembri,dies vicenos nouenos attribuit:Martio, Maio,Quintili,& Octobri tricenos singulos,eam superstitionem,quod impar numerus faustus haberetur,secutus : vni Februario dies octo & viginti dati sunt numero pari, quod imminutio & par numerus inferis conuenire videretur, simulque vt totus annus impari faustóque numero dierum 355. clauderetur. cæterum cum ne is quidem numerus cum solis motu congrueret,coacti sunt postea Romani,hoc quod deerat,varijs intercalationibus sarcire, dato negotio sacerdotibus ciuilem annũ per intercalationes adæquandi naturali,qui trecentis sexaginta quinq; diebus & ferè quadrante conficitur.Sed sacerdotes partim auaritia corrupti à publicorum vectigalium redemptoribus, partim amore vel odio quorundam, quo tardius aut citius abirent magistratu, rationem anni adeo confusam & deprauatam reddiderunt, vt ad libidinem magis,& temeritatem ipsorum, quàm ad motum solis aut lunæ Romanis annus ageretur,vsque ad Cæsaris Dictatoris pontificatum, atque tertium consulatum.

Numerus impar Rom. faustus.

Cæsar enim pontifex maximus,vt erat magno animo,& acerrimo ingenio ad res gerendas,& explicandas,illam indignitatem & confusionem non ferens,turbam omnem & inconstantiam sibi tollendã, & annum ad solis cursum, quam aptissime fieri posset dirigendum, & coæquandum recentiores Aegyptios æmulatus statuit. Itemque suo tertio, & M.AEmilij Lepidi consulatu adhibitus cum alijs Mathematicis, tum imprimis Soligene, qui Astrologiæ peritissimus id temporis habebatur, cum dies vigintitres Februario mense intercalasset, Nouembri atque Decembri præterea sexaginta quatuor interiecit : Itaque annus ille ad quadraginta duos dies productus est, dum scilicet expectatur bruma, vt is dies fere circiter primam partem Capricorni subeunte initium esset anni Romani,more ac instituto maiorum. Sic igitur sublata confusione cõstitutum est, vt deinde annus Romanus trecentis sexaginta quinque diebus,quemadmodum solis cursus,terminaretur,adiectis videlicet ad annum Numæ diebus decem:quos ita distribuit Cæsar, vt ex ijs mensibus, quos vndetricenos dies sortitos esse memorauimus,Ianuario,Sextili, atque Decembri, bini dies accrescerent: Aprili,Iunio,Septembri,Nouẽbri,singuli. vt cæterorum omniũ cuiusq; præter Februarium, qui suũ numerũ retinuit,triceni singuli dies numerarentur, horum quatuor triceni. Nec enim Cęsar,homo minimè superstitiosus, numerorum religionem commodati rationis anteponen-

dã putauit. Porro ne quadrãs diei, quẽ sol vltra trecẽtos sexaginta quinque dies suo motu ferè cõsumit, diu ac sæpe multiplicatus pareret multorũ dierũ errorẽ, placuit expletis quatuor annis .i. quinto quoq; anno diẽ vnũ Februario mense intercalari: quod cũ triginta sex annos sacerdotum, quarto pro quinto quoq; anno intercalantiũ, inscitia fuisset perperam factum, Augustus Cæsar omissa duodecim continuis annis intercalatione incommodum, quod erat acceptum, sustulit, annumq; redegit in eãdem formam, qua fuerat à Iulio constituta: quæ ratio & forma tũ anni, tum etiam mensium quamuis magno consensu recepta fuerit à posteritate ecclesiaq; Romana, & ad hunc vsq; diem retenta, vt omniu commodissima & ad solis cursum accommodatissima: dupliciter tamen ita deprauata est, vt annus, quo nunc vtimur viginti ferè dierum differentia discrepet ab illa naturali, & incorrupta forma, quam tradere posteris Cæsar sibi proposuerat. Deprauandi verò notissima est plerisq; omnibus altera causa, quòd solis cursus anno non totum illum diei, de quo diximus, quadrantẽ cum anno consumit, sed supersunt eius aliquot mẽta, quæ græci tũ λεπτὰ tũ ἑξηκοστὰ minuta siue minutias & sexagesimas particulas nominãt, quæ à Cæsare, vt res parui momenti neglecta, diutissimeq; multiplicata, dierũ iam tredecim erroré pepererunt, vt solent à paruis initijs errores in immensũ augescere progrediẽdo, & nisi prouideatur, totius anni eiusq; temporũ & festorũ ordo tantopere confundetur, vt sit hyems mensib. olim æstiuis, æstas hybernis: tum Christi feruente canicula, Ioannis Baptistæ natale in frigoribus celebretur. Altera deprauationis causa est, quã hucusq; ab omnibus corrigendi anni auctoribus prętermissam esse demiror, quod, principiũ primi mensis seiunctũ est ab anni naturalis initio .i. calendæ Ianuarij ab hyberno solstitio. Nam vt ea, quã diximus, cõmodissima ratio tradita posteris est, à Cęsare dictatore per nouã institutionẽ: sic nũquam ei propositũ fuit quidquam præter veterẽ Romanorũ consuetudinẽ innouare de principio anni, quippe quòd eis erat optima & cõmodissima ratione constitutum: vt scilicet à nouo sole, hoc est ab hyberno solstitio, quę bruma quoq; dicitur, sumeretur: quanquã hinc fuerit ab eodem Cæsare primi mensis initiũ in octauũ post diem ob causam à nobis explicandã translatum. cuius veterũ Romanorũ instituti, siquis de hoc quærẽdũ putauerit, fidẽ faciũt tũ certissimæ rationes, tum grauissima optimorũ auctorum testimonia.

Anni deprauationis causæ.

Constat enim omnes cuiusque nationis mortales, quibus quidem propositum fuit suum annũ ad solis alteriúsue astri ambitum accommodare, non casu temeritateue ductos ipsius initium constituisse, sed auctoritatem doctorum hominum secutos, aliquã cæli astriq; motus insignẽ partem obseruasse, quæ sibi vìderetur esse commodissima, vnde principium anni duceretur. Itaq; nõnullis, vt ait Cẽlorinus, à nouo sole, id est à bruma, alijs ab æstiuo solstitio, plerisq; ab æquinoctio verno, partim ab

tim ab autumnali, quibuſdam ab ortu Vergiliarum, nonnullis ab ipſarum occaſu, multis à canis exortu viſus eſt incipere naturalis annus, cui ſcilicet ciuilis pro cuiuſq; ſententia eſſet aptandus. Quam igitur illarum partiũ cæleſtis motus Romani Dictatorq; Cæſar ſpectaſſe dicendi ſunt, cum principum anni facerent, cuius primus menſis eſſet Ianuarius? nũ æquinoctiorum alterum? athæc ambo trium circiter menſiũ interuallo diſtãt à calendis Ianuarij. an ſolſtitium æſtiuũ? at hoc incidit in tempus oppoſitum, quod exortus Caniculæ poſt trigeſimum ferè diem conſequitur. Vergilias porrò partem eſſe Tauri aſtrologi teſtantur, vt eas nullo modo circa initium Ianuarij vel oriri vel occidere poſſe intelligatur. Supereſt igitur nouum ſolẽ & ſolſtitium hybernum, viſum eſſe Romanis initium naturalis anni, & hoc eiſdem ſpectatum obſeruatumq; fuiſſe in anni ciuilis principio conſtituẽdo: quo die ſol nouus idcirco vocatur, quoniam poſt multorum dierum menſiumq; receſſum & luminis imminutionem, quod ipſius velut ſeniũ vocatur, immobilis capricorni ferè primã partem ingrediens ad noſtrum orbẽ reuerti, lumenq; ſuum incipit largius nobis indies impartiri. quapropter aptiſſimus eſt viſus dies ille Romanis Numæ Cæſariq́ue, vnde inciperet annus naturalis, & principiũ ciuilis duceretur. Sed vt ad certiſſimã rationẽ accedant veterum quoq; & grauiſſimorum auctorum teſtimonia, Simplicius philoſophus & Ariſtotelis nobiliſſimus enarrator, exponens eũ locum ex quinto libro de phyſico auditu, vbi docet philoſophus, quæ dicantur ἑφεξῆς, id eſt, inter ſe deinceps conſequentia, hæc ſcripta reliquit, quæ totidem penè verbis ſunt à nobis conuerſa: *Non natura*, inquit, *ſed poſitione principia ſũt, quæ nos facimus anni principia: à ſolſtitio æſtiuo, vt Athenienſes; vel ab æquinoctio autumnali, vt qui nunc vocatã Aſiam tenent: vel ab hyberno ſolſtitio, quemadmodũ Romani: aut ab æquinoctio verno, vt Arabes & Damaſceni.* Ouidius quoq; poẽta teſtis locupletiſſimus (floruit enim paulò poſt anni rationem inſtitutam à Dictatore Cæſare Auguſti principatu) non ſolum initium anni Romani duci ab ipſo die Brumæ teſtatur, ſed etiam cur ſic placuerit Romanis, rationem reddit his verbis:

Vnde Romani ſũpſerint anni initiũ.

faſt. lib. 1.

Bruma nouũ primæ eſt veteriſq; nouiſſima ſolis:
Principium capiunt Phœbus & annus idem.

Atq; his quidem manifeſtis argumentis & grauiſſimis teſtimonijs planum efficitur, anni formam incorruptam, ac vetus Romanorum (quos orbis occiduus æmulatur, & eccleſia Romana) inſtitutum poſtulare, vt anni principiũ ſumatur ab hyberno Solſtitio, & huc reuocẽtur calendæ Ianuar. Quod cum ita ſit, qua ratione fecerit Cęſar, vt initiũ primi mẽſis diuelleret à naturalis anni principio, & Ianuarij calendas in diem octauum à bruma reijceret, ſæpe cum tam inſignis ineptitudinis admiratione dubitaui: ſed multa mihi animo colluſtranti, ſuſpicari in mẽtẽ venit huius

I. Cęſar calend. Ianuarij reiecit in diem octauũ poſt Brumã.

huius absurditatis & discrepantiæ causam fuisse errorem & negligentiam mathematicorum, quorum opera vsus est Cæsar in hoc negotio conficiendo: qui perperam fortasse diem Brumæ, hoc est hybernum Solstitium, obseruassent: vt illis temporibus non tam nota erat hominibus astrologiæ ratio, quàm post Claudium Ptolemæum, cuius & posterorum diligentia obseruationeq; magna accessio huic doctrinæ facta est. Quã erroris suspicionem mouerunt mihi verba Plinij secundi, qui in commemoratione huius institutionis anni præfatus eam auctore Sosigene factam esse à Dictatore Cæsare, & postea errore intercalandi comperto ab Augusto correctam, illud quod ad ipsius institutionis errorem pertinet, adiecit: Et *Soligenes* (inquit) *ipse tribus commentationibus, quanquam diligentior esset cæteris, non cessauit tamen addubitare, ipse semet corrigendo*: sed hanc suspicionem minuit solstitiorum & æquinoctiorum inueniendorum ratio: quæ licet ad exactam, & scrupulosam obseruationem difficilis sit, tamen facilior est, quam vt tot dierum error in mediocriter eruditum & diligentem hominem cadere posse videatur, non modo per Astrologica instrumenta, sed etiam per figuram planam orbicularem, in loco ad regulam & libellam exæquato descriptam. Nam ducta per circulum diametro, quę sit linea meridiana, cuius inueniendi optima ratio traditur à Vitruuio libro de Architectura primo: tunc si diametrum alteram per cẽtrũ ducas, quæ secet meridianam ad angulos rectos, hæc tibi ortum & occasum æquinoctialem ostendit in quouis climate & regione. Itaque si in centro gnomen aptaueris, vmbra quæ oriente occidenteúe sole per hãc lineam iacietur, diem æquinoctialem obseruanti monstrabit: hyeme verò si diebus breuissimis vmbram notaueris, quæ oriente sole cuncta maximè proximeq; accedit ad caput lineæ meridianæ, qua vergit in septentrionem, diem brumæ siue hyberni solstitij designabit, & per hanc ducta diameter ex hac parte occasum æstiuum, ex altera ostendet orbem brumalem: atque eodem modo in æstate vmbra quæ oriente sole maxime vergit in austrum, diem solstitij æstiui signat, & ducta per ipsã diameter ortum æstiuum, & occasum brumalem oppositis partibus demonstrat. Quidam igitur viri perdocti nihil errore commissum hac in parte fuisse existimantes, illam potius discrepantiæ causam afferebant. Quòd vetere Romanorum instituto, vt anni principium erat capiẽdum à nouo sole, sic primi mensis à noua luna, à quo instituto cum Cæsar non sibi ipsi cedendum esse statuisset, & eo anno interlunium incidisset in octauum diem post hybernum solstitium, factũ scilicet esse idcirco putabant, vt dierum interuallum inter anni & primi mensis initium interponeretur, aut certe vt anni principium à sua legitima & naturali sede in octauum post diem transferretur. Sed horum sententiæ protinus illud occurrit, quod cum Cæsar priorum consuetudine mentes ad motũ lunæ dirigendi damnata vt importuna & operosa, frequentesq; ac longas in-

Lib 18. cap. 25.

gas intercalationes postulãte, eosdem ad solis duntaxat per singula Zodiaci signa progressum inita noua & commodissima ratione, vti suprà dictum est, reuocauerit, non conuenit eundem ob eandem causam, scilicet vt mensis cum luna congrueret, ad statuendum primi mensis initium interlunium post hybernum solstitium, & anni naturalis initium expectasse, præsertim cum id, quod petebat multis annis, plusquam semel in vnoquoq; mense non contingat. Nã totis decem & nouẽ annis vnius modo mensis initium semel duntaxat cõgruere necesse est cũ noua luna. Sic igitur existimo hoc potissimum spectasse Cæsarem, dum illud incõmodum inuitus scilicet susciperet, quod ad fastorum sibi pontifici maximo conficiendam rationem & sacrificiorum inueteratam consuetudinem conuenientius visum est, Ianuarium mensem inchoari à noua luna saltem eo anno, vnde fastorũ & annorum decẽ & nouem circuli ab ipso traditi principium erat capiendum, ac deinceps repetendum fasto rum ratione, qua interlunia totius anni, pleniluniaq́ue, & aliorum astrorum ac siderum ortus & occasus notabantur, horum enim temporum articulos ad ferias quasdam, & dies festos indicendos ac celebrandos, & sacrificia publica sacerdotes obseruabant. Quam sententiam vt cæteris omnib. præferendam putarem, ea me ratio potissimum induxit, quòd non ignorarem quantopere soleant aliarum etiam rerũ auctores inueteratæ sacrorum consuetudini, ac religiosæ opinioni in vulgus receptæ seruire. Cuius rei testis est Columella grauissimus auctor, qui libro de Re rustica nono cũ Hipparchi sententiã & Solstitia & AEquinoctia, in primis signorũ partib. confici asseuerantis probaret, se tamẽ profitetur idcirco fastus sequi Eudoxi atq; Metonis, vetustiorũ Astrologorũ in octauis tradentium, quod ij publicis sacrificijs essent aptati, & notior esset illa vetus agricolis cõcepta opinio. Quòd si Columella auctor rusticæ disciplinæ non dubitauit veriore & certiore sententia relicta, alteri, quã minus probabat, sua præcepta accõmodare, ne à consuetis sacrificiorũ temporib. discederet, quanto iustior esset Cęsaris in simili facto ob eandem causam excusatio, cũ esset Pontifex maximus, & religioni procurandorumq́; sacrificiorum muneri summa cũ auctoritate præfectus? cui vel maxime fuit optandum vt lunæ solisq́; coitus competeret eo anno in solstitium hybernum, ne quæ natura indiscreta sunt, distraherentur, sed annus naturalis atq; ciuilis eiusq́ue primus mensis ab eodem principio repeterentur. Cæterum cum res aliter caderet, non sibi putauit prorsus à recepta opinione & à fastorũ sacrificiorumq́; consuetudine recedendum. His rebus explicatis, satis intelligitur id, quod suprà docuimus, synceram illam & incorruptam rationem, quam Romani & Cęsar ipse tota mẽte petebat, ac vt posteris traderet elaborabat, dupliciter iampridem esse vitiatam: primum, propter dies illos brumæ & initio Ianuarij mensis interiecto: deinde propter momẽta illa pauca,

quæ initio neglecta, multorũ annorum processu multiplicata, iam tredecim ferè dierum errorem induxerunt: quod malum vtrumq; vt est pari ratione tollendum, sic eadem opera potest & debet sanari. Non enim si Cæsar cõmentitiorum deorum pontifex maximus, vt vanæ religioni & receptæ fastorum cõsuetudini seruiret, sibi vel inuito faciendum putauit, vt primi mensis initium ab anni naturali principio diuelleret, idcirco Christianæ veræq; pietatis sacerdotib. committendum est, vt volentes prudenteſq; in anni correctione peccatum alienum nulla tali necessitate inducti, sed inuiolata potius ratione, ipsaq; natura reclamante tueantur. Non igitur audiendi sunt, qui sic annum corrigere censent, vt ad eam formam redigatur, qua erat cum Christus nasceretur: eos verò multo etiam minus, quibus referri placet ad tempus concilij Niceni, cũ fuit dies celebrandi pascha constitutus, dies Solis siue Dominicus proximus post plenilunium, in primo mense Iudæorum, id est, Dominicus dies, qui proximè sequeretur obiectum Solis ac lunæ primum post hybernum æquinoctium, vnde Iudæis initium anni sumitur. neq; enim placuit ipso die plenilunij celebrari, ne Christiani in paschate celebrando cũm Iudæis congruerent, cum ante id cõcilium magna fuisset Christianorum de celebratione paschatis controuersia, & variæ consuetudines, quibusdam ipsa quartadecima luna celebrantibus. † propterea quatuordecim annis dictis, quorum fuit in eo concilio damnata sententia & consuetudo reprobata.

Christianor. à Iudæis differentia in celebrando Pasch. te.

Post id autem Nicenum decretum diu mansit consuetudo, vt põtifices Romani AEgyptios Alexandrinosq; sacerdotes, qui ceteris Christianis nationibus præstantiores scientia cælestium motuum habebantur, quotãnis per literas de tempore illo, ac die celebrandi paschatis consulerent, & illorum responsa per omnes ecclesias prouinciasque dimitterent, donec Dionysius abbas astrologiæ peritus, fastorum libellum edidit, quo æquinoctia & solstitia, & lunæ ac solis coitus & obiectus omnibus annis & mensibus inuestigandi rationem complexus est, commodã illam quidem ac diligenter initam, sed huiusmodi, vt ei dumtaxat sæculo recte posset accommodari. Quo in loco mirari licet supinam, ne quid grauius dicam, negligentiam posterorum sacerdotum: qui, cum notum sit omnibus quanto in errore in dies augescente ecclesiastica consuetudo, hac quidem in parte iam plus mille annis versetur, dum normam sequitur Dionysij, quasi constantem & perpetuam, nunquam tamen eis curæ fuit emendare fastos & aliã rationẽ inire paschatis suo tẽpore celebrãdi: qua de re veteres illi sancti grauissimiq; sacerdotes, maiores nostri, tãtopere laborabãt: quo errore & negligẽtia fit, vt multis annis celebratio paschatis plus solido mẽse diserepet à Niceno decreto suaq; tẽpestate, cũ magna culpa & sacerdotũ infamia: qui si annũ corrigere, & ad formã incorruptam reuocare animũ, vt fas erat, inducerẽt, inita (quod facilè

Solebant Rõ. pontifices Aegyptios cõsulere de celebratione paschatis.

facilè factu est)vt docebimus, constante ratione & sæculis omnib.duratura,cum multas alias commoditates assequerentur, & vitarent incommoda,de quibus diximus & dicemus, tum se turpi nota,& fastos insigni errore & inconstantia liberarent.

Nam sic anno correcto,cũ quadamq; nobis paulo post explicanda cautione,& in posterũ perpetuumq; prouisioni constituto, nõ esset difficile peritis Astrologis fastorum rationẽ conficere, quæ huic nostræ anni mensiumq;stabili &constanti normę in perpetuũ accommodetur,ad celi cardines,astrorumq; motus &aspectus inuestigandos,& pascha ac cętera mobilia festa rite suo tẽpore celebranda.Quod cũ ita sit,tamẽ tanta est hebetudo & inertia quorundã, vt nõ defuerint qui sic annũ corrigere cẽserent,vt ad tẽpusDionysij abbatis reuocaretur,nõ ob aliam causã, nisi vt ille fastorum de quo memorauimus libellus vtilis,nobis redderetur, quorũ hoc est magis ridenda tarditas,quosunt nostra tẽpora hoc quidẽ nomine feliciora,quod multi florentDionysij,atq; adeo Dionysio peritiores astrologi, quibus facile sit vel doctiores de fastis libros cõficere rectissimæ cuiq; rationi anni in perpetuum accommodandos.Non igitur ad aliquod ex ijs quæ diximus tempus, reuocari debet annus (nã eis omnib.antiquior est vtraq; anni deprauatio) sed ad eam perfectam & incorruptam rationem dirigendus, quam Romani Cæsarq; dictator animo gerebant,ac mente formauerant. Nam illud esse scientes volentesque,nec impeditos vlla necessitate non tollere, sed minuere malum, & tanquam morbum pari negotio penitus sanabilem;cum nobis liceat viginti diebus intercalandis integram illam & inuiolatam anni formã ab omni vitio afferere, & annum mensesq; ad legitimum idemq; naturale initium ac caput reuocare,quod si factum fuerit,Solstitium hybernum,& natale Christi,& calendæ Ianuariæ cõpetent in eundem diẽ vnde faustũ sumatur & conuenientissimũ anni principium sublata illa cõfusione, quã dies interiecti natali Christi & calendis Ianuarij erga publicas scripturas quotãnis afferunt,in illa temporis intercapedine confectas,quib.scilicet scripturis annus adscribitur à nato Christo numeratis.Nã septem postremos dies Decẽbris anni superioris scribę solent cõsequenti præter cõmunem cæterorũ cõsuetudinẽ annumerare,quod nõ sine magna confusione molestiaq; legentiũ efficitur.Cuius incommodi tollendi gratia,vt paucis iam explicem quod sentio,si principiũ cõmunis Romanique anni sua sponte & vetere instituto discreparet à natali Christi,vnde ferè Christiani tum publicè,tum priuatim scribẽtes principiũ anni ducunt,paucis scripturis exceptis, quibus annus adscribitur expletus ab incarnatione:tamen mutandum mihi esse videretur, & publico Christianorum decreto ad natalem Christi diem reuocandum,vt omnis perturbatio & confusio ex anni computatione tolleretur. Ergo cum ipsa ratio veteris instituti & incorruptæ formæ anni ab ijs,quos

auctores sequimur tradita, nos ad eam mutationem & exactam correctionem cohortetur, veluti reclamans, se violata & reluctante, hæc incommoda quæ latius quotidie serpunt obrepsisse, non dubitauimus notissimis erroribus summouendis, & annum, tanquam sua sede pulsum & errantem in domum & viam reducendo, tot & tantas, quæ sese ostendunt & offerunt commoditates amplecti, & vitam hominum, præsertim sacerdotum propter festorum celebrationes, à magna temporũ atq; rerum confusione, & cæcitate in dies augescente liberare: quod nec operosum est, nec multorum annorum negotiũ, adsit modo concilij sacerdotũ rite coacti, vel Põtificis & Principum Christianorũ cõsensus, vno anno atq; adeo mense, res tota cõfici potest, si publico ipsorum decreto mensis December eius anni diebus vndecim absoluatur, & qui futurus erat duodecimus, quo nunc incidit bruma, sic sit primus Ianuarij, idemque Natalis Christi, principiumque communis anni.

Quomodo annus corrigi possit.

Ad vitandum porrò futuri temporis omnem errorem, id quoque cõstituendum esset, vt quinto quoque anno mense Februario dies vnus, quemadmodum solet intercalaretur, præterquam circa centesimum & vigesimum tertium quemq; annũ. Nam cũ hoc temporis spatio horarum illæ minutiæ, quæ neglectæ tredecim dierum errorẽ à Christo nato huc usque pepererunt, vnũ ferè diem confitiant, necesse est totidem annorũ interuallo communẽ intercalationem prętermittere, sic enim fiet vt nũquã, vel si omnino adamussimq; prouideri non potest, certè vt in aliquot annorum millia ne vnius quidem diei error interueniat. Nec verò solum commoditates, quas diximus, tot & tantæ nobis per hanc anni correctionem contingent, & magnus error tolletur è vita, sed redibit etiam lumen, quod anni ac mensium inconstantia & confusio consecuta veteribus scripturis, tum latinorum tum etiam græcorum ademit. Quam enim partem anni, mensem exempli causa Iunij, Celsus, Varro, Plinius, Columella, cæterique medicinæ, ac rei rusticæ grauissimi, ac vtilissimi auctores antiquitus vocauerunt, hæc nunc à nobis Maius potius nuncupatur, eademque olim Aprilis, & item Martius appellabitur, quo pereat necesse est maxima & vtilissima pars illorum librorum, qua rerum tempestiuitates continentur, ab hominibus damnata tanquam inutilis, nec consecutis temporibus conueniens: aut quasi pernitiosa humana vitæ, si simpliciter intellecta, nec diligenter collatis temporibus ad rerum vsum assumatur. Cui similis est apud nos ratio & difficultas græcorum id genus scriptorum monumenta latine conuertendi, quippe qua in re magni etiam viri ob eã temporis cæcitatem hallucinãtur. Multa enim sunt ab Aristotele, Theophrasto, Hippocrate, Galenoq; de animaliũ & stirpiũ natura, deq; herbarum & medicamentorum virtute & tempestiuitate adscriptis anni temporibus atque mensibus tradita, quę si quis ad antiquam & incorruptam Romanorum consuetu-

Vtilitates quæ sequuntur ex hac anni correctione.

dinem

dinem latinè conuerterit, veteres auctores latinos, vt eos quos modo memoraui Celsum & Plinium, multa ab illis græcis mutuatos, & interpretatos secutus, poterit is quidem suam interpretationem his magnis auctoribus & forsitan ipsis etiam græcis testibus, qui se interdum latinis interpretantur excusare, quo facilior sit errati venia, à sensu tamen vtrorumq; longe abhorrebit. Græci enim vnum duntaxat tempus vno mensis vocabulo declarant. Romani vt varia tempora vno nomine vocarent, erroris necessitate sunt inducti, quod exemplo fiet manifestius. Mensem tertium ab æstiuo solstitio Atheniēsibus βοηδρομιῶνα dictum, veteribus Romanis Septembrem fuisse Galenus est auctor, at his temporibus non dubium est, quin idem Augusti magis nomine vocetur: mensem qui principium capiebat à bruma siue hyberno solstitio Athenienſibus ποσειδεῶνα fuisse dictum, eundemque Romanis antiquitus Ianuarium Plutarchus testatur in Cæsare dictatore, nunc certum est eundem, Decembrem potius appellari. Ad summam nisi error coerceatur, necesse fuerit singulas anni menstruas partes omnium mēsium latinis nominibus longissimi quidem temporis progressu nuncupari, quæ maiorem in dies latinorum scripturis confusionem, summam denique cæcitatem pariant.

Qua confusione & inconstantia Theodorus Gaza vir alioquin Græcorum & Latinorum ætatis suæ, mea quidem sentētia, doctissimus, hallucinatus, in eo libro quem scripsit περὶ τῶν μηνῶν, miserandum in modum laborauit in reddenda causa, cur veteres scriptores summa doctrina viri nomina græca mensium interpretantes ab ea ratione, quam ipse traderet, certissimamque putaret, dissentirent. Theodorus enim, qui fuit æqualis Nicolai quinti Pontificis maximi, libellum edidit, quē modo memoraui græcè scriptum de mensibus, qui magno plausu fuit ab omnibus græcarum simul & Latinarum literarū studiosis receptus, in quo singulari ingenio, & pari diligentia atque doctrina mensium Athenienſium numerum, nomina, ordinem & latina vocabula est persecutus, ex magnisq; tenebris & ignoratione hominum in apertam lucem atque notitiam reuocauit. Vt enim Romanis, item Athenienſibus duodecim fuisse menses ostendit, quos ipsi à solstitio æstiuo annum inchoantes his nominibus atque ordine nominarent, Ἑκατομβαιῶν, μεταγειτνιῶν, βοηδρομιῶν, μεμακτηριῶν, πυανεψιῶν, ἀνθεστηριῶν, ποσειδεῶν, γαμηλιῶν, ἐλαφηβολιῶν, μουνιχιῶν, θαργηλιῶν, σκιροφοριῶν.

Porrò animaduertens facilè in expeditoque fore, vt singulis redderentur sua nomina latina, si vel de vno quouis constaret, ad eum inuestigandum ingeniosam hanc, commodissimamque rationem iniuit, vt primum constitueret, qui mensis congrueret cum æstiuo solstitio, esset-que primus Athenienſibus, qui ab eo temporis articulo suum annum

(quemadmodũ diximus) inchoabant, deinde in menſibus Romanis hoc idẽ conſideraret: quo facto nõ dubitat quin idẽ menſis eſſet, qui vtroq; nomine græco & latino vocaretur: ita cum inueniſſet ἑκατομβαιῶνα Atheniẽſib. Romanis Iunium incidere in ſolſtitiũ æſtiuũ, ἑκατομβαιῶνα putauit Iuniũ à Rom. appellari, & ſic eſſe latinè interpretandum, μεταγιτνιῶνα Iulium βοηδρομιῶνα Auguſtum, & cæteros deinceps eodem modo, & ſic ipſe interpretatus eſt (vt ſupra dixi) Ariſtotelem & Theophraſtum. Sed quoniam huic ingenioſæ & ipſius Theodori noſtriſq; temporib. magis conuenienti rationi, veterum & grauium auctorum Galeni & Plinij menſiũ collationes & expoſitiones ab ea diſcrepantes obeſſe videbantur, illorũ hac in parte teſtimonia magna (vt equidem arbitror) & ſolicitudine refellere conatus eſt, & auctoritatẽ imminuere, Galenus enim in mentione ſeminis abietis eo menſe tempeſtiuum id eſſe tradit, quo myſtica ſacra faciebãt Athenienſes, hoc eſt βοηδρομιῶνι, & idem hunc menſem à Romanis Septembrẽ appellari teſtatur, quem Theodorus Auguſtum potius conuertendũ putauit. Plinius autem, dum Ariſtotelem ſequitur prodentem piſces magna ex parte tribus menſibus parere, quod ille μουνιχιῶνι, θαργηλιῶνι, σκιροφοριῶνι ſcripſerat, ipſe Aprili, Maio, Iunio conuertit, quos Theodorus Martium, Aprilẽ, Maiũ interpretatur. Sic igitur reiecit illorũ teſtimonia, vt Galenum diceret parum ſcrupuloſe tempus ac menſiũ illorũ conuenientiã conſideraſſe: quippe cuius parui intereſſet, tempeſtiuitatem illius ſeminis Auguſto tribueret an Septembri eiuſdẽ ferè naturæ menſi. Plinium verò non Ariſtotelẽ interpretando & ex eius ſententia, ſed ex ſua contendit illud conſcripſiſſe, propter locorum videlicet diuerſam naturam: cum tamen Galenus tẽpora & menſes diligentiſſimè contulerit, & Plinius Ariſtotelem & quidem pro illis tẽporib. commodiſsimè fuerit interpretatus, vt declarat Plutarchus teſtis locupletiſsimus, & cui Theodorus in eodem libro ſummã auctoritatẽ tribuere nõ dubitauit, is enim ſic in eo, quem diximus, loco traiectum Cæſaris in Macedoniam conſcribit, χειμῶνος δ' ἐν τροπαῖς ὄντος ἑξαμένου ἰανναρίου μηνὸς: οὔτος δ' ἂν εἴη ποσειδεὼν ἀθηναίοις, ἀφῆκεν δ' ἐν τὸ πέλαγος. quæ ſi Theodorus legiſſet, aut lecta cũ id proderet meminiſſet, magna ſolicitudine fuiſſet liberatus vnũ illũ menſẽ eiusq; græcũ & latinũ nomẽ inueſtigãdi, nec induxiſſet animũ, vt quidq̃, quod horũ triũ magnæ auctoritatis virorũ cõſenſui, & apertiſsimæ ſentẽtiæ cõtrariũ eſſet cõſtitueret: cũ eodẽ in loco Plutarchus ſimul teſtetur brumã incidere in menſẽ ποσειδεῶνα, ſimul hũc eſſe quẽ Romani vocant Ianuariũ. quo cognito & quaſi fundamẽto iacto, mẽſibusq; ordine collocatis, cõfecta res erat, nec poterat de ſingulorũ latinis nominib. dubitari. Itaq; aut horũ rationẽ fuiſſet ſecutus tẽporib. illis cõuenientẽ, cũ res ab incorrupto & com-

Gazæ error in conuertendis latinè græcorum menſibus.

& commodiſsimo inſtituto parũ deflexerat: aut quæſtione diligentius & perquiſitius diſcuſſa & dijudicata, non poſſe in tanto errore tantaq; temporũ inconſtantia, certã aliquã perpetuamq; normã tradi perſpexiſſet. Cæterũ Theodorus, vt eius erroré quatenus licet ſubleuemus, habita ſuæ memoriæ (quę eadem fuit patrum noſtrorũ) ratione, non incõmodè menſibus Athenienſium reddidit latina nomina, quo tẽpore ſolſtitiũ in menſẽ Iuniũ, Bruma in Decembrẽ incidebat: errauit tamen dupliciter, primũ quod exiſtimauit Pliniũ, qui Ariſtotelẽ ſecutus, & rectè ſuæq; memoriæ cõuenienter fuerat interpretatus, ab eodẽ diſcrepaſſe, ſuamq; ſententiã alijs locis, & quorũ eſſet alia natura accõmodaſſe: Galenum verò incuria quadã fuiſſe lapſum, propterea ſcilicet quod neuter illorũ eam, quam ipſe traderet rationẽ ſecutus fuiſſet. Deinde quod hanc putauit omnib. temporibus, tũ in præteritum aptari poſſe, tũ etiã in futurum. Sic enim, quæ obeſſe videntur, reiectis, ſuã ſententiã tuetur & tradit, vt ad eam velit vetuſta quoq; tẽpora reuocare: nec quidquã in futurũ præcipit, aut admonet de mutatione ac diuerſitate temporum, quib. omnib. (vt quidẽ nunc eſt errore in dies augeſcente) nulla cõſtãs atq; eadem interpretatio poſsit in perpetuum cõuenire. Vt.n. Theodori interpretatio, Plinij, Galeni, atq; Plutarchi temporibus nõ conuenit, ſic olim erit inepta cum totidem ab hinc anni defluxerint. Nã vt veteres ἑκατομβαιῶνα rectius Iulium, nos Iuniũ interpretamur, licet hoc ipſo Athenienſium menſe Iulij plus tertia parte etiãnunc contineatur, tãtundemq; Iunij ſumatur extra. Sic erit tempus cũ poſteri Maiũ ac deinde Aprilẽ conuertere debeant ad ſummã eius menſis Romani, in quẽ ſolſtitiũ inciderit nomine declarare, niſi hoc infinito errore ſublato, res ad incorruptum initiũ reuocetur, & perpetua ratio quemadmodũ expoſuimus ſanciatur, vt ſemper bruma & ſolſtitium in eoſdem mẽſes Ianuarium atq; Iulium ipſorumq; initia reuertantur, quod ſi factũ fuerit, redibit illa veterum in perpetuum duratura interpretatio, ad quã facile fuerit cætera, quæ Theodorus doctiſsime tradidit, reuocare. Et Romani atq; cõmunis anni principiũ congruet, vti diximus, cũ Chriſti natali die, quẽ ferè Chriſtiani faciunt caput, vt inde initium anni ducãt temporumq; rationem, abolita iam pridem conſuetudine tempora notandi à quorundã imperatorum ſiue regũ ineũte principatu, qualis fuit Hiſpanorum conſuetudo annos ab Auguſto Cæſare repetendi, quã retinuerunt vſq; ad Ioannem Regem, huius nominis primum, legemq; ab eo latam Anno Chriſti nati 1372. qua cautum eſt, vt anni deinceps atque tempora à Chriſti Natali die ducta ratione, non ab Aera Cæſaris computarentur.

Excuſatur error Gazæ.

Ioannes Hiſpan. rex edicto ſanxit vt à natali Chriſti rationem anni computarent.

De qua æra quoniam multa à multis tum veteribus, tum etiam recẽtioribus temerè tradita ſunt, quorum haud dubiè nemo, quem quidem vel legerim, vel audierim quæſtioni ſatisfecit, vt pauca quædam ediſ-

feram,

ſeram, me res ipſa adhortari videtur: nam licet hæc annorum adſcribendorum ratio quam pridem diximus fuerit antiquata, durat tamen in omnibus ferè ſcripturis, quę exſtãt mille circiter quadringentorũ annorum interuallo ab Hiſpanis hominib. adſcripto tempore confectæ in hiſtorijs, legibus, priuilegijs, pactorum, conuentorumq; monumentis, teſtamentisq;: quin etiam in libro conciliorum, quę noſter Iſidorus digeſsit nuſquam ferè alia ratione tempus ab ipſo adnotatum eſſe videmus, vt non ſolùm meis hominibus, hoc eſt Hiſpanis, ſed multis etiam alijs, quibus ea legere cordi fuerit, non ingrata, nec inutilis fore noſtra hæc cura videatur: rem ſcitu dignam, ac propemodum neceſſariam, diutiſsimeque ignoratam explicandi, præſertim poſt tã multum à prioribus fruſtra ſuſceptum laborem. In quo illud inprimis demirari ſoleo, quid venerit in mentem Iſidoro, magno alioquin & graui auctori, tradere id, quod poſteris ferè perſuaſit, æram vt nomen, ſic initium accepiſſe ab ære, hoc eſt à tributo, quod Auguſtus Cæſar tunc mortalibus cunctis, qui Romano imperio parebant, imperauerit, cum edixit vt vniuerſus orbis, quemadmodum eſt in Euangelio deſcriberetur, quod planè fictitium eſſe, vel ex eo declaratur, quòd cenſus ille, vt idem Euangeliſta teſtatur, incidit in eũdem annum, quo Chriſtus natus eſt, à quo trigeſimo octauo altius æram deduci ex pleriſque ſcripturis, quibus eſt vtrunque tempus adſcriptum, non poteſt dubitari. Sed hanc diſcrepãtiam quidam noſtrorum animaduertentes, quum ab Iſidori ſententia prorſus diſſentire, præſertim nihil commodius excogitare valentibus, inſtar ſceleris videretur, cõmentũ aliud induxerũt, ac poſteris tradiderũt: illã deſcriptionẽ trigeſimo octauo anno ante Chriſtũ natum primũ habitam, eandemque ſingulis annis haberi ſolitam fuiſſe, vt anno quo Chriſtus natus eſt, cenſus orbis more ſuperiorum annorum habitus eſſe intelligatur, cui figmento planè refragatur Euangelij indubitata veritas, qua orbis deſcriptio eodem anno quo Chriſtus natus eſt, Syriã procurante Cyrino facta, primum fuiſſe memoratur. Nam illud puerile eſt, affirmare multas orbis deſcriptiones, quarũ illa fuerit prima, factas eſſe Cyrino procurante Syriam, cuius enim leuitatis eſt credere, eodem hunc annum vel duorum annorum magiſtratum gerente, ſæpe orbem fuiſſe cenſum, cum Romana ciuitas ſemel dũtaxat quinquennio cẽſeretur, præſertim Ioſepho authore grauiſsimo in Iudaicis antiquitatibus huic leuitati apertiſsime refragante? Fuerunt & alię noſtrorum hominum de hac annorum ratione ſententiæ, quas tum propter auctorum obſcuritatem miſſas facio, tum quia tam ſine fundamento (ne quid grauius dicam) ſunt fabricatæ, vt ipſæ per ſe corruãt, ſi quis modo paulo intentius ipſarum ruditatem, & inconſtantiam intueatur. Quod verò ſuperiores illi aiunt æram à tributo, quacunque id ratione alterant, initium

De æra Hiſpanorum diſceptatiuncula.

Luc. 2.

initium ſumpſiſſe,quis qui modo literas attigerit,tã cæcus eſt,& omnis doctrinæ ac humanitatis expers vt hoc eſſe præter omnem & fidem & morem hominum non videat? viros graues & ingenioſos,(qualis natio Hiſpana ſemper eſt habita)publico conſilio ſtatuiſſe,vt ab initio moleſto grauiq;,& cuius recordatio ſit ingratiſsima, quale tributum eſt ijs quibus imperatur., annorum ratio quotidiana & frequentiſsima conſuetudine repetereturꝰ præſertim illis temporibus cum res Hiſpana nõ ſolum indigenum, ſed multo etiam magis Romanorum humaniſsimæ nationis,qui plurimi deductis colonijs Hiſpaniam incolebant, cõſilio & auctoritate adminiſtraretur? Rẽ enim gratiſsimam & populis felicẽ, & cuius memoria & recordatio iucundiſsima ſit, homines annorũ temporumq; caput ac initium conſtituere ſolent, vt Romani conditã vrbẽ, Iudæi libertatem cũ ſe ab Aegyptiorũ ſeruitute vindicarũt, Chriſtiani Chriſti vel conceptionẽ(quam incarnationem quoq; vulgari cõſuetudine dicimus)vel Natalẽ diem: rẽ verò grauẽ,& moleſtã,quæq; infauſta videri poſsit,nulla vnquã natio initiũ vnde tẽporis ratio duceretur cõſtituit.quid aũt aut grauius aut moleſtius ſolet hominib.accidere, quã tributũ quod multarum ſæpe ciuitatũ atq; etiã nationum magnũ odiũ in reges ac princeps ſuos,nonnullarum etiam defectionem cõcitauit?

Age verò vt ab his, qui tributũ illud velut rem indubitatam ponunt, & pro ſuæ ſententiæ fundamento iaciunt, paulò ſeuerius rationem repoſcamus,quem tandem auctorem habent edictum illud de cenſendo terrarum orbe ad tributũ imperandum pertinuiſſe, ac eodẽ tempore fuiſſe in orbe Romano vniuerſale tributum imperatum? hoc enim veterũ ſcriptorum nemo(vt equidẽ arbitror)memoriæ tradidit: ego verò teſtem habeo locupletiſs.Ioſephum, nullum id temporis imperatum fuiſſe tributum: qui Iudaicarum antiquitatũ lib.18.Iudæos quoſdã tradit, qui ſe vindices libertatis eſſe profitebantur, propter ſuſpicionẽ imperandi tributi ex eo cenſu temerè conceptam tumultuari cœpiſſe, atq; eum motum cauſam fuiſſe multorum malorum,itaq; cenſum hũc, quo de mortalium Romano imperio ſubiectorum numero, & cuiuſq; patrimonio & ordine conſtaret, ob alias cauſas factum fuiſſe pro cõperto habeo. Quemadmodum in vrbe Roma quinto quoq; anno capita & patrimonia ciuium Romanorum, etiam cum nulla eſſet tributi nec mẽtio nec ſuſpicio cenſebatur. Non ſolũ igitur opinionem afferunt futilem,& nihil habentem probabilitatis, ſed quod ſumunt pro comperto,dubium eſt,atq; adeo commentitium. Non enim tributi cauſa factus eſt ille cenſus,ſed ob alias,vt dixi,cauſas: nec ſi quis nulla neceſsitate, ſed curioſa quadam diligentia factum ſuſpicari ſe diceret, ſententiam affert improbabilem,vel ab Auguſti Cæſaris ingenio & morib. abhorrentem,docti ac omnis humanitatis ſtudioſi principis, cui & cordi, & curæ fuiſſe ſcimus, adhibito etiam Agrippa, vt opus & tabulæ de ſitu

orbis cum exactiſsima mundi partium,regionum, vrbium,fluuiorum, atque montium ratione ad hominum ſtudioſorum cognitionem conficerentur,quam rationem Plinius ſecundus interdum in grographia ſecutum ſe fuiſſe teſtatur. Quid igitur mirum ſi eadem curioſitate in magna & altiſsima pace,vt de ciuium Rom. ſic de ſibi ſubiectorum mortalium numero & opibus,princeps curioſus & eruditus,per cenſum vniuerſalem conſtare voluit? quibus planè intellectis, eſſe mera ſomnia quæcunque de æra tradita ſunt ab ijs, qui temporis eam rationem ad tributum imperatum ab Auguſto quacunque via referri volunt. Illud quoque non parum obeſt iſtorum figmentis,quòd Romani non aurum,aliudúe metallum victis gentibus imperare ſolebant in tributis, ſed argentum ſemper,vt Plinius eſt auctor.

lib.33.c.2.

Hermolaus Barbarus,vir alioquin doctiſsimus,in eo lib.cui titulum fecit caſtigationes Plinianę,æram apud veteres idē ſignare tradit,quod numerum,auctore Lucilio,cuius hæc verba citātur à Nonio Marcello: *hæc* (inquit) *eſt peruerſa ratio æra ſumma, & ſubducta improbe*: atque in eo intellectu Hermolaus id vocabulū ab Aſtrologis tum latinis,tum etiā græcis vſurpari ſolitum eſſe falſo confirmat,ignarus videlicet hunc barbarum morem ad cæteros aſtrologos non pridem ab Hiſpanis, quorum multi in ea doctrina claruerunt emanaſſe. Nam poſtquam huius vocis, æra,qua ratio temporis ab Auguſti principatu ducta notabatur,vis cœpit ignorari,eadem (vt ſolent ex vno multi errores interdum exiſtere) ad quamuis annorum rationem vndecunque duceretur,à noſtris Aſtrologis eſt tranſlata,vt in Alphonſi regis tabulis (nam hic eſt titulus libelli) factum eſſe videmus,vnde potiſsimum in cæteros libros aſtrologicos manauit error,cum nec Ptolemæo,vt Barbarus falſo putauit, nec alius vt arbitror, græcorum quiſquā ea voce ad annorum rationem declarandam ſit vſus: ſed nec veterum quidem latinorum aliquis, cuius quidem locus extet,præter Lucilium,qui tamen non proprie ſed figuratè,atq; plurali numero,æra,id eſt,numos, qui accepti aut expenſi referantur,pro numorum ratione ſiue numero dixit, nec eo verbo ad veterem morem & intelligentiam Hiſpanorum eſt vſus. Nec ſi vel maximè fuiſſet,grauioribus hominibus probari poſſet, vetuſtos illos & prudentiſsimos viros Hiſpanos,tunc cum Romanam linguam incoruptam retinerent,ac ſincerè loquerentur,æram vſurpaſſe pro numero & pro rei vulgatiſsimæ nota inſolens & obſoletum verbum, omiſſo proprio & notiſs. in quotidianam conſuetudinem reuocaſſe præter morem Romanorum,qui poterant eodem modo temporis rationem ab vrbe condita ductam æram,quod eſt inauditum,nominare Cæterū Hermolaus cum æram ad omnem temporis rationem huiuſmodi rectè poſſe accōmodari falſo putaret,de initio tamē & capite eius nihil diſſeruit. Prio-

a2.u.æra.

rum

rum igitur commenta & opiniones in hac quæstione refellere nec difficile est, nec magni ingenij aut eruditionis. Sed rectam veramq; rationem tum rei, tum etiam vocis inuenire difficillimum, constat enim cõcessu omnium, primum hanc temporis rationem, quam æram nostri dicunt, ab Augusto Cæsare deduci, in cuius seculi gratiam fuit hoc à veteribus Hispanis constitutum: vt sic Augusti nomen sibi gratissimum esse ostenderent, cuius memoriam vellent in omnib. suis scripturis in perpetuum quotidiana mentione celebrari, quemadmodũ vrbes non paucas Hispaniæ ab eodem nominarunt, vt Cęsar Augustam, Emeritam Augustam, Pacem Augustam, & Augustobrigam, & si quæ sunt aliæ: & item quemadmodum Romani sextilẽ mensem ob eãdem causam Augustum vocauerunt, deinde rationẽ eandem ab anno ante Christum natũ Trigesimooctauo cepisse initium atq; idem repeti solere: sed nec illud dubitatur, Christum natũ esse anno principatus Augusti Cæsaris quadragesimoprimo peracto, quẽ adnotare magis placuit Tertuliano: & cũ quadragesimus secundus ageretur, quẽ Eusebius cæteriq; tradunt & obseruant. Quorum annorũ ratio cũ non congruat cum ea, de qua loquimur æra siue ipsius initio, sed intersint quatuor anni, non sine magna ratione dubitatum à pleriſq; quæsitumq; est de huius æræ capite, & quomodo id referri possit ad ineuntem Augusti principatum, siue initium spectes triumviratus, vt solent auctores annos eius imperij sex & quinquaginta numerantes: siue temporis huius rationem habeas, cum denicto ad Actium Antonio summa totius imperij ad Augustum est delata, post annum scilicet quartumdecimum, quæ maior esset discrepãtia. Hanc igitur difficultatem quidam expedire conantes (nam huc omnes incurrisse necesse est) cum nullum exitum inuenirent, rei per se obscuræ per vana cõmenta (vti memorauimus) maiores tenebras obfuderũt. Quas ego (difficultatibus eisdem affectus) discutere cupiens, cum veterum scriptorum de temporibus illis monumenta reuoluerem, tandem cõmodissimam rationẽ inuestigasse mihi visus sum, qua negotiũ expediri, totaq; res illustrari posse videretur: quã paucis verbis explicabo. Sic enim existimo, & res ipsa docet, veteres Hispanos in hac ratione constituenda eiusque principio iaciendo, non ipsum Triumuiratus initium spectasse, cum Augustus, Antonius, & Lepidus communi cõsilio & auctoritate aut alia facta diuisione cœperunt rem Romanam administrare, sed initium ab eo tempore sumpsisse, cum orbe partito Hispania & Italia. & reliquæ occiduæ citra Ionium mare regiones in Augusti solius imperium concessere, vt reliquus orbis ad orientem Antonio permissus est, Africa verò attributa Lepido, quam partitionẽ post bellum Perusinum statim post L. Antonij consulatum, hoc est quarto triumuiratus anno Cn. Domitio, & C. Asinio Cons. factam esse Plutarchus in Antonio testificatur, & Dion in Augusto. Nã prius illud triumuirorum

Vera origo Aeræ apud Hisp.

umuirorum fœdus initum fuiſſe anno, qui fuit Hircio & Panſa conſulibus, & tertio poſt anno cum Publio Seruilio Lucium Antonium fuiſſe conſulem, quarto verò Cn. Domicium Caluicium & C. Aſiniũ Pollionem Aurelius Caſsiodorus eſt auctor. Placuit igitur veteribus illis Hiſpanis, & quidem rectiſsimè, vt temporibus notandis nomen Auguſti celebraturi, rationem ab eo potiſsimum anno, velut à capite, ſuæ nationi felice & ſalutari repeterent, cum Hiſpaniarum imperium ad Auguſtum nominatim ſolumque delatum fuerat, quemadmodum Aegyptij (vt auctor eſt Cenſorinus) rationem temporum ab anno, quo venerant in poteſtatem ac ditionem populi Romani & Auguſti Cæſaris repetebant, qui fuit eiuſdem principatus, vt docet Euſebius, decimusquartus. Diximus de initio & capite ſupputationis huius, quæ barbarè, vt mox docebimus, æra per quorundam hominum ignorantiam vocari cœpit, ſequitur vt vim eiuſdem vocis explicemus, qua ignorata nemine propè dixerim noſtrorum æram alunde quam ab ære dictam ſuſpicante, multis (vt memoratuimus) occaſionem prębuit errandi. Qui tamen, ſi rem diligentius aduertiſſent, ex ipſa veterum temporis adſcribendi conſuetudine, quiddam aliud in ea voce latêre admoneri poterãt. veteres enim, vt ex eorum libris apparet, cum rem geſtam actámue cómemoraſſent, ſic ſcripturã claudentes tẽpus adſcribebant: Aera cc. exempli gratia, vel ccl. nulla alia nec anni nec Auguſti facta mentione, vt ſit neceſſe vtrumq; in literis æra contineri. nam licet in priuatis epiſtolis, quas ſæpe nullo adſcripto tẽpore olim miſſas videmus, quædã interdũ à recentiorib. religioſius in epiſtolis quoq; temporis adnotandi morẽ tenẽtib. ſupprimãtur, tamẽ ſtultũ eſſe putare more publico & in publice cõfectis ſcripturis annũ ab aliquo inſigni principio ductũ adſcribi, nulla nec anni nec ipſi⁹ capitis vnde repetatur mẽtione facta: præſertim ab ijs, qui vellẽt in omnib. ſcripturis principis cuiuſpiã nomẽ atque memoriã, ducta ab ei⁹ ineũte principatu tẽporis ratione, celebrari.

Vnde ductũ nomen Aera

Hanc igitur neceſſariam propè dixerim rationẽ ſecutus ita mihi perſuaſi, æra non ſimplex eſſe vocabulum, ſed tria, quæ prius abbreuiata: & pũctis (vt ſolet) more veterum diſtincta, per tabellionum librariorũque negligentiã & temeritatem confuſa in vnam vocem coaluerint, veteres ſcilicet geſtarum actarumúe rerum tẽpus ſic initio in ſcripturis adſcribebant, *acta ſunt hæc Cordubæ* (exempli gratia) *pridie calendarum Aprilis. Annus erat Auguſti ſeptuageſimus*, vt Romani tum annum ab vrbe condita, tum annum vrbis dicere ſolebant. Plinius *qui fuit* inquit, *vrbis Romæ annus* CXLII. AEgyptij annos, quos ab eo tempore, vti diximus, cum venerant in populi Romani & Auguſti Cæſaris ditionem deducebant, annos Auguſti ſiue Auguſtanos nominabant, vt alios Nabonnagarij, quos à primo regni eius anno repetebant, alios Philippi eodem modo. Primùm igitur Hiſpani quemad-

lib. 2 c. 8.

modum

modum dictum est, annum adnotabant. Deinde breuitatis gratia principia duntaxat trium verborum scribebant, sed punctis seiuncta in hũc modum A. Er. A. LXX. quemadmodum in cætera verba, quæ frequenter vsurpabantur, factitatum à veteribus fuisse in tabulis æneis ac lapidibus inscriptis notamus. In quibus A. pro *anno* & Er. pro *erat* seu *erit* vel *erunt*, & item A. pro *Augusto* interdum posita esse videre licet: & Valerius Probus, qui libellum de huiusmodi notis conscripsit testificatur. Adiuuat coniecturam sententiamq; nostram, quod hæc temporum ratio non æra Augusti dici solet, sed æra Cæsaris. Qui autem Cæsarem duntaxat dicit, non adiuncto Tiberij exempli gratia, vel Traiani nomine, nec eius mentione facta, hunc velle constat Iulium Cæsarem, à quo cæteri principes id nomen acceperunt, intelligi. cum igitur cum æra Cæsaris dicimus, non alium, quam Augustum intelligimus, nisi quoniam Augusti nomen in æra continetur, scilicet qua tempus interdum hoc modo notabatur, A. ER. A. CAES. quod est *annus erat Augusti Cæsaris*: frequentius tamen breuitatis gratia sic. A. ER. A. Sed posteriorum (vti diximus) socordia & temeritate factum est, vt omissis punctis eædem literæ velut in vnum verbum, cuius prima syllaba A-E. diphthongus esset, confusæ conscriberentur, non aliter, quàm cum æra scribentes eo vocabulo volumus numos æreos intelligi, vnde nata est errorum, de quibus memorauimus, occasio.

FINIS.

IO. GENESII

SEPVLVEDÆ S. T. D.

De appetenda gloria Dialogus, qui inscribitur

GONSALVS

Ad Illustrissimos Principes

LVDOICVM CORDVBAM eiusque coniugem ELVIRAM Principes Suessanos

PRAEFATIO.

CVm nuper inducias, dum se calores æstiui remittunt, cum studijs seuerioribus pactus (quæ conuertendis è Græco in Latinum exponendisq; Arist. quibusdam, de naturali philosophia scriptis impendebam) inquietem animum, ac nihil agere nescium ad aliquid leuioris, hoc est iocundioris operæ meditandum traduxissem, cœpi mecum sermonem de gloria altius repetere, quem ferè multis in ore esse animaduerteram, & in quo paucis antè diebus à quibusdam meis familiaribus neq; imprudentibus neque ineruditis hominibus nonnunquam dissenseram, Dum admoniti Hispanorum ingenio, qui præ cæteris mortalibus, vt sunt, sic esse gloriæ studiosissimi creduntur, eam mentionem frequenter vsurparemus. qua quæstione in Dialogi formam redacta, libellum non sine iocunda Hispanorum gloriæ recordatione, quem Ludouicæ dux magnanime, ac Eluiræ sexus fœminei decus, ad vos mitterem confeci. Nam cui dignius iustiusq; liber de gloria dicari posset, quàm vobis, qui gloriam in suo quisque ordine, studiosissime colitis, & maiorum vestrorum præclara & glorioſissima gesta per summas virtutes imitamini? A me præsertim eiusdem vrbis, quæ vobis ciuibus merito gloriatur, alumno, quiq; semper vestrarum & virtutum admiratore, & laudum fui indefessus prædicator. Quare cum genus hoc sermonum, quod Cicero doctissime, vt cætera, dixit, positum in hominum veterum authoritate, & eorum illustrium, plus nescio quo pacto habeat grauitatis tres summos & clarissimos viros, ex vestra potissimum familia quasi loquentes induxi, Gonsalum magnum, Iacobumq; Cordubam, vestros patres atque

soceros,

ſoceros, & Petrum vtriuſq; gentilem & propinquum. non modo quia de gloria ij commodiſſime loqui videri poſſunt, qui gloria duce ad ſummam claritatem peruenerint, ſed etiam vt eos, & eorum occaſione alios nonnullos noſtræ nationis ſummos viros, quantum eſſet in me, commemorandis exemplis illuſtrarem. Quod officium ſi maioribus noſtris in ſingulis ætatibus curæ fuiſſet, parum fortaſſe in explicandis virtutibus externa exempla requireremus. Nunc enim præclara à noſtris olim edita facinora tanta obliuione obruta ſunt ſcriptorum inopia, vt tanquam nulla fuerint, ignorata ſileantur: præter admodum pauca, quæ vix cum fide ad noſtram notitiam trãſmiſſa ſunt. quod non facile dixerim, ſcriptorumne incuria factum ſit, an principum culpa, qui gloriam bellicam affectantes, literas literarumq; ſtudioſos negligebant. At verò id quàm longè abhorreat à ſummorum imperatorum inſtitutis, nemo valeat dubitare, qui meminerit Alexander Macedo, cum in Sigæum veniſſet, ad Achillis ſepulchrũ, quib. verbis honorem habuerit Homero, Pyrrhus Epirotarum Rex Cyneam, Scipio Africanus Polybium ſuorum geſtorum ſcriptorem quanta familiaritate coluerit, Iulius Cæſar, quanto ſtudio ipſe ſua geſta in elegantiſſimos commentarios digeſſerit. Sed ne longior ſim in re apertiſſima, nonne per deum immortalem furor eſt, & inſignis inconſtantia, vt bonam quiſpiam exiſtimationem inter homines indipiſcatur, nullum laborem recuſare, nulli ſumptui parcere, ancipitia diſcrimina vltro etiam adire, eundem quomodo ſua gloria quam maxime dilatetur, & ad poſteritatem perueniat negligere? Quæ à me non idcirco dicta ſunt, vt obiter mei ordinis communem cauſam agerem, quam alioquin tibi Ludouice probare non eſſet facto difficile, qui ſic armorum ſtudium colis, vt literarum minime ſpernas, prorſus vt vtriuſq; gloriam ſimul expetere videaris. Sed vt iam nunc illorum reprehenſionibus occurram: Si quibus in hoc opere viſus fuero, pauciora per ſingulas virtutes Hiſpanorum virorum exempla contuliſſe, quàm ſermo ab his, quos loquentes induxi ſuſceptus deſiderabat. Sed iam ſermo vnde habuerit initium attendite.

DIALOGVS

DIALOGVS DE APPETENDA GLORIA

Io. Gen. Sepulueda.

CONfecto bello Neapolitano, cum Cordubam Vrbem patriã, duplicẽ de Gallis triumphũ reportans Gonsalus Fernandus repetisset, is, qui vt dux magnus vsurparetur, clarissimis gestis adeptus est, & summo cum gaudio, ac ingenti gratulatione ab vniuersa ciuitate fuisset exceptus, cum alij viri Principes hunc, salutandi gratia priuatim adibant, tum Iacobus Corduba, Aegabrensis comes, huiusq; & gentilis & propinquus Petrus Marchio Priegensis, idemque Gonsali fratris filius, ad ipsum cõsuetudinis gratia ventitabant. qui cum aliquando congressi in sermonem incidissent bellorum, quæ illa memoria ab Hispanis gesta essent, & in Granatensis mentionem fuissent delapsi, fœlicia (inquit Iacobus) tempora nostra, & nos ipsi fortunati, quibus ea videre contingit, quæ maiores nostri vt viderent summis votis expetiuere, & sæpe coactis viribus frustra tentauerunt. effugimus tandem probrum illud, quod nobis, id est Hispanis, à cæteris nationibus obijciebatur, quòd nos gloria bellica nullis mortalium secundos esse iactare soliti, hostem tamen non modo nostrum, sed cõmunem etiã Christiani nominis, nostris quotidie ceruicib. imminentẽ in optima Hispaniæ parte regnare pateremur *Gons.* Est vt ais Iacobe, nam & nos fœlicẽ hoc nomine ætatẽ sortiti sumus, & illud nostris merito dabatur probro. Sed vt tam tarde hostis ab Hispania prorsus repelleretur, non superioris memoriæ nostrorum hominum ignauia, sed principum discordia factum est. Quiduis enim potius nostris, quàm gloriam bellicam adimam, quam si Hispani, vt modo dicebas, iactare soliti sunt, suo id iure faciunt, modo id modice faciant, neq; cæteros contemnant, neue magnis verbis deprimant: id enim arrogans est, & inuidiosum. Equidem nostrorum virtutem si quis alius, ego in primis sæpe demiratus & multis prælijs expertus sum. Sed nunquam Gallos contempsi: nunquam Italos paruifeci: Germanorum virtutem semper probaui. Nam Granatenses (etsi Mahumetæos) quòd spernam°, nihil est, nisi velimus Hispanos contemnere, præsertim tam egregia vsos virtute, cum alias sæpe, tum maxime in bello postremo propulsando, cum tandem sunt à nobis subiugati, quod contra vniuersas vires nostras in decennium extraxere. quare cum bella gererem cum horum quibuspiam, ita eram animatus vt nobis nostra industria & virtute, non hostium ignauia vincendum putarem. Ita si qua nostra culpa est, hostem tam diu in Hispaniæ parte regnasse, seditio (vt ante dixi) principum fuit in causa. Ab illo enim tempore quo Petrus, qui ex factis crudelis est cognomina-

gnominatus, patri Alphonso Regi optimo dissimillimus successit, cũ ille victo Almohaceno Bellamarini Rege, qui Maurorũ infinitũ exercitũ in Beticam traiecerat, & receptis Algeziris vrbibus, Gibraltare obsidẽs obijsset; tot intestinis Principum seditionibus penè continenter Castella iactata est, vt externis bellis gerendis nullus longo tempore locus fuerit. Nam cum est ab his discordijs vacatum, arma nostri in hunc hostem conuertebant, vt regnante Ioanne secundo, cum coacto exercitu octoginta milliũ armatorũ, quod est à Mena ciue nostro carmine proditum, bellum fuit Granatensibus illatum. Sed quid nostros re infecta ab illa expeditione reuocauerit, non ignoratis. *Iac.* Aluarum Lunam ferũt cuius consilio Rex maxima quæq; administrabat, tantis conatibus obstitisse. Sed ille suæ perfidiæ tandem meritas pœnas capite luit. *G.* Ferunt & alia, sed ista fuit constantior hominum opinio, hostibus ingenti pecuniarum vi bellum deprecantibus Aluarum fuisse suffragatum. Sed vt memoria illa vnius improbitas Regem Io. à magnis inceptis reuocauit: sic nostra Fernandum fortissimum, & alta mente præditum, & viraginem illam exemplumq; pudicitiæ Isabellam reginã, in cuius fœmineo corpore virilẽ animum, prudentiam propè diuinam, & plusquam regiam grauitatẽ amici venerati sunt, hostes mire reformidarũt, totus orbis est demiratus, multorum fides, magnitudoque animi ad lacratissimum bellum persequendum inuitasse, videri possunt. Sic enim mihi persuadeo, nulla post hominum memoriam ætate, tot simul principes viros fortissimos, strenuos & ad bella gerenda natos, Hispaniam virorum alioquin feraciſſimam protulisse. Etenim Roderici Gaditani Marchionis (qui Alhamam in medio hostium expugnauit) virtus, quem nõ fuit ad bellum persequendum incitatura? quem non Io. Metinæ Sidoniæ dux, qui capitalium odiorum oblitus, hunc laborantem maximi exercitus obsidione soluit, non sui animi magnitudine, & fide prouocasset? quid de Emanuele dicam huius Roderici fratre, cui si Græcia patria contigisset, id erat & maximo animo, & fidem non capientibus ausis, factisque assecutus, vt facile decantatum Herculem gloria fuisset prouocaturus. Adeo ille non homines tantum, sed immanes feras edomabat. Qui non satis habuit eximiam sæpe laudem de hostibus Granatensibus retulisse. Nec ea gloria contentus fuit, quòd immanissimi leones suæ virtuti cessissent, cum nobilem virginem, sed temere imperiosam incusso colapho, quomodo viris nullum discrimen recusaturis imperandum esset admonuit. Reddita videlicet chiroteca, quam elapsam illa è manibus iu leonum caueam, non esse qui sibi restitueret audiente ipso Emanuele & alijs summo loco natis iuuenibus, quasi exprobrans illis ignauiam ficto gemitu cõquesta erat, sed traiecto mari nouum hostem sibi quærendum, alias magnarum rerum occasiones captandas putauit. Vnde inter cætera inuictæ suæ virtutis documenta septem fortis-

simorũ Maurorũ capita, quos sigillatim prælio deuictos interfecerat, reportauit: quæ nobis Hispali admirando spectaculo fuere. Nam Bernardini Velasci Castellanorũ cõestabilis, & Petri Manrhici Ducis Naiarensis Principum oppositarum Cantabriæ factionũ: tanta fuit eo bello in prælijs ciẽdis industria, & animi promptitudo, vt dũ alter alteri virtutem æmulatur, multas vterq; de hoste victorias reportauerit, quorum Bernardinus in cæteris certaminibus hostem, in illo vero seipsum vicisse mihi visus est, cum in obsidione Loxæ commisso equestri prælio lancea validissime ab hoste contorta, secundum femur confossus telum ipse sua manu eduxit. nec solum nõ defecit animo largius manãte sanguine, sed accensus ira, ipsum à quo vulnus acceperat eadem ipsius lancea retorta trucidauit. Longum esset Iacobi Luppi Paciechi Villenę Marchionis documenta fidei ac virtutis, & ante illud bellum in seditionibus Principalibus, & in ipso edita commemorare. Vbi tam grauiter est vulneratus, vt brachium dextrum, quo vulnus accepit, ne nunc quidem satis officio suo fungi queat. quod ei accidit dum laboranti militi inter cõfertos hostes securus periculi subueniret. Quid patres vestros viros optimos, & inuictos referam Iacobũ Corduba Alfonsumq; quorum alter Granatensium regem in prælio parua manu victum cepit captiuumq; cũ 22. militaribus signis in triumphum duxit, alter præclaris editis facinorib. in bello Granatensi honestissimã vitã glorioßissima morte pro patria oppetẽs obsignauit. Aut consanguineũ & gentilẽ nostrum Iacobum Comarensem Marchionẽ? qui non contẽtus gloria sibi clarissimis gestis in hoc bello parta, & quòd eius victoriæ particeps fuerat, qua Rex Granatensis victus captusq; fuit, vltra mare regnũ nostrũ propagauit, expugnata arce Portus magni, cuius occasione vtentes Mauri, nostrum pelagus oramq; maritimam piraticis reddebant infestam. quorum latrocinia non solum repressit, sed tantum ipsis timorem incussit, vt finitimi populi pacem oratum ad Regem miserint annua tributa pacisscentes. Arcem nãq; illam sibi ereptã esse Mauri, nõ aliter quã se armis nostris expositos, & omni iniurię opportunos factos fuisse interpretati sunt. vt multos alios omittam, qui cũ hoc hoste pugnãtes, propriam virtutem claris facinoribus ostentarunt. De vobis enim, qui paternam gloriam magnis virtutibus æmulamini, dicam absens libentius. Quanquã tua ætas Petre cum bellum Granatense gerebatur, infirmior erat, quàm vt arma ferre posses, annum enim circiter vigesimũ agebas, cũ in eo prælio, quod patri tuo fuit vltimum mortaliũ secundũ femur sco. pione ictus es, & ore vulnus honestum accepisti, anno post receptam Granatã, nisi memoria fallor, decimo. Sed quid Petre charissime hoc rei est? iam dudum enim manifesta in te mœroris signa video animaduertere, altum silentium tibi in familiaribus congressib. inusitatum, demissum præter natura tuã vultũ, postremo quod modo suspirium

ſpirium ab imo pectore traxiſti? *Pet.* Silentij patrue ſanctiſſime conſilium fuit, non mœror in cauſa. putaui enim vos viros grauiſſimos, & multo me maiores natu, de ſummis rebus colloquentes interpellare contra officium modeſtiamq; fore. Cætera verò, quæ dicis mœroris indicia dolor expreſſit, quem mihi afferre ſolet, paternæ mortis recordatio, quam modo mihi tuo ſermone ſuggeſſiſti. Vix enim queo à lachrymis temperare, cum mihi illius funeſtiſſimæ noctis in mentem venit, quæ nos montem ſubeuntes, qui occupatus magnam facultatem ad bellum gerendũ facturus videbatur, in latere ipſius oppreſſit, & ingentibus tenebris oſtudit, quarum occaſione hoſtes vſi ſunt, noſtrorum deſpecta paucitate. Pauci enim vti ſcis, hoc eſt ſui tantum patrem fueramus ſecuti, cæteris pertinaciter ſub ipſas radices reſidentibus. Cum ille ſubire pergentem reuocantibus clara voce reſpondit, nunquam ſuos maiores commiſiſſe, vt pedem timore referrent. Itaque nunc ipſum videre videor telis hoſtium cõfixum, ſuos hortantem, & tela fortiſſime in hoſtes non peruentura retorquentem. Illi enim quibus mons erat familiaris, nos locorum & viarum ignaros, iaculis & ſaxis partim iactatis, partim euolutis, eminus inceſſebant. Itaque nos conſcendentes contra tela temere tela iaciebamus. Ergo cum omnia præſentem mortem intentarent, nunquam tamen vir conſtantiſſimus & inuicti animi vlla ratione adduci potuit, vt (quod ſatis licebat) ſe ad inferiora caſtra reciperet. Sed memor credo poſteritatis, me qui iam fœmore ſagitta cõfoſſo, duobuſq; dentibus amiſſis, ore nõ mediocre vulnus acceperam, ter aut quater prælio excedere iubet, pertinaciter recuſantem, eundemque prælij euentum experiri cupientem tribus militibus inuitum ſubtrahere imperat. *Gon.* Ego verò Petre pro iſta te in patrem tam inſigni pietate & laudo, & amplector, tu tamen vide ne non ſatis æque agere cum ipſo videaris, qui eius glorioſiſſimam mortem dolore, & non potius beneuolentia proſequaris. Multa extant patris tui domi militiæque ſapienter, atque fortiter facta ab ipſo edita, cum ſua magna laude, neſcio tamen an vllum ſit, quod æque inuictiſſimi eius animi perpetuam gloriam immortalitatẽq; meruerit, atq; mors illa glorioſiſſima, quam cũ hoſte patriæ & religionis Chriſtianæ fortiſſime dimicãs oppetiuit. *Pet.* Intelligo venerande patrue, quæ dicis eſſe veriſſima, ſed cum memini illum non fato id eſt, ea morte quam naturæ neceſſitas affert, nobis fuiſſe ſublatum, non item æquo marte dimicantem, trucidatum, ſed rebus propemodum deſperatis quaſi voluntariam mortem, cum ſeruari poſſet oppetiſſe, non poſſum non vehementer illa recordatione commoueri. *Gon.* Ergo tu Romanorum hiſtorias non euoluiſti, quæ Paulum Aemilium immortalibus laudibus efferendi nullum finem faciunt, quòd in Cannẽſi pugna cum ſe poſſet fuga ſubtrahere, pro patria pugnans pulcherrimam mortem oppetere maluit, quã ſuorũ ig-

nominiæ supereſſe. *Pet.* Imò verò legi patrue, & quæ dicis sæpe animo reuolui. Cæterum cum Varro consul alter, qui se desperata victoria ex prælio in tutum recepit, laude non caruerit, quasi de patriæ salute nō desperasset, etiam si potiorem Aemilij causam semper reputauerim, mihi tamen, qui tali patre adolescens orbatus sum, optabilius nescio quo pacto videbatur, vt Varronis ille laudibus fuisset contentus. *Iac.* Petrus (vti mihi videtur Gonsale) sententia tibi suffragatur, sed eximio amore, quo in patrem erat affectus, eò reuocatur, vt aliquid de illa tanta gloria fuerit remissurus, vt patrem virum clarissimum ab immatura morte vendicaret. Quo cum suo magno incommodo in ea præsertim annorum infirmitate sese orbatum fuisse, non potest sine dolore meminisse. *Pet.* Est vt ais Iacobe. Nam cum me ab hoc affectu recepi, soleo illa gloria paterna non mediocriter delectari. *Gonſ.* Neq; me tuus Petre fallebat animus. Sed pulcherrimam illam mortem cum dolore meminisse etiam atque etiam vide, ne non patrem, sed seipsum amantis esse videatur. Siquidenim dolendum est, nostra causa dolendum est, quòd virum maximis præditum virtutibus familiæ nostræ Principem amisimus: non illius, quem ad vitam cum beatis degēdam credimus euolasse, quique inter homines illa morte immortalem gloriam est consecutus, qua gloria nihil potius, nihil optabilius esse debet homini liberaliter instituto. Nam quod ais, Varronem post fugam fuisse à Romanis laudatum, Deus faxit, ne mihi vnquam eiusmodi laudatio contingat. Non quòd Varro non potuerit iure laudari, si recta ratione consilium moderante salutis præsidium in fuga posuisset: quæ ratio etiam in summa rerum iniquitate despondere animum vetat, sed rei bene gerendæ sublata facultate, se potius iubet meliori fortunæ seruare: Sed vereor ne quemadmodum temere certamen instituit Varro, sic cætera præter rationem administrauerit. Itaque illas Romanorum voces non virtutis testificationem, sed fugæ potius turpis excusationem semper iudicaui. Nisi fortè Demosthenem maximum illum quidem oratorem Græciæ, sed nihil minus quàm ad bella natum, laudibus efferendum putamus, qui cum ei quidam in iurgio fugæ turpitudinem obiecisset, respōdisse fertur: Vir fugiens iterum pugnabit: quam vocem, qui laudant, quid ij aliud, quàm ignauiæ latebram quærere videri debent? *Iac.* Itáne censes Gonsale, gloriam, excelso, magnoque animo viris ante cætera mortalia bona, & vitam ipsam esse ponendam? *G.* Ego verò cur non ita existimem, nihil video, cum mihi quoquo me vertam, nullum præclarum facinus occurrat, quod non sit ab eo animo profectum, qui gloria potissimum duceretur. *Iac.* En nobis Petre occasio, quam diu captauimꝰ oblata est, audiendi de gloria differentem eum, qui sibi non solum & patriæ, sed vniuersæ Hispaniæ eam gloriam summis virtutibus peperit, qua nemo vnquam maiorem. Tu verò Gonsale, quoniam in hac mē-

tio-

tionem incidimus,& ab alijs negotijs vacamus,rem gratissimam nobis (pro hoc enim, qui minor me natu est, meo iure loqui videor,) effeceris,si gloria sit ne,& quatenus magnis viris appetenda hodierno die nobis explicueris. *Gon.* Noli obsecro Iacobe me tantis laudib. onerare. Nã neque ego quicquam in me agnosco ista tanta opinione dignum,neque si gloriam in primis esse appetendam profiteor,protinus tam immoderate eius cupidus videri volo,vt non malim,si quid gessi laude dignum id tacitis hominum mentibus probari, quam eius prædicationem, falsam præsertim audire. Quod verò me de gloria disputantem audire cupitis, & à me huiusmodi operam postulatis, iniquum sane onus, & insuetum meis humeris paratis imponere. Id ènim munus eorum est,qui literarum ac philosophiæ studia profitentur: non eius,qui vitam in castris transegerit,à me si vos ordinandæ aciei, aut alicuius vrbis oppugnandæ rationem audire cuperetis, iure fortasse vestro id mihi negotium iniungere videremini:& ego vobis rationem si non satis commode,vtcunque tamen explicarem. Ab illis ergo ista petatis censeo, qui sunt in philosophiæ scholis exercitati,non à me cui castra magis,& fagum nota sunt. Ego vos hortari tantum habeo,vt in administranda hac ciuitate cuius ambo estis Senatores, & in quocunque publico munere fungendo bellico, vel vrbano, nihil vobis gloria sit antiquius, nihil magis in rebus humanis putetis expetendum. *P.* A te potius patrue sapientissime hæc audire cupimus, quem tum naturæ præstantia, tum multarum rerum vsu quid optimum sit rectè statuisse credimus, quã à philosophis,qui talia solent ancipiti oratione versare,& in vtramque partem disputare, verborum tãta subtilitate, vt non liceat,quid verum sit dignoscere. *G.* Ego verò meæ tarditatis conscius, negotium deprecabar. Sed si vtrique vestrum tam gratum,quàm dicitis futurum est,rem aggrediar. Non quidem ea fiducia,posse me ex ijs,quæ vel vsu rerum, qui mihi parce suppetit, vel ingenio meo, quod intelligo quàm sit exiguum, fuerim consecutus;vestro desiderio satisfacere. Sed quoniam sæpe interfui eruditissimis,eisdemque prudentissimis viris, cum alia, tum hãc ipsam quæstionem prudentissime disputantibus:quorum pleraſq; sententias memoriæ mandaui,& eas in primis, quæ à communi prudentiũ sensu,& ipso(quem dicitis)vsu rerum,non videbantur alienæ, quas vt studio vestro satisfaciam,in mentem reuocare,& vobis explicare tentabo. Vestrum autem erit,si sermonem militarem,& planè casti ensem audietis,æquo animo esse contentos, bonique consulere,agam enim mea,id est rudi & inculta minerua. Quanquam res ita mihi sæpe clara visa est,vt parum egeat disputatione. Qui cum præsentia,& præterita tempora animo complector,optima quæque regna,& clarissimas resp. non aliorum opera vel initio conditas, vel deinde auctas esse video, quam illorum,qui sibi suorum laborum præmium solam gloriam pro-

ponebant.contra verò ab ijs labefactatas,& funditus euersas,quibusodiũ,vel cupiditas,aliaſue libido, quã gloria & exiſtimatio fuit antiquior.Lacedæmoniorũ reſp.legibus inſtitutiſq; Licurgi condita atque formata,tunc maximè floruit,cum à Leonidæ ſimilibus, qui nulla præterquam gloriæ cupiditate ducti pro patria ſeſe morti obtulere, adminiſtrabatur.tunc rurſus funditus corruit,cum homines ſucceſſere,qui pecuniã, opeſq; ante gloriam poſuerunt. Vt verè fuerit, quod ferunt, ab Apolline Pythio prædictum,Spartam auaritia perituram, quod idem licet de Athenienſium rep.veriſſime dicere.quæ Codri,Ariſtidis,Themiſtocliſq;,& cæterorum,qui gloriam ſequebantur, virtute ſtetit: eadem labefactata eſt eorum improbitate, qui Philippi, atque Alexandri Macedonum munera,famæ ſuæ, ac exiſtimationis obliti, patriæ libertati prætulere.Quid Romanorum,vt cæteros taceam,reſp.an non Bruti fundata gloria,tunc Imperium ſuum paucis viribus maximè dilatabat, cũ Fabritij,Curijq; adminiſtrabatur virtutibus:vt Decios præteream,Metellos,Scipiones,cæteroſq;,quorum animus ſolam gloriam in publicis muneribus fungendis ſpectabat.eadem cum Sylla primum, & Marius, deinde Cæſar gloriæ,qua duce res præclaras effecerant, ſua odia & cupiditates prætulerunt,quibus tempeſtatibus iactata fuerit,quod demũ naufragium fecerit, notum vobis eſt, qui temporum illorum monumenta perlegiſtis.Sed quid externa quærimus exempla? ſi Iulianus,Orpaſq; nobiles Hiſpaniæ proditores vllam exiſtimationis rationem habuiſſent, nec magis apud alterum ira, apud alterum auaritia, quam gloria valuiſſet, nunquam Hiſpania in illas calamitates & luctus incidiſſet,quos inuexere Mauri,cùm euocati horum ſcelere,cum infinitis copijs ipſam inuaſerunt,& penè totam occuparunt.Vix enim noſtri cæteris amiſſis,Aſturiam retinuerunt,cum proximis montanis locis, quo ſe qui ſtragibus ſuperfuerant recepere, Meminiſtis enim vt opinor, quæ à noſtris ſcriptoribus de temporibus illis memoriæ prodita ſunt.

Iac. An nos earum calamitatum obliuiſci poſſumus? præſertim cum in illis malis,noſtræ ciuitatis iactura ſingularis fuerit, & præcæteris maximè deploranda.Cuius ne vnum quidem ciuem ex ijs, qui arma ferre poſſent,ſtragi ſuperfuiſſe conſtat. Quanquam pauci admodum illi triplici prælio ſuperfuerant, quo pro legitimis regni hæredibus fortiſſime conſtantiſſimeq; depugnarant aduerſus tyrannidem Roderici, cuius libido euerſione regni fuit expiata. Cum ille ciuitatem noſtrã turpib. eius conatibus obſiſtentem, cum maximo exercitu obſidione cinxiſſet.

G. Rectè admones Iacobe. Nã & domeſticis exemplis confirmare poſſumus,amorem gloriæ maximum eſſe incitamentum ad res præclaras gerendas.Sed prius illud bellum à te modo commemoratum omittamus quod noſtri maiores ſumma cum virtute geſſere. Id enim magis pro fide,& libertate regni,quam pro gloria,quanquam ea virtutis eſt comes

ſuſce-

fuſceptum eſſe videri poteſt. nempe vt regios pueros ſuæ fidei commiſſos conſeruarent, nec paterno regno fraudari paterentur. Cum autem poſt victo Roderico, rebuſq; deſperatis, Mauri nullo prohibente, omnia flamma ferroque vaſtantes interiorem Hiſpaniam inuaderent, pauci illi ſuperſtites cum patriam tutari, aut cum ipſa vitam amittere ſtatuiſſent, quid eos ſibi, niſi gloriam tantæ virtutis præmium propoſuiſſe putamus? Nam fortiſſimi viri turpe putantes capta patria ſupereſſe, quib. honeſtiſſima morte cũ ipſa occidere licuiſſet, fœmineum ſexum & ineuntis, atq; defectæ ætatis viros Toletum vrbem manu, & natura munitiſſimam miſere, vt ſupereſſent, qui paternæ virtutis memores, gloriaque excitati amiſſam patriam, regnumq; reciperent. Ita viri magnanimi cum impetũ multorũ, pauci per muros diſperſi ferre non potuiſſent, in templum ſe quoddam recipiunt: vbi coactis viribus tam diu auxilium (ſicunde fortaſſe ſubmitteretur) expectantes reſtitere, donec commeatus prorſus defecerunt. Tunc vero nullas pacis conditiones ſatis honeſtas patria cedentibus exiſtimantes, & ſibi vt opinor, immortalem ex certa morte gloriam pollicentes, eruptione facta hoſtem adoriuntur, nec ante generoſos ſpiritus emiſerunt, quàm magna ſtrage edita ſeſe egregie vlciſcerentur, quæ licet vobis ex Hiſpanis hiſtorijs notiſſima ſunt, iuuat tamen vobiſcum commemorare, non ſolum, vt magno documento, quod quærimus appareat, ſed etiam vt recordatione tantæ maiorũ noſtrorũ gloriæ obiter perfruamur, ſimulq; ad æmulandã illã virtutẽ excitemur. Nam cum alijs ignauis eſſe non licet, tum illis eſt turpiſſimũ, quos maiorũ ſuorum virtus, gloriaq; ad res magnas cohortatur. Quamobrem noli Iacobe poſthac cõmittere, vt illorum pulcherrimam mortẽ, deplorandã calamitatẽ appelles. Calamitoſam tu mortem appellas, quæ à maximis miſerijs, quæ mox totam Hiſpaniã occuparunt, eripuit, & gloriam peperit immortalem ijs, quibus niſi tũc mortui forent, paulo poſt erat moriendũ? nec enim erant immortales. Hac tu ratione Numantinorum, Saguntinorumque exitum glorioſiſſimum, & propter gloriam ſuſceptum, qui per totũ orbem cum maxima Hiſpaniæ noſtræ gloria decantatur, deplorare poteris. Hac Enricũ Guzmanum, Comitem Nieblæ, cuius pulcherrima mors carmine ciuis noſtri Io. Menæ celebrata eſt, calamitoſum vocabis. Miſerum dices Iacobum Riberium, Bæticæ præfectum, qui in obſidione Aloræ ſcorpione ictus obijt. Nec ſaltem Rodericũ Gyronem magiſtrum militum Ciſtercienſium ab hac calamitate vẽdicabis, qui & ipſe ſagitta vitalib. adacta cũ maximo totius exercitus dolore in obſidione Loxæ deſideratus eſt: multoſq; in clariſſimis Cerdarum, Guzmanorum, Manrhicorũ, Velaſcorũ, Mendoziorumq; familijs pari dãnabis infœlicitate, nec pauciores ex Albornotijs, Toletanis, Cabreris, Carrilis, Patiechis, Caruajalibus, Aſtugnigis, Porticarreris, cæteriſq; Hiſpaniæ illuſtribus familijs,

quas

quas ſigillatim commemorare longum eſſet, qui pro patria oppetentes genti noſtræ vel ſalutem vel dignitatem pepererũt, ſibi ſuiſque immortalem claritatem, Quem errorem ſi quis Romanis perſuaſiſſet, nunquã duo Decij ad conſequendam honeſta morte immortalem gloriam *curſus* (vt ait Cicero) *equorum incitaſſent.* Nunquam (vt cæteros taceam) Marcus Marcellus, qui hanc vrbem à ſe conditam electis è patritia Romanorum gente viris habitandam initio tradidit, & ob id Patritiam coloniam appellauit, ſe ferociſſimi eiuſdemque calliditiſſimi hoſtis viribus & inſidijs expoſuiſſet, cum ei liceret poſt quintum conſulatum in otio ſecuram nec inhonoratam vitam agere. At illi omnes, viri præſtantiſſimi magno excelſoque animo prædi ti, tantum abfuit vt eiuſmodi mortem calamitoſam putarent, vt fœliciſſimam potius iudicauerint, quippe quam ante vitam cunctaſque res humanas libenti conſtantique animo poſuerunt, idque (ne à propoſito diſcedamus) nihil ſibi aliud, niſi gloriam aucupantes. *Iac.* Faciam verò quod præcipis Gonſale, & diuinos illos viros poſthac gratulatione proſequar, non miſericordia, quãquam ego cum deplorandam calamitatem dixi, multitudinis vocem ſecutus ſum: quæ videlicet affectu magis, quam ratione ducta, illiuſmodi mortem ſolet miſerandam appellare, non quòd à ſententia tua diſcreparem, in qua ſemper fui, & nunc authoritate tua gaudeo confirmari. *Gonſ.* Neque verò in caſtris tantum & re militari ſolet appetitus gloriæ res maximas victis difficultatibus conficere, ſed in omni virtutis ſtudio, quod cum laude ingenuos animos exercere ſolet. Nunquam ego eos qui in ſtudio literarum maximè floruerunt. Homerum, Socratẽ, Platonem, Ariſtotelem, Demoſthenem, ex Græcis ad eam claritatem peruenturos fuiſſe crediderim, non magis quam ex Romanis Mar. Varronem, Ciceronem, Vergilium, Plinium, aut noſtræ nationis Quintilianum, Martialem, Melam, Silium, ciueſque noſtros Galleones, Senecas, Lucanum, Auer. niſi ſummos labores, continua peruigilia, ſpe non perituræ gloriæ leniuiſſent. Quod multi ſcriptores teſtati ſunt, & ille in primis, qui ita cecinit:

in Catone Maiori.

Quid petitur ſacris niſi tantum fama poetis?
Hoc votum noſtri ſumma laboris habet.

Ouid lib. 3. de arte amandi.

Quod de poetis dictum ad omne ſcriptorum genus transferri veriſſimè poteſt. Ariſtotelem ferunt cum librum artis Rhetoricæ à ſe lucubratum Theodecti diſcipulo, vt is tanquam ſuum emitteret, dono dediſſet, laudis cupiditate victum re prodita munus reuocaſſe, qui alio in opere dum ſummatim de quibuſdam diſſeruiſſet, *Sed de ijs* (inquit) *accuratius in libris Theodecti ſcripſi* Factum quidem nec tato philoſopho dignũ, nec à magnitudine animi profectum, ſed quod maximè declarat, qui huiuſmodi gloria carere non potuerit, eum vt veram & ſolidam gloriam

riam consequeretur, nihil non fuisse conaturum. Empedocles enim maximus & philosophus & poeta, vt diuinos honores assequeretur, sese in Aetnæ voragines præcipitasse fertur, vt nusquam inuentus, ad cœlum raptus fuisse crederetur. Nam Cicero Latinorum maximus orator adeo cunctis in rebus gloriam affectauit, vix vt ab eo vitio valeat vindicari, ne glorioſus fuisse videatur. Iam qui iustitiam sanctissime coluisse memorantur, quid aliud quàm gloriam secuti sunt? nisi forte Iunium Brutum gloriam contempsisse putamus, cum filios virgis ad mortem cædi iuberet, quòd Tarquinios reducere tentassent: aut Torquatum, cum filium victorem securi percuti imperaret, quòd is contra legem cum hoste pugnasset. Aut denique Zaleucum Locrensem, cum filium in adulterio deprehensum altero oculo orbaret, sibi alterum effoderet, vt legi satisfaceret, quæ adulterium vtriusque oculi cæcitate vindicabat: quos qui gloria ductos tam pulchra facinora patrasse inficiatur, solem quoq; meridie lucere negare poterit, & Aristidem affirmare nulla nominis habita ratione Themistoclis consilio restitisse, qui Lacedæmoniorum classem incendendam putabat, referentem Athenienſibus Themistoclis consilium vtile quidē videri, sed minimè iustum esse: cui contio Atheniensium gloriæ magis, quam vtilitatis cupida, quod iniquum esset, id ne expedire quidem acclamauit. Quid fides, quæ iustitiæ fundamentum, vt est, sic esse videtur, nónne in ijs semper maxime enituit, qui tendentibus sibi ad gloriam nullum laborem recusandum, nullos cruciatus deprecandos censuerunt? quæ fides tanta, tamq; constans in vllo vnquam fuit, quæ Marci Reguli fidei vlla ex parte præferri queat? qui cum in senatu sententiam de non permutandis captiuis dixisset, nullis amicorum precibus reuocari, nullis suorum lachrymis retineri potuit, quo minus ad certos cruciatus, paratamque mortem reuerteretur: dum nullas calamitates, nullam tam ærumnosam mortem fore putat, quæ comparatæ illi turpitudini, si fidem vel hosti datam fefellisset, non possint videri leuiores, vel optandæ potius, præstitæ fidei ea gloria proposita, quæ non prius ex hominum animis exolebit, quàm Romani nominis memoria funditus deleatur. Tolle ab animo Reguli turpis auditionis impatientiam, tolle gloriæ cupiditatem, sententiam vltro mutabit: aut si reuocare minus licet, nullis certè iam vt permaneat, indigebit amicorum precibus, siccis suorum oculis ipse causas non redeundi haud optimas quidem, aliquas tamen excogitabit, aliquam strophamm inueniet, & se ad respondendum, siquis hosti etiam datam fidem præstandam esse dictauerit, multo antè comparabit. Idem ex nostris censeo de Garsia Gometio Carrillo, qui Rege Alfonso decimo, cum Xerecium oppidum à Granatensibus est expugnatum, eius arcem præses custodiebat, cuius fides cur cum Marci Reguli fide non sit comparanda, nihil video. Qui cum interempto omni arcis præsidio, solus supereſſet, eas hostiū strages edebat,

adeoq; vnus instar cohortis propugnabat, vt rex hostis in admirationẽ ipsius conuersus, parcere eius vitæ diligentissime imperauerit. Ille verò cum ferreis vncis traheretur, statuissetq; suę fidei esse non antè arcẽ, quam vitam amittere, quasi sensum amisisset, laniari se, ac discerpi patiebatur, ne in hostium manus perueniret. Sed cum vir vnus magni exercitus coactis viribus obsistere non potuisset, cum maximo vitæ tædio confectus vulneribus captus est. Et à Rege Granatensi non modo impunitatem, sed eximiam laudem commeruit, & recepta per medicorum regiorum summam diligentiam valetudine ad suum regem cũ tãtæ fidei, ac magnitudinis animi præcipua commendatione remissus est. Nec temperantiæ dubitari posse video, quin clarissima exempla ediderit appetitus gloriæ. Pu. Scipio commemoratur cum capta noua Carthagine, multos obsides à Carthaginensibus ibidem inclusos, in suam potestatem redegisset, inter quos virgo erat singularis pulchritudinis Celtibero Indibili desponsata, non solum illius pudicitiæ in sua quatuor & viginti annorum lubrica ætate peperciſſe, verum etiam inuiolatam accersitis parentibus, & sponso illius gẽtis nobilissimis sine pretio tradidisse. Quid tunc nisi gloriam sperabat Scipio? an eum religionis superstitio continebat? qui si vel libido, vel auaritia plus apud eum, quã fama valuisset, poterat suo facto ius belli, quod penes alios sacra etiam plerũq; profanauit, prætẽdere. Quo in genere multa vobis poterã Christianorum Imperatorum non minora exempla referre. *Iac.* Cuius, quàm tua potius? quem scimus non semel aut iterum, sed sæpe tali occasione oblata, oculos etiam à libidinoso aspectu in ea ætate, quæ facile solet huiusmodi voluptatibus sollicitari cõtinuisse. *G.* Poterat fortasse quicquam (vt ais) de me quoq; non absimile commemorari, sed quia nobis sacratissimæ nostræ religionis, quæ talia fieri arctissimè prohibet, in primis est habenda ratio, eorum libentius facta hoc in loco refero, qui parum aut nihil religione tangebantur. Quanquam de me tantum affirmare queo, sic me semper fuisse affectum, vt vel nulla religione, quæ certe apud me plurimum semper valuit, valebitque, præcipiente: ipsa tamen nominis honestate facile fuerim ad edendum pulchrum facinus alliciendus. Nam quod de Xenocrate scriptum est, cuius nepoti quidem temperantiam Phryne nobile Athenarum scortum vllis illecebris in peruigilio valuit corrumpere, quam nec tactu illeasperna-tus, nec sermone, irritam tamen incepti dimisit, vnde nisi ab eo animo profectum fuisse credimus, qui abstinentis opinione in primis delectabatur. Nisi fortè putamus dictum meretriculæ non minus verum fuisse, quam facetũ: quæ deridentib. se iuuenibus, cũm quibus pignus posuerat, quòd tam venusta, & elegans, vino exhilaratũ lenẽ sollicitare nequiuisset, & pactũ victoriæ pretiũ postulantib. nõ se de statua, sed de homine cõtẽdisse respõdit. Neq; de liberalitate dubitari posse video,

cũm

cum constet neminem hac virtute excelluisse, qui non idem gloria maximè duceretur. vt ab Alexandro Marcedone, Pyrrho, Scipione, Cæsare exemplum peti potest. Cum interim videri liceat eos, qui in officio vel colendo vel negligendo, de se quid homines sentiant, non laborant, commodis tantum suis seruire: auaritia, & sordibus squallere, ac in eos solum beneficia conferre, à quibus plurimum sperant, & multa præter suã dignitatẽ tũ facere, tum etiã pati. Cuius turpitudinis exẽpla à me expectare nolite. Nã mihi alienas laudes efferre, quã peccata insectari, & iocundius, & vsitatius est, scilicet vt hac indulgentia mitiores habeam vituperatores. *Iac.* Facis tu quidẽ Gonsale, pro cetera tui animi magnitudine, vt libentius aliorũ bene, quã malefacta cõmemores. Non quidẽ vt isto modo vituperationẽ effugias, qua quid magis est à virtutibus tuis alienũ? Sed quoniã, vt sibi conscij, aliena peccata minima quaq; occasione vituperãt, vt pessimorũ cõparatione boni esse videãtur. Sic vicissim quorum extant præclara in singulis virtutibus gesta, ijs grata est illustrium virorum, quorũ se similes esse cognoscũt, virtutum cõmemoratio quos cũ laudant, seipsos videntur laudare. Atq; equidem vellem huiusmodi sermo ab alio potius fuisset susceptus: nemo enim foret clarorũ virorũ nec ex nostra, neque ex priorum memoria, qui te frequentius iustiusq; in singularum virtutum exempla vocatus veniret. Nãneq; magnitudine animi, neq; magnificentia & liberalitate vllus vnquam te fuit prẽstantior, nec fide, iustitia, temperantiaúe maior. Quæ tuæ virtutes non tuorum tantum, & voce & animis comprobatæ sunt, sed hostis etiam regis potentissimi, eiusdemque prudentissimi testimonio. Qui te cum rege Fernando in Hispaniam remeantem non tam grauium incommodorum ex te acceptorum, & bis erepti regni Neapolitani memor, quàm tuarum excellentium virtutum admirator cum ipsarum clarissima testificatione Sauonæ regio apparatu accepit, & suis triclinarijs vasis aureis argenteisque summæ æstimationis donauit. Quæ tu vicissim ne ab eo, quem armis viceras, magnificentia saltem superatus fuisse videri posses, vno vasculo in memoriam honorificẽtissimi muneris tibi reseruato, reliqua seruis assecliscque illius distribuisti. Quo die cum omnes qui aderant Galli, Hispaniique nihil nisi de tuis virtutibus loquerentur, dici non potest, quanta cum admiratione omnium, & oculos & animos in te vnum conuerteris, accedente ad regiam corporis tui dignitatem torque illo aureo, quo feras à Neapolitanis publicè donatus, in quo quattuor præcipua de Gallis trophæa faberrimè ex auro cum huiusmodi titulo expressa erant, S. P. Q. Neapolitanus Gallis deuictis. Quod gestamen eo quoque die tibi apud Reges cœnaturo induendum putasti, prudentissimo, & à magnitudine animi profecto consilio. Ne quis putare posset in inuidioso conuiuio, cum maximis & clarissimis Regibus te non tam tuis meritis, quã ipsorum indulgentia discũbere. Simul ne si id

depoſuiſſes aſſentatione, quæ ſemper à magnis animis longe fuit aliena, eorum de quibus triumphaueras, gratiam captaſſe videri poſſes. Nã cum illorum Imperatorum, qui maxime laudantur Alexandri, Annibalis, Cæſaris virtutes inſignium vitiorum labe fuerint obfuſcatæ, tu cũ magnitudine animi prudentiam, fidem, magnificentiam, temperantiam, iuſtitiamq; ita coniunxiſti, vt in ſingulis excellere puteris. Prorſus vt hominibus probare velle videaris, id quod eſt à clariſsimis philoſophis proditum, omnes virtutes colligatas, adeoque implicitas eſſe, vt qui vna careat, cunctis omnino ſit carituru. Quòd ſi te cupiditas gloriæ ad tantam excellentiam perduxit, nihil eſt, quòd vel rationes, vel externa exempla requiramus. Sed non capit huius temporis anguſtia ampliſſimas tuas laudes, neq; eſt hic locus eas cõmemorandi. Quanquã non id timeo, ne dũ ſic loquor, auribus hæc tuis dediſſe videar. Maiora ſunt tua merita quàm vt adulationem patiantur. *Gonſ.* Ego vero Iacobe quæcunque bello vel pace geſſi, quæ qualiacunque ſunt, certe longè inferiora iſtis laudibus eſſe cognoſco, ita equidem geſſi, vt præter honeſtam & gloriam nihil ex rebus humanis mihi vel quærendum, vel optandum putarem. Opes enim, & honores, diuitiæq; non ſunt illa quidem, ſi ſequãtur, admodum repudianda, quippe quibus adiuti optimi viri res clariſſimas geſſere. At vbi vel honeſtas, vel gloria præponderabit, magnis erectiſq; animis pro nihilo erunt habenda. *Iac.* Ego vero Gonſale, quid in hac quæſtione verum ſit, iam nihil ambigo. Nam tua mihi authoritas pro ſumma ratione eſt. Qui tecum me hercule vel errare malim hoc in loco, quàm cum alijs multis rectè ſentire. Nam ſi error eſt, qui tales, tantoſq; fructus afferre ſolet, præcandum eſſet, ſummiſque votis optandum ab immortali deo, vt hoc in primis errore omnes homines, præſertim qui publico aliquo funguntur munere, imbuerentur. Sed quoniam plerique ſunt, qui diſſentiant, adeo, vt ne authores quidem defuerint, qui libros ſcripſerint de contẽnenda gloria: pergratũ eſſet mihi, credo, & huic Petro, qui cũ ſæpe antè de hac re ſum collocut⁹, ex te audire, quid ijs reſpõdeas, quæ cõtra dici ſolent. Aiunt enim gloriã appetere ambitioſi hominis eſſe, ambitionẽ aũt inter vitia numerari, nõ eſſe igitur gloriã appetendam. Deinde glorioſum hominẽ appellare in probris eſſe, nõ in laudibus: quid autem eſſe glorioſum hominem, niſi gloriæ appetentẽ? Gloriam igitur potius eſſe contemnendam. Tum appetitione gloriæ bella omni peſte humano generi pernitioſiora exorta læpe fuiſſe contendũt. Ad hæc multos commemorant, qui dum ne minimam quidem gloriæ iacturam facere voluiſſent, florentes reſp. euertêre. Et Lacedæmoniorũ ducem Callicratidem non caruiſſe iuſta reprehenſione, qui conſulentibus, vt claſſem ab Arginuſis remoueret, nec cum Athenienſibus prælio decerneret, reſpondit, Lacedæmonios claſſe illa amiſſa, aliam parare poſſe, ſe fugere ſine ſuo dedecore non poſſe. Sed hoc vulnus Lacedæmonijs

Argumentũ quib. probatur gloriã eſſe contẽnendam.

monijs haud ita magnum fuisse, illud pestiferum, quo cum Cleombrotus inuidiam timens, temere cum Epaminunda conflixisset ipsorum opes corruerunt. Contra vero, Q. Fa. Maximum laudibus efferri, qui nihil sollicitus, quid de se homines loquerentur existimarentúe, remp. amissam Romanis restituit. Atque hæc quidem ferè sunt, vt opinor quæ ijs obijci possunt, qui gloriam esse appetendam contendunt. nisi si quid Petro addendum esse videtur. *Pet.* Mihi verò videtur. Nam qui religionem Christianam sanctius colunt, hanc ipsam religionem in primis opponunt, qua iubemur omnes res humanas contemnere, & omnia nostra tum dicta, tum facta ad solum deum referre. Itaque gloriam istam quam illi caducam inanemque vocant, appetere hominis esse irreligiosi, & diuinorum præceptorum contemptoris. Addunt & qui subtilius ista rimantur, Peruersè rebus vti, qui gloriam tam intemperanter appetant. Nam cum honestis factis suis gloriam quasi finem proponant, ipsam virtuti, quam sequi debet, anteponunt. *Gon.* Ergo vos instructi hodie, & quasi armati ad decertandum veneratis. At videte, ne parum glorioſa sit futura victoria de imparato & inermi. Quanquam ego ad huismodi pugnam paratus, aut armatus esse, qui possum? Vos equidem initio satis fore contentos putabam, si quid hac in re sentirem, simplici oratione, & domestico sermone declararem. Quid nunc (malum) ad istas me subtiles philosophorum argutias reuocatis, tardum & hebetem hominem? *Iac.* Non vt certaremus Gonsale ea, quæ obijci posse videbantur, commemorauimus, sed vt contradicentibus quid respondere possimus, ingenio, vsu, sapientiaque tua edoceremur. quibus rebus tam egregiè munitus es, vt nemo te magis in pace ad omnes virtutes vel fungédas, vel explicandas, quã in bello ad dimicandum inermẽ, aut imparatum valeat offendere. Quare noli ista virium extenuatione tã honestum, & nobis peroptatum munus defugere. *Gon.* Faciam quia rogatis. Nefas enim duco me vobis, quorum alterum diligo vt fratrem, alterum vt filium amo, quicquam negare rogantibus. Modo memineritis negotium à me causa vestra, non spõte mea fuisse susceptum. Vt si qua erunt, (vt certe multa erũt) à me inepte, ac imprudenter dicta, eã culpam non meæ temeritati, sed iniquiori rogatui vestro assignetis. Neque verò vos illud moueat, quod quidam authores de contemnenda gloria scripserunt. nam & quoidam audio quartanæ, alios adulteræ Helenæ: facetiores, muscæ laudes scripsisse. Ad summam nihil est à communi hominum sensu tãtum abhorrens, quod isti suarum argutiarum præstigijs nõ persequantur. Sed qui de contemnenda gloria libros scripserunt, ijs eò minime credẽdum est, quoniam ijdem affectatione gloriæ illis ipsis libris sua nomina ascribentes, insigni inconstantia fidem sibi derogarũt. Nec tã interest (vt philosophos cõfirmare video) ad veritatẽ constituen-

Refutantur precedentia argumenta.

dam,quid homines loquantur,quam quid faciant. *Sed est ambitionis, quæ vitijs annumeratur,gloriam appetere.*Quęro quid ambitionem isti appellant? Nam si ambitio est,laudem quibuscunque artibus affectare, auram popularem captare,adulationibus delectari,honores, præfecturasq; ambire,vt primo loco sedeas, vt primus dicas sententiam, ambitio vitium est,& id quidem non mediocre, denique quod non potest nisi in leuem,& stultum hominem cadere.Sed hoc tantum abest ab appetitu illo gloriæ,de quo loquor,vt sit ei penitus contrarium. Ego enim eâ gloriam appeti volo,quę altis radicibus innitatur,quę per solam virtutem contingit,imò quæ sola(vt doctissimis viris placere video)virtutis est præmium.Qualem gloriam appetebant,Aristides & Themistocles inter Athenienses.qualem his similes Catones, Scipionesque inter Romanos:quorum alteri cum moribus,(vt ait Seneca)alteri cum hostibus bella gerebant.qualem inter nostros Cidus olim,& Fernandus Gonsalus.post ipsos Ignigus Luppus Mendocius,Rodericus Villandrandus,& cæteri, de quibus legistis apud Fernandum Pulgarium nostratem scriptorem Qualem Alfonsus Petrus Guzmanus,qui post semestrem Tarifæ obsidionem hosti Ioanni, qui cætera omnia frustra expertus fuerat, minitanti,nisi oppidum dederet, filium se illius comitem suum interfecturum.Se verò respondit filium patriæ,neque eum immortalem genuisse:quo se orbari,si sors ita ferret, quam à fide discedere sibi optabilius esse.Illud enim fieri,vel cum sua gloria posse,hoc sine suo dedecore ac scelere non posse.Quin vt intelligas (inquit) quanto magis apud me valeat(vt valere debet)virtutis fideique amor,quam pietas paterna, vel meo gladio iam licebit scelus meditatum perficias, vt vno facto filio meo veram vitam,mihi gloriam immortalem, tibi turpissimam ignominiam parias,& dum loquitur pugionem è muro deijcit, quo filius spectante patre continuo ab hoste nefario confossus ac interemptus est.Et Proauorum memoria Aegidius Albornotius, qui externis bellis æternam gloriam sibi, ac regioni nostræ comparauit : Multi memoria nostra.Quòd si huiusmodi gloriam affectare ambitio est, nihil ego recusem,quominus ambitiosus & habear,& appeller.Et si quis me reprehendat philosophorum,hanc culpam excusabo omnium exemplo, qui tum in bellis gerendis,tum in rebuspub.administrandis præstantissimi fuerunt.Quibus ego nunquam committam, vt philosophorum, quos equidem magnifacio,quemquam anteponam. Ego enim quod viris præstantissimis,natisq; ad iuuandam mortalitatem,& ad ciuitates cœtusq; hominum conseruandos in omni memoria placuit, id legem esse naturæ certum habeo.non si quid ingenioſi homines, sed parum valentes vsu rerum in scholis & otio contra communem hominum opinionem excogitarunt. An me magis moueant Socratis aut Platonis artificiose, & subtiliter dicta,quàm Fabricij,aut Scipionis, Marcelliúe fortiter & sapienter

sapienter facta? qua præsumpta opinione, dum bella gererem, haud fateri erubescam, ita eram affectus, vt ex ciuibus nostris patrum vestrorum sub quibus tyrocinium deposui, & consanguinei nostri Iacobi, Comariensis Marchionis, & aliorum prestantissimorum virorum preclara gesta potius, quam Senecæ præcepta essem æmulaturus. Nec mihi magnarum virtutum spem illa indoles dabit, quæ non gloria excitetur, quæ vinci se opinione ab æqualibus æquo animo patiatur. Malim (inquit Cæsar, cum esset in Celtiberiæ ignobili vico) hic esse primus, quam Romæ secundus. Qui spiritus inuictusq; animus, dum illam gloriam sequitur, videtis ad quantam rerum claritatem ipsum euexerat, nisi ad extremum illato patriæ bello cuncta fœdasset. Sed quantum in maximis rebus gloriæ valeat appetitus, tum magis intelligetis, si idem in paruis contemplari libuerit. Fingendi pingendique arte maximè mortalium Græci quondam valuerunt, ijdem vocum fidiumque cantu cæteris longe præstitere. cur tandem? nempe quoniam his artibus excellere glorioſum inter ipsos putabatur: adeo vt principes Græciæ, qui ista ignorarent paulò rusticiores (vt Cicero testatur) habiti fuerint. Vt merito illud eruditissimi viri elogium laudetur, honos alit artes, omnesque incenduntur ad studia gloria. Sed ne vetera repetamus, videre licet nostra tempestate in maximis ciuitatibus, in quibus mercatura, & cura rei familiaris in primis curatur, militia & cura armorum negligitur, plurimos diuitijs affluere, & ampliſsima patrimonia possidere, ac vicissim viros fortes, & strenuos adeo desiderari, vt bellum nisi externo, mercenarioque milite, nec inferre possint, nec illarum propulsare. Quod contra fit cum in pleriſque alijs Hispaniæ populis, tum vel in primis in nostra ciuitate. In qua mercatura negligitur, armis excellere pulcherrimum putatur. itaque non alia est maior, tuendæ rei familiaris cura, quàm agricultura honestissimum studium, & maximè naturale, quodque solet hominum & animos & corpora ad labores, bellaque durare. Denique quod antiquitas adeo omni mercaturæ præferebat, vt Romani consules plerunque dictatoresque ab aratris excirent. Thebani legibus interdixerint, nequis ad publicum officium ascisceretur, qui decem annos antè mercaturam exercuisset. Ne nos interim pigeat in nostra ciuitate fortiores ciues habere, quam opulentiores. Dixi de nostra ciuitate, vt domesticis exemplis, & nobis notioribus vterer. Idem licet de tota ferè Hispania dicere. in qua cum viri fortes in maximo sẽper honore fuerint, sẽper viri fortissimi extitêre, magna copia: inter quos cum est ad bella peruentũ, nulla est maior contentio, quam quis primus murum cõscendat: quis plures interficiat hostium: quis maĩ periculũ spõte subeat: quis impetũ hostiũ fortissimæ sustineat. Vidi ego militẽ, qui vexillũ ferebat in eo prelio quo ad Lirim amnẽ

cum

cũ Gallis cõflixim̃us amisso brachio,qui signũ sustinebat,siniſtra manu, ne pede quidẽ relato, signum recepisse, dum turpe ducit loco cedere, quem semel occuparat.qui paulò post ingruentibus hostibus qui signũ maximè petebant,siniſtram quoque manum amisit. tunc vero gloria videlicet accendente animum,cum statuisset non ante signum, quam vitam amittere,id truncis brachijs complectitur,tandiuque loco immotus consistit, donec hostis nostrorum virtute repulsus terga dedit. qui cum parta victoria,ad me vocatus venisset,egoque ipsum pro tanto facinore collaudassem,& esse facte virtute iussissem, visus est mihi præ gaudio tantæ gloriæ partæ maximorum vulnerum dolorem non sentire,nec membrorum orbitatem meminisse:quem ego vicissim non verbis tantum,sed etiam munere cõsolatus sum,& ad regem cum testimonio & commendatione tantæ virtutis quasi rude donata emeritum misi. A quo & laudatus est,& non indigno præmio donatus. Atq; hos quidem & similes partus edere solet appetitus gloriæ semel animo conceptus. Cum interim videre liceat mercenarios milites,quorum animus prædam tantum & mercedem,non etiam gloriã sequitur,minimo quoque oblato periculo signa deserere,detrectare prælium:aut commisso, de fuga magis,quam de victoria cogitare.quę vobis notiora sunt,quam vt debeant à me exemplis confirmari.Quid ergo ? *Glorioſos ne milites optabimus, & de ijs ſummæ virtutis ſpem concipiemus*?nam & hoc aitis quosdam sententiam nostram oppugnare.Minimè verò. Sed qui huiusmodi gloriam appetit,nũquam erit glorioſus.Nam quid aliud est glorioſum esse,nisi iactabundum esse,inanes gloriolas flare,& quæ non fecit, sibi verbis arrogare: aut si qua fecit, sæpe accersita etiam occasione in maius extollere. qua dementia tantum abest, vt quisquam gloriam assequatur, vt siqu'd egerit laude non indignum, id totum importuna iactatione perdat:dum ab odientibus partim inuidiam,partim etiam cõtemptum meretur,initq;. Fit enim nescio quo pacto, vt homines aliena vitia libenter audiant, laudes vtcunque non æquis auribus accipiant: de se verò importunè prædicantem ferre neutiquam possint. Neque enim ibo inficias, incidere nonnunquam tempora, cum sua facta citra reprehensionem citraque inuidiam liceat prædicare. Et tunc maximè (vt mihi quidem videtur)cum tibi vitium id obijcitur, cuius oppositæ virtutis conscius es,& potes aliqua documenta producere. vt Turnus ille Vergilianus:

Haud ita me experti Bitias & Pandarus ingens,
Et quos mille die victor ſub tartara miſi.

Inter ignotos quoque concessum est, qui se iusta ratione ignorari non vult,suas virtutes citra arrogantiam commemorare: quod Vlyxem & Aeneam diuinos viros fecisse maximi authores tradidere. Licet & ma-

gno

gno natu viris,ſuis exemplis commemorandis iuuenes ad virtutem cohortari.quam licentiam Neſtorem,nemine refragante,ſibi olim permiſiſſe accepimus.Deniq; niſi res ipſa tempusq; poſcere videatur,ſeipſum laudare ſummæ dementiæ, & inuidioſæ inanitatis eſſe ſemper putaui. Ita qui glorioſos homines damnant, magnum illi quidem vitium inſectantur,ſed quantum hoc ab illa animi generoſitate abhorreat, quam appetitionem glorię nuncupamus,ſatis arbitror explicatum.Quanquã vitiũ illud conſtat plerumq; cauſam fuiſſe virtutis. Pudet enim modo magna profeſſos,ſi res officium poſcat,factis non aliqua ex parte dictis reſpondere. *At bella illata,ſepe initium habent ab appetitione gloriæ.* Credo ſi iuſta ſunt ſi legitima ratione inferũtur.Qualia multa maiores noſtri Mauris intulere.Qualia plura quam quiſquã memoria noſtra, Rex optimus Fernãdus fœlicibus auſpicijs geſsit.Mortalium Romani plurima, præſertim cum Carthaginenſibus,ob imperij æmulationem.Quæ verò per iniuriam inferuntur,vetera nouaque exempla animo complectimini, & veras cauſas inueſtigate,nulla reperietis, quæ non fuerint ab auaritia profecta: niſi ſi quos furor,iraque ad arma concitauit. Ninus Aſſyriorum Rex primus bellum mouiſſe memoriæ proditus eſt.Cuius cauſam qui reddunt,omnes ad auaritiam,cupiditatemq; regnandi referũt. Quæ cupiditas quantum diſtet à gloriæ cupiditate,hinc licet exiſtimare,quòd multi maximis populis dominantes, non modo inglorij vixerunt,ſed turpiſsima etiam ignominia pleni.Vt inter Aſſyrios Sardanapalus,Nero inter Romanos.Nam quod quidem ſcripſere, multos bella ſæpe quæſiſſe propter gloriæ cupiditatem,idque magnis animis, ingenijſque contingere,non eſt de iniuſtis bellis accipiẽdum.Hæc enim gerentibus ſeu victis,ſeu victoribus ignominiam potius,quam gloriã parere ſolent,ſed de ijs quæ iuſtis de cauſis ſuſcepta ſunt.vt pro religione contra impios,pro patria,pro Imperio,contra violentos:vt deniq; pro dignitate contra contumelioſos,huiuſmodi enim bella quærere, hoc eſt ſponte ſuſcipere,nec expectare,dum ſe vel principes, vel magiſtratus ad id munus inuitum deſtinauerint,ſummæ indolis eſt, & ſpe maxima plenæ.Nam quid hoc aliud eſt, quàm optimam occaſionem amplecti magnitudinem animi, cæterasque virtutes ſuas cum bono publico declarandi?Sæpe enim magnarum virtutum indoles latuit, priuata rerum gerendarum facultate.Virtutum nanque igniculi, quos hominib. à natura datos philoſophi docent,non modo nõ lucent,niſi excitentur, exerceanturq;,ſed etiã languelcunt,& interdum extinguuntur.quę cauſa facit,vt mihi nonnunquam veniat in mentem ſubdubitare, an optabilius fuerit noſtris,Granatenſe imperium ſtare:quàm penitus corruiſſe.Nam etſi regnum noſtrum propagauimus, hoſtem vltra mare ſubmouimus,magna tamen noſtrorum virtutis exercitamenta ſuſtulimus, vberem triumphorum materiam deleuimus.Itaq; ſubuereor, ne in tã-

to otio & ſecuritate multorum virtus langueſcat. quod metuẽs Romanis olim vir ſpectatiſsimus Scipio Naſica, ne Carthago prorſus excinderetur, aduerſus Catonis ſeueritatem perſuadebat. Non igitur gloriæ cupiditas iniuſta bella excitare ſolet, ſed iuſte ſuſcepta, victis difficultatibus, fortiſsimè acſtrenuè conficere. An putamus Alexandrum Macedonem, cuius poſt hominum memoriã in gerendis bellis excepto Cæſare prima ſine controuerſia laus eſt, ad illam claritatem fuiſſe peruenturum, niſi gloriæ inexplebili cupiditate ductus fuiſſet? qui cum in oppidi Sadracarum oppugnatione, edito incredibili militari facinore, anceps vulnus accepiſſet, à ſuis admonitus vti ſuæ magis ſaluti cõſuleret, nec tã ſecurus mortis in ea particula irrrueret, quid reſpõdeat attendite: *Ego (inquit) me metior non ætatis ſpatio, ſed gloriæ: Eicuit paternis opibus contento intra Macedoniæ terminos per otium corporis expectare obſcuram, & ignobilem ſenectutem. Quinquamne pigri quidem ſibi fata diſponunt, ſed vnicum bonum diuturnã vitam æſtimantes? ſæpe acerba mors occupat. Verùm ego, qui non annos meos, ſed victorias numero, ſi munera fortunæ bene computo, diu vixi. Orſus à Macedonia imperium, Græciam teneo: Thraciam, & Illyricos ſubegi: Eriballis, Mediſq; imperito: Aſiam qua Helleſponto, qua rubro mari abluitur poſſideo. Iamq; haud procul abſum à fine mundi. Quem egreſſus aliam naturam, alium orbem, aperire mihi ſtatui. Ex Aſia in Europæ terminos momento vnius horæ tranſiui, victor vtriuſq; regionis. Poſt nonum Regni mei, poſt vigeſimum itq; octauum ætatis annum: videórne vobis in excolenda gloria, cui me vni deuoui, poſſe ceſſare? Ego verò non deero. Et vbicunq; pugnauero, in theatro terrarum orbis eſſe me credam, dabo nobilitatem ignobilibus locis, aperiam cunctis gentibus terras, quas natura longe ſubmouerat. In his operibus extingui mihi (ſi fors ita feret) pulchrum eſt. Ea ſtirpe ſum genitus, vt multa prius, quàm longam vitam debeam optare. Obſecro vos cogitate, nos peruenisſe in terras, quibus ob fœminæ virtutum celeberrimum nomen eſt: quas vrbes Semyramis condidit? quas gentes redegit in poteſtatem? quanta opera molita eſt? Nondum fœminam æquauimus gloria, & iam nos laudis ſatietas cepit. Dij fauerant, maiora adhuc reſtant. Sed ita noſtra erunt, quæ nondum attingimus, ſi nihil paruum duxerimus, in quo magnæ gloriæ locus eſt.* Et cætera quæ Curtius author egregius elegantiſsimè perſequitur, & ita perſequitur, vt planè oſtendat, virtutis documẽta, quæ maximè in Alexãdro poſteritas demiratur, ex gloriæ tantũ incredibili eius appetitu fuiſſe nata. Nã quod iſti de Callicratida, & Cleombroto addunt, nõ ego ſic gloriã appeti volo, vt temerè in certa pericula irruamus. Præſertim ſi in eius pugnæ diſcrimine ſalus reip. vertitur. Recte enim præcipiunt, qui docet prõptiores nos eſſe debere ad noſtra pericula, quã ad cõmunia. Ad ſummã ne ambiguitate ſermonis erremus, cum gloriæ intellectus latiſsimẽ patere videatur, ad omnemq; laudem pertinere, illã gloriam magnis viris expetendam eſſe dico, quæ virtutem ſequitur, & rectè factorum eſt comes. Ea vero eſt, vt doctiſsimi viri definierunt cõſentiẽs laus bonorum, incorrupta vox benè iudicantium de excellente virtute. Res videlicet ſolida & expreſſa, non adumbrata, non inanis, & quæ nec ab ſtultorum errore pendet, nec

Definitio gloriæ appetendæ.

per

per temeritatem,aut ſimile aliud vitium exquiritur. modo nequis eã, qui fortis ſit,temerarium dicat:aut prodigum,qui liberalis.Hæ nanque timidis auariſq; familiares ſuorum vitiorum reiectiones, prætextuſq; ſunt,& aliorum ſimiles. Nam cum in omni opere iudicio opus eſt, tum in ijs maximè,quæ ad honeſtatem,aut turpitudinem referuntur. Multi enim dũ vitia imprudenter vitarent,inciderunt in cõtraria.vt de Pauſania memorię proditum eſt.qui cũ nomen ſuum celebre fieri affectaret, Philippum Regem Macedonum virum illuſtrem interemit, reſpõſum Hermoclis ſtultè interpretatus. Qui roganti quomodo poſſet claritatem celeriter adipiſci,reſpondit ſi virum aliquem præclarum occidiſſet:fore nanq; vt illius gloria ad ipſum redundaret. Ita dum nominis obſcuritatem effugere temere cupit, parricidæ turpiſsimam nobilitatem adeptus eſt:dementia haud illi diſsimilis,qui pulcherrimum Dianæ Epheſiæ templum incendit. Non igitur per vitia ad claritatẽ peruenitur,virtutis via eſt,quæ ad veram gloriam perducit. Hanc igitur qui cupiunt,virtutem in primis amplectantur,neceſſe eſt, & ſæpe ſiniſtros vulgi rumores,ſed vanos contemnant. Neque enim Fabius Maximus, de quo paulò ante mẽtionem Iacobe feciſti, dum rumores eorum ſperneret,qui ſe timidum & cunctatorem vocitabant, gloriam non appetebat. Sed vir prudens & magnanimus præſentem vulgaris auræ reflatum vincens,cunctando ad veram gloriam properabat. Nam illud excelſi,magnique animi eſt, vt Ariſtoteli quoque magno in primis philoſopho audio placuiſſe, res magnas gerere parum laborantem, quid de ſe vulgus interim opinetur,cum tamen idem huius virtutis præmium maximè proprium gloriam eſſe,& hanc in primis à magnanimis viris peti dictitauerit.Sed hic locus anceps eſt, & lubricus. Nam vt hi qui paulò antè commemorati ſunt, Callicratidas & Cleombrotus, timẽtes inuidiã metuentis animi,temerè preliũ commiſêre,dũ indecorę vitæ pulchram mortem præponendam eſſe iactarent, ſic pleroſque videas,qui cum timore periculi hoſti parum decore ceſſerint, ita excuſant ignauiam ſuam, vt prudenter ſe, non timidè feciſſe contendant: non illud audendi fuiſſe tempus, expectandam fuiſſe aliam rei bene gerendæ occaſionem. Indubitata pericula effugere prudentis non ſolum,ſed fortis etiam animi eſſe. Et cunctationem Fabij Maximi laudant, Cleombroti inuidiam commemorant. Sunt in vtranque partem rationes, quæ cum verè citantur, magnum debent habere pondus. Sed cauendum eſt, ne illa oratio non explicatio prudentis conſilij,ſed vitij prætextus ſit,per ſpecioſam vanitatem. Cæterum quoniam in huiuſmodi rebus plerunque non ſponte peccatur, ſed fallente ſpecie recti,is mihi ſemper potiorem ſui dabit ſpem, qui ad audendum promptior erit quàm ad cedendum. Cedendo enim pauci magnã laudem meruere,audendo multi res clariſsimas geſſerunt. Erit autem

ad audendum promptior, vt quisque gloriæ cupiditate maximè ducetur. Ad eundem modum licet de cæteris virtutibus iudicare. Nam quod Petre multis videri dixisti, religionem Christianam obesse, quominus pietatem, deumq; colentibus fas sit studiosè huiusmodi gloriam affectare, vos sic habetote. Religionem ipsam tanti esse, semperq; fuisse apud me, vt si mihi vnquam persuasum fuerit, hanc cum appetitu gloriæ non posse cohærere, protinus sim de sententia discessurus. Nā quid stultius esse potest, quàm mediocre bonum summo & extremo anteferre? Gloria enim de qua tam multa dico, est illa quidem cunctis rebus humanis longo interuallo anteponēda: sed illi præmio comparata, quod religio Christiana, se colentibus pollicetur, res est caduca, breuis, & pro nihilo habenda. Cæterum tantum abest, vt cum religione nostra eius appetitus pugnare mihi videatur, vt qui religionem conten̄at, hunc veram gloriam assequi non posse, certum habeam. Et quidem constat, vt quisq; optimus præstātissimusq; fuerit in omni memoria, ita suæ religionis obseruātissimum extitisse. In cuius rei exemplum quid vobis Marculum Regulum afferam, qui ne iusiurandum falleret, ad certam mortem redire (vt paulo antè dicebā) nihil est cūctatus? Aut L. Metellū qui vt Palladiū eriperet ex fano Vestæ conflagranti, non modo se amburi passus est, sed etiam luminib. orbari? cū sint veterū monumēta eorum exemplis referta, qui tā studiosè religionē deosq; colebant, vt nullā rem neq; bellicā, neq; vrbanā nisi dijs consultis, captatis auspicijs, sępe etiam conceptis votis nec publicè, nec priuatim inchoarent. Quòd si illi, qui tanto in deorum errore versabantur, tam diligentes se deorū cultores exhibebant, quanto nobis Christianis pietas est studiosius colenda? quibus omni tali errore explicitis, munere diuino vnius dei cultus, ac vera religio à Christo Deo tradita est? Sic igitur gloriam expetamus oportet, vt prima sit cura religionis. Sed si vera gloria, (vt sæpe dico) per virtutes exquiritur, & religio Christiana per virtutes maximè colitur, quid obsecro potest obesse, quominus religionem simul colere, & gloriam appetere honestè valeamus? At omnia nostra & consilia & facta ad solum Deum referre pietatis, ac religionis est. Certe vt ad finem vltimū vt ad summū bonum. Sed quid vetat alia diligere, cupere, desiderare, quæ si non vltimi finis, certe mediocris boni, honestiq; rationem habeant? Cum bonarum rerum (vt docent philosophi) bonus sit appetitus seu desiderium. Age verò qui sapientia & sanctitate clari præcepta nobis pietatis tradidere, ij si virtutes ipsas per se & propter se expeti minimè vetant, cur nobis appetitum solidæ gloriæ interdixisse putari debent? qui cum sola virtutum via ingrediatur, vix, imò ne vix quidem ab amore virtutis seiungitur. quam ab ijs qui gloriæ ac honoris cupiditate maximè ducuntur, his quoque rebus (vt debet) virtutē anteponi, hoc argumēto audio à philosophis concludi, quod ijdē

non à quibuſuis hominib. nec quaſcunq; ob cauſas honorem atque laudem quærunt,ſed à prudentibus, & ijs quibus cogniti ſunt, atque virtutis cauſa.poſt ſummum igitur bonum, quo referri debent cætera bona, prima dignitas virtutis eſt, ſed proxima honoris & gloriæ. Quæ idcirco eſt a nobis in primis expetenda, vt hoc quaſi inuitamento excitati promptiores ſimus ad virtutes citra laboris ſenſum colendas. Et ſic via,quæ breuiſſima eſt ingreſſi, gradum ad ſummum bonum faciamus. Quid igitur ſibi vult religioſorum hominum & eorum prudentiũ cenſura,qui tam conſtanter appetitionem gloriæ inſectantur? An hos volumus leuitatis,& ſtultitiæ damnare? Minime verò, ſed quid illi accuſent,eſt etiam atque etiam conſiderandum, Nam cum nullus ſit animi motus tam honeſtus,tam ſua ſponte laudandus,quin niſi cõſilio & recta ratione regatur,poſſit in turpitudiuem dilabi, appetionem gloriæ præpoſteram,ſtultum & nihil habentem cum virtute commune,merito viri ſapientiſsimi conſectantur. Etenim videre licet pleroſque tam peruerſè rebus vti,vt dum ab hominibus parum rectè iudicantibus aliquã laudem mereantur,quid contrà Chriſtiana religio iubeat, parum laborent.Sic affecti,vt nihil dignum putent, in quod vel mediocre ſtudium, aut operam conferant, ex quo velut mercedem laboris certam laudem non expectent,petantque, & quæ virtutes aliàs videri poſſent, ijs non ob ipſarum honeſtatem funguntur, ſed ob hoc tantum vt inde laudem indipiſcantur,dum ſcilicet boni videri,quam eſſe malunt. Quo errore ſtulto ſimul & pernicioſo imbuti,dici vix poteſt, in quos flagitiorũ velut ſcopulos interdum impingant. Vidi ego nonnullos qui dum ſtultè fortis,& maximi animi laudem affectarent, vim inferre non laceſſiti gauderent:rapinas exercerent,nihil indigentes:homicidia frequenter, nulla,vel minima offenſa irritati patrarent.Ad ſummam omnia fana & profana ita violarent, vt ſibi glorioſum putarent, ſi nomen conſequerentur non hominum modo,ſed dei etiam contemptorum.Nec mirum. Huic enim tanto ſceleri laudatores,& ij quidem non pauci, contingũt. Ex turba videlicet flagitioſorum, & eorum qui factionibus ſeruientes tyrannidem exercere in tenuiores, id demum fœlicitatem eſſe putant. Longum eſſet ſingula vitia commemorare, ex quibus ſtulti, ac perditi homines laudem nonnunquam aucupantur,& quod eſt indigniſſimum, applauſores inueniunt. um non deſint,qui adulteria,ſtupra, fraudes & dolos velut victorias,de forti hoſte commemorent. Quam gloriæ appetitionem,ſi gloria eſt appellanda,& non potius deteſtanda peruerſitas, non dico viri Chriſtiani,& religioſi,ſed omnes mortales,qui modo aliqua modeſtiæ prudentiæq; particula valent,odiſſe in primis debent, & cunctis execrationibus deteſtari. quæ re vera ſtulta eſt, turpis eſt,flagitioſa eſt,& falſa perſuaſione corruptis moribus appetitur. Eſt & alia, quæ gloria à nonnullis appellatur, de qua paulo antè mentionem feci

honoribus fungi, magistratum gerere, & cætera, in quibus versatur ambitio, quæ sæpe indignis nullo suo merito, aut præstantia, sed largitione vel fauore principum, aut aliquo non laudabili artificio, nonnunquam etiam fortuna contingunt. Quorum appetitus in quibusdam ad tyrannidem spectat, qui per eos ad regnum gradum facere moliuntur. Et quo alij patriæ saluti prospiciunt, hoc ipsi, libertati eiusdem insidiãtur. In alijs ab arrogantia & superbia initium habet: qui tunc sibi maximè placẽt, & beati esse videtur, cum alijs imperitant, & facienda prescribũt, eaq; gloria (si gloria vocari debet) turgẽt & pueriliter intumescũt. Huiusmodi gloriæ appetitum damnat Christiana religio, hanc caducam, & merito inanem appellat. quæ ignauis interdum, sed ambitiosis nõ minus, quã optimis viris patere solet: non illam quæ cum virtutibus implicitã habet societatem. Nã qui honores bonis artib. hac mente petunt, vt reip. consulant, miseris iniuriam inferri ne patiantur, patriæ suum præstant officium, & extantis virtutibus gloriam petunt, ij quidẽ in maximis & diuinis viris habendi sunt, tantum abest, vt tanquam irreligiosi vituperari debeant. Quanquam gloria non cunctis vna, eadem que via quærenda est. Neq; enim omnibus eadem vel turpia vel honesta sunt. Ergo quam sibi quibusq; personam induerit, hanc cum honestate & constantia sustineat, sic veram gloriam adipiscetur: sic diuinis simul, ac humanis legibus seruiet. Aliud enim militem decet, aliud monachum, perferet hic ignominias patientissimè, iniuriam sibi facientes ne verbo quidem vlciscetur: vulnera intentantem fugiet solum, non armis cõtra pugnabit: hoc monacho honestum erit, hoc glorioſum, hoc laudabile. Idem in milite forti, quis bonus laudet imperator? Imò verò quis nõ vituperet & contra militis officium, & decus esse proclamet? At pium est & euangelicum, non resistere malo. fateor atq; id optimũ esse dico, & perfectæ pietatis. sed hæc perfectio in nullo minus desiderari videtur, quã in milite; in quo ferox in primis, excelsus, inuictusque contra omnem violentiam animus exposcitur. Itaq; boni consulendum est, si cõmunibus legib. Christianæ religioni satisfaciat. Certe Ioãnes Baptista, rogantib. militib. quid sibi ad recte viuendum esset opus facto, nihil aliud respondit, aut præcepit, quã ne cui vim aut calumniã inferrẽt essentq; contenti suis stipendijs. Ioannem Belalcazaris comitem virum præclarum, & cuius sanctimonia merito celebratur, postquã imperio se vltro abdicauit. & magnis opibus fastiditis, se totum religioni deuouit, sancti Hieronymi prius, deinde Francisci sacris institutis initiatus, quam multa credimus in eo squallore, & spontanea vilitate fuisse perpessum, quæ dum personam Principis sustinebat, perferre idem turpe sibi, & ignominiosum putasset? Vt intelligatur id demum esse veram gloriam, pietatem, & virtutes colere. Has porrò tunc maxime coli, cùm officia colimus, quę suo cuiusq; ordini, & dignitati maxime conueniũt. Nequis

eos tau-

cos tantũ religionẽ colere putet, qui beatorum Franciſci, Dominici, Benedicti, & cæterorum, quorũ ſanctitas eſt nobilitata, veſtigijs inſiſtunt, facta & vitam velut ad præſcriptum æmulantur. qui etiam ſi iure laudãtur, & merito vocãtur religioſi: neſcio tamẽ, an melius de Chriſtiana religione mereantur, quàm qui liberiore in vita remp. ſapienter, ac iuſte moderantur. Aut qui iuſta bella pro patria, pro regno, proque ipſa religione gerunt ſtrenuè. Niſi forte Moſes, Dauid, Machabei, & cæteri, qui Iudæorum regnum propagabant, libertatem ſtabiliebant, minus religionẽ & pietatẽ colebant, quã aut Samuel, aut Helias, ac cæteri ſacerdotes vel prophetæ, qui tẽplo, & ſacris olim inſeruiebant. Quorſum hęc tã multa? Nempe vt appareat, religionis cultum non anguſtijs quibuſdam iniquioribus contineri, à quibus qui latum (vt aiũt) vnguem diſceſſerit, continuo violet religionem, aut ſe obſtringat crimine. Sed patêre latiſſime, & aliam alij colendi Deum honeſtam viam oſtendere, & multa huic concedere, quæ illi fortaſſe negantur. Nam quod alterum non decet forſitã, id in altero iure laudatur. Itaq; appetitus gloriæ ſiquis monachorum, & omnino eorũ ordini, qui ſe huic ſæculo vt ipſi loquuntur, renunciaſſe profitentur, parum cõuenire contendat, haud equidem pœnam in magno diſcrimine: quanquam ſolidam gloriam, quæ (vt expoſuimus) virtute nititur appetere nulli bono viro non permittitur. Illis autem qui ſe ad literarum ſtudia excolenda, vel ad remp. pace aut bello adminiſtrandam contulere, qui non ſolum cæterarum rerũ cupiditatem adimit, ſed etiam ſine ſpe gloriæ & appetitione res præclaras agere præcipit, is mihi iubere videtur, onerariam nauim remis tãtũ impellere, & in alto ſine ventis nauigare. Præceptum me hercule durũ, imperioſum atq; difficile. At gloria ſequi debet virtutem, non appeti. Quaſi vero nos gloriam ante virtutem ponamus, & virtutes propter gloriam colendas eſſe præcipiamus. Nihil eſt Petre, quòd nobis iſta peruerſitas obijciatur, quibus hoc primum eſt, vt iuſtitiam, vt pietatẽ, vt cęteras virtutes ſtudioſe colamus. Illud tamen proximum, vt gloriam ante vitam ipſam, ne dum ante cætera omnia & corporis, & externa bona complectamur, amemus, cupiamus. quæ gloria adeo cum virtute coniuncta mihi eſſe videtur, vt qui virtutem amet, is gloriam amare: & qui gloriam cupit, virtutem idem cupere videatur. Quòd ſi res ſua ſponte coniunctiſſimas diſtrahere, & cogitatione ac mente contentionem inter ipſas excitare libeat, gloria ſit potius vel me iudice deferenda, quã virtus. Atque eo magis, quòd vera gloria nulla poteſt exiſtere, quæ ab ipſa virtute non proficiſcatur. Vt enim ad ſcelus patrandum nulla occultandi opinione, nulla celandi ſpe adduci debemus, non ſi nobis vel Gygis illius annulus cõcedatur: ſic ad virtutes colendas numquam nos is timor retardare debebit, ne optimũ, & ſua ſpõte laudabile factũ gloria nõ ſequatur. At hoc ipſũ optare, vt gloria ſequatur honeſtatẽ, id eſt qui bon⁹ vir ſit,

vir sit,vt bonus idem haberi velit vituperare, nónne ambitiosæ cuiusdã seueritatis est,& imperiosæ morositatis? An illum ego reprehendẽdum putem,& non potius summa laude dignum, & spe maxima plenũ, qui iustus & esse & haberi vult,qui fortis,qui tẽperans, qui liberalis?Ego verò,si detur optio,virtutum cultor esse, quàm haberi malim. Sed si vtrunque possim,& esse velim,& haberi cupiam. Nam quæ tam iniquæ possunt esse angustiæ,quam quibus nos intercludere moliuntur,qui virtutem appetere permittunt,gloriam vetant, quæ virtutis est indiscreta comes?Simile facientes, vt siquis esurientibus cibos salubres appetere cõcedat,palato etiam iocundos neget.Quod quid aliud est,quã pugnam nobis indicere cum natura?Ego cibo iocundi saporis in gulę irritamentum non exquiram,sed ad satisfaciendum naturæ,& salubres, & gratos mihi dari peruelim. Isti officiorum tetrici magistri, pietatis ac virtutũ seueri doctores,qui tam ieiunos,& aridos fines appetitioni nostræ præscribunt,quid cupiant ignoro.Age verò si licet ex omnium gentium factis,institutisque commune hominum iudicium aucupari,qua in re magis omnium mortalium sententiæ consensere,quam in proponendo honore qui à nobis ponitur in parte gloriæ, pro honestissimo præmio ijs, qui magnæ cuiuspiam virtutis aliquod exemplum edidissent? Constat enim,nihil vnqnam à toto orbe cum maiore consensu receptum fuisse, quàm illustribus viris, qui patriam magno aliquo beneficio demeruissent,statuas publicè cum titulis recte factorum erigere. Quod Atheniensium sapientissimæ ciuitatis,vt ferè constat,inuentum fuit.Hi nanque primi omnium Armodio, & Aristogitoni tyrannicidis statuas publicè posuerunt.Cuius rei,si veram causam quærimus,non ea tantum fuit, vt bene merentibus maximo munere gratiam referrent, sed multo etiam magis,vt immortalis gloriæ proposito præmio,quo nullum,neque maius,neque honestius,excogitare mortalitas potuit, ingenuos & excelsos animos ad res magnas excitarent,cohortarentur,allicerent. Et quidem constat plerosque conspectis illustrium virorum imaginibus, recte factorum admonitos studiose captasse maximarum rerum occasiones Vt.C.Cæsarem conspecta Gadibus Alexandri Macedonis effigie,ad quam intuens fertur ingemuisse, quasi pertæsus ignauiam suam, quod nihil tum à se memorabile actum esset in ea ætate, qua totum penè orbem Alexander subiecisset.Fuerunt & alia per gentes non dissimilia ad colendum virtutem irritamenta,cuncta pro recte factis solam gloriam promittentia.Vt apud Charthaginenses annulorum ornatus. Nam pro expeditionum numero,in quibus quisque militasset,annulos gestabant, Et in nostra regione tot obeliscos ante cuiusque sepulchrum erigere mos erat,quot hostium occidisset.A quo non longe abhorrebat Lacedęmoniorum Scytharumque institutum. Nam qui nullum hostium interemisset apud illos capistro cingi lege cogebatur, apud hos in solennibus e-

Athenienses primò statuas publicè erexerunt.

bus epulis pateram circumlatam prohicebatur accipere. Nunc ego libenter ab istis perquirerem, qui gloriam appetere fas esse negant, quid ad hæc mortalium instituta respõdeant. An velint omne genus humanũ inanitatis, ac stultitiæ damnare, quòd tam varijs inuitamentis concordi sententia erectos hominum animos ad quærendam gloriam incitarent. Quæ si res est inanis, si futulis, si pro nihilo habenda, & excelsis animis spernenda, quid hoc esset aliud, quam homines fallere, & obtenta falsa honestatis specie, per magnum errorem deludere? quod facere cum nemini bono viro licet, tum ijs est turpissimum, qui ferendi leges & optimis institutis ciuitates informandi munus susceperunt, an potius illorum prudentiã admiratione dignissimam esse credant, & cunctis laudibus efferendam, qui optimis quibusq; ac ingenuis animis appetitũ gloriæ insitũ innatumq; esse intelligentes, honestissimorũ, ac illustriũ factorũ id præmium proposuerũt, q̃ maximè honestũ esset, & sua pulchritudinè huiusmodi animos in primis alliceret. Quo fit, vt in bello optimi ac prudentissimi quiq; Imperatores dũ instãte pugna milites ad foriter, & strenuè dimicandum oratione cohortantur, non ignari animos pro cuiusq; natura esse tractandos, cupidis spem lucri, si vicerint: timidis maius victi fuerint, fugientibus periculũ proponant: delicioſis, quod ipsorũ fert libido, ex victoria polliceantur: honestis autem & liberaliter educatis ignominiã & indignitatẽ, si victi fuerint, ostentent: gloriam, decus, honestatem, si victores euaserint. Quippe quibus non est factu difficile persuadere, satius esse honestam mortem oppetere, quàm pugnæ vel cum leui nota supersesse: & gloria ipsa tãti est, vt pro hac nullum sit periculum recusandũ, nullus deprecãdus labor. Quo in loco plurimum valet maiorũ si qua extat virtus, & gloria cõmemorata. Mirũ est enim, qua mortaliũ animi alacritate sic admoniti ad æmulandam maiorum suorum gloriam incendantur. Nónne videtis in bello cũ huius regni singularum ciuitatum vexilla conueniunt, quos animos, quos spiritus, quã ad dimicandũ alacritatẽ sumãt nostri ciues, cũ vexillũ Xerecienſis ciuitatis nostro velut assurgere ac se subijcere conspiciunt? Memores videlicet illius glorioſæ victoriæ, quam olim maiores nostri retulerunt, fuso fugatoque ingenti Maurorum exercitu, qui ciuitatem illam longa obsidione afflictam & armis, & inedia eò necessitatis compulerat, vt iam oppidani, viri alioquin fortissimi, & bellica gloria nullis (vt scitis) nostræ nationis secundi, præsertim si res agitur equitatu, de se dedendo cogitarent. Quod factum esset, nisi nostra ciuitas, cuius fidem implorarunt, his propere ac libenter auxilium tulisset, susceptа ea prouincia, quam (vt accepimus) aliæ non minus opulentæ, vt nimis difficilem recusarant. Cuius præstiti beneficij gratiam immortalem, qua ratione videtis, viri gratissimi referre statuerunt. Neque verò populi tantum & vniuersę ciuitates huiusmodi exhortatione, ac commemoratione com-

mouentur, incitanturque, sed singulorum animi multo etiam magis. Hoc enim ferè claris parentibus orti, ijs qui humili loco nati sunt, prõptiores existunt ad virtutes capessendas, quod illi (nisi planè degeneri, & abiecto animo sunt) non se sua familia, suoq; nomine dignos arbitrantur, nisi paternam claritatem, quàm maximè possint, paribus virtutibus sustineant, vel si possint, etiam adaugeant. Hi verò nullo tali ad res magnas irritamento excitati, iacent plerumque, non sibi turpe putantes in patena obscuritate delitescere. Nisi si quis, quæ extra se sunt ad se nihil pertinere ratus, ita fuerit affectus, vt nobilitatem in sola virtute positam esse putet: seque ita comparauerit, vt claritatem, quam à maioribus nõ acceperit, sibi parere, posteriscq; tradere summa sit ope cõaturus. Cõstat enim huiusmodi animis nihil esse generosi⁹, nihil excelsius, nihil ad præclara in omni virtute facinora patranda, neq; prõptius neque accommodatius. Citantur in huius rei testimoniũ Tullus Hostilius, Tarquinius Priscus, Tullius Seruius, quos ex humili conditione ad fastigiũ Romani regni magnæ suæ virtutes euexere. Cato item maior, qui Tusculi natus ignobilis, summis virtutibus optimi Oratoris, optimi Senatoris, optimi Imperatoris nomen est inter Romanos assecutus. Nec duo illi Arpinates silentio prætereuntur, C. Marius, & M. Cicero. Atque hos quidem & alios Romani hoc in loco commemorant, Græci suos, Galli suos, suos Germani, suos natio quæque solet fama celebrare. Verum nescio an vlla tot possit, quot nostra in testimonium adducere. quos sigillatim refere nihil est necesse, cum constet, ferè clarissimam quamque familiam, quę maxima in regno copia est, ab huiusmodi fonte dimanasse. Quæ à me idcirco dicta sunt, ne quis vestrum putet, cum appetitionẽ gloriæ ingenuis animis insitam esse dico, hos me tantum intelligere, qui claro aut summo loco nati sunt. Nam licet hi magna ex parte, id magno studio contendant (vt modo dixi) ne quid maioribus suis indignum efficiant, tamen plerosque videas adeo dissolutos, ignauos, degeneres, vt nobilitatem, licentiam peccandi esse putent, quique opes maiorum virtutibus partas, & quæ debent esse ad fungendas virtutes instrumenta, in luxu, ganea, cæterisque libidinibus Sardanapali more profundant: denique in socordia, & ignauia, & turpi otio vitam omnem traducunt. Et quod est odio maiore dignum, hi sunt qui claritatem nobilitatemque maiorum, quam ipsi suis flagitijs obscurant, fœdantque, maxime omnium iactare solent. Vnde manauit tritũ illud vetustate prouerbium, quis patrem laudabit, nisi mali filij? Hos ego animos nunquã committam, vt ingenuos & nobiles appellem. Nam quis me ferat prudentiũ virorũ, si animũ illũ sustineam generosum appellare. qui nonnullis hominibus, vt de porcis est in prouerbio, pro sale datus est? Ergo generosos appello optima indole præditos, liberaliter institutos, turpia, & indignitatẽ respuentes, & qui ad officiũ omne prõpti sunt, ad omnẽ virtutem pa

tem parati. Si ergo, vt redeat eò, vnde deflexit oratio, communi mortalium iudicio, atque testimonio ingenui, & generosi animi nutu quodam naturali ad gloriam in primis feruntur, quis dubitare queat, quin gloriæ appetitus, maxime naturalis, sit pulcher, honestus, & cum ipsius virtutis, atq; honestatis amore suapte natura coniunctus, & colligatus? prorsus vt si virtutes amare, amplecti, desiderare, vt est, sic honestum, pium, & ex officio esse dicatur, gloriam, quæ virtutum est consectatrix appetere, contra vel religionem, vel officium esse dicere irreligiosum, & contra officium esse videatur. Habui hæc de gloria quæ dicerem, quam vos hortor, sic cum virtute colatis, sicq; ad eam liberos vestros optimis clarissimæ nonnulla tamen maiorum nostrorũ virtutib. claritatis accessio institutis formatos incitetis, vt hæc ciuitas, cui per sefacta est, aliquo familiæ nostræ lumine semper illustretur.

IOANNIS GENESII SEPVLVEDÆ

DEMOCRATES PRIMVS SIVE De honestate disciplinæ militaris Libri tres.

Ad optimum et clarissimum virum D. Fernandum Toletum Albanorum ducem, PRAEFATIO.

CVm Bononiam venissem Clementem Pontificem maximum secutus, quo tempore hic Roma profectus, & Carolus Cæsar ex Pannonico bello reuersus de summis videlicet rebus colloquendi gratia in eam vrbem conuenerũt, grauissimum mihi fuit post longam meã decem & octo annorũ in Italia peregrinationẽ multos ex Hispana nobilitate sũmæ spei adolescentes videre, & aliquorũ iocundissima consuetudine, colloquioq; frui. Sed me omniũ maxime delectauit, quòd ipsorũ quosdã animaduerti, non ad arma solũ, sed ad literas etiã præter morẽ nostræ getis factos esse procliuiores. Prius. n. rarissimũ erat Hispanũ hominẽ illustri loco natũ videre, qui vel literas Latinas didicisset. Credo propter bella,

quæ iam olim à nostris intra Hispaniam ipsam cum Christianæ religionis hostibus penè continenter gerebantur, Nam studia doctrinarum pacis otia ferè persequuntur. sed postquam hæc optimorum, religiosorumq; principũ Fernandi & Isabellæ virtute & sapiẽtia data nobis est, & cõfirmata, hostibus partim subiugatis, partim etiam deletis, in dies, vt video, frequentiores adolescẽtes ex nobilitate existunt, qui conẽtur bellicã maiorum gloriã, laude quoq; doctrinæ more veterũ Romanorũ cumulare. Sed illud fuit permolestum, quod ipsorũ non paucos perspexi scrupulis quibusdam religionem attingẽtibus sollicitari, quos mihi traxisse videbantur ex quorundã cõmercio, qui studio rerũ nouarũ inflammati magnos hac memoria tumultus in dei Ecclesia cõcitarunt, cõuersi *(vt Paulus ait)* ad vaniloquiũ & volentes esse legis doctores, nec tamẽ intelligẽtes, quæ loquuntũr, neq; de quibus affirmãt. *Sed nulla erat maior illorum iuuenũ sollicitudo, quã quod se vereri profitebãtur, ne non posset miles generosus simul officio militari, simul præceptis christianæ religionis satisfacere. quã opinionẽ, vel errorem potius, vt minuere, præsẽs voce, quatenus licuit, in familiaribus congressib. elaborau i. postquã verò in vrbẽ reuersi sumus, quæstionẽ scripto accuratius disserere cõstitui, ac de bellorũ iustitia & honestate, de fortitudine, de magnitudine animi, cæterisq; rebus, quæ proprius hanc quæstionẽ attingũt, disputare. quã pro ipsius multiplicitate, & varietate paulo latius explicatã, hoc libello cõplexus sum. quẽ vt ad te potissimũ mitterem, Fernande Tolete, dux Albanorum inclyte, adduxerũt me tuæ singulares, & excellentes virtutes, atq; eædem hereditariæ. Vt enim Albanũ principatũ, sic eas tanquã iure hereditario à maioribus tuis traditas accepisti, ac diligentissime tueris. Dum in hostes fortem & magnũ animum, in tuos humanitatẽ & iustitiam præstas, in omnes præsertim egenos ac tenuiores liberalitatem & magnificentiam. Et quod est omnium virtutũ fundamentum, deum singulari quadam pietate veneraris. Itaq; virtutẽ bellicam, & simul Christianam religionem tam strenuè, sanctèq; colis, vt ad errorem, quẽ hic libellus insectatur, conuincendũ, claritas exempli tui per se satis fore videatur. Cæterùm vt sermo velut disceptando commodius explicaretur, placuit nobis ipsum more Socraticorum in dialogi formam redigere, verisq; parum commode suppetentibus, tres fictas à nobis personas, quasi Romæ loquentes inducere. Leopoldum Germanum hominem, nonnihil de Luthero referentem, Alfonsum Gueuaram nostræ gentis, veteranum militem, & Democratem Græcum, cui primas in disputatione partes, vt iam legens ipse cognosces, attribuimus. Oritur autem sermo à Leopoldo Alfonsum alloquente, quem solum offendit ad montem Vaticanum in cœnaculo palacij pontificij deambulantem.*

DE

Leopoldus.

QVID meditaris Alfonſe? nunquid noui ab Hiſpania? Nam publicum vobis tabellarium peruenisse, indubitato argumento sunt frequentes epistolarum indices ad fores argentariorum propositi, & magnus Hispanorum concursus ad fasciculos redimendos. AL. Ab Hispania Leopolde nihil noui, quod quidem tibi scire sit cordi: omnes qua solent tranquilla pace fruuntur. Nisi quod prudentiorum animos ea cura sollicitari conscribunt, quis euentus sit futurus huius periculosissimi belli, quod princeps Turcarũ Solimanus Pannonijs, atq; Germanis infert. Ad quod propulsandum Carolus Cæsar rex noster satis firmum exercitum comparasse dicitur. Nemo enim paulò modo peritior rerum ignorat, discrimine belli huius maxima rerum verti momenta, deq; summa propemodum agi reip. Christianæ. Quanquam si vera sunt, quæ nunciantur, peditum centum millia, equitum verò triginta in armis esse, sapiẽtia & autoritate Caroli Cæsaris, curaq; & diligentia Fernandi fratris eius Pannoniæ regis coacta, magna me spes habet, victoriam, si dimicatum fuerit, penes nostros fore, quanuis hostium exercitum asseuerent quingentorum millium armatorum numerũ excedere. Nã licet nostri sint impares numero, tamen genere militum, virtute, peritia belli gerendi, armorumq; apparatu sunt longè superiores. LE. An ista te modo sollicitudo fatigabat, iam dudum in hoc pontificio cœnaculo solum obstipo capite cornicum more deambulãtem? AL. Ea certè potissimum. Homini enim ciuili, & liberaliter educato nulla (vt opinor) cura potior esse debet, quàm earum rerum, quæ remp. attingunt. Sed hanc ipsam sollicitudinem auget meæ profectionis in hoc bellum cogitatio, quam profectionẽ id solum moratur, quòd tres equi, quos electos Neapoli reliquerã, antequam in morbũ incidissem, à quo vixdum satis conualui, nondũ mihi sunt adducti. Neq; enim statui, fortis atq; officiosi militis esse, ei bello, quod Imperator præsens administret, non interesse, si per valetudinẽ ei liceat, aliasq; magnas, aut necessarias occupationes. Præsertim si quis illius absentis legatis, ac ducibus suam operam non ignauè mulcis in bellis præstiterit: quod mihi arbitror accidisse, qui sub Gonsalo Magno tyrocinium deposui, nec ab eo tempore bellum vllum ab Hispanis est in Italia gestum, cui ego non interfuerim, & meã virilẽ operam nauauerim. LE. Istum equidẽ animum Alfonse & laudo, & amplector, qui nullam officij sustineat intermissionem facere, sed te ista cura, sollicitudineq; libero. Heri enim vesperi à Pãnonia Hippolyti Medicis legati literę sunt pontifici redditæ, quibus hostis nuntiatur, non expecta-
to prælio perterritus aufugisse. AL. Miranda narras, & nullis ante sæcu-

lis audita,tã ingẽtem exercitum,qui vel orbi vniuerſo formidãdus eſſe videbatur,nullo prælio fortunã expertũ, longè paucioribus cedentem confugiſſe.Cæterũ quis tibi huius nuntij author eſt? Vereor .n. ne quis aulicorum,vt ſunt eorum pleriq; naſuti,tibi homini Germano,auidius fortaſſe de reb.nouis perquiréti,quod magnopere te cupere intelligebat,id pro certo ludens affirmauerit. L E. Noſti Democratẽ, græcũ hominem,ſed à pueritia educatũ in Italia? propinquũ(vt audio) Demetrij eius,qui Peloponneſo dominabatur. A L.Ego verò ipſius conſuetudine diu ſum militiæ,perlibenterq; vſus.Eſt enim non ſolũ philoſophia, ac literis græcis,latiniſq; perpolitus,ſed etiã rei militaris, quã longo vſu didicit ꝑitiſsim⁹. L E.Is mihi modo in põtificis,vnde egrediebatur,cõclaui,rei sũmã expoſuit.Nã & nobis olim,ex quo vnà in gymnaſio Patauino adoleſcẽtes philoſophabamur,familiaritas nec ea vulgaris intercedit. A L.An Democrates nobis adolauit à Pãnonia? quò nuper ipsũ ex Ciſalpina Gallia pueniſſe Hiſpanorũ exercitũ veteranũ ſecutũ,his paucis dieb,factus sũ literis amicorũ certior. L E.Aduolauit ſcilicet,per equos.n.diſpoſitos,cũ eo,qui,quas modo dixi, literas attulit celerrimo curſu delatus peruenit,Clementẽ põtificẽ maximũ adhortaturus, vt opẽ qua in hoc apparatu Cęſarianũ exercitũ liberaliter iuuabat,tranſferat in belllũ Pelopõneſiacũ.Illuc enim properat Democrates, ſi quam opem vel induſtria vel autoritate ſua poſsit noſtris afferre, qui fugata turcarũ maxima claſſe, & corone oppido Peloponneſi maritimo expugnato duce Andrea Doria multo maiora moliũtur.quin ipsũ Democratẽ aſpice ad nos venientẽ,à quo poteris exactius cũcta perdiſcere. A L. Ipſe haud dubiè Democrates eſt,ô ſalue Democrates? incolumẽ te à Pãnonico bello redijſſe gratulor. D E M. I'u quoq; Alfonſe ſaluus ſis. A L. Eſt ne verũ quod modo mihi referebat Leopold⁹, Turcarũ exercitũ nõdum tuba noſtrorũ audita,ſe fugæ mandaſſe? D E.eſt vero verius. A L. Agnoſco Caroli Cęſaris fortunã. D E. Agnoſce & induſtriam.Ea namq; prudentia exciuerat magnas Germanorum copias, quorum diſcordiæ propter Luteranos tumultus maximè fidebat hoſtis,eaq; diligentia mi litem veſtræ gentis veteranũ ex Inſubria, nouamq; Italorum manum ex reliqua Italia hoſtium aduentu nunciato, deducendam ad ſe in Pannoniam curauerat,vt quem & infirmum,& imparatũ offenſurum ſe crediderat Solimanus,hunc tam inſtructũ inuenerit, vt ſibi vires eius non eſſe tolerandas intelligens , ne experiendã quidẽ prælio periculoſiſsimo fortunam conſtituerit. A L.Quid igitur noſtri? nónne fugientẽ hoſtem inſequuntur? D E.Nõ viſum eſt oportunum , nam multorũ dierũ itinere à caſtris noſtris aberat,cum fugere cognitus eſt, quem ad munitiora loca,& bello extrahendo magis idonea ſe ſe recipere putabamus, Vt conſequi eſſet perquam difficilè. & alioquin noſtri ad propulſandũ bellum,quàm ad hoſtem extra Germaniæ Pannoniæq; fines perſequendum

dũ paratiores erant, præsertim hyeme appropinquãte, & quo futurũ erat iter, cunctis per hostium maleficium atque iniuriam, ferro & igne deuastatis: vt nihil reliqui facerent, vnde commeatus possent properantibus nostris suppeditari. Te verò Alfonse veteranum militem etiam atque etiam demiror, quæ tam magna causa distinuerit in Italia, vt à tam necessario honestoq; bello, cui Carolus Cæsar ipse præesset, sustineres abesse. te namq; & fortem virum, & ad munera bellica obeunda, si quenquam alium, promptum & impigrum perspexi: quo nomine tunc te magis, ac magis puderet, si scires ex Hispana nobilitate quot viros fortes, & quàm frequentem iuuentutem fama belli huius exciuerit, qui nec vocati, nec vllum præmium præter officium, & gloriam secuti ex cunctis Hispaniæ finibus certatim ad prælium, quo nemo dubitabat, quin esset decernendum accurrebant. quorum principes fuêre Fernandus Toletus, & Franciscus Soto maior Stunica Albanorum Bejarensiumque duces. quorum ille paternæ virtutis æmulus (est enim vt scis Garsiæ Toleti filius, eius qui in Africa impetu hostium appetitus fortissime dimicans, ac egregiè sese vltus occubuit) factus modo hæres auiti principatus nihil habuit potius, quàm vt cum frequenti electoque comitatu ad regem suum proficisceretur, & nihil suis opibus parcens, se quoque pro Christianorum publica causa discrimini belli huius exponeret. Hic verò magna vi pecuniarum ad militẽ conducendum præmissa, ipse cum paucis per dispositos equos magno tamen equitum comitatu subsequente, ne certamini non interesset, magno cõstantiq; animo properauit. qui vt claro documẽto doceret, sibi nullam aliã causam fuisse peregrinationẽ illam suscipiendi, quàm vt pro Christiana libertate pugnando Cæsari suum præstaret officium, sublata per hostium fugã pugnandi facultate, missione impetrata statim domum, quemadmodum venerat est reuersus. A L. An me aliud putas, quàm de illuc proficiscendo iã dudum cogitasse? sed aduersa valetudine prohibitus sum, à qua ne nunc quidem satis vires pristinas recepi. Neq; enim ignoro, quantus nobilium, & summæ indolis adolescentium, fortiumque virorum vltro ab Hispania ad istud bellum factus fuerit concursus, & illorum quos nominasti principum aduentus officij magnitudinisque animi plenus, multorum nobis literis est perscriptus, & aliorũ præterea principũ virorum, nec enim ipsos attinet nominatim recensere, quos pari animi magnitudine, eadem in regem suum, remq; publicã Christianam pietas ad bellum sacrosanctum concitauit. est enim si nescis, hominum nostrorum animis insitus quidã egregius religionis respectus. D E Ego vero id habeo multis exemplis exploratum. Nam cũ rara sit *pietas* ijs, *q. i castra sequuntur*, ne poêtæ prorsus attipulemur, qui nullã eis neq; fidẽ, neq; pietatẽ esse prodidit: animaduerti tamẽ post vrbis Romæ direptionẽ in ea peste, quæ ingens paulo post exercitũ Cæsarianum

Lucan. lib. 6

num ex varijs gentibus conflatum inuaſit, plerosq; milites Hiſpanos, eum in morbum incidiſſent, prædam percupidè partam, ne vos videar ab omni crimine vendicare, religione tamen ductos ſpoliatis ciuibus reſtituiſſe: quod aliarum nationum cuipiam fortaſſe militi accidit, ego tamen (qui toto eo tempore in caſtris fui, multaq; diligẽter obſeruaui) neminem nec vidi, nec ab alijs audiui, qui hoc officium Chriſtianæ religioni tribuiſſet. quam de vobis exiſtimationem auxit mihi vel plurimum in Pannonia ſuperioribus diebus, honeſtiſsima eademq; iucũdiſſima eorũ iuuenum ex Hiſpana nobilitate, quos modo memorabã, conſuetudo, qui cũ prõpti & alacres eſſent ad pugnam (vt omnes opinabamur) impudentem ineundam, & mortẽ pro Chriſtiana religione, ſi fortuna tuliſſet, oppetendam, illud ſe modo ſubuereri dictabant, ne iuſtiſsima ira Dei propter Lutheranam impietatẽ Germaniã affligere, & hoſte vindice, hoſtem vlciſci ſtatuiſſet. Itaq; plurimus eis erat ſermo de religione, & item de officio nobilis & chriſtiani militis: cuius conditionem cõplures ipſorum non ſine dolore accuſabãt, in quibuſdã dictitantes, nobilis militis (quẽ ipſi equitẽ, ſed patrio vocabulo nũcupabãt) profeſsionem cum præceptis Chriſtianæ philoſophiæ parũ cohærere. AL. Vetus ſcilicet querela, ſed quæ dudum neſcio quo pacto cœperit inter Hiſpanam nobilitatem, magis ac magis inualeſcere. LE. Quid mirum? cum ne illud quidem ſatis conſtet, num bellum cum quouis hoſte gerere, quod eſt militis officiũ, liceat per religionem homini Chriſtiano. DE. Scio Leopolde tuorũ Germanorũ quoſdã non obſcuri nominis id ipſum nuper diſſerere cœpiſſe. Atq; equidẽ metuo, ne illa, de qua modo dicebamus, querela ex iſtorũ cõmercio nata ſit, aut aliunde fortaſſe pertenui capite orta, hinc vires etiã atq; etiã adquiſiuerit. AL. Tu verò Democrates quid ſentis, nũ fortis nobiliſq; militis profeſsionẽ à Chriſtiana doctrina putas abhorrere? Nã & mihi accidit, quorundã meorũ cõtubernalium huiuſmodi querelis intereſſe, & in eã opinionẽ ſum (vt verum fatear) iam pridẽ delapſus, non quod putẽ Chriſtianis bella ſuſcipere habendũ eſſe religioni, tã ſæpe iuſtis, aut etiã neceſſarijs, vt mihi quidẽ videtur, ſuſcipiendi cauſis incidentib. ſed quoniam multa accidunt in vita, quib. interueniẽtib. viro forti ſit neceſſe, aut famã, cuius ipſi decet eſſe maxima cura deſerere, aut præcepta religionis negligere. LE. Mihi quidẽ & ob iſtas, & ob alias cauſas ſic prorſus videtur, nolo tamen quidquam temerè aſſeuerare, ſed tu quid Democrates arrides? & non potius rationem contrà, ſi quam habes, exponis? DE. Gaudeo te Leopolde cautiorem, quam ſolebas eſſe factum, qui cum planè tuã ſententiã à dogmatis Lutheranis non alienã, paucis protuliſſes, memor tamen te non Saxoniæ, ſed Romæ, & in ædib. pontificijs verba facere, dictũ notiſsima cautione, & tuorum quibuſdã familiari, temperaſti. LE. Omitte Democrates mẽtionem facere Lutheri, & culpã eius, ſi qua eſt,

nobis

nobis exprobrare, qui vim rationum in omni quæstione, aut sacrarum literarum testimonia, nõ cuiusquam hominis authoritatem sequimur. D E. præclare verò nobiscum actum est, si nõ licet, vt quisquam vir fortis sit, & idem Christianus, sed hæc quæstio maior, vt video, facta est, quorundam ingenijs, quàm vt paucis queat explicari. A L. Obsecro te Democrates quando in hunc sermonem incidimus, & mihi videris nõ imparatus aut immeditatus, his de rebus disserturus, vt nobis explices tuam sententiam, & Leopoldo viro in philosophia, & sacris literis exercitato, quem ad contradicendum paratum video satisfacias: sic enim mihi satisfactum fuerit, homini indocto, & vix qui Latinas literas didicerim, sed tua & doctrina, & rerum peritia, quid res hæc habeat veritatis edoceri percupido. L E. Mihi verò Democrates rem feceris perinde gratam, qui huic opinioni non tam pertinaciter adhæsi, vt ratione conuictus non sim libenter ipsam depositurus, te præsertim authore, qui ad studia doctrinæ, rei quoque militaris peritiam, diuinum illum Socratem imitatus, sic adiunxisti, vt mihi videaris inter huius memoriæ magnos viros excellere. D E. Opus quidem erat maiore otio & animo vacuo: cæterum difficile est, studio veterum amicorum abnuere, præsertim colloquium postulantium ad indagandam in re controuersa & ad plurimos pertinente veritatem, cuius inquisitioni nullum negotiũ esse præferendum principes philosophorum putauerunt.

Age igitur Leopolde, vt morem disputandi Platonicum teneamus, causam expone, cur tibi militia cum religione Christiana tantopere pugnare videatur. Ego quæ mihi contra videbuntur, nam te in magno errore versari certum habeo, iam conabor explicare. L E. Primum omnium quia (vt paulo ante dicebam) bellum omnino gerere, Christianis institutis, iureque diuino vetamur. D E. Contra ius ergo diuinum gessit bellum Iosue, & præter legem diuinam bello persecutus est tot reges, & ciuitates, dum nouas sedes populo Israelitico pararet. At raro, atque haud scio, an nunquam prælium iniuit iniussu Dei, à quo etiam, vt solẽ, lunamq; sisteret, dum suos hostes vlciscereturpugnans cum Amorreis impetrauit: vt pleraq; alia bella, quæ à Dauide, quæ à Machabæis, quæ à cæteris electi populi præfectis, iussu & ope Dei gesta sunt, taceantur. L E. Quem Iosue, quem Dauidem, quos tu mihi Machabæos narras? Iudæos homines, & memoriæ peruetustæ; de christianis quærimus, & lege vtentibus euangelica, non de Hebræis, quos scimus sanguinolentos fuisse, & quibus cum Christianis nihil est in hac parte commune. D E. Christianorum igitur Deus alter est ac Iudæorum. L E. Deum quidem vnum esse, atque eundem omnium gentium, rerumque omnium conditorem, & gubernatorem profitemur, nam *idem dominus omnium*, vt inquit Paulus, *& diues in omnes, qui inuocant illum*: sed præcepta, & leges alias alijs datas esse nemo ignorat. Itaque Iudæis per legem belligerare licebat,

Iosue.10.

Ad Ro 10.

Christianis non item licet. Quid est enim quamobrem pugnare debe-
Matth.5. at, qui violento nō resistere, sed dextera gena colapho accepto, alteram
cædendā exponere: & tunicā spoliare conanti pallium etiam dedere,
Matth.26. ab ipso Christo iubetur? à quo cum Petrus reprehensus sit, quòd aduer-
sus impios & sceleratos pro innocentissimo domino strinxit ferrum,
quæ poterit esse causa posthac, vt homo Christianus iniuriam iniuria
repellat: qui ne pluribus agam suos hostes etiam diligere præcipitur?
D E. Christus igitur veterē Iudæorum legem aboleuisse, & præcepta il-
lis data penitus antiquasse tibi videtur? L E. Non mihi quidem solū, sed
cum alijs plerisq;, tum etiā Paulo, qui in epistola, quæ est ad Galatas, ni-
Ad Gal.2. hil aliud propemodum agit, quā vt veteris legis obseruationem perni-
ciosam etiam, non solum inutilem esse doceat Christiano. *Ex operibus*
(inquit) *legis non iustificatur omnis caro.* & paulo pòst, *Si per legem iustitia, ergo*
gratis Christus mortuus est. & item, *Quicunq; ex operibus legis sunt, sub maledicto sunt.*
Tota deniq; epistola huc pertinet, vt lex illa, qua vtebatur populus Iu-
dæorum abolita esse intelligatur. D E. Tu verò Leopolde vtri potius
credendum censes, Christi ipsius Euangelicæ professioni, an Pauli (si
quidquam ab eo discrepare videatur) epistolari doctrinæ? L E. Christi
potius verbis, Deus enim est, in quem nec error potest, nec vanitas ca-
dere, si Paulus à Christo dissentiat, sed dissentire non potest, idem est
2. ad Cor.13. enim spiritus Sanctus, qui loquitur in vtroq;. imò & ipse Paulus Chri-
stum in se loqui profitetur his verbis, *an experimentum quæritis eius qui in me*
loquitur Christus. D E. At Christus in Euangelio, *Non veni*, inquit, *legem solue-*
Matth.5. *re aut prophetas, sed adimplere.* L E. At ista professio Christi non tantum non
discrepat à doctrina Pauli, sed cum ipsa congruit etiam ad amussim. In
veteri .n. testamēto, quod legem & prophetas appellamus, pleraque o
mnia erant velut imagines, & figuræ seu vaticinia rerum futurarū, qui
bus rebus per Christum perfectis, ac in ipso euenientibus, datoq; nou
testamento, vetus cum suis legibus antiquitatum esse non potest dubi
tari. Nam rebus ipsis præsentibus, quis potest vmbris, ac imaginibu
esse locus? D E. Certè nullus. sed in veteri testamento nullam rē expri-
sam & solidā, sed adumbrata cuncta, & meras imagines, aut prædictio-
nes esse putas? L E. Fortasse cūcta. D E M. Etiámne leges illas, de quibus
Exod.20. est in Exodo, *Non occides; non adulteraberis, non furtum facies;* & cętera id genus
præcepta, quibus tamen obseruandis, parari vitam æternam, nō vno lo-
co, docet Christus in Euāgelio. L E. Præcepta decalogi omnino sunt ex-
cipienda, vigent enim in vtroq; testamento. D E M. Nō igitur omnia in
vetere figura sunt, aut vaticinia. L E. Quasi verò simpliciter ipse fuerim
locutus, & omnia dixerim, non pleraq; omnia, & cūcta fortasse. D E M.
Laudo cautionem, ac vnde didiceris intelligo, sed cur ea potissimum
Aug. vet. & n. test. q. 44. Hie. 2. li. cō tra Pelagi. vigent, cæteris abrogatis? An quia pertinent ad mores instituendos,
& sunt ab ipsa natura profecta? Hoc enim & Augustino placet & Hie-

ronyme

tonymo, vt cæteros taceam doctiſsimos theologos. LE. Certè, non quòd Hieronymus ita ſenſerit, aut Auguſtinus, qui homines fuerunt & potuerunt errare, ſed quoniam id cum ratione congruit, & Euangelica doctrina. DE. Non poſtulo Leopolde cum Hieronymi vtor, vel Auguſtini teſtimonijs, vt ipſorum ſcripta pari fide, ac libros, qui canonici nominantur proſequaris, id enim facere, vel ipſo in primis Auguſtino authore in epiſtola, quæ eſt ad Hier. vetamur: ſed magnorum virorũ, quorum cum ſanctitate doctrina, & ſacrarum literarũ peritia nobilitata eſt, & eccleſiæ authoritate probata dictis abſque ſumma & manifeſta ratione refragari, vide ne non ſit hominis non modo peruicacis, ſed etiam impudentis. verùm hæc aliàs, redeo ad præcepta decalogi, quę ſi vim ſuam idcirco in lege quoque euangelica retinere fateris, quoniam vt ſunt, ſic etiã habentur leges naturæ, ſi qua lex alia à iure itidem naturæ profecta eſſe reperiatur, qua ſanctos patres vſos fuiſſe conſtet in vetere teſtamento, hanc à Chriſto abrogatam eſſe nónne per te nefas erit exiſtimare? leges enim naturæ ad omnes homines, omneq; tempus pertinere, eruditiſſimorũ eſt conſenſus. certe Paulus, vt turpe virís eſſe doceret, comam geſtare, nihil aliud, quã naturæ legem ad Corinthios ſcribens allegauit: & in epiſtola, quæ eſt ad Romanos, tantum tribuit naturæ legibus, vt in eis ad bene ſancteque viuendum gentibus lege vacantibus, ſatis dicat eſſe præſidij, vt appareat, naturæ leges abſque temporis diſcrimine diuinis eſſe annumerandas. leges enim naturæ tanquam ab immortali capite, fonteque perenni, manare cõſtat, ab æterna lege, quã Auguſtinus Dei voluntatem eſſe definit, quæ ordinem naturalem conſeruari iubeat, contraque vetet perturbari. LE. Naturæ leges Democrates nullis neque diuinis, neque humanis inſtitutis abrogari poſſe, ſatis eſt à te, me nihil refragante declaratũ, ſed video nos à propoſito iã dudũ aberrare, vtrũ bellũ gerere, quod mihi nõ videtur, chriſtianis ſit permiſsũ, quærebamus, tu neſcio quo pacto ſermonẽ ad naturæ leges auertiſti.

1. ad Cor. 11.

Ad Ro. 2.

Li. 1. de libero arbi.

DE. Age igitur Leopolde, explica nobis vtrum bellum aliquod duce natura ſuſcipi putes, an ſecus: & iam videbis, nihil nos à ſcopo declinaſſe. ſi enim illud dederis, & conſtare nobis voluerimus, qua ratione Iudæis, eadem etiam Chriſtianis bellare permiſſum eſſe confitebimur: ſin aliter, aliqua tamẽ fundamenta ſuperiore ſermone iacta fuerint, ad propoſitam quęſtionem dijudicandam. LE. Mihi verò longe aliter videtur, bella initio, pręter naturam ab immanib. hominibus, & certe ab ijs, qui naturam optimam, regnandi habendique cupiditate & ambitione corrupiſſent, orta eſſe: ſic enim traditum eſt nobis à maioribus, eademque poſt non alia ratione ſuſcipi, Egóne, quod eſt humanæ vitæ maxime pernicioſum, & præclaras ſæpe ciuitates ac optime inſtitutas, regnaq; euertit, hoc putem duce natura adminiſtrari? id ad ſummam, in quo vincimur beluarum immanitatem? Quando enim leones cum leonibus bella

gessere? quãdo cum tigribus tigres? D E. Bellum igitur ad alterius iniuriam suscipere, contra naturæ legem esse dicis, ob eam opinor causam, quod est iniustum natura. L E. Sic prorsus existimo. D E. Bella ergo natura iusta, nonne iure naturæ suscipi confitebimur? L E. Certè, si iusta sit ego tamen nullum bellum natura iustum esse contendo. nam quod à lege diuina dissentit, id quomodo potest cum lege naturæ cõsentire? D E. Quàm vere, mox videro, certe constanter respondes. Sed iam quid sit natura iustum constituamus, & quid viciſſim iniustum: vt hæc in bello considerantibus, planius quod quærimus appareat: & si placet Aristotelem summum philosophum authorem adhibeamus, qui *iustum naturæ id esse* definit, *quod vbique habet eandem vim, non quia sic placuerit, aut secus.* vides vt verba illius ex quinto Ethicorum Nicomachiorum libro, ad verbũ expresserim. ne quod authore Cicerone in quibusdam reprehendo, verba græca, dum latine loquor, inculcarem. Id porrò vbiq; vim eandẽ habere, docti viri interpretantur, quod est tale sponte sua, non quia sic placuerit legislatori cuipiam, aut alicui ciuitati. exempli causa, legatos comiter tractare, iustum est sponte sua: eosdem pulsare, viciſſim iniustum. reddere & negare depositum eodem modo. quod quia hominum consensu & vsu dijudicatur, idcirco ius gentium à iure peritis appellatur eodem philosophio authore, qui alio in loco legem ciuilem vocat propriam, vtpote vnius gentis aut ciuitatis: naturæ verò, communem, qua scilicet vtantur omnes nationes. id commune iustum, aut viciſſim iniustum esse declarãs, quod esse tale omnes homines velut diuinatione quadam naturali interpretantur. Nunquid tibi videor rectè quid iustum natura, quid iniustum sit statuisse? L E. Non habeo, quid contra dicam. Nam quod omnibus videtur, hoc verum esse facile philosophis assentior, idque iudicium esse naturæ, certum habeo. sed isto modo, vereor, ne nihil nobis iustum natura relinquatur. Quid enim tam iustum est, de quo in iudiciorum tam infinita varietate, idem omnes homines non dico mundi, sed vnius ciuitatis eodẽ modo iudicent, cum etiam in rebus, quarum iudicium est in sensu, interdum sit magna dissensio, eundem cibum alio dulcem, alio diuersum iudicante. D E. Esto bono animo Leopolde, nam te isto scrupulo facilè idem Aristoteles explicabit, vt enim res dulcis, vel calida sit, an secus, credimus sensui rectè valentium, nec mouemur, siquid contra videatur ægrotantibus: sic (inquit ille) in bonis malisq; rebus discernendis, hoc est in virtutibus statuendis ac vitijs, bonorum iudicio standum est: quorum mens sana & animus habetur: non improborum, in quibus ægrotat vtrunque. virtus enim & virtute præditus rectè iudicat singula, est enim quasi mensura, & expetendarum, fugiendarumque rerum certissima norma. Cum aliquid igitur hominum communi sententia honestum vel turpe, iustum aut viciſſim iniustum esse dicimus, prudenti-

Rhe ad The. lib. 1.

Ethi. 10.

Ethi. 3.

Ethi. 10.

um,

um, ſtudioſorumque iudicia volumus intelligi, non etiam perditorum & prauis tum opinionibus tum etiam moribus corruptorum: nec ſi qua gens eſt adeo barbara, & inhumana, vt à ſenſu communi hominum abhorreat. quamobrem iure conſulti in definitione iuris gentium non id ſimpliciter eſſe aiunt quo gẽtes oẽs vtũtur, ſed addunt etiã, humanæ.

His igitur explicatis, vt quod quærimus appareat, iam mihi reſpõdeo vtrum iniuriam in alios inferre non laceſſitum, ſed ſuis cupiditatibus ſeruientem, atque alios bonis ſuis ſpoliare, iniuſtum putes ſponte ſua. L E. Certe ſi quid aliud: & quoniam id ſcelus bellis potiſſimum patratur, idcirco bella contra naturæ legem eſſe dico. D E. Quid iniuriã propulſare, & immerito laborantibus opem ferre? nonne eadem ratione ſponte ſua, hoc eſt natura iuſtum eſſe confitebimur? vt enim magnus orator, & idem philoſophus egregius ſcriptum reliquit, & poſtea eſt à diuo Ambroſio repetitum in eo libro, quem ipſe quoque de officijs inſcripſit: *Qui non defendit, nec obſtiſtit, ſi poteſt iniuriæ. tã eſt in vitio, quam ſi parẽtes aut amicos, aut patriam deſerat.* vnde duorum magnorum imperatorum populi Romani in bello ciuili voces plurimorum ſermone & approbatione celebratæ proruperunt, quorum, qui patriæ libertatem cum ſenatu cõtra ſceleratos ciues tutabatur, verba quibus vtitur in euangelio Chriſtus, vſurpaſſe traditur, *qui non eſt mecum contra me eſt:* alter, qui eidem patriæ ſeruitutem flagitioſiſſime moliebatur, ſui ſceleris cõſcius viciſſim dictitaſſe fertur, pro ſe eſſe, qui non eſſet contra ſe. iniuriam igitur, vel in ſocios, vel in nos, quibus nihil ipſis charius eſſe poteſt, illatam propulſare, eodem modo iuſtum eſſe dicemus ſponte ſua. L E. Mea quidem ſententia. D E. Cum igitur bello legem naturæ violari, ſi ad alterius iniuriam ſuſceptum fuerit, fateamur: nonne idem iuſtum eſſe naturæ lege confiteri neceſſe eſt, ſi ad violentorum iniuriam propulſandam, & innocentes defendendum ſuſcipiatur? L E. Iſta quidem ratione ſic videtur, ego tamen quid præceperit Chriſtus, & euãgelicæ doctrinæ, de qua mitio dixi meminero: nec Pauli monita huc pertinentia contempſero qui non dico bella, ſed lites, quæ ſunt multo tolerabiliora mala, Chriſtianis ad Corinthios ſcribens, his verbis interdicit: *Iam* (inquit) *omnino delictum eſt in vobis, quod iudicia habetis inter vos, quare non magis iniuriam accipitis quare non magis fraudem patimini?* Chriſtus & Paulus iniurias inimicis nos condonare iubet, tu nos hortaris ad iniurias perſequendas? quæ vera ſunt, non poſſunt diſſidere. Aut igitur doce, hæc cum illis non pugnare aut cum Chriſti, & Pauli dictis refragari nefas ſit, deſine me tuis argutijs, ad iſtas naturæ leges reuocare. D E. Aequiſſima verò conditio, & quam ſanè lubens accipio. vt ſumma igitur paulò altius repetatur, vtar (ſi tibi videtur) pauliſper oratione perpetua. tu interim, ſi quid diſpliceuerit, memoriæ mandabis, & poſtea tuo iure, & arbitratu contradices. L E. Mihi vero videtur, nec te quoad voles, interpellabo.

Cic. l. offic.

Matt. 12.

1. ad Cor. 6.

DE. Non te latet Leopolde multas maximaſque fuiſſe inter philoſophorum principes de finibus bonorum, & malorum diſſenſiones, alijs alio ſummum bonum ſummumq; malum metientibus: legiſti enim opinor, quinq; illos libros, quibus hanc quæſtionem Cicero, neſcio doctiꝰ an elegãtius, eſt cõplexus. Et quid ſcripſerit eius æqualis Marcus Varro doctiſſimus Romanorum, & quo proceſſerit huius ratio veterũ ſentẽtias enumerando non ignoras. Quanquam enim omnes huius de Philoſophia libri, iniuria temporũ interciderint, multas tamẽ eius ſententias, & eas in primis, quæ hunc locum attingunt, diligenter perſequitur Auguſtinus in libris, qui ſunt de ciuitate Dei. Sed cæteris opinionibus magno doctorũ hominum conſenſu olim exploſis, nemo fere iam pridẽ eſt, qui in Peripateticorum, & Ariſtotelis ab Stoicis & veteri Academia vocabulis magis, quã reb. diſſentientium diſciplinam, vt in reliqua philoſophia, ſic in hac quæſtione, cæteris philoſophis anteponat. Peripateticorum porrò de ſummo bono ſententia notiſſima tibi eſt, & cunctis, qui Ariſtotelis libros de moribus legerunt, in vſu virtutis poſitum eſſe finem bonorum, quem ipſe iam ſummum bonum, interdum felicitatẽ appellat. à quo virtutis vſu, quoniam interdum aduerſa valetudine, aliàs excludimur egeſtate, idcirco & corporis, & externa bona, ſuppetere aiunt oportere, quibus vtimur, partim vt inſtrumẽtis ad fungẽdas virtutes, partim vt rebus neceſſarijs ad vitã liberaliter degendã. Sed cũ ſit duplex virtus, altera διανοητικὴ, altera ἠθικὴ græce nuncupata, latine aũt (vt video) intellectualis, & moralis conſueuit appellari: in alterutrius vſu ſatis eſſe præſidij, putant Peripatetici ad bene beateq; viuendũ: ſed eos tamen beatiores eſſe, qui cognitioni veritatis vacant, & optimarũ rerũ contẽplationi, quãto ſcilicet intellectus cæteris animi partibus, ac res diuinæ humanis habẽtur præſtantiores. Differit autem Ariſtoteles de ea felicitate, quæ poteſt in hominem mortalem cadere, nõ de illa, quæ vt eſt, ſic vocatur à theologis æterna vita, quam efficit clara apertaq; Dei contemplatio: ſic enim Chriſtus patrẽ alloquitur: *Hæc eſt vita æterna, vt cognoſcant te ſolum Deum verũ.* quod nemini datum eſſe conſtat in corpore mortali, præter Chriſtum, de Moſe & Paulo quærentibus eruditis. *Nunc enim videmus*, vt teſtatur Paulus, *per ſpeculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem: cumque apparuerit, ſimiles ei erimus, & videbimus eum ſicuti eſt.* quanquam ne hanc quidem felicitatem philoſophus intactam reliquit, niſi quòd ipſam non hominibus tribuit, ſed dijs immortalibus, quos ſemper tradit eſſe beatos. vt igitur ſummorum philoſophorum ratio vitam ſapientium, qui Dei vitam, quatenus mortalibus eſt datum æmulantur, cunctis præfert longo interuallo, eos tamen qui in reipub. aut eius partium adminiſtratione cum virtute ſunt occupati, à felicitate non excludit: ſic chriſtianis intelligere oportet, duplicem eſſe viuendi rationem, vtramque honeſtam & religioni conſentaneam, ſed

lib. 18

Ex. 10. ethic.

Peripateticorum de ſummo bono ſententia.

Ex. 10 ethic.

Io. 17.

1. ad Cor. 13.

10. Ethic.

quarum

quarum altera longe alteri præferatur. Hanc duplicem vitam, ne longius abieris, Christus ipse non obscure in duabus sororibus Martha & Maria significauit, eiusque discrimen aperuit. In Martha enim, quę hospitem Christum liberaliter excepit, & sedula in eam curam incumbebat, vt benignè ipsum, ac ciuiliter tractaret, quid aliud intelligimus, quam eorum vitam, qui colendis morum virtutibus se dedunt, & rebus agendis accommodantur. Nam in Maria, quę sedens ad pedes Christi verbis eius erat intenta, philosophantium, contemplantiumq; vita, haud dubiè significatur. Cui quoniam Martha multorum errorem secuta, vitam ciuilem præferebat, dum sororis otium apud Christum incusaret, sic eius expostulationi Christus occurrit, vt vtramq; vitam honestam esse doceret, sed contemplantium multo præstantiorem. Nam *Martha Martha* (inquit) *sollicita es, & turbaris erga plurima. Porrò vnum est necessarium, Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea.* quasi diceret, qui in regerenda versantur, ac student honestarum rerũ administrationi vt Martha, hos, quanquam ipsorum vita laudanda est (nam cum virtute humanis tum necessitatibus seruit, tum etiam commodis) tamen multis sępe sollicitudinibus implicari, & turbulentis curis angi necesse est. Qui vero Mariam imitantes inuestigandæ veritati, & diuinarum rerum contemplationi vacant, horum vita tranquilla, & serena est, atq; longe perfectior. quippe cum eam, quoad licet, æmuletur, quæ iustos & amicos Dei vere beatos, cum ex hac vita migrauerint efficiet. Sed *vnum est* (inquit) *necessarium*, alterutrũ enim, virtutem morum, aut intellectus colere necesse est, vt recte viuatur. Nam qui vtraque neglecta, vecordię se ac turpitudini dederit, is non dico à Christianorũ, sed ab hominũ consortio repelli exterminariq; debet. Nam si quis forte tam stupidus est, vt putet Marthæ officium, ac liberale opus à Christo fuisse improbatum, legat Augustini libellum, quem scripsit de verbis domini, vbi hunc euangelij locum enarrat, & quantum sententia fallatur intelliget. *Quid ergo* (inquit) *putemus, reprehensum esse ministeriũ Marthæ? quam cura hospitalitatis occupauerat, quæ tanto hospite lætabatur? Hoc si verum est, omittant homines egentibus ministrare, vacent verbo, occupentur circa scientiam salutarem, nihil eis sit curæ, quis peregrinus in vico sit, quis egeat pane, valeant opera misericordiæ, instent vni scientiæ. Non ergo dominus opus reprehendit, sed munus distinxit. sequitur enim, Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea. non tu malam sed illa meliorem.* hæc Augustinus, sed apertius etiã Gregorius sese huius sententiæ grauissimũ authorẽ exhibuit, cuius verba ea sunt in moraliũ sexto libro: *Per Mariam*, inquit, *quæ verba residens audiebat, contemplatiua vita exprimitur. Per Martham exterioribus obsequijs occupatam, actiua vita significatur. sed Marthæ cura non reprehenditur, Mariæ verò laudatur: quia magna sunt actiuæ vitæ merita, sed contemplatiuæ potiora.* Vtraque igitur vita, non modo doctissimorum hominum sed Christi Dei iudicio probanda est & homine Christiano digna.

Luc. 10.

Aug. de verb. domini

gna.

gna. Contemplatio tamen longe anteponitur actioni. Neque verò solũ probanda ea vita est, quæ in rebus agendis versatur, sed ad hominum naturalem societatem tuendam necessaria. & hic fortasse commodissimus, & germanus est intellectus verborum Christi dicentis; *porrò vnum est necessarium*. Nam cum duas inter se viuendi rationes compararet; vnũ id est earum alteram vitam, quæ rei gerendæ accommodatur, necessarium esse dicit, ad vitam degendam. Nam si vt Maria, item Martha rerum ad conuiuium necessariarũ omissa cura, nihil aliud, quã audiendo Christo, eiusque doctrinæ vacasset, quis famulis & ancillis non suppetentib, cibos coxisset? quis mensam instruxisset? quis cætera ad cœnam necessaria parasset, Christoque & apostolis recumbentibus ministrasset? Vt hęc igitur munia, quibus nobis tota rerum agendarum ratio significatur, necessaria sunt ad priuatos, & paucorum vsus: sic ad mortalium cœtus, hoc est ciuitates conseruandum, plurimos esse necesse est, qui reip. præsint: Reges, Consules, Prætores, Senatores, Aediles, & cæteros pro cuiusque reip. forma magistratus: adde bellorum, sic extiterint Imperatores, Legatos, Tribunos militũ, Centuriones, & reliquos præfectos. sed quanquam hæc vita honesta est, & maximè necessaria: illa tamen quam elegerat Maria, dum vacaret contemplationi perfectior est, & præstantior. Nam & artium ac disciplinarum, non vt quæque maximè necessaria est ad vitam degendam, sic habetur præstantior. isto enim modo pistorum, coquorum, textorum, sutorumque artes primum sibi locum iure necessitatis vendicarent. sed contrà sese res habet, & quanto minus doctrina quæque necessitatibus, aut commodis humanis seruit, tanto cæteris, doctissimorum hominum iudicio præstat. Prima enim philosophia, quæ eadem Theologia nuncupatur, idcirco habetur omnium scientiarum nobilissima, quoniam non in rebus necessarijs, aut vtilibus humano generi versatur, sed maius quiddam & sublimius spectat in cognitione veritatis, & contemplatione diuinarum rerum occupata. quapropter philosophus hanc esse nobilissimam scientiarum præfatus, *omnes igitur* (inquit) *sunt hæc magis necessariæ, præstabilior verò nulla*. Cum ergo neutra viuendi ratio sit per leges Christianas interdicta, vtriusque præcepta: & à Christo in euangelio, & ab Apostolis tradita sunt in epistolis, partim necessaria, eademque sufficientia ad rectè & ex Christiana religione viuendum, hæc autem sunt decalogi præcepta, ad quæ naturæ leges omnes referuntur, & quibus vita ciuilis contenta est, partim commodissima ad vitam alteram perfectiorem degẽdam, ad quam Christus, & apostoli non verbis solum, sed multo etiam magis opere, ac exemplo nos adhortabantur. eius generis ea sunt, quæ in Leopolde paulo antè ex euangelio, & Pauli epistolis obijciebas, de contumeliarum, & rapinarum tolerantia, & item de vniuersa substantia attrahenda, & pauperibus largienda, de cœlibatu, de virginitate,

2. Metaphy.

quam

quam præceptorum vim, & discrimen, ne sine authore locuti esse videamur, Christus ipse nobis, vt est in Euãgelio, apertissimè declarauit. Qui cum in monte sedens his potissimum, & talibus monitis discipulos ad se, deumq;, quatenus licet, imitandum, adhortatus esset, vt se doceret non leges dare, quibus prætermissis, rectè viuere non liceat: sed viam monstrare ad eam, de qua diximus, vitam perfectissimam, illud adiunxit, *estote ergo perfecti, sicut & pater vester cælestis perfectus est.* idemque rogatus à quodam, quid boni faciens, vitam æternam consequeretur, respondit, *si vis ad vitam ingredi, serua mandata.* rursus de præceptis inquirenti, & num quid noui decalogo adderet, addubitanti: illis connumeratis, *non homicidiũ facies, nõ adulteraberis, nõ facies furtũ, nõ falsum testimoniũ dices, honora patrem tuum & matrem tuam*, præceptum charitatis adiecit, *Diliges proximum tuum, sicut teipsum, in quo sermone omnis lex* (vt Paulus ait) *impletur & in quo omnia* (vt idem alibi ait) *instaurãtur.* Cum hæc ergo necessaria & in eis satis virium esse, ad æternam vitam obtinendam docuisset: *si vis autem* (inquit) *perfectus esse, vade, & vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & sequere me.* Potuitne Christus necessaria præcepta, quæ in decalogo continentur, apertius distinguere ab alijs, quæ quia non habent vim legis obligantis, sed exhortationis ad meliorem, perfectioremque vitam, idcirco consilia magis, quàm præcepta vulgo solent à Theologis nuncupari, late patentem præcepti notionem ad legis duntaxat intellectum angustius docendi causa reuocantibus. itaq; male merentem male accipere iustitiæ est, iniuriam non repugnanter ferre perfectionis. Nam percussus dextra maxilla idcirco iubetur à Christo sinistram præbere (teste Augustino) vt dum vicem non reddit malo, perfectus sit. *quoniam reddere vicem, iustum est* inquit, *sed nõ plenũ Si verò dissimulet ab iniuria, plena iustitia est, et abũdãs.* Vt igitur in pauca conferamus: quæ paulo latius, quo minus in re dubitationis relinqueretur explicuimus, vides vt bellum non modo non sit contra legem diuinam, cum à fonte iustitiæ (vt sæpe accidit) exoritur, sed authore Deo suscipiatur. quod enim duce fit, ac magistra natura, id authore Deo fieri satis (vt arbitror) est declaratum. Deus enim, vt prima causa est vniuersæ naturæ, sic ordinem viuendi à natura præscriptum semper, in primisque teneri, & obseruari vult: tantum abest, vt quicquam statuat naturæ legibus aduersum. Nullum est autem decretum nec iustius, nec quod natura magis velit esse ratum, quam vt primum sese, ac sua quisque: deinde socios, sociorumque libertatem & commoda tueatur. *Nam qui suorum*, vt Paulus ait, *curam non habet, fidem negauit, & est infideli deterior.* ad quod præstandum & improborũ iniurias propulsandas, quæ bella suscipiuntur, hæc magistra natura, deoq; duce suscepta esse non putare, vide ne hominis esse videatur, abiecto, maximeque demisso animo, & prorsus in vi rerum cognoscenda caligantis.

Matth.5.

Matth.19.

Ibid.

Ad Gal.5.

Ad Rom.13.

Matth.5.

Aug. vet. & no. test. q.69.

1.Tim.5.

Contra Manicheos.

Nam culpare bella propterea quòd quidam in eis immatura morte delentur, dum pacem quærunt, qui certè aliquando erant morituri, timidorum est, inquit Augustinus, *non religiosorum nocendi cupiditas, vlciscendi crudelitas, implacatus animus, feritas rebellandi, libido dominandi, & si qua similia, hæc sunt* inquit, *quæ in bellis iure culpantur.* Ad quæ iure punienda aduersus violentias resistentium, siue Deo, siue aliquo legitimo imperio iubente, gerenda ipsa bella plerumq; à bonis suscipiuntur. vnde Gregorius in epistola ad milites Neapolitanos, *Summa,* inquit, *militiæ laus inter alia bona merita, hæc est, obedientiam reip. vtilitatibus exhibere, quid quid sibi vtiliter imperatum fuerit obtemperare.* Ergo qua ratione Abrahamo, qui legibus naturæ viuebat, & Iudæis accepta lege fas iustumque fuit belligerare, eadem Christianis bellum gerere fas est. *Noli* (ait idem Augustinus) *existimare, neminem Deo placere posse, qui in armis bellicis ministrat, in his erat Sanctus Dauid, cui dominus tam magnum perhibuit testimonium, in his etiam plurimi illius temporis iusti, in his erat Sanctus ille Centurio, qui domino dixit, Non sum dignus vt intres sub tectum meum, pacem,* inquit, *habere voluntatis est, bellum autem esse debet necessitatis, vt liberet Deus à necessitate, & conseruet in pace.* subesse igitur debet iusta causa: quod ita demum fiet, si bello nihil aliud quæsitum fuerit, quàm pax, maxima ciuitatum, ac societatis humanæ conseruatrix, & in qua tuenda vita ciuilis, tota propemodum est occupata, nimirum in rep. rectè, ac sapienter instituta.

Ad Bonif.

Matth. 8.

Explicantur rationes, quibus Leopoldus probare volebat omne bellū esse fugiendum. Matth. 26.

Quòd verò in castigatione Petri iniuriam à Christo armis propulsare conantis argumentum esse putas, non licere Christianis aduersus impiorum violentiam armis se defendere, & vim vi repellere, videris mihi illum Euangelij locum, aut oblitus esse, aut non perlegisse. Castigato enim Petro, castigandi causa subiungitur, *an putas,* inquit, *quia non possum rogare patrem meum, & exhibebit mihi modo plusquam duodecim legiones angelorum? quomodo ergo implebuntur scripturæ, quia sic oportet fieri?* Itaq; non legem in eo sanxit, omni naturæ repugnantem, ne liceat improborum iniuriam vi, si aliter non datur, propulsare: sed imprudentiam eius castigat, qui Christum putaret, inuitum ad necem trahi, à qua esset humana ope, qui angelis imperare poterat, eripiendus, & non potius sponte sua, vt prædictum erat prophetarum vaticinijs ex decreto trinitatis.

In epist. ad Marcellinum Luc. 3.

si enim Christiana disciplina, vt ait Augustinus, *omnia bella culparet, hoc potius militibus consilium salutis petentibus diceretur, vt abijcerent arma, seque militiæ omnino subtraherent: nunc autem dictū est eis à Baptista Ioanne, neminem concusseritis, nemini calumniam feceritis, sufficiat vobis stipendium vestrum.* Nam quòd bellum tibi contra naturæ legem videri dicebas, propterea quòd nullæ bestiæ, cum sui generis animantibus bellum gerere videantur, primùm erras in eo, si putas nullum esse ius naturæ, quod non sit idem hominibus cum cæteris animantibus commune. Quanquam enim ius naturale id esse, quod natura docuit animalia cuncta, iure consultus definierit, est tamen ius alterum, quod quia rationis hominum generi, seu speciem ma-

uis ap

uis appellari,peculiariter tributæ vim & iudicium affectatur, idcirco ius naturæ humanæ scilicet, & idem ius gentium, de quo paulò antè differebamus nuncupatur.Deinde animalia cætera non protinus à bellis auersa videri debent,si raro quæ sunt in eodem genere, aut nũquam pugnant inter se.Habent enim pleraq; omnia suos hostes, sed in specie diuersa . Non gerunt bellum tigres cum tigribus, at gerunt canes cum lupis,his pecori iniuriam & necem hostiliter molientibus, illis innata quadam amicitia,& quasi iustitia depellentibus.Quid vaccę?quid equę & mulæ?quid sues?vt cæteras taceam id genus animantes,nónne luporum ipsæ, aliorumq; maleficorum animalium cateruas adesse sentientes,sese duce natura, in orbem velut infestam aciem instruentes colligunt,& paratæ ad pugnam in excubijs nonnunquam pernoctant, & irruentibus hostibus validissimè repugnant,se suosq́ue fœtus, cornibus, dentibus,calcibus,prout quæq́ue armata est à natura , quoad vires suppetunt,commisso certamine defendunt?Itaq; non solum ratio, ac prudentium hominum cõsensus, mosq́; coætaneus hominũ memoriæ,bello iniurias à se,& ijs qui suæ cuiusq; curæ,fideiq́; commissi sunt, propulsare iustum natura esse docet,sed etiam vis innata,quæ cęteras animantes ad se suaq́; tuendũ,ac defendendum impellit:vt nõ incommodè homines iniustos cædibus & rapinis statum reipub.perturbantes, pacem bonorum sollicitantes,tanquam lupos esse dicas,& malefica animalia: ciuitates & populos,quasi pecus & armenta : reges & principes, velut pastores:præsidia militũ, ceu canes pecuarios. Quam similitudinem priscis etiam poëtis, & philosophis placuisse in primis animaduerti. Homerus enim,qui solet pater omniũ doctrinarũ appellari, non aliter ferè principes vocat,quàm pastores populorum : & in veteribus sacrarum literarũ monumentis Esaias,Hieremias,cętęri iq́; vates,ad eas res significandas, vix alijs nominibus vtuntur. sed quid profana,aut prisca testimonia commemoro?cum Euangelicam doctrinam,& Christum ipsum authorem habeamus?qui se bonum pastorem,homines, pro quibus animam posuit,oues & gregem, fraudulentos porrò & nocentes, lupos rapaces passim appellat in Euangelio.vt igitur pastoris est officium gregem prudenter pascere,& cũ res poscit,lupis, cæteriśq; feris insidiantbus,aut officientibus pecori,sese atq; canes opponere : sic principis partes sunt,non solùm ciuitatis otio consulere, & populos suos in officio sine aliorum iniuria æquabili iure continere,sed etiã improborum hominum iniurijs,quæ sæpe existunt,vi & armis,si aliter nõ datur,resistere:siue priuatim inter ciues legib. neglectis, siue publicè ab externis hostibus inferantur.Nam qui hostibus ingruentib.per ignauiam cedit,nec strenuè manu coacta cunctis opib⁹ atq; viribus,vel cũ vitæ suæ discrimine repugnat,nec res iniustè ablatas repetit,pœnasq́; sumit de sontib.legitimas (hæc enim ferè sũt iustissimæ causæ belli gerẽdi)is non

Causæ iusti belli.

di)is non principis officio fungitur, sed populos suæ fidei cõmissos sceleratissimè prodens, simillimus est mercenario, quem Christus maximè damnat in Euangelio. *Nam mercenarius* (inquit) *qui non est pastor, cuius non sunt oues propriæ, videt lupum venientem, & dimittit oues, & fugit, & lupus rapit ac dispergit oues ego* (inquit) *sum pastor bonus, & animam meam pono pro ouibus meis.* Ioan. 10. Episcopus ergo, qui Christum optimum & summum pastorem, ac eius Apostolos, hac in parte poscente officio voluerit (vt velle debet) imitari, quoniam eius præfectura, & quasi regnum spiritale est, contra improborum peccata, & hæreticorum impietates sese primum: deinde suos quasi legatos, & centuriones telis Apostolicis armabit, innocentia, modestia, temperantia, sanctitate: vt exemplo, item egregia quadam doctrina, vt oratione possit crimina castigare, & praua dogmata redarguere: *Arma enim nostræ* (id est apostolicæ) *militiæ non carnalia sunt* (inquit Paulus) *sed potentia Deo ad destructionem munitionum, consilia destruentes, & omnem altitudinem extollentem se aduersus scientiam Dei, & in captiuitatẽ redigentes omnem intellectum in obsequium Christi, & in promptu habentes vlcisci omnem inobedientiam.* quæ arma si à pertinacibus negligentur, coercebit eos etiam vinculis, desperata porrò sanitate, vltima præsidia petet à legibus Ecclesiasticis, & ciuilibus, quibus iustissimè hæreticorum pertinacia vindicatur. quorum scelus tanto est reip. pernicioſius & acrius vindicãdũ, quàm prædonum & grassatorum, quanto pietas & religio externis bonis antefertur. Princeps aũt, (quẽ maximè vellẽ nõ minus virtutib. quã honoribus & dignitate cæteros excellere) primũ dabit operã, vt ciues æquabili iure contineat, & secundum religionem, ciuiles q; leges; deinde turbulentos & flagitiosos meritis pœnis prosequetur, ne status reipub. detrimentum patiatur. Hunc enim quasi scopum, spectat doctrina ciuilis, vt ciuitas salua sit, ac dignitate & commodis augeatur. Deinde si qua vis ab hostibus in suam ciuitatem parabitur, aut inferetur, hanc vt sine armis depellat, omni ratione conabitur, sed si hostes nec honesti respectus retardauerit, nec iustæ dehortationes ac denuntiationes, quæ fecialí Romanorum iure continebantur ab iniuria deterrebunt authore Deo duceq; natura, coacta fortium virorum manu, sumptisque armis ab iniustorum hominum immanitate & maleficio libertatem asseret, commodisque suis & suæ ciuitatis, ac sociorum prospiciet (vtiliter enim vincitur is, teste Augustino, cui licentia iniquitatis eripitur) nec res ablatas armis repetere aut sontes punire, turpe aut religioni habendum esse putabit. non denique pigebit eum, Abrahamum virum iustum, & amicum Dei nuncupatum æmulari, qui legem naturæ secutus, multis sæculis ante scriptas leges Hebræorum, bellum aduersus quatuor reges exultantes victoria suscepit: & præda onustos fudit ad Damascũ & spoliauit. à quo bello redeunti benedixit Melchisedech⁹ sacerdos Dei altissimi, eũdẽq; Deo benedictũ appellauit, quippe cum

Ad tit. 1.

2. ad Cor. 10.

In epist. ad Marcellinũ.

Gen. 14.

pe,cũ munere functº esset,quod Deo sciebat esse pergratũ. Qui ergo bella cupit à mentib.hominũ adolori,rẽ cupit optimam, & omniũ maximè humano generi salutarẽ,sed tunc iubeat bonos,iustosque viros,arma in alios vsus vitæ humanæ necessarios cõflare, cũ iniustitiã & scelus penitus à facinorosorũ animis extirpauerit.Nisi.n.lupos sustuleris &malefica animalia,nũquã pastori persuadebis,ne vtatur præsidio canũ.Hoc.n. esse principis officiũ,& ciurlis vitæ rationi cõuenire,Christi euangelica verba declarant apertissimè,qui licet ipse perfectiorẽ, spiritaleq; vitam delegisset,& propterea rogatus,an rex esset,suum *regnum non esse huius mundi* respondisset,illud tamen adiecit,*si ex hoc mundo esset regnum meum, ministri mei vtiq; decertarent*.Nisi forte tam stupidi, & in rerum intelligentia tam plumbei sumus, vt putemus à Christo damnata fuisse regna & principatus ciuiles,ab hominibus duce natura,vel à deo potius constitutos.*Non est enim potestas*,vt testificatur Paulus,*nisi à deo,& quæ sunt, à deo ordinatæ sunt*:at Christus *deo*,quæ *dei,Cæsari*, hoc est regibus & principibus, *quæ Cæsaris sunt*,reddi iussit.nec iussit tantum, sed etiam tributum, statere dato,pro se soluit atque Petro,quamuis ipse liber esset,ac immunis. Ne si tribuere postulatus recusasset, cæteris exemplo noceret : qui factum Christi (quem fas est quoad licet imitarii) secuti nihilo fortasse magis sibi, quàm ei pendendum esse tributum stulte existimassent. Cur porrò principibus tributa penduntur ? Num vt mare prædonibus infestantibus aut dum hostes agros rapinis, & maleficio deuastant,ipsi desides in vmbra fruantur voluptatibus, & otia pacis percunte repub. supini & ignaui specie religionis prætenta consectentur? Iudebat igitur Paulus cum principem negaret sine causa portare gladium,hoc est armatorum habere præsidia, quem tamen Dei ministrũ appellat, & vindicem iræ ad malorum conatus, non magis opinor intra quam extra ciuitatem reprimendos.Nam *ideo* (ait) *tributa præstatis, ministri enim Dei sunt in hoc ipsum seruientes*.quibus cum nos parẽre, ipsorumque dicto,tum ad Romanos tum etiam ad Titum scribens audientes esse præceperit:putabimusne, qui nos ad omne officium principibus præstandũ abhortatur,hunc operam militarem,sæpe necessariam,& pro libertate patriæ,pro liberis & vxoribus, pro aris demum & focis susci[illegible]dam excluisse?aut aliter sensisse,quàm Petrum apostolorum principem, qui nos *subditos esse* iubet *omni creaturæ propter Deum, siue regi quasi præcellenti,siue ducibus tanquam ab eo missis,ad vindictam malefactorum,laudem vero bonorum, quia sic est voluntas Dei*?.

*Ioan.*18.

*Ad Ro.*13.

Marci 12.

*Matth.*12.

N.B.

*Ad Ro.*13.

*Ad Tit.*3.

1.*Petr.*2.

Nec enim bellum iustum esse putatur, quod non sit principũ aut magistratuum authoritate susceptum,nec si quod fuerit causis neq; necessarijs,neque honestissimis,quales supra memorauimus quæsitum.Itaq; non sine magno crimine bellum geri puto ab ijs, qui contra Christia-

nos operam ſuam militarem locant principibus externis, cum quibus nullam habent ſocietatem: eoque magis, ſi de cauſæ ipſorum honeſtate (quod plerumque accidit) ambigatur. tales enim tantum abeſt, vt bellū gerant pacem ſpectantes (qui animus adeſſe debet iuſte bellantibus) vt hanc exoſi cupiant etiam gentium diſſenſiones & turbas: quod eſt omnino contra virtutem, & religionem. Bello autem legitimè ſuſcepto ad gloriam fortitudinis aliquid, ad iuſtitiam (teſte Auguſtino) nihil intereſt, apertè pugnetur, an ex inſidijs. vt enim ait poeta, *dolus, an virtus, quis in hoſte requirat*: quando id non modo ab optimis etiam viris omni memoria factitatum eſſe conſtat, cum approbatione gentium, ſed in ſacrarum literarum monumentis legimus, fuiſſe à Deo imperatum Ioſue bellum gerenti cum ciuitate Hai, vt inſidias tenderet oppidanis. Itaque licet hoſtes fallere, inſidiari, ſtratagematis circumuenire. loquor enim de his artificijs, quæ more hominum, ac iure gentium permittuntur, non de perfidia, & dolo malo. Nam fides data, etiam hoſtibus eſt ſeruanda, & pactis ac pollicitis ſtandum. Neque verò ſolum cum externis, legitimiſque hoſtibus iuſta bella gerere conceditur chriſtianis, ſed etiam cum ſcelere improborum hominum tyrannidem affectantium, aut aliud reipub. magnum malum vel perniciem molientium, bella ciuilia exiſtunt, optimi & religioſi ciuis eſt, ſumptis armis, ſi aliter non datur, impijs ſceleratorum ciuium conatibus obſiſtere. Inertis enim atq; adeo vix hominis eſſet, domeſtico malo reip. laboranti, non cunctis opibus ſubuenire, ſed cæteris de ſtatu rerum dimicantibus ſocordem eſſe & otio languere, cynico vetulo concedentem, vt pluſquam ipſe pudoris habere videatur. Nam cum Philippus Macedonum rex Corinthum hoſtili manu appropinquare nūtiatus eſſet, & Corinthij oēs pro periculi magnitudine commoti, alij arma pararent, alij collabentes muros reficerēt, aut lapides reficientibus miniſtrarent, alij alijs rebus parandis incumberent ad propugnandum neceſſarijs, Diogenes traditur, cum illius operā nullus vteretur, dolium quod inhabitabat, cœpiſſe in Cranio vrbis eiuſdem nobili loco diligēter ſurſū deorſumq; volutare. interrogatus porrò, quæ cauſa eſſet illius inuſitati laboris, reſpondiſſe, ne cæteris operantibus ipſe ſolus otio torpere videretur. Neq; verò ſolum Diogenis hoc ridiculè factum nos poteſt officij ſeuerioris haud mediocriter admonere, ſed sūmi etiam viri & grauiſſimi Stoici Porcij Catonis, qui virtutē magiſtra natura ſtudioſe percoluit, conſiliū, quo eſt vſus in bellis ciuilib⁹ Põpeianis, quid talibus reip. rēporibus bonū ciuē facere oporteat declarauit: qui cū à principibūs factionū multis in reb. cauſa reip. diſſentiret, & neutrius mentē plane probaret, bello tamen exorto non ſibi quieſcendū exiſtimauit, ſed eas partes fouendū, quæ plus iuſtitiæ atq; honeſtatis habere videbātur, Bruto etiam dehortāte: ad quem extat prudentiſſimum de hac re Catonis reſponſum.

Aug. in Ioſue. q 10. Aen. 2.

Ioſue. 8.

Summum

Summum Brute nefas ciuilia bella fatemur,
Sed quòd fata vocant, virtus secura sequetur, lib.2.

& cætera, quæ carmine vobis noto persecutus est Lucanus. Nec mirũ est Catonẽ integris viribus arma pro rep. contra impiorum conatus sumpsisse, cum Sestius ætate decrepita, cui alterum crus fuerat ĩ Macedonia mutilatũ, deferri se iusserit in castra Pompeiana, cui cæteris ridentibus Põpeius assurrexisse, occurrisseque traditur, magnũ testimoniũ & vtilissimum exemplum ratus, si viri ætate atq; viribus exhaustis secum pro libertate publica commune periculum subire cernerentur. Qua de re Solonẽ Athenienſiũ legislatorem cauisse refert Aristoteles, vt qui exorta seditione populari, & scissa in duas partes ciuitate, neutri se adiũxisset, hic bonis omnib. publicatis, mitteretur etiã in exilium: cuius legis hanc causam reddebat Fauorinus philosophus, vt bonorum virorum semper ad pacem spectantium authoritas, quæ initio non suffeciſſet, ad nascentem seditionem coercendam, valeret sedatis animis ad dirimendam. cum in consilijs capiendis multo magis credatur socijs de re communi consulentibus, quam alienis, quorum fides plerunq;, oratioq; suspecta est, sed huiusmodi leges & præcepta in eas potissimũ ciuitates cõueniũt quæ suis legibus viuunt, & populari aut optimatum consilio gubernantur. In regia verò rep. optimus & prudentissimus quisque principis authoritatem semper sequetur contra seditiosos populos, ac ciues potentiores & turbulentos. Reges enim ac principes si boni sunt, sũma pietate coli debent, quasi præexcellẽtes à deoq; missi, vt Petrus ait, *ad vindictam malorum, laudem verò bonorum*: sin mali, omni patientia tolerari, nisi forte ipsorum peruersitas, & prauitas tanta sit, vt in apertam, ac indubitatam regni, aut religionis perniciem & euersionem spectet. tunc enim publica salus, & verus Dei cultus vnius hominis furori, ac impietati, præferri debet, potiorq; & sanctior haberi. *obedire enim oportet* (vt Petrus aiebat) *Deo magis, quàm hominibus*: cætera verò principum, ac regum peccata patienter ferenda sunt, & ad Dei iudicium reijcienda: cui placet interdum populos ob ipsorum crimina iniquitate principum affligi. *nulla est enim potestas nisi à Deo*, vt Paulus testatur, qui nos principibus obedire iubet. Petro apostolo discolis etiam dominis parere præcipiente, hoc est difficilibus & iniquis: cuius rei clarissimum habemus exemplum Dauidis. qui cum esset rex Hebræorum diuina authoritate designatus, tamen Saulem genti eidem præter legem diuinam, qua iam erat iure regni priuatus imperitantem, sibiq; infensum semper est regia veneratione prosecutus, tantũ abest vt vi, aut dolo tentauerit ipsum de regno deijcere: & potuit paruo negotio eundem cum speluncam, in qua ipse latebat, successisset, solum & securum adortus obtruncare.

1.Petr.2. Act.apo.5. Ad Ro 13. Ad. Tit 3. 1.Petr.2. 1.Reg.4.

Nũ tibi videor Leopolde difficultates, quib. impediebaris, commode satis

satis esse demolitus? an adhuc hæres in salebra, & supereſt etiam num, quod tibi velis expediri? longioremque orationem desideras: ad quorundam bellorum honestatem asserendam? LE. Ego verò Democrates profiteor, me oratione tua non mediocriter fuisse delectatum. habet enim tanquam neruos, nec sine lepôre adhibet quasi tormenta quædam ad extorquendam veritatem. Itaque tibi prorsus assentior. iuste suscipi nonnulla bella, eademque à legibus Euangelicis non abhorrere: nisi si quid contra videtur Alfonso. AL. Mihi verò nunquam fuit dubitabile: quin multa bella iustissime, & Christianæ religioni conuenienter gererentur: non solùm ad repellendas iniurias, aut res ablatas repetendas sumendasque de sontibus pœnas, sed ad subiugandos impios, qui pacem nostram sollicitant, & Christianæ religionis hostes, qui pijs excidium, aut seruitutem moliuntur debellandos: qualia multa gessisse memorantur optimi, & in primis religiosi principes, Constantinus, & Theodosius Romanorum Imperatores, & cum alij multi reges Hispaniæ, tum in primis Fernandus, & Alfonsus: quorum alter bonus, alter sanctus ex argumento fuerunt cognominati. ac vt cæteros principes viros omittam, Rodericus Cidus, cuius nescio gloria bellica, an sanctimonia magis sit nostrarum historiarum monumentis nobilitata: quibus traditum est, his cum impijs Saracenis depugnantibus, multa etiam edita fuisse miracula, piam honestatem talium bellorum significantia. sed tu mihi Democrates, quæ nunquam dubitaueram, magnis rationibus confirmasti, vt Leopoldo bellum omne studiosè (vt videri poterat) Christianis interdicenti, aut in hoc certe nimis scrupulosè differenti satisfaceres, quod scire cupiebam de rebus priuatim interuenientibus, quæ militarem viuendi rationem, à Christiana disciplina videntur excludere, nihil hactenus cum iam deambulando defessi simus explicasti. DEM. Quæstio hæc Alfonse, quam de consensu militiæ cum Christiana religione tuo rogatu differendam suscepimus, tam multiplex est, & varia, vt nec paucis verbis possit, nec vno colloquio definiri. Hodie igitur de bello, quæ pars primum erat expedienda, disputauimus, cras hic, aut in hortis pontificijs cætera, si videbitur & otium erit, persequemur.

DE MILITARIS DISCIPLINAE HONESTATE LIB. II.

POstera igitur die, quàm illa fuerant disputata, mane cum pontifex maximus, vt sæpe solebat, in eos hortos, quibus est nomen ab amœno conspectu, secessisset, primus omnium Democrates venit, vt quemadmodum pridie conuenerat, sermonem repeteret, cum pontifici de rebus bellicis instituto, nec multo pòst Leopoldus adest. Alfonsus enim postremus omnium aduenit, simul vt valetudine nondum confirmata, vitaret matutinam

cutinam Vaticani aeris intemperiem, simul vt comitatum augeret Maij oratoris Cæsarei, quo interueniente Democratis cum pontifice colloquium est solutum. Cum igitur illi à turba recessissent, seque amicè de more consalutassent, breui primum de rebus nouis sermone collato, iam enim rumor increbescebat, pontificem, ac Cæsarem, colloquendi gratia Bononiam iterum conuenturos, missa, inquit Alfonsus, ista faciamus, redeamusq; ad hesternam disputationē, sedentes tamen (si videtur) in his, quæ opportune adsunt, subsellijs, sic enim sermo facilius explicabitur & audietur cōmodius, à me præsertim, cui nondum satis in pristinam valetudinem restituto obfuit nimia hesterni colloquij deābulatio: tuq; Democrates, qui heri Leopoldū pernicioso errore liberasti, ne graueris hodie tua sapientia, scrupulū mihi, quo subinde iam pridem sollicitor, eximere. D E. Sedeam° Alfonse, quoniam sic tibi commodum est, & omnino ad colloquēdum magis (vt ais) opportunum. sed quo tandem scrupulo te dicis sollicitari? A L. Virtus, & gloria militaris sæpe in reb. extra bellum publica authoritate susceptum incidentibus, non posse mihi videntur angustijs christianarū legum contineri. D E. Quæ te (malum) ratio, aut quis potius error detrusit in tam vanam persuasionē? A L. Lex Christiana iubet, iniurias patiētissimè ferre, & humanā gloriā pro nihilo ducere, militaris animis tunc maxime probari videtur, cum ne minimæ quidem contumeliæ patiens, inimicorū iniurias cōstantissime persequitur, ac mortem ignominiæ præferens, nullum recusat periculū, ne quam gloriæ, laudisue iacturā patiatur. Hęc mihi non videntur inter sese cohærere, nec mihi solum, sed plerisque etiam alijs, vt video. Hoc est enim (nisi fallor) caput illius querelæ militaris, de qua hesterno sermone meministi, qua sollicitudine si meū animum explicueris, magnas tibi, immortalesq; habebo gratias, credo item & Leopoldo rem fore pergratā, qui mihi heri videbatur his quoq; reb. nonnihil cōmoueri. L E. Mihi verò gratius nihil posset contingere. D E M. Dabo equidem operam, vt nobis morem geram. Sed antequam ad argumenta per vos allata respondeo, vt via & ratione philosophemur, necessarium esse puto, aliqua de virtutibus eis differere, quibus potissimū miles prudentiū iudicio commendatur: vt his, contrarijsq; vitijs perspectis, quod sit officium boni militis, quid ab eo discrepet, intelligatur. Laus enim virtutis est, & quo efficitur res quæq; bona, id virtus à philosophis nuncupatur, in hominibus quidem suo nomine, in cæteris reb° per similitudinem, ac translationem. Nam bonus magnes dicitur, & bonus equus: cum hic bene currit, ille ferrum bene allicit, & hæ virtutes ipsorum appellantur. bene nanque sua virtute, vt tradidit Aristoteles, res quæque perficitur. Cum igitur bonum gubernatorem dicamus, si quis bene & ex arte dirigat nauigium, bonum patremfamilias, qui recte curam gerit rei familiaris, & cęteros eodem modo, quam demum virtutem ab eo postulabim°, qui se

Arist. Ethi.

1 Ethi.

qui se velit & esse,& bonum militem appellari? AL. Homines prudentissimi,qui rei militaris præcepta literarũ monumentis tradidere,multa præcipiunt obseruari in milite deligendo. Qua enim regione ortus quisque sit,interesse putant, temperatas cæteris omnibus anteferentes, quales esse aiunt,quæ quarto,& quinto climate continentur. Nã quæ ad septentrionẽ propi⁹ accedunt,in his robustiores quidem animos,& magis intrepidos,sed tardiora ingenia prouenire:ad meridem contrà intelligentia præstantes homines sed infirmiores animis ad subeunda pericula generari:ad medium aút homines nasci,vtraque re quantũ satis est valentes:qui nec in cõsilijs capiendis intelligentia,nec in subeundis periculis animo deficiant: quorum alter sine altero planè infirmus est ad bella gerenda. Præterea in corporis habitudine magna esse momenta conscribunt.Nam staturæ proceritatem,latitudinem pectoris,membrorum agilitatem plurimum spei dare,roboris & virtutis confirmãt. DE. Ista Alfonse signa sunt hominis bellicis muneribus accõmodati,& quidem nec vana,nec contemnenda. Nam quæ ciuitates rerum potitæ sunt, has ferè vti cælo temperato nemo ignorat.vtAthenas,ac Lacedęmonem in Gręcia:& in Italia Romam,quę omnium maxime longe lateq; terrarum imperium tenuit.Item quorum virorum bellica virtus maxime nobilitata est,horum plerique & procero corpore, & lato pectore fuisse traduntur.vt Homero authore, cũ alij proceres in bello Troiano, tum maxime Aeneas & Hector ex Troianis,ex Græcis Telamoni⁹ Aiax & Achilles:quales ex Romanorũ principibus Iulius Cæsar, & Traianus Latinis historijs fuisse memorantur. AL F.His ego addam nõ vetera,nec aliena, sed meæ memoriæ meæque gentis exempla clarissimorum virorum,qui bellis Italicis claruere.Tales enim fuere Gonsalus Magnus,Iacobus Mendoza,Ioannes Vrbinas,ac vt cæteros taceam,Iacobus Garsias cognomento Paredes.cui si corporis & animi robori,par ingeniũ& mẽtis valetudo contigisset, nemo sub Gonsalo Magno meruit stipendium (quanquam ex ea militia multi præstantissimi viri velut ex equo Troiano prodierunt)qui iustius hominum consensu tali imperatori successisset,nunc autem,vt audio,penè miles sequitur Carolum Cæsarem, ab ipso in militiam ex Hispania reuocatus, nec senex desinit magna documenta vigentis adhuc virtutis, cum admiratione omnium exhibere. DE.Opportunè tu quidem,& merito tales tantosq; & duces & milites in exemplũ attulisti,poteras & summos viros ex Italis, gentibusq; alijs cõmemorare,quorũ bellica virtus his quoq; & bellis & temporib. emituit.Sed quanquam tales regiones & viri aptiores esse putentur ad bella gerenda,tamen extra illam etiã,de qua loquimur,quæq; maxime probatur,locorũ tẽperaturã,populos esse certũ est,fortes simul,& in obeũdis administrandisq; bellicis muneribus prudentes.Carthaginenses enim tertio climate continentur.Astures & Cantabri lexto:constat tamẽ,minus nego.

nus negotij fuisse Romanis in cætero orbe subiugando, quã in his populis pacãdis, quippe à quib. multa maximaq; damna retulerũt, iniquis subinde fœderib. adacti, sæpe de summa rerum periclitãtes. & à Germanis videmus bella magno non solũ animo, sed etiã consilio geri. Nec secus de singulis hominibus censeo breuis staturæ, multos & esse & fuisse præstanti animi magnitudine, qualis Tydeus heroicis tẽporib. fuit, carmine quoq; Homerico celebratus. Et quoniam tibi exẽpla nostrę memoriæ placẽt, Bartholomæus Albianus, Petrus Pacius, Vgo Moncada, & ne singulos memorem, Fernandus Aualus, Marchio Piscarius, in quo duce præstanti magnã nuper iacturam fecit exercitus Cæsarianus. Non enim tauri robur, aut elephantis ad obeũda facinora desideratur, sed virtute animi res præclaræ geruntur, adsint modo vires ingenuæ, quibus breuis staturæ homines pleriq; non destituũtur. Loquor aut de militarib⁹ muneribus, quæ manu & armis obeũtur, non de officio imperatoris, quod nullas interdũ vires corporis requirere, ne longi⁹ abieris, testis est hac ætate locupletissimus Antonius Leiua. quo duce tenui, ac nulla potius valetudine inclitas victorias in Cisalpina Gallia propter animi eius, & consilij magnitudinem, Hispanorum parua manus de multo maioribus copijs reportauit.

Cæterum aliud est de indole, & bellicosi viri signis, quæ à regione, & corporis habitudine sumuntur, aliud de virtute differere, qua censetur bonus miles, quæ cum habitus quidem animi sit, non in spe quadam posita est, sed ex multis studiosis actionibus ingeneratur. Hanc ego quã demum esse putares interrogabam, tu de indicijs militaris animi respõ disti. AL. De virtute nemo dubitat. Nam quem fortẽ, & magnanimum putant, hunc bonũ militẽ & dicere omnes, & sentire solent. DE. Fortitudo igitur, & magnitudo animi est, qua bon⁹ miles efficitur. AL. Haud dubie. DE. Qui negat ergo, bonum militem posse Christianorum legib. satisfacere, is fortitudinem, & magnitudinẽ animi à christiana religione dicit abhorrere. AL. Mihi quidẽ ita videtur, sed mallem te ista cũ Leopoldo disputare, ne ipse vel inepte respondendo retardem orationem tuam, vel bona causa videar ob inscitiã cecidisse. Age igitur Leopolde, iam tu pro vtroq; responde. nónne tibi sic videtur? LEO. Qui potest nõ videri? cum priore dato, posterius sit necesse confiteri. DEM. O miseram igitur conditionem Christianorum, si quatenus religioni seruiunt, nullum est eis cum virtutibus commercium. LE. Commercium est vel maximũ cum iustitia, prudentia, liberalitate, continentia, & cæteris omnibus virtutibus, quæ homines inter ipsos beneuolentia quadam, & humanitate conciliant: fortitudinem verò, & magnitudinem animi, vt tumidiores scilicet, & intractabiliores virtutes refugiũt. DE. Qualia ɔfficia ducãtur à fortitudine, & magnanimitate postea (si videbitu r) differemus, nunc aũt posita sit, nec. n. arbitror inficiaberis, has & esse, & in

Ethi. 4. moralium virtutum numero à phiolsophis reponi, prçsertim ab Aristotele, qui animi magnitudinem cæteris omnibus anteponit. L E. Quid tũ

Ethi. 6. postea? hoc enim nemo est, qui inficias eat. D E. Philosophorum consensus est, & idem christianorum, sic omnes virtutes esse inter se cõnexas, & consociatas, vt vna sublata, omnes tolli sit necesse, quam veterum philosophorum sententiam Hieronymus inprimis, & Augustinus principes theologorum confirmarunt. quorum alterius ea verba sunt in Esaiç expositione: *Omnes* (inquit) *vi tutes sibi cohærent, vt qui vna caret, omnibus careat:* alter in libro de Trinitate sic scriptum reliquit, *Virtutes* ait, *quæ sunt in animo humano, quamuis alio & alio modo singulæ intelligantur, nullo tamen modo separantur ab inuicem.* Qua ratione igitur Christianis nec fortibus esse licet nec magno animo, eadem cæteras virtutes negatas eis esse, oportet confiteri. L E. Scimus Democrates, ab eruditis sic solere de connexione virtutum pronunciari, nec tamen ea vox, quam vim habeat ignoramus. Nemo enim hoc sentit, non posse esse quenquam liberalem, vt non sit idem fortitudine præditus. Cum passim videre liceat quosdam multis benigne factis, virtutem quæ liberalitas dicitur, esse consecutos: quibus tamen citra ipsorum vllam culpam nunquam vsu venit, vt pericula subirent, quibus adeundis fortitudo ingeneratur. Quæ ratio eadem est in cæteris virtutibus. Non enim vel natura, vel nostra voluntate solum virtutes morum contingunt, sed assuetudine quadam officiorum ingignuntur. Cæterum quoniam qui rite, & ex præceptis philosophiæ ipsarum aliquam colit, hoc est propter honestatem, & vt rationi pareat recte præcipienti, huic persuasum, & insitum sit necesse est, nullo loco sibi ab officio esse discedendum, idcirco quas re nondũ nactus est, sed electione tãtum, ac voluntate præcepit, eas nihilo secius habere dicitur,

Lib. 1. Aduersus Pela. participatione videlicet, vt Hieronymus ait, nõ proprietate. si quis enim non sic animatus est, vt quocunq; natura rectaq; ratio, virtutum optima magistra duxerit, eò sit haud inuitus secuturus, hic adumbratam quandam virtutis imaginem ostentare potest, veram & expressam effigiem habere omnino nullam potest. Non enim honestatẽ is sequitur, & rationis præcepta, in cuius animo hæc non idem ponderis habent, & vbique paria momenta. Ad hũc igitur modũ philosophis placet indiscretas esse virtutes, & quoniam sunt in rebus agendis ratæ quædã sententiæ (græci axiomata dicunt) omnib. virtutibus communes, quæ ad fingendam vnã virtutem cognitæ, ad cæteras accommodantur eodem modo, continenturq; prudentia, sine qua nulla morũ virtus consistit, & quæ vna si adsit,

Ethi. 6. omnes simul adesse Aristoteles est author. At vnam virtutem non quidem omnibus suis numeris absolutam, sed tamen iam adultã per se posse consistere, cæteris adhuc in illis quasi seminibus residentibus negare, nec rationi congruit, & vsui manifestarum rerum aduersatur. Non igitur Christianus, si fortis, & magni animi officia negligit, vt præceptis

seruiat

seruiat religionis, protinus aliarum virtutum inops & expers videri debet.

D. E. Rectè tu quidem L. opo. de, philosophorum sententiam de connexione virtutum explicasti, sed vide ne forte eisdem etiam nunc angustijs vrgeamur. Cur enim Christianus cæteras virtutes colit? nónne propter honestatem ipsarum, ac vt imperio rectæ rationis obtemperet? L. E. Non ob id tantum, sed multo etiam magis, vt Dei longè grauioribus præceptis obsequatur. Cuncta enim Christianorum officia in Deum debent quasi in summum bonum, atq; vltimum finem contendere. D. E. An id proprium esse putas Christianæ doctrinæ, vt virtutes referat ad vltimum finem? quis hoc non facit philosophorum? quibus summa dissensio est de finibus bonorum & malorum, de his enim qui dissentiunt, eos in tota philosophia dissentire, idcirco necesse est, quoniam cuncta præcepta, omniaque officia debent extremum finem, quasi scopum intueri. Contrà verò quibus de summo bono conuenit, horum disciplina parum potest in tradendis officijs, hoc est morum præceptis discrepare. Quo fit, vt Christianorum præcepta, quæ mores attingunt, aut nihil, aut minimum differ à dogmatis Peripateticorum, quemadmodum heri differebamus. Nam idem propemodum est vtriusque summum bonum, eadem proposita felicitas. vt enim Peripatetici, sic & Christiani felicitatem sibi in summæ virtutis vsu ergarem perfectissimam statuunt. summam autem virtutem, & rem perfectissimam intellectum, & Deum (vt nec esse est) interpretantur, vt in contemplatione Dei felicitatem esse positam, dogma sit vtriusque commune, nisi quod Peripatetici naturam ducem, eiusdemque tenue, ac subobscurum lumen sequentes, & confusam quandam, ac subobscuram huius rei cognitionem nacti vt solent *inuisibilia Dei à creatura mundi, per ea, quæ facta sunt intellecta conspici*, satis habebant, seque felices fore arbitrabantur, si modo Deū sibi, vel in ænigmate, & quasi speculo videre, ac contemplari contigisset. Christiani autem beneficio religionis, ac summa præsentis Dei in humana forma benignitate, & oraculis edocti, clarissimoque lumine collustrati: quoniam in longè maiorem, clariorem q; notitiam rerum diuinarum prouecti sunt: in vitæ mortalis peregrinatione felicitatem nullam agnoscunt, exclamante Paulo: *si in hac vita tantum in Christo sperantes sumus: miserabiliores sum⁹ omnib. hominib.*, sed eos tantum felices, ac verè beatos & credunt & vocant, qui coràm præsentem Deum intuentur in patria, sic enim ipsi beatorum vitam alteram appellant, & ipsum vident sicuti est. Quanquam enim felicitatem illam, quam iustis, & sapientibus hominibus philosophi tribuunt, non aspernentur, & beatos appellent, quicunque virtutum aliarum muneribus funguntur, eos tamen non re felices putant, sed spe futuræ beatitudinis. *Beati mundo corde* dixit Christus, sed quomodo beati? *quoniam* inquit, *ipsi Deum videbunt*: & *beati pacifici*, *quoniam*

Ad Rom. 1.

1. ad Cor. 15.

Matth 5.

quoniam filij Dei vocabuntur. Vides quàm valde Peripateticorum ratio cum Christianorum doctrina in moribus dirigendis conueniat? Vtrisq; Deum contemplari summum bonum esse placet, vtrique virtutis via ad felicitatem gradiuntur. Quibus illud itidem est commune, vt non solum virtutes, sed omnia facta & cogitata, res denique omnes, quæ in actionem humanam cadunt, ad extremum finem referri dicant oporte-

1. *ad Cor.* 10. re. Nam vt clamat Paulus, *Siue manducatis, siue bibitis, vel aliud quid facitis,*
1. & 10. *Eth.* *omnia in gloriam Dei facite*. sic Aristoteles, *Omnia*, inquit, *sunt propter felicitatem appetenda* quod cum ita sit, aliqua nimirum esse debet prærogatiua virtutum, præter vltimi finis respectum: aliquid insigne, quo præstent, & à cæteris humanis actionibus discernantur: de quo nisi conuenerit inter nos, de militaribus virtutibus, & ipsarum cum alijs conuenientia, vel dissensione disputãtes, in incerto necesse est vagetur oratio nostra, nec de his licebit nobis quidquam certi definire. L E. Cõsilium laudo, & hoc in primis statuendum censeo. D E. Responde igitur ad interrogata, sublato finis vltimi respectu, qui communis est (vt docuim⁹) cunctis actionibus humanis, quid tandem est prẽcipuũ in virtutib. quo

Eth. 1. à cæteris reb. discernãtur? An quia (quemadmodum idẽ Aristoteles testatur) etiam si nihil esset præterea, quo virtutes referrentur, ipsæ tamẽ per se, propter suamq; honestatẽ essent expetendæ? L E. Sic videtur. D E. Ratio igitur interna colendi expetendiq; virtutes posita est in ipsarum honestate, qua sublata, perit virtutis & nomen & natura. L E. Meo quidem iudicio. D E. Qui honestatem ergo contẽnit in vna neglecto rectæ rationis imperio, a quo viro studioso nunquam est discedendum, is eãdem in cæteris virtutibus nónne videbitur eodẽ modo aspernaturus? L E. Videbitur omnino. D E. At Christianus, si te audiet, in fortitudine, ac animi magnitudine honestatem spernet: per te igitur eadẽ ratione aspernabitur in omnibus. ita fraudatus vna. cunctis virtutibus spoliabitur. si enim cui insitum est, honestatẽ vbiq; sequi, & imperio parere rectæ rationis, is omnes virtutes habere putatur: qui honestatem vno in loco, ac propterea vbiq; negligit, & rectæ rationis imperiũ, in hoc quis tandem locus potest virtuti cuipiam esse relictus? Nisi fortè tam cæci sumus, & pertinaces, vt non simus recusaturi, quo minus cum fortitudine magnitudinem quoq; animi, quæ summa maximaq; officia in omni virtute persequitur, longè à virtutum choro submoueamus, reclamantibus non modo philosophis, sed theologis etiam religiosissimis: quorum nemo est hactenus repertus, qui has vel esse virtutes inficiaretur, vel à Christianorum consortio submoueret. scilicet quia nemo ignorat, complures hoc nomine in sacris literis commendari. *Scribo*, inquit

1. *Ioan.* 2. Ioannes, *vobis adolescentes, quoniam fortes estis*: & Paulus, *Per fidem* ait, *fortes facti sunt in bello*. & ne singulos persequar, de Stephano legimus in actis Apostolorum, quòd *plenus gratia & fortitudine faciebat prodigia, & signa magna in populo.*

Ad Hebr. 2. *Cap.* 6.

populo. LE. Non ego Democrates fortitudinem ac magnanimitatem virtutes esse nego, neque quod eas dixerim à Christianis institutis abhorrere, velim sic mea verba interpreteris, quasi nullam nobis societatem cum illis virtutibus relinquam, non istuc valet oratio mea, sed vt intelligatur alia ratione fortes, & magnanimos à Christianis, alia cæteris gentib. ac philosophis & probari, & definiri. *Iustorum*, inquit Gregorius, *fortitudo est, carnem vincere, proprijs voluptatibus contraire, delectationem vitæ præsentis extinguere* philosophi virtutem hanc in bellicis maximè periculis cerni atq; versari docent, nec secus de magnitudine animi, quæ appetitum honoris & gloriæ moderatur, videntur mihi dissentire. philosophi enim de honore & gloria differunt, quæ ab hominibus contingit: Christianis *gloriari* non licet, *nisi in cruce domini nostri Iesu Christi*. Nam *qui gloriatur* (idem Paulus ait) *in domino glorietur*, à quo *gloria, & honor, & pax omni operanti bonum* citra delectum personarum.

6. Mora. Ad Gal. 6. 1. ad Cor. 1. Ad Rom. 2.

Non igitur probo istam rationem disputandi, vt cum agitur de legibus ac institutis Christianis, & quæstio est sacrarum literarum testimonijs dijudicanda. tu locum vrgeas decretis philosophorum, Aristotelis passim, tanquam Pauli nomen inculcando. Cui philosopho tantum tribuis in omni sermone, vt dicta eius nõ hominis cuiusdam decreta esse, sed Dei alicuius oracula, cui refragari nefas sit, statuere videaris: & quod maximè indignum est homine Christiano, præcepta quoque religionis nostræ conaris ad Aristotelis normam dirigere: cuius tamen doctrinam constat cum plerisque articulorum, quibus quasi fundamentis nostra fides religioque nititur, pugnare. Hoc est illud, quod multi iam ferre non possunt in Aquinate Thoma, viro alioquin egregiæ doctrinæ & sanctitatis, qui Christianum vbique nititur Aristotelem efficere, Christianas leges Peripateticorum dogmatis confirmans, præter morẽ & sententiam veterum theologorum: ex quibus Hieronymus clamanti cuidam, ignoras hanc philosophorum esse sententiam? respõdit: *sed non apostolorum. Neq; enim* (inquit) *mihi curæ est quid Aristoteles, sed quid Paulus doceat*. & alio in loco, pulchrè philosophos à quibusdam Patriarchas hæreticorum appellatos asseuerat, qui Ecclesiæ puritatem peruersa doctrina maculauerint. Sed quid ego Hieronymi sententiam dictaque memoro? cum Paulus ipse nos hortetur moneatque, ne temerè philosophorum decretis assentiamus: *videte* inquit, *ne quis vos decipiat per philosophiam, & inanem fallaciam*: & Esaias clamet, *perdam sapientiam sapientum, & prudentiam prudentium reprobabo*. Vnde idem Paulus *sapientia* (inquit) *huius mundi, stultitia est apud Deum*: quod est haud dubiè de philosophis dictum: *qui dicentes se esse sapientes, stulti facti sunt*.

In dial. contra Pela. 1. Ad Cesiphonem epist. 10 Ad col. 2. Esa. 29. 1. ad Cor. 3. Rom. 1.

DE. Inuitus facio, vt à quæstione initio nobis proposita digrediar: sed quoniam tu me quasi de via ad impedita diuerticula detrudis, quæ nisi

expedian-

expediantur, difficillima sit futura ratio de virtutib. disputandi, reiecta per te philosophorum authoritate: quid hac in parte verissimum esse putem: iam paucis explicabo. Pronunciata illa Leopolde, quæ articulos fidei propterea nuncupamus, quòd his velut artubus fidei Catholicæ membra distincta, in corpus vnum constringantur, non modo sensum nostrum excedunt, sed captum etiam, & intelligentiam humanę mentis. Quo factum est, vt neque indagari potuerint cuiusquam hominis ingenio, nec humano intellectu inuestigari, ad summam nulla ratione alia, in aliquam mortalium notitiam, quam diuinis oraculis peruenire. Quamobrem qui quorundam articulorum vt altissimam, sic mortalib. inaccessam, & soli Deo exploratam veritatem, voluntratione naturali metiri, ac ipsorum mysteria, ad dogmata philosophorum reuocare, horum stulta sapientia est, & prudentia non probanda: hanc philosophiã Hieronymus contemnit, hanc damnat vbique Paulus, hanc vocat huius mundi sapientiam, stultam videlicet, & veritatis inanem. In his enim rebus, quæ rationem naturalem excedunt, non est liberè cæca mentis agitatione vagandum, sed intellectum oportet *in captiuitatem redigere in obsequium Christi* eius doctrinę, & sacrarum literarum testimonijs, quemadmodum cæteris in rebus fidem adhibentes, sic in his etiam incunctãter, ad quas intenta acies ingenij nostri caligat, quæque normam excludunt humanarum doctrinarum. Cum verò de moribus agitur, deq; virtutibus, & contrarijs rebus differitur, prima est scripturæ sacræ, proxima tamen philosophorum authoritas, non quidem omnium, sed maximè probatorum: quales Platonici sunt, & Peripatetici, qui summum bonum virtutis actione metiuntur. Licet Augustinus Platonem cæteris omnibus anteponat, quia non solùm rectè sentit de bonorum & malorum finibus, sed etiam mundo tribuit initium, à quo asserit ipsum Aristoteles, & humanos animos ab interitu, & mortalitate fortiter & perspicuè vendicat, in quo ille alter balbutire nutasseque videtur, modo huc, modo illuc inclinans, prout rationibus à sensu ductis impelleba-

1. ad Cor. 10.

In li. de reli.

De ciuit. Dei lib. 8 c. 9.

tur. sed quanquam Platonem idem Augustinus verissimè tradat proximè omnium philosophorum ad Christianos accedere propter aliqua, quæ non tam ratione naturali inuestigasse, quam in Aegyptiaca peregrinatione ex sacris Hebræorum libris sumpsisse creditur, tamen posteriores tum philosophi, tum theologi, vt suprà testatus sum, nõ dubitauere principatum Aristoteli in omni philosophia dare, siue quæratur de natura earum rerum, quarum cognitio parari potest ratione naturali, siue de moribus, & recte viuendi præceptis differatur: cum propter diuinum eius ingenium, & incredibilem doctrinam mirabili solertia ab eo multis libris explicatam, tum vel maximè quoniam Socrates & Plato, qui poterant in contentionem venire, nihil tam certum esse rati, quod non posset in diuersum paribus penè rationum momentis inclinari,

nari, omnia propemodum in medio reliquere, in vtramque partem disputantes. Aristoteles autem vt arbiter honorarius à natura datus, tam scienter diremit priorum philosophorum controuersias, tamque prudenter statuit de vi rerum naturalium, & bene ac beate viuendi ratione, vt eius dicta, non præcepta philosophi, sed naturæ leges, atque decreta rectæ rationis esse, doctorum fere consensu videantur.

Neque enim alios video (pace tua Leopolde dixerim) nimiæ vt ipsi garriunt, authoritati philosophi huius obmurmurare, nisi eos, quibus ille paulo notior est, quam Empedocles, aut Anaxagoras, quos olim fuisse nobiles philosophos audierunt. Quales sunt hoc tempore impietatis Lutharanæ magistri, qui omnis philosophiæ, ac theologiæ reconditoris expertes, inani quadam garrulitate, quam solam græcarum latinarumq; literarũ studio sunt consecuti, intumescentes de maximis viris, quos vix de facie (vt dicitur) nouerunt: stultè & arrogãtissimè iudicant: Aristotelem vt profanum & ab omni parte religionis auersum reijcientes, & cum alios scholasticos theologos damnãtes, vt valde Peripateticos, tum in primis Thomã Aquinatẽ: cui (me iudice) si rerum diuinarum & humanarum scientiæ par facultas orationis contigisset ad ea disponenda & illustranda, quæ summo ingenio & incredibili doctrina fuerat consecutus: erat fortasse aliquis ex veterib. Theologis, qui cũ ipso conferri posset: quem aũt anteferremus eidẽ. haberemus certè neminẽ. Quoniam igitur isti nugari paulo ornatius didicere, idcirco his neglectis, veteribus illis Hieronymo & Augustino, aut ex græcis Origeni vel Clementi se similes esse, ac (si placet Deo) pares etiam videri volunt: quos non modo eloquentia, & altissima cognitione præstitisse constat sacrarũ literarum, sed etiã in studio philosophiæ multũ ætatis consumpsisse. Quis enim, qui modo præstans illud Augustini opus legerit de ciuitate Dei, potest ipsum Platonis fuisse studiosissimum ignorare? Nam Hieronymum (quem tu mihi paulo ante obijciebas) cũ alijs philosophis græcè & latinè multã operã præbuisse, tum in primis Aristoteli, & eius græcè enarratori Alexandro, non solũ Rufinus Aquileiensis testatur, sed ipse quoq; de se non vno loco profitetur: nec illud tacet, se Aristotelicos Alexandri cõmentarios è græco in latinũ vertisse, nisi vertere dicit frequẽter lectitare. Quid, vt ad Græcos trãseam Aristidẽ, quid Iustinum Christianos philosophos cõmemorẽ? quorũ ille Adriano principi apologeticũ pro Christianis librũ misit, sententijs philosophorũ conflatũ, hic Antonino Pio doctissimũ contra gentes volumen ex media philosophia deprõptũ. Nã Clementẽ presbyterũ Ecclesiæ Alexandrinę omniũ, vt Hieronymus testatur, eruditissimũ multos variosq; libros cõscripsisse certũ est, altissima doctrina refertos, quam hausserat magna ex parte ex fontibus philosophorum. Quam æmulatus Origenes

Epist. 43.

Ad magnum oratorem vrbis Romæ.

Origenes eius auditor, decem ſtromatum ſcripſit libros omnem religionis noſtrę doctrinam dogmatis philoſophorum confirmans. Non igitur recentiorum Theologorum (quos ſcholaſticos appellant) inuentum eſt, decretis vti philoſophorum: idem veteres ſumma authoritate & grauitate viri factitarunt, non modo ad Chriſtianorũ mores inſtituendos (in quo vel plurimum valet quid naturæ aptum ſit, quid diuersũ dignoſcere) ſed etiã dum aliqua tractarent, quæ pertinerent ad fundamẽta Chriſtianæ fidei, & poſſent ex parte ingenijs hominum, & natura duce inueſtigari: vt de natura Dei, de virtute eius & ſimplicitate, de infinita tum poteſtate tum etiam ſciẽtia, de rerum omnium ſupernarũ & infernarũ procuratione atq; iuſtitia, & ſiquid aliud de Deo per ea quæ facta sũt cõſpicit humanus intellectus, cui ſic indagãti *ſempiterna* quoq; *Dei virtus & diuinitas* (vt Paulus teſtatur) innoteſcit. Sed quoniam infinito rerum diuinarũ ſplendore perſtringitur, caligatq; acies humanæ mentis, non ſecus ac veſpertilionum oculi (vt ait Ariſtoteles) ad lumen ſolis, idcirco hac in parte ponderis haud multum habet authoritas philoſophorum. Nec admodũ ea vtendum eſt Chriſtianis, præterquã in eos qui ſibi familiarium & probatorum hominum teſtimonijs adducendi ſunt, vt ex quibuſdam vel demõſtratis, vel perſuaſis rebus, cæteris (quarum eſt fides difficilior) aſſentiri paulatim aſſueſcant. Cum autẽ de moribus agitur, quos ita demum optimè inſtitui ac honeſtiſsimè putamus, ſi ad naturæ regulã adformentur, tunc prudentium & doctiſsimorum virorum, quos philoſophos appellamus, authoritas non modo aſpernanda non eſt, ſed plurimum debẽt habere ponderis ad controuerſias, quę incidunt de virtutibus & vitijs dijudicandas. Philoſophi enim munus id maximè proprium eſt, quid adſciſcat natura, quid viciſsim aſpernetur commodè ac ſcienter explicare. In quo præſtando quoniam doctorum hominum conſenſu primæ (vt video) Ariſtoteli ſuo iure referuntur, cum huius nomen vſurpo, non id debes Leopolde vel ſuſpectũ habere, vel inuidioſum, ſed putare potius, tunc me quaſi naturę legem, cuius ille optimus fuit interpres allegare.

Ad Rom. 1.

Metaphyſ. 2.

LE. Scitè tu quidem, & per commodè rem inter Chriſtianos & philoſophos cõpoſuiſſe in vniuerſum videri poteras, cæterũ ſermones de toto genere habitos veros non putat idem tuus Ariſtoteles, niſi cõgruant in partibus, & ſingulis rebus accommodentur. Redeamus igitur vnde digreſſi ſumus, & iam doce, ſi potes, de fortitudine, cuius pars à quibuſdã magnanimitas eſſe dicitur, Chriſtianos ipſam ſuo quodammodo definientes, à philoſophis non diſſentire. DE. Tergiuerſari illud quidẽ eſt, non cauſam ratione defendere. Cæterùm res eſt in expedito. Non enim quærimus de fortitudinis, ac magnanimitatis definitione, quã qui aliã aſſerunt, hos aliã quoq; rem ſentire neceſſe eſt, cum rei vnius vna

In lib. de motu animaliũ.

duntaxat

duntaxat sit definitio. Sed de habitu animi, qui timores & audacias in periculis præsertim capitalibus ratione moderatur, qui cum sit perspicuè virtus, vt indicat virtutis definitio, si à Christianis institutis abhorrere statuatur, quæ ratio hanc excludit à Christianorum consuetudine, eadem si quid superiore disputatione confectum est, cęteras omnes virtutes submouebit: eodemq; modo de magnitudine animi iudico, quæ temperat magnorum honorum appetentias. Erras igitur, & quidē toto (vt dicitur) cęlo Leopolde, si putas, Christianam philosophiam has virtutes repudiare, vel in ipsarum definitionibus à peripateticis dissidere Christianos, qui in sanctis martyribus præter virtutes theologicas dictas, nil ęque vel admirantur vel laudant ac fortitudinem, & ingens inuictissimorum animorum robur: qui ne à fidei veritate, & pio religionis cultu discederent, cruciatus ac mortem subire nec metuerunt nec recusarunt. vnde martyres cum ab alijs tum in primis à sanctissimis, doctissimisq; viris Maximo & Cypriano milites fortissimi nuncupantur. Nam quod Gregorius ait: *fortitudinem esse carnem vincere, ac proprijs voluptatibus obsistere, & extinguere huius vitæ delectationem*, abusus in eo est fortitudinis vocabulo. Animi enim constantiam, quæ latissimè patet, serpitque ad omne genus officij, alieno nomine fortitudinem appellauit. propterea quòd ex omnibus virtutibus firmitas animi in hac potissimum elucescat. Quod mihi videtur Gregorius, ne nouum inuētum esse putes, vt pleraque alia in quæstione morum à Cicerone mutuatus. Cuius ea verba sunt in primo de officijs volumine: *Omnino fortis animus & magnus, duabus rebus maxime cernitur: quarum vna in rerum externarum despicientia ponitur, cum persuasum sit, nihil homini nisi quod honestum decorumq; sit, aut optare, aut expetere oportere: nulli neque homini, neque perturbationi, neque fortunæ succumbere.* Quam deinde partem ita persequitur Cicero, vt eum dicas non de vna quadam parte, sed de toto genere virtutis disserere. *Ethicæ 2.*

¶ Nam quod pertinet ad gloriā humanā, de cuius despicientia Christiani multa præcipiunt, si rem altius & diligentius inspicias, eadē profecto reperias, aut quam minimum discrepātia pręcepta philosophorū, cum de magnitudine animi differunt, quæ appetitum gloriæ, ac honorum moderatur. Nefas enim puto, eo nomine Christianorum disciplinam infamare, vt quicquam in moribus natura honestum, iustumq; viderit aliorum hominum solertia, quod ipsi non perspiciant, aut perspectum per stultitiam, aut superstitionem repellant. Maneat igitur, constitutumq; sit, theologis etiam consentientib. Christianos in tractandis morū virtutibus, & vitijs, quæ ratione naturali dijudicantur, à Peripatęticis non dissidere, crimen vtrisque existimantibus in vita, ab statu naturæ rectaque ratione discedere. L E. Sit ita sanè, & iā ad reliqua pergamus. A L. Audite vero Democrates, & Leopolde, ego si me hodier-

na disputatione vestra delectatum esse negem, sanè mentiar: nam de natura virtutum? deq; ipsarum & consociatione & distinctione, tũ de summo bono, ac philosophorum autoritate, & Aristotelis præstantia, deq; Peripateticorum cũ Christianis in morum virtutumq; doctrina cõuenientia, multa scite, vt mihi videntur, & copiosè sunt à vobis disputata. Sed quod mihi à vobis expediri maximè cupiebam, id hactenus penè intactum reliquistis, quomodo inuicta vis animi, quocunq; nomine virtutis licet eam appellare, quæ in milite probatur. cum iniurias constantissimè persequitur, aut gloriam bellicam auidissimè consectatur, à Christiana religione non dissentiat, hac enim virtute per religionem Christianã repudiata, efficitur planè, vt bon⁹ miles esse nemo possit, & idõ bonus Christianus, quod erat caput institutæ disputationis, & proinde vobis tã longè producto sermone non negligẽdum. D E. Quasi verò quæ hactenus dicta sunt, ad hanc rem non maximè pertineant, cum declaratum sit, multisq; rationibus effectum, nullam esse omnino virtutem, quam religio Christiana non amplectatur. Sic igitur existimare debes Alfonse, nihil neque in re militari, neque in aliqua vitæ parte, à Christiana doctrina repudiari, quod virtutis nomine censeatur, nihil quod non sit etiam philosophorum, non modo religiosorum iudicio vitiosum.

¶ A L. Iniuriam igitur persequi, & hostes pertinaciter vlcisci, auidiusq; gloriam appetere vitiosum putas? D E. Ego verò certũ habeo, sic enim iudicant viri sapientes. A L. At non viri fortes, quorum famæ & glorię prima est, & maxima cura. Quis enim mediocris miles iniuria paulo grauiore lacessitus, non vitam putat sibi esse peracerbam, quamdiu nõ datur inimicum pœnis meritis vlcisci? Itaq; multos videas, desperata vendictę tutioris occasione, vel iræ ac moræ impatientes, ad certamen singulare suum quemque inimicum prouocare, vt eo vel sublato, vel impulso ad deditionem, gloria deleant ignominiam: aut si fortuna tulerit, fortiter occumbendo doceant, sese turpitudini ac dedecori longe mortem anteferre. Nec alios videas ore pleniore à plerisque omnibus laudari, quàm qui inimicorum superbam petulantiam ad hunc modum repressérunt: quod vtiq; e non fieret, si iniurias aut inimicos vlcisci haberetur vitiosum. D E. Si sic statuis Alfonse, nunquàm hominum vitijs approbationes, & plausus imperitæ multitudinis, sed virtutibus semper excitari, legem inducis, in vitam mortalium omni peste, mihi crede pernicioſiorem. Quod enim venenũ vel ad veritatis splendorem obfuscandum, vel ad deturpandam morum honestatem tetrius excogitari possit, quam si fuerit hominibus persuasum, vt spreto iudicio sapientium prauas stultorum opiniones, & vulgi errores consectentur? A L. Non ego vel opificum sententiæ, vel agricolarum iudicio stadum esse dico, cum de virtute militari disputatur, sed de fortitudine &

titudine & magnitudine animi fortes viros, & magnanimos optime iudicare certum habeo. D E. Recte tu quidē existimas, modo virtutes has à prudentia ne disiungas, quæ omnium virtutum est quasi magistra. Sed tu quos tandem fortes viros, & magnanimos appellas? A L. Haud equidem eos, qui ætatem in ocio, & vmbra transegerunt, quique tubam nūquàm, nisi in ludorum spectaculis audierunt. D E. Philosophos mihi videris à fortium virorum consortio seiungere. A L. Non eos tantum, sed omnes etiam alios philosophorum similes, quibus nunquàm, aut vix accidit hostē videre, aut in castris pernoctare. Non enim sine causa dictum Annibalis celebratur, qui vt est apud M. Tullū, cum Phormionem philosophum aliquot horas Ephesi de imperatoris officio, deque omni re militari ambitiose cum cæterorum admiratione differentem audisset, quæsitūq; fuisset ab eo, quidnā ipse de illo philosopho iudicaret, respondisse fertur, *multos se deliros senes sæpe vidisse, sed qui magis, quā Phormio deliraret, vidisse neminē.* Non tulit videlicet Annibal arrogantiā vetuli philosophi, qui cū castra ipse nunquā vidisset, tanto imperatori sustineret, de re militari præcepta dare. D E. Te igitur authore milites duntaxat fortes, & magnanimos viros appellabimus? & eos putabim⁹ optime omnium de his virtutibus iudicare? A L. Mihi quidem sic prorius videtur. D E. Qui vero rebus vrbanis obeundis robustum animum præstiterint, & tum publicas, tum etiam priuatas importunorum ciuium iniurias constanter repulerint, & Reipub. præsidentes impotentium audaciam nullo timore retardati cohibuerint, ne hos quidem per te nobis licebit fortes viros appellare? A L. Ego vero tales, tantosque viros fortes & magnanimos esse dico, & in numerum militum reponendos. Neque enim abhorret à militia, tui bulentorum ciuium conatibus etiam sine armis obsistere, & nocentiū crimina meritis legitimisque pœnis vindicare. D E. Quid philosophos? si qui virtutes has non solum scholis, & meditatione, sed rebus publicis administrandis, & bellicis muneribus obeundis coluere, qualis fuisse memoratur apud Athenienses Socrates in primis, à quo velut fonte doctrina morum emanauit, & Timotheus Isocratis discipulus. Ex Romanis P. Africanus, L. Lucullus, & qui libros etiam de philosophia scripserunt Varro, Cicero, Brutus, & plerique alij, hos inquam metuemus propterea quòd fuerint philosophi, fortibus viris aggregare? aut in causa fortitudinis, tanquam ineptos iudices reijciémus? iudicioque stabimus turbæ militaris quæ magna exparte robustis quidem & ad pugnandum manu accommodatis, temerarijs tamen & hebetibus hominibus consistit? An hoc ponderis & autoritatis plus habere debet talium philosophorum sententia, quòd ad rerum vsum, obseruandi diligentiam ingenij perspicacitatem, & doctrinæ cognitionem adhibuerunt? vt robustus agricola melius & fodiet, & arabit, quā vir consularis, aut senatorius delicatus: prudentius tamen de agricultura &

de orat. lib. 2

ra & singulis eius partibus edifferent, certioraq; præcepta dabunt Marcus Cato, Plinius secundus, vel Columella, & his ætate superior Theophrastus, qui hanc philosophiæ partem coluere, & elegantissimis libris sũt complexi, quàm quiuis rusticus arator, cuius pedes & manus colendo terram diuturnis laboribus obcalluerint.

¶ Vt enim cæteræ disciplinæ prudentium & ingenioſorum hominum diligenti varianum rerum obseruatione factæ sunt, non aliter debes hominibus existimare morum philosophiam contigisse. Ars enim bene dicendi, quæ facultas oratoria nominatur, ex multorum orationibus collecta est, qui natura fuerunt eloquentes, nemo enim tanta ingenij felicitate donatus est à natura, vt cum multa recte diceret, non interdum in aliquod orationis vicium laberetur, sed multorum præstantibus ingenijs collatis, quæ magna ex parte natura ducuntur ad potiora facile fuit prudentibus hominibus virtutes sermonis atque vicia dijudicare. nec secus tum de virtutum aliarum, tum de fortitudinis & magnitudinis animi præceptis accidisse putare conuenit. Non enim quidquid vn', aut alter vir fortis, & magnanimus factitauerit, id pro lege & quasi regula habendum est, vt recte de his virtutibus statuatur, [*nam vitijs nemo sine nascitur,*] vt inquit poeta. cæterum ex multorum talium virorum factis & consilijs eadem ratione facta est disciplina, qua de fortis & magni animi virtutibus, & contrarijs rebus optimæ iudicetur: quam quia philosophi partim etiam obseruatione, & vsu rerum, vt Socrates, & cæteri, qui bellicis quoque muneribus functi sunt, partim ratione, prudẽtiaque pepererunt & retinent, efficitur vt philosophorum prudentia, non vulgi militaris temeritate harum virtutum causa sit dijudicanda. Nam quòd ais Phormionem ab Annibale cõtumelioſe fuisse dimissum, quòd de re militari, quam nũquam ipse expertus erat, coram se magno imperatore arroganter disputasset, poteram dictum Annibalis, & iure fortasse, nec sine bonis authoribus reijcere, vt inhumanum & planè barbarum: sed faciamus eum iuste senis damnasse leuitatem, num eadem causa fuerit eius, qui artem quam ipse nunquam sit expertus, velit summum artificem edocere, quod fieri nisi stultissime non potest: & eorum, qui de virtutibus iudicant, quarum scientiam profitentur, ab ijs acceptam, qui eam, & vsu rerum, & summis ingenijs pepererunt, & à quib. ipsi non abhorrent. Nam qui mortem perhorrescit, & res externas longe virtute inferiores pluris facit, quàm pro ipsarum dignitate, is non re tantum sed etiam nomine philosophi indignus est, in quarum rerum despicientia fortitudo & magnitudo animi nitescit. AL. Quid igitur causæ philosophi afferunt, cur iniurias persequi, gloriam expetere vitioſum putent, quando aperte nobis non licet ab ipsorum tribunali prouocare? quod mihi non magis rationibus, quàm authoritate tua persuasisti, cum te & strenuũ militem, & virũ eruditissimũ tã magnifice videam

Horat. lib. 1. sat. 3.

deam de philosophis sentire. D E. Quid aliud esse causæ putas, nisi quòd id lõge abhorret ab ea, quã toties nominamus, magnitudine animi A L. Quid ais Democrates? nónne hoc inauditũ est, & præter omniũ hominũ sententiam? D E. Imperitorũ fortasse, & qui rerũ veritatẽ vulgi erroribꝰ metiuntur. Nã qui sapientiũ philosophorum præcepta didicerit, & magnanimorum virorum facta & instituta meminerit, is multo secus existimabit. Ne temere igitur, aut arroganter causã sine authoribus, & testibus agere videamur, operæ pretium fuerit, si tibi videtur, quid maximi viri de fortitudine, ac magnitudine animi præceperint, paucis verbis explicare. A L. Mihi verò commodissimum videtur.

¶ D E. Vt summam igitur rei paulo altius repetamus, fortitudinem Alfonse & magnitudinẽ animi multi non duas virtutes esse putauerunt, sed vnã duntaxat duobus nominibus appellatam, quæ latissime pateat, pertineatq; non solũ ad malorum perpessionem, & ad mortis propter honestatem oppetendæ contemptum, sed ad omnium rerum externarũ despicientiam, quorum sententia neq; improbanda est, nec si rationis summam spectes, multum dissidet à Peripateticis: nos tamen sequemur Aristotelem, qui fortitudinẽ à magnanimitate distinguens, vtriusq; præcepta dat separatim, ac prudentissime, vt cætera, diligenterq; persequitur, hoc igitur autore fortitudinem intelligimus virtutem, audacias & timores in adeundis sustinendisq; honestatis gratia mortis periculis ratione moderantem. licet enim timor, & audacia latissime pateant (cuncta enim mala metuuntur, vt paupertas, infamia, morbus) non tamen in harum rerum timoribus temperandis fortitudo cernitur: nam quædam mala timere non modo non turpe, sed honestum etiam habetur, infamiam namque metuere probitatis est & verecundiæ: non timere, vicissim impudentiæ, alia verò vt paupertas & morbus, timeri quidem non debent, nihil enim metuere oportet, quod non sit à culpa nostra profectum: qui tamen harum rerum timore non frangitur, hunc liberalem, & tolerantem, aut talem quendam non sine laude nuncupamus: fortẽ certe nec dicere solemus, nec sentire, præterquàm per translationem, & tolerantiæ similitudinem, fortis enim tolerantissimus est malorum, quæ crimine vacant, quorum quia mors est terribilissima, efficitur, vt qui in mortis honestæ periculis infractum, interritumque animum præbet, hic solus nomine suo vir fortis consuetudine consensuque prudẽtium hominum appelletur, est aũt mors honesta, quę propter honestatẽ & iustitiam oppetitur, vt in bellis iusta de causa susceptis, vbi virib. est locus, licetq; fortiter & viriliter agere. quanquã enim in morbo, aut naufragio, vel ruentib. fulminib. vir fortis non succumbit timori, (nã paulo vehementius non cõmoueri maius est humana fi mitate) in hui⁹ tamẽ generis mortib. talibusq; periculis fortitudinis splẽdor parũ elucescit. Ac fortitudinẽ q dẽ talẽ quãdã virtutẽ intelligim⁹ qua cognita

haud

haud ſanè fuerit difficile, de contrarijs vitijs conſtituere. quæ duplici genere exceſſus,& defectus,vt pleraque omnia, continentur. excedendo porrò duobus omnino modis peccatur,aut enim confidendo quis in adeundis periculis exuperat,audaxque vocatur:aut ſuſtinendis nihil timet,ne ea quidē,quæ vires humanas excedūt,vt terræ motus & maris tēpeſtates,& fulmina,quod vitiū neq; apud Græcos neq; apud latinos nomen inuenit, credo quia raro cadit in homines paulo modo humaniores:ſed quia parū abeſſe videtur à demētia, idcirco in quē cadit,hunc modo dementem, interdum appellare ſolemus ſtupidum. At qui infirmo animo eſt ad pericula ſubeunda,timidus is,atque ignauus appellatur, ſiue plus metuat,ſeu minus cōfidat,quàm oportet.ſic enim dupliciter hoc quoque in extremo delinquitur. In quibus omnibus diſcernendis, vna eſt certiſſima regula à ſapientibus tradita,& à nobis tenenda,diligēterque adhibenda, vt qui in ijs quę ſupra diximus,mortis periculis ſuſtinet atque audet, aut viciſſim metuit quæ & gratia cuius oportet, & quemadmodum oportet,& quo tempore, quarum rerum iudicium eſt à prudentia petendum,hunc fortiter facere dicamus:cui autem horum quidquàm abeſt,eum in alterutro vitio eſſe putemus. Hæc eſt enim natura virtutis,vt niſi teneat omnes ſuas partes,ſtatim ſit honeſtatis nomen amiſſura.ſed ratio finis plurimum habet & virium,& autoritatis in reb. agendis, vt efficiens cauſa in operibus naturæ, cum vtrunque ſit ſuo modo principium, quod principium veteri græcorum prouerbio, dimidium totius eſſe dicitur.finis autem cuiuſque virtutis proximus,eſt ipſius honeſtas.

Eth.1 & Dioniſi de diui.no cap. 4.

¶ Sublato igitur honeſtatis reſpectu, tota corruit ſubſtantia fortitudinis,licet interdum ſpecies quædam cōmentitia relinquatur,quod quinque modis accidere notauit Ariſtoteles : quidam enim facta virorum fortium imitantes,honores duntaxat,& gloriam ſequūtur,aut increpationes fugiunt,& ignominiam,quæ ciuilis fortitudo nuncupatur, quæque idcirco proxime ad veram fortitudinem accedere dicitur, quoniā qui gloriam ſequitur & honorem, quod eſt præmium virtutis maxime proprium, is virtutem ipſam & honeſtatem ſecutus eſſe videri poteſt. His quoque annumerantur, qui neceſſitate aut timore præſentis pœnæ à magiſtratibus propoſitæ,bellorum pericula ſubeunt:hoc tamen prioribus deteriores,quòd non pudore continētur in officio,ſed metu, quo ſolent etiam mancipia contineri. Alij propter rei militaris ſcientiam, & armorum peritiam,cum non ſint,fortes interdum eſſe videntur.quoniam ſpecie vana periculorum quæ plerunque tyronibus in bello metum ob imperitiam incutiunt,ipſi minime deterrentur,vel quia vanitatem dignoſcunt,cæteros fallentem, vel quoniam armorum vſu tutius hoſtem offēdere,ſeſeque tutari valentes, quaſi armati cum inermibus, vel athletæ exercitati cum infirmis, aut rudioribus pugnaturi ſibi eſſe viden-

Ariſt. 1.eth.

videntur. quæ fortitudo militaris idcirco vocatur, quoniam mercenarij milites hac potissimum valent, qui cognito certo periculo primi læpe fugam capessunt, ciuilibus copijs mortem turpi fugæ præferentibus. Ad hæc ira concitati multi pericula subeunt interriti, quos idcirco fortes interdum appellamus, quoniam & ipsis fortibus ira res videlicet impetuosissima vires, vt ait Homerus, subministrat. quo fit, vt in concionibus militaribus, quibus acie instructa imperatores ad pugnam milites adhortari solent, illud vel in primis vsurpetur, si quid contumeliosè factum commemorari valet, quo militum animi possint ad indignationẽ concitari. interest tamen, quòd fortes honestatem sequũtur, ira spiritus suggerente, isti studio vindictæ agitante dolore præcipites in pericula feruntur, more ferarum, quæ nisi irritentur, etiam in syluis fugiunt potius hominem quàm inuadant, sed accepto vulnere in percussores irruunt nullo periculo aut timore retardatæ. Sed ne eorum quidẽ vera fortitudo putari debet, qui quòd sæpe multosque vicerint, ea spe confirmati, res formidabiles confidenter aggrediuntur. fortes enim honestatis, quam sæpe dico, causa, res periculosas suscipiunt, isti ob alias causas, dum se superiores esse confidunt, quod ijs ferè solet vsu venire, qui sæpe hostes non tam sua virtute superauerint, quàm illorum ignauia, qui ex multis victorijs, quemadmodum ebrij ex multo vino magnos spiritus & fiduciam sumunt. Nam hoste mutato, si fortuna reflare cœperit, perspecto periculo vbi timor fiduciæ successerit, non persistunt: à quib. non multum abhorrent, qui propter periculorum ignorationem facta fortium virorum aliquatenus imitantur, hoc tamen deteriores, quòd illi res periculosas, sed quasi explorata victoria prudentes aggrediuntur, quod habet aliquid dignitatis: hi verò dum putant nihil in re subesse periculi, quod procul abest ab omni laude. Vnde factum est, vt quidam vtile fore existimarent, militibus de quorum virtute dubitaretur, aut occultare pericula, aut verbis, quoad fieri posset extenuare. quorum error pernicioſus primum aperta ratione conuincitur: quoniam ad prouisa pericula complures se cogitatione, meditationeque muniunt, qui repentinis deterrerentur, in quibus insita virtus & inueteratus habitus plurimum eluceſcit: deinde magnis exemplis, & summorum imperatorum autoritate refellitur, ac in primis Iulij Cęsaris, quem solitum esse constat, timentibus suis periculi magnitudinem, ac hostium numerum exaggerare: vt in Iubæ aduentus terribili expectatione conuocatis ad concionem militibus, *scitote* (inquit) *paucis his diebus regem affuturum, cum decem legionibus, equitum triginta, leuis armaturæ centum millibus, elephantisque ccc.*

TAL. O factu igitur difficile Democrates, virum fortem inuenire, si in tot hominum generibus, nihil solidæ virtutis habetur, sed inanis duntaxat species fortitudinis vicio cuidam obtenta: nec tamen dubito,

quin ista verissime tradantur, non solum ob tanti philosophi autoritatem, sed quia te differente, multa mihi exempla in mentē venerūt hominū mihi notissimorum, quæ cum ista doctrina valde mihi congruere videntur. Sed non oportet quenquam nominatim in inuidiam vocare. Reliqua igitur oratione tua non mediocriter sum delectatus, sed illud mihi fuit submolestum, quod nostri ordinis, hoc est militarem fortitudinem ad inanem quandam virtutis speciem retulisti, oblitus fortasse, te militē esse, dum partes agis philosophorum. Ego enim sic statuo, aut nullū omnino iure posse virum fortē appellari, aut hunc esse de militū ordine petendum. Nam si vt cæteræ virtutes, quod heri cū Leopoldo disserebas, sic fortitudo non ineſt à natura, sed consuetudine periculorū ingeneratur, quis pluribus quotidie, aut maioribus periculis exercetur, quàm miles? quis æstum, frigus, famem, sitim, vigiliasque tolerando, partim corpori, tum etiam animo ad laboriosa discrimina subeunda callos obduxit? D E. Nemo certe. neque vnquàm ego committam, vt more quorundam iudicum stulte ambitiosorum, iniuste faciam in meos, ne iniuste feciſſe videar, verā igitur fortitudinē in multis militib. & fuisse, & esse dico, nec aliter vnquam existimaui: sed neque in milites tantum fortitudinem cadere, vt quidam ipsorum leuissime iactant, & complures eorum videri magis, quàm esse tales certum habeo. Nec verò mi-

1 *magn. mo* rari debes, quòd nec facile, nec valde multis vera fortitudo contingat, *ra.* nam virtus omnis in re difficili versatur, & cum ad vitium innumeris vijs aberretur, vna duntaxat via est, quæ ducit ad virtutem, & ea quidem, vt Hesiodus ait, longa, & ardua, asperisque difficultatibus impedita. Sed ratione fortitudinis explicata, parumper (si videtur) de magnitudine animi differamus, vt his virtutibus cognitis, quas optimo militi tribuimus, propositæ quæstioni finem aliquando faciamus.

¶ Intelligendum est igitur, vt pecunijs collocandis duplex virtus accōmodatur, liberalitas, qua paruorum ac mediocrium sumptuum: magnificentia, qua magnorum moderamentum & quasi mensura continetur, sic honorū appetentias duab. virtutibus temperari: quarum quę in paruis honoribus aut mediocribus cernitur, vocabulo quidem, vt multi affectus animi vacat, sed interdum nomen ab extremis mutuatur: quorum alterum ambitio dicitur, cum parui honores plusquàm communiter solent, expetuntur: quod est magnæ leuitatis, & qui hoc malo laborat ambitiosus: alterum nec græce nec latine nomen inuenit, sed qui hoc vitio deficit, ἀφιλότιμος dicitur à græcis, quasi negligens in honore, nam hoc quoque vitiosum est, vt sit necesse, medium ipsorum à virtute quadam possideri, qua qui præditus est, tunc ambitiosi vocabulum sumit, cum alterius extremi comparatione laudatur: tunc in honore negligentis, id est, τῷ ἀφιλοτίμῳ, cum in ambitiosi inuidiam cōmēdatur, extremis de medio innominato, quasi de regione nondū occupa-

ta de-

ta decernentibus. quę verò virtus magnorum honorum cupiditates moderatur, magnitudo animi & magnanimitas appellatur, magnanimus enim intelligitur, qui vt est, sic magnis atque adeo maximis rebus sibi dignus esse videtur. quo fit, vt magnitudine quidem extremus sit magnanimus, ratione verò medius, nõ enim plus, nec rursus minus appetit, quã pro ipsius dignitate, quæ cum maxima sit, rebus maximis est munerãda. quo in genere in primis est honor, quem bonorum externorum maximum esse declarat religiosorum, ac prudentium hominum vetustissima consuetudo, Deum immortalem honorandi, & hac potissimum ratione colendi, atque honore præclara facinora munerandi, summis viris id præmium omnium maxime cupientibus. hinc enim statuarum vsus emanauit, quas primi mortaliũ Athenienses Harmodio & Aristogitoni tyrannicidis publice posuisse creduntur. hinc coronarum multa genera, ciuicæ, murales, vallares, & obsidionales nuncupatæ, quibus Romani donabãtur, si quis ciuem seruasset, murũ primus aut vallũ conscendisset, obsidionemúe à suis depulisset, hinc deniq; triumphus natus est, qui Romanis eisdem immortalitatis instar erat. ne Carthaginẽsium, tuorumq; Hispanorum Alfonse morem vetustissimum referam. quorum illi, vt testatur Aristoteles, tot annulorum ornatum cuiq; permittebant, quot expeditionibus miles interfuisset: Hispani verò tot obeliscos circa sepulturam erigere, quot quisq; hostes in bello sustulisset, cum igitur honor in rebus externis haud dubie principatum teneat, efficitur, vt magnanimus honore & quidem magno sit dignus, & eo sese dignum existimet, vtque in hoc sibi sumendo maxime cernatur. *Poli 7.*

¶ Qua in re dupliciter, vt ferè assolet peccatur. quidam enim, cum honoribus digni sint, ipsi tamen sibi tales esse non videntur, & oblatos non admittunt, tanquã sua dignitate superiores, pusillanimi nũcupati: quod nomen licet pateat latius, ad omnesque pertineat, qui se minoris faciãt, quàm sint, siue parua mereantur, siue magna: ijs tamen propriè tribuitur, qui magnam suam dignitatem non agnoscunt: quo vitio spes infringitur res præclaras efficiendi, & industria langueścit. Alij sunt in cõtrario vicio, seque magnis honoribus cum sint indigni, dignos tamen arbitrantur, qui græce quidem χαῦνοι, latine verò nisi fallor, arrogantes, & ijdem superbi nũcupantur, non multum à stolidis abhorrentes. Nã ignoratione sui res magnas aggrediũtur irrita opera, & interdũ laudem petũt, vnde ferũt etiã vituperiũ, optime namq; præcipitur, vt qui ad rem gerendã accedit, caueat, ne id modo cõsideret, quã sit illa res honesta, sed etiã vt habeat efficiendi facultatẽ, itaq; arrogantes vestitũ quoq;, vultũ, gestum, cæterumq; corporis ornatum studiose quærunt, atq; cõponunt, & quidquid inest opis passim ostẽtantes, de se quoq; multa iactat importune, dũ temere honorẽ hoc magis fugiẽtem insequũtur, quib. vitijs (seu verius errores dicẽdi sunt, nec enim hi homines mali esse, sed aberrare

potius existimantur) inter se cõparatis. pusillanimitas magis vituperatur. Nã primũ repellit, & tollit ea bona, in quib. magna sunt illustriũ rerũ gerendarũ adiumẽta, deinde pigros homines cũctantioresq; reddit ad præclara facinora, viciũ vel in primis dãnatũ à Paulo. ab hoc enim nos
2. Corint. 6. in Corint. dehortatur, cũ ait, *adiuuantes exhortamur, ne in vacuũ gratiã Dei recipiatis.* vna igitur, & perbreuis cautio tradita est, qua cõmode vtrunq; viciũ euitabimus, si in eo genere, neq; temere desperabimus propter ignauiã, nec rursus nimis cõfidemus propter cupiditatem. Est igitur magnanimus, vt diximus, qui magnis rebus & dignus est, & se ipse dignatur. Nã qui parua meretur, & paruis sese dignum cẽset, non caret is quidem virtute, sed quasi modestię nomine laudabitur, non magnanimitatis, quę sine magnitudine non consistit, vt pulchritudo corporis nulla est sine proceritate, quanquã interdum in breui statura corporis habitudo mẽbris veluti ad mensuram congruentib. commendetur. quo fit, vt sine cumulata omnis generis virtute magnanimus esse non possit. Nam cũ honor præmiũ sit virtutis maximè proprium, & quo quisq; melior est, hoc maiores honores mereatur, satis intelligitur, qui maximis honorib. est dignus, eũ oportere in omni genere virtutis excellere, vt merito quidã à viris prudentibus rideantur, qui cũ absint ab omni virtute, & sint monstra prauitatis, tamen ob generis nobilitatẽ, & opes, quibus ad magnas tenuiorũ iniurias abutuntur, se in magnanimis viris, & honore dignissimis haberi volunt. quod eis accidit, dum timores imbecillioru, & leuissimorum assentationes, sic interpretantur, vt eas putent ad suam laudem, & suorum meritorum testimonium pertinere. qui tunc se etiã atque etiam errare cum suo magno malo cognoscunt, cum eos cogit grauis aliquis casus, de se vera iudicia hominum experiri. honor enim virtutibus emerendus est, non vi aut timoribus extorquendus.

¶ Itaque non facile virum inuenias, qui iure magnanimus appelletur.

A L. Mihi verò factu difficillimũ videtur, consideranti sic te de magnitudine animi differere, quasi nominis huius intellectu nõ vna quædam, sed prorsus omnes virtutes contineantur: quẽadmodũ de iustitia video à nonnullis disputari, eius vocabulo virtutes omnes complectentibus.

D E. Non est ita Alfonse, nec animi magnitudo eodẽ atq; iustitia modo in cæteris virtutibus spectatur. Nam cũ sit duplex iustitia: altera quę proprie intelligitur, quæq; constans & perpetua voluntas ius suum cuique tribuens definitur, altera quæ legitima dicitur, patetq; latissime: in hac omnem virtutem idcirco intelligimus, quoniam sic iustum vocamus eum, qui nihil agit contra legum præscripta, quibus legibus omnium virtutum præcepta continentur, & contraria vicia vindicantur, vt si quis signa deserat in acie, quod timidi est, aut se pollnat adulterio furtoue constringat, quod est contra temperantiã & liberalitatẽ. Itaq; quotunq; officio fũgaris finib. id iustitiæ cõtinetur, vt legitima iustitia, hoc

esse re

esse re intelligatur, quod virtus in vniuersum, licet sit ratione diuersa, nimirum quatenus iustitia ad alterum refertur, bonumque publicum spectat, cum virtus simpliciter talis habitus intelligatur. Magnanimitatis longe alia ratio est. quanquàm enim hæc choro virtutum omnium stipata esse debet, non tamen virtus omnis potest vt iustitia, sic magnanimitas appellari. Cæterùm illud est præclarum huius virtutis, admirandumque munus, quòd cæteras omnes reddit multo augustiores, cum maxima quæque & ardua officia in omni genere persequatur. exempli causa, fortitudinis est fortiter facere, magnanimitatis verò, id ipsum excellenter præstare, quale factum accepimus Horatij Coclitis Romani, qui cæteris etiam fortibus viris cedentibus, in ponte sublicio hostium aciem vnus tam diu sustinuit, donec à tergo pons interrumperetur. quo facto se armatus in Tyberim deiecit, ad suosq; tranauit. Ad hũc itaque modum magnanimus, in virtute quaque magna semper spectat, quæ ratio ipsum à cęteris virtutibus secernit, species enim virtutem viciorumque vicissim finibus potissimum suis discernuntur. Sed quanquã animi magnitudo in honoribus, vt diximus, & rebus contrarijs versetur, magnanimus tamen honores etiam magnos, sibi à probis viris delatos non magni facit, sed ipsis moderate delectatur: intelligit enim maiora etiam præmia suis virtutibus deberi, cum virtus cumulata nullis honoribus possit pro dignitate munerari, sed boni consulit, quoniam maiora præstari nequeunt. eos enim honores, qui à vulgo ob res parvas tribuuntur, vt se indignos penitus contemnit, nec popularibus sinistris rumoribus, vel repulsis commouetur, virtutis & meritorũ suorum conscientia aduersus leuitatem & iniustitiam hominum confirmatus. itaque Porcium Catonem repulsis, tanquàm honoribus gaudere solitum Plinius secundus est autor. cum igitur præter virtutem nihil magni pendat, efficitur vt neque pericula fugiat propter timorem, nec iniuriam in alterum inferre inducat animum. Qui enim parua ducit, quæ cæteri demirantur, & in maximis rebus habent, cuius demum rei gratia hunc turpiter facere conueniet? licet autem in honoribus potissimum magnitudo animi cernatur, persequitur tamen omnes partes vtriusque fortunæ. ita quidquid in diuitias, aut potestates prospere aut secus acciderit, feret moderate, nec gestiet in his secundo fortunæ flatu, nec frangetur aduerso: cum in honore, quod multo maius bonum est, constantem se atque superiorem exhibeat. diuitiæ nanque, & potestates ob honorem expetuntur. quo fit vt magnanimi contemptores esse videantur, cum neq; opes, nec imperia, nec magistratus, ac ne ipsum quidem honorem magnifaciant. videtur tamen fortunæ fauore ipsa quoque magnanimitas augescere. pauperes enim, ac ignobiles à pleriſque contemnuntur, & in his malis oppressa virtus manca interdum est ad officia fingenda. itaque nonnunquam vel frustra nititur instrumẽ-

tis destituta, vel ne conatur quidē, ne cum autoritas absit opera nequid-
Iuuen. sat. 5. quàm suscipiatur. *plurima* enim *sunt*, vt inquit poëta, *quæ non audent homines pertusa dicere lena* contrà verò nobiles, & qui cum imperio sunt, ac opulenti, honore digni existimantur ob excellentiam, quidquid enim bono aliquo præstat, honoratius habetur. Itaq; talib. etiam bonis magnanimitas inualescit. Nam licet viris duntaxat probis honor iure debeatur, idem tamen externis bonis à quibusdam exhibetur, vt dubium non sit, quin virtus his cumulata tanto magis honore digna censeatur. At sine virtute nulla neque nobilitas, nec opulentia magnitudinem animi præstabit, nec rebus magnis dignū quēquam efficiet. talis enim fructus maximè proprius est virtutis exactæ. Quo minùs ferenda est quorundā importuna superbia, qui rebus duntaxat externis intumescentes, sibi magno pere placent, & præ se cæteros etiam virtute superiores spernēdos putant, contemptu solum magnanimos imitātes, quippe suis bonis
Ouid. lib. 13 metam. f. 1. dignitas cuique metienda est, non alienis, scitum est enim illud poëtæ, *Nam genus & proauos, & quæ non fecimus ipsi Vix ea nostra voco*. At externa quæ dicuntur bona, cuncta esse aliena, hoc ipsum nomen declarat, & quòd eadem fortunæ bona nuncupantur. Magnanimus igitur merito cōtemnit virtute inferiores, quoniam suis bonis, hoc est virtutibus excellit, & rectè iudicat. vnde fit, vt raro se periculis exponat, præsertim ob leues causas & res exiguas. pericula enim non suscipiuntur nisi ab ijs, quibus proposita præmia videntur esse magna: cum nemo nisi stultus, hamo aureo (quod vsurpasse traditur Augustus Cæsar) piscetur, præsertim pisces, quos parui facit. magnanimus autem, perpauca sunt quæ magni pendat. vt merito rideantur à prudentibus leuiculi quidam homines, qui laudem fortis & magni animi stulte in primis aucupantes, occasiones periculorum pro leuissimis etiam causis arripiunt, quos sæpe videas, aut mortem oppetere cum rectè iudicantium vituperatione, aut plagas turpissimas & damnosissimas accipere pro rebus vel turpibus, vel eiusmodi, vt eas vir magno animo ne disceptatione quidem dignas esse duceret, quod est non solum stulti, sed anguśti etiam animi documentum, qui rumores imperitę multitudinis tanti faciat, vt eos vel cum discrimine vitæ colligendos esse putet. Nam cum dignitas, magnitudoq; rei officium poscit, vt si patriæ laboranti subueniendum sit, aut pro tenuiorum tutela contra impotentium iniurias decertandum, vel pro religione aduersus impios contendendum, nemo nec libentiùs, nec pari constantia, vel capitis adit pericula, vel iustitiæ ac omnis virtutis patrocinium exequitur, nemo suæ vitæ minus parcit. Mori enim huic potius est, quàm vt à talibus officijs per socordiam, aut ignauiam discedat. Illud quoque magni animi est, beneficijs alios libenter demereri: le verò eis adstringi, non æquo animo, nec sine pudore ferre. Nam beneficia conferre præstantis est, accipere vicissim inferioris, quamobrem ma-

gnani-

gnanimus,si quando fuerit benignitate prouocatus, gratiam refert maioribus officijs muneribúsve cumulatam, vt hac ratione qui prior tribuerat,liberalitate superetur.quæ res facit,vt quos beneficijs affecerit, hos magis, quàm bene de se meritos meminisse videatur. Nam qui patitur,quatenus patitur minor est efficiente, magnanimus autem cæteris præstare vult.Itaque sua in alios, quàm aliorum in se merita libentius audit.vnde mihi consuetudo, quæ apud Hispanos plurimum inualuit,nata esse videri solet,quibus dum principes viros aliquid de se bene meritos alloquuntur,ipsorum quę captant beneuolentiam, illud in promptu est,& quasi legitimum,vt se profiteantur, illis esse obligatos, & ab eisdem maiora etiam sperare.Est itidem magnanimi, aut nullo modo, aut grauate precari quenquam, rogatum verò facile honestis precibus adquiescere.Ad hæc cum illustribus, & opulentis viris suam dignitatem retinere velle, mediocribus comem se, & perhumanum exhibere,& quod Vergilius scite, vereque cecinit de populo Romano: *Parcere subiectis, & debellare superbos.* hos enim superare magni negotij est, & gloriosum,illos insolenter tractare ac inhumanè, leuitatis & importunum.Obseruatum quoque est,magnanimum otij esse lectatorem, nec in negotijs properare,præterquam cum res adhortatur,in qua versantur magna momenta,aut de maximis honoribus agitur. Itidem paucis negotijs implicari,& his magnis & illustribus, & siquid detrimenti in re familiari,aut in paruis rebus alijs acceptum fuerit,vel immineat,ne querulum esse,nec ad deprecandum procliuem.id enim hominis est talibus rebus studentis.Ac vt tenuiora signa, sed quæ ne Aristoteles quidem prætermisit,persequamur, res quæ sola pulchritudine commendantur, quàm vtiles sibi & fructuosas magis quærere. hoc enim hominis est opulenti. ad hæc incessum eius esse tardum, vocem grauem,orationem non concitatam,nec enim properat,cui pauca sunt curæ,nec vehemens est, qui nihil magnum putat, ac perinde nihil magnoperè demiratur. Illud verè necessarium est adesse magnanimo, vt palàm & oderit,& amet. occultare namque timoris est, qui non cadit in magnanimum, ac vtrem longe antiquiorem habeat, quàm opinionem, magno exemplo Quinti Fabij maximi, *qui non ponebat rumores ante salutem*, vt ait Ennius. Item vt aperte & loquatur, & agat, quod est confidentiæ,libertatem illi contemptu rerum suggerente.Itaque & liber est & veritatis amator,nisi cum ad vulgus vtendum esse putat ironia,hoc est suarum virtutũ extenuatione,item vt viuere nequeat ad alterius voluntatem,præterquam amicorum,illud enim est seruile. Itaque omnes adulatores seruili animo sunt, & abiecti homines assentatores habentur.ac ne malorum quidẽ meminisse,magnanimi est, sed conniuere potius in commissis aliorum,& ipsorũ obliuisci.Nam cũ sua in alios

Aen.lib.6.

in alios officiosè facta memorare alienum est ab hac summa virtute, tum aliorum in se commissa exprobrare, multo etiam magis. *nihil enim laudabilius*, vt Cicero testatur, *nihil magno & præclaro viro dignius placabilitate, atq; clementia.* in quo genere Iulium Cæsarem excelluisse legimus in Romanorum monumentis. Ad extremum magnanimo perquàm rarus sermo est de hominibus tum in laudem, tum etiam in vituperium. Nam cum aliorum de se laudationes parui faciat, multo minus ipse sua facta prædicare gaudet, hoc enim leuitatis est, & deforme. nec rursus aliorũ vituperationibus delectatur, suis enim magnis virtutibus princeps esse vult & superior, non aliorum infirmitate vel ignauia. prorsus vt ne de inimicis quidem male loquatur, nisi forte prouocatus, vt referat male merenti contumeliam. Atque hæc quidem præcepta de fortitudine magnitudineque animi à maximis philosophis præsertim ab Aristotele tradita sunt, sic à viris prudentibus de vtraque virtute differitur. A quibus virtutibus tantum abest vt religio Christiana dissideat, vt his potissimum fundata & latissime propagata mihi fuisse videatur per sanctissimos heroas, quos quia in testimonium veræ religionis, mortem forti magnoque animo pertulerũt, latini quoque græco vocabulo martyres solent appellare. Nam quis vnquam periculis adeundis, contemnendisque rebus, quas cæteri demirantur, fortiorem aut maiorem animum præstitit, quàm apostoli? quis Græcorum aut Romanorum ob salutem patriæ seu libertatem aut humanam gloriam tam intrepide mortem subiuit, quàm ipsi, cæterique martyres spretis impiorum minis, tyrannorumque sæuitia propter Christi religionem? quam non tam loquendo, quam fortiter moriendo cæteris hominibus probauerunt.

1.de offic.

¶ L E. De his quidem virtutibus Democrates rectè mihi videris, & ex præceptis philosophiæ, Peripateticorumque decretis disseruisse. Cæterum siquid habẽt certi signa ista magnanimitatis, & quæ supra de notis boni militis referebat Alfonsus, vereor ne fortitudo magnitudoque animi, & proinde cæteræ morum virtutes, non in nostra voluntate, & meditatione positæ sint, sed à natura petendæ & exoptandæ. Nam quæ natura vel contingunt hominibus, vel negantur, vt proceritas corporis, latitudo pectoris, vocis grauitas, tarditas incessus, & his opposita, hæc ego non video, quomodo possint voluntarios habitus significare, cum opera naturæ auferri meditando semel ædita non possint, voluntarijs virtutum ac vitiorum actionibus nostro arbitratu moderemur. D E. Næ istud Leopolde non sine magna ratione suspicaris. Nam quæ nobis nec cupientib. adsunt, nec aspernantibus discedunt, hæc non possunt esse certa signa eorũ, quæ sunt in cuiusq; voluntate. cum ne effectus quidem naturales semper euadant, suáve antegressa vel prætenta signa consequantur. sed meminisse debes, id quod te legisse arbitror in theorematis philosophorum, duplex esse morum virtutis genus: alterum

Vt 6. & 7. Ethic. 1.

tęrum naturale, rationis alterum. Est autem virtus naturalis (nam de priore genere iã satis multa disseruimus) innata quędam pronitas absq; ratione ad fortitudinis, exempli gratia, munera vel liberalitatis obeunda. Itaq; nobiscum nascitur, & paulatim, nisi contraria consuetudine cohibeatur adolescit. vt in pueris licet cõtemplari. hos enim videas varijs à natura prędditos habitibus, aliosq; ad alias virtutes, aut viciſſim ad contraria vitia procliues, qui habitus nec laudandi materiam præbẽt, nec vituperandi, nõ magis quàm velocitas, aut bona latera, vel his oppositæ debilitates. Tales enim virtutes cum intellectu velut oculo careant, sæpe notãtur homines in magna sua, vel etiam aliorũ incommoda transuersos agere. similesq; sunt validis cæcorum animaliũ corporib. quæ temerè concitata vehementer impingunt. cæterùm si ad naturalẽ accedat cum recta ratione, ea quæ propriè virtus intelligitur, tunc verò studiosus habitus facilè paritur, altius excipitur, pertinaci' inhæresci, existitque virtus perfectissima magnos viros efficiens, & summa laude dignissimos. Nam cum virtus naturalis abest vel oppositomalo est natura deprauata, quod vtinam in paucis eueniret, difficilè factu est, verã virtutem ingenerari. nec ea ferè nisi tenuis, & per summã curam assiduamque exercitationem contingit, quæ exercitatio diu permolesta est, repugnante natura: & si curam remittas virtus ægre parta, paulatim effluit, sensimque dilabitur. vt recte hominum naturas agrorum ingenio persimiles esse dicas: qui agri si feraces sunt, & vberes, coli tamen debẽt & exerceri, & sic fruges large ferẽt, atq; fructus commodissimos: aliter enim fructificare solent inutiliter, ac spinas, & herbas quandoq; mortiferas procreare. sin steriles & fabulosi, cura ingenti opus est, assiduoq; labore, vt aliquid inde proueniat, quod satis sit ad vsum aliquem humanæ vitæ necessarium. Tunc igitur optimus, & firmissimus virtutis habitus generatur, cum ratio & studium cum natura congruit, & officium ab eo manans, constantius editur & perfectius, non solum ob adiumenta naturæ, quæ ad aliquas virtutes sic natis hominibus plerumque suppetunt, sed etiam propter maiorem voluptatem, quam suggerit rationis cum natura consensus, voluptas enim vt philosophis placet, actionem reddit perfectiorem. itaq;, similis est ratio virtutis naturalis, si cum vera in eodem genere conferatur, atq; solertiæ (nam sic interpretor quam græci δεινότητα vocant) cum prudentia collatæ. Est enim solertia vis quædam mentis valens tum ad indagandum, tum ad agendum ea, quæ ducant ad finem, qualiscunque is fuerit propositus. qui si honestus sit, ea vis laudabilis habetur: sin turpis, calliditas & versutia nuncupatur. Prudentia vero habitus esse definitur cum ratione verus eorum, quæ homini bona sunt efficiens. quia tamen sine solertia prudentia non consistit, efficitur, vt prudentes tum solertes, aliàs versutos

Ethic 10.

Ethic 6.

seu callidos appellemus,& contrà.Itaq; solers homo,& bonus esse potest & malus:prudens vt quisquam sit,qui non sit idem vir bonus. non licet. eodemq; modo virtute naturali & bene possumus & male vti, & rebus contrarijs accommodare.vera virtute,vt quisquàm abutatur fieri non potest,quemadmodum Augustinus & Aristoteles testãtur, qui ipso abusu vim amittit nomenq; virtutis.Non est igitur mirandum,si philosophi,atq; viri sapientes notas quasdam naturæ persequantur, quæ virtutes indicent innatas.tales enim commode signis naturalibus indicãtur propter magnam quam corpus habet cum animo societatem. Nam præter intellectionem, nullam in nobis actionem edi putat Aristoteles,quæ nõ sit corpori cum animo cõmunis.itaq; virtutes morales, quæ propriè dicuntur,quoniam cum affectibus connexæ sunt, non hominis parti,sed toti composito tribuendas esse docet,atq; omnes, etiã iustitiam in ea parte animæ generari & inesse,quæ rationis est expers, apta tamen parêre rationi,quanquam sine hac & intellectu,qui prudẽtia perficitur,nec generari queant,nec suis muneribus generatæ fungi. Aliud est enim studiosum esse,aliud studiosè facere. Nã hoc est fortem esse, temperantemq; & iustũ,sic appetitum habere domitum, & affectũ virtutis habitu,vt in periculis obeundis,in capiendis voluptatibus, in cõmercijs & distributionibus paratus sit,velitq; parêre rectæ rationi. Nã licet voluntas propriè cum ratione intelligatur, velle tamen interdũ quocunque appetitu dicimur peruulgata translatione:vt velle cœnare, velle dormire. qua translatione vsus mihi esse videtur Aristoteles cum iustitię disputationem exordiens diceret iustitiam esse,qua qui affectus est,iustè agit,& iusta vult, nisi forte verbum retulit ad rationem cũctis virtutibus moderantẽ,& cuius appetitus,quę voluntas dicitur,cõgruit cum appetitu sensus in actionibus cuiusq; virtutis morum,præter continentiã,quæ videtur esse in alio genere. Sic igitur affectus appetitus rationi obtemperat non grauatè.nimirum haud aliter, quã equus tractabilis effectus,& scienter assuefactus prudenti aurigæ,seu vectori paret. qui equus etiam in stabulo eadem quasi virtute censetur.Sed vt hic tractari,flectiq; sine rectoris scientia,& virtute,quæ potior est, nõ potest, sic appetitus ratione vacans,quanuis magnis virtutibus sit munitus, tamen sine voluntate,& prudentia principe virtute,quæ pertinet ad partem rationis,nec fortiter agere,nec temperãter,nec iustè deniq; potest. quæ ratio eadem est cæterarum studiosarum actionum. quibus actionibus consistit actiua vita.hæc autem idcirco parti rationis compoti prudentiã prędicę tribuitur,quoniam recta ratio velut quidam architectus est in actionibus humanis,& ciuili vitæ moderatur. habitus autem studiosi haud dubiè retinentur in ea parte animæ, quæ concitatur affectibus,quorum mediocritates vocant virtutes hoc est in rationis experte, cui cum corpore plurimum constat esse commercij, quanquam prudentia,vt

Arist.magn. mor.1.

Ari. de an.1.

Ethic.10.

Magn.mor.1.

De ani.3.

Ethic.5.

Ethic.7.

tia,vt tradit Aristoteles,cum virtute morum copulata sit, & hæc vicissim cum prudentia. Ad naturales igitur virtutes quantum faciat corporis constitutio,& habitudo,vel ex eo licet intelligere, quod in generatione traduntur,& fiunt plerumq;,vt in cæteris animātibus, perinde in hominibus hæreditariæ.quo fit vt qui bonis cuiusq; ordinis parentibus orti sunt:de ijs bonam spem concipiamus:volente natura filios parentibus similes generari,interdum etiam maioribus,vt de Aethiope Sicilienſi refert Aristoteles. ex cuius adulterio natam filiam colorem matris albæ imitatam esse,sed qui natus est ex ea puerum, Aethiopis aui colorem retulisse memorat,quæ ratio cum similis sit in naturæ cæteris operibus,dubitari non debet, quin ad spem virtutum naturalium interfit,non solum qualib.quisq; parentibus sit ortus,sed etiam qualibus maioribus:spe tamen quandoq; fallente. Quanquàm enim vt ex hominibus homo,ex beluis belua,sic ex bonis viris nasci boni viri censeantur eisdem philosophis authoribus,sæpe tamen natura hoc,cum velit, efficere non potest:ita fit nonnunquam,vt ex præstantibus,& optimis viris filij degeneres,& mali procreentur. quemadmodum contrà ex malis,& ignauis præter spem boni strenuiq; nascuntur,ac virtute prestantes.de quibus scitum est illud satyrici:

Ethic.10.

De natu. animal. lib.7. cap.6.

Iuuen. sat.8

Malo pater tibi sit Thersites,dummodo tu sis
Aeacidæ similis Vulcaniaq; arma capessas:
Quàm te Thersitæ similem producat Achilles.

Neq; verò si naturā tanta sunt ad virtutem,quanta diximus adiumenta, protinus vera virtus cuiquà natura vel cōtingit,vel est funditus negata, adsit modo rationis vsus. Nemo.n.aut nascitur,aut volens efficitur tam vitiosus,vt penitus lumen rationis, & quod theologi vocant liberū arbitrium,amittat:cuius ea vis est,vt cogere possit appetitū quālibet pertinaciter repugnantē, & habitum oppositum multis officijs obeundis, ac repetendis ingenerare.magno illustrium philosophorū exēplo Stilponis Megarij,& Socratis Athenienſis.qui studio,& honestarū rerū exercitatione viciosā naturā nō solum domuisse, sed magnis etiam virtutibus affeciſſe,& tanquam inseruisse memorantur. Cæterū nihil tā efficax est ad vitia naturalia corrigenda,quam bonorū prudentiumq; parentū cura teneros filios sic educandi,vt amare honesta,turpia vicissim odio habere assuescant.Nā cum virtutes omnes morales, vt supra diximus,in voluptatib.& dolorib.versentur,magni refert,quib. quisq; reb. oblectetur à puero,aut vicissim doleat.Itaq; seruilitérne pueri, vt ferè egenorum,an liberaliter,vt filij locupletū nobiliumq; solent, educentur,multum interest ad fortitudinem, ac magnanimitatem, de quibus (vt arbitror) satis iam multa differuimus . Audistis autem non à nobis excogitata,aut ingeniosa vanitate ficta,sed quæ summi tum veteres,

Plat.in 1. de leg & 2.

tum etiam iuniores & Christiani philosophi magno consensu tradidere. quibus virtutibus cognitis, quoniam his potissimum constat, optimum non modo militem, sed ducem etiam censeri, facilis (vt arbitror) erit propositæ quæstionis definitio, & argumentorum, si quibus occurratur, confutatio. sed hãc partem, quoniam dies iam multum processit, in postmeridianum, si vobis videtur, differamus. pontifex enim in his hortis meridiabitur, ac nobis licebit sumpto cibo, in hunc ipsum locũ, qui commodissimus est ad congrediendum conuenire. id cum omnibus placuisset discesserunt.

DE MILITARIS DISCIPLINAE HONESTATE LIB. III.

NONA igitur diei hora omnibus, vt placuerat, reuersis, non statim licuit in locum eundem conuenire, quippe in quo pontifex valetudinis vel animi causa inambulabat, donec cũ Francisco Quignonio, & Inacho Mendoza cardinalibus Hispani generis, & illustrium familiarum viris, qui fortè interuenerunt in conclaue prætorij recessit. tunc verò cũ in eum locũ succedentes consedissent, conuersus ad Alfonsum Leopoldus, cur inquit Alfonse Genesium (si fortè in comitatu adest Quignonij Cardinalis) non vocamus? vt interfit nostræ disputationi, & quid de his rebus sentiat intelligamus? vt enim nosti, nec abhorret ab his studijs, & solet talia munera libẽter obire. AL. Ille verò libẽtissime. quapropter heri cum à vobis discessissem, hominem adiui (nec enim à me longè in campo Martio diuersatur) vt ei colloquiũ hoc, disputationemq; vestrã denunciarem: molesteq; tuli, quòd ipsum offendi paulò grauius ægrotantem. qui tamen audita ex me propositæ quæstionis summa, præfatus se vehementer dolere, quòd sibi per valetudinem huic disputationi adesse non liceret, breui sermone vsus est, sed quo facilè indicaret, se Democrati si adesset, etiam atque etiam fuisse assensum. DE. Gratum erit, si nostra sententia hominum doctorum, eorumq; non imprudentium iudicio probabitur. LE. Redeamus igitur Democrates ad sermonẽ hodie nobis de militaribus virtutibus institutum, quo rectè tu quidem, & copiosè visus es mihi tũ de fortitudine, tum de magnitudine animi disseruisse. sed si hęc virtus, in qua laudanda tam multus fuisti, & merito (me iudice) fuisti, homines facit sibi magnoperè placentes (magnanimum enim magnis sibi rebus dignum videri confirmasti, & item aliorũ hominum contemptores), eademq; virtus diuitijs & externis bonis augescit, qui potest hæc cum disciplina Christiana cohærere, humilitatem in primis, & paupertatem commendante? sibi namq; placere, & alios vicissim despicere, superbi hominis esse videtur, & arrogantis. hoc autẽ vitiũ idcirco maximè omniũ detestatur Christiana philosophia, quoniam

quoniam humilitati contrariũ habetur, virtuti à Christo maxime omnium nobis ad imitandum propositæ: non solum verbis, cum ait, *Discite à me, qui mitis sum & humilis corde*: sed opere multo etiam magis. nam primũ, cum Deus esset, homo factus est, infirmaque & contemptibilia mundi elegit: deinde, cum omni virtute cæteros omnes homines excelleret, eò tamen se demisit, vt pedes etiam suorum discipulorũ lauaret, ac ne persequar singula, tota vita Christi, in terris per hominem, quem suscipere dignatus est, disciplina morum fuit, humilitatem præcipuè commendans, vt ait Augustinus, qui alio in loco ad capessendam & obtinendam veritatem primam viam humilitatem esse testatur, & secundam, & item tertiam: vt inter partes eloquentiæ de pronunciatione traditur respondisse Demosthenes. Et Paulus Colossensibus scribens, *Induite* inquit *vos, sicut electi Dei, sancti & dilecti, benignitatem & humilitatem*. itidem ad Ephesios, *Obsecro vos, vt digne ambuletis vocatione qua vocati estis, cum omni humilitate & mansuetudine, cum patientia supportantes inuicem in charitate* Romanos autẽ, quos efferri sciebat, ex imperij magnitudine, atque gloria rerũ gestarum, velut exprobrans eis hoc, quod ipse tribuis magnis animis, magna cogitare atque efferri vetat: *Ne sitis* (inquit) *alta sapientes, sed humilibus consentientes*. De paupertate verò quid dicam? cum Christũ cõstet ex paupere virgine viro pauperi desponsata natum, damnatis vbique diuitijs pauperem vitam perduxisse, eundemque apostolos nullos nisi pauperes habuisse? ad hæc euangelium epistolasque Pauli paupertatem in primis commẽdare, insectari diuitias, tanquàm maxima virtutis & religionis impedimenta? *beati pauperes* aiebat Christus, *quoniam vestrum est regnum Dei*. idem, *Facilius est*, inquit, *camelum per foramen acus transire, quàm diuitem intrare in regnum Dei* & alio loco: *Omnis ex vobis, qui nõ renunciat omnib. quæ possidet, nõ potest meus esse discipul⁹*. quam doctrinam Christi explicans Paulus in ea, quæ est ad Timotheum epistola clamat, *Habentes alimenta & quibus tegamur, his contenti simus, nam qui volũt diuites fieri, incidũt in tentationẽ, & laqueũ diaboli, & desideria multa stulta & nociua, quæ mergunt hominem in interitum, & perditionem. Radix enim omnium malorum est opum cupiditas*. Cum igitur tota penè Christiana disciplina (vt testatur etiam Augustinus) sit humilitas, & perinde paupertas, haud equidem video quomodo recte possit ei cum ista elatione animi, quæ magnanimitas dicitur, & diuitijs tantopere gaudet, conuenire.

Rom. 12.
Luc 6.
Marc 10.
Luc. 14.
1. ad. Tim. 6.

¶ DE. De diuitiarum Leopolde, paupertatisque ratione dicemus paulò pòst, nunc (si videtur) de humilitate differamus: cuius me peropportune admonuisti. Nam de magnitudine animi disputantes, nullam facere mentionem humilitatis, vitiosum fortasse videatur, vtique si res agatur inter homines Christianos, à quibus maxime virtutem hanc nominatã, inprimisque celebratam esse certum est, vocabulo veteribus philosophis tum græcis tum etiam latinis propemodum ignoto. Hebræos enim video neque vim huius virtutis, neque nomen ignorasse. Itaque cæteri

his modo rebus proprie tribuebant humilitatem, græcè ταπείνωσιν & ταπεινότητα nuncupatã, quę depressa humi parum sese in sublime tollerent, vt myricas, arbustaque cætera, & pastorum casas humiles solent latini poetæ nuncupare. tum per tanslationem homines eos vocabant humiles, qui essent vel animo vel fortuna deiecti. quod ad vituperium potius & infirmitatem quàm ad laudem & virtutem referebant. Christiani verò diuinis sacrarum scriptarum oraculis edocti grauissimum peccatorum esse superbiam, atque hoc scelere & luciferum cum suis angelis corruisse, & primum hominem se suamque posteritatem corrupisse, nullam æque virtutem demirati, amplexique sunt, ac eam, quæ maxime cũ hoc crimine pugnaret: & quã in Christo ac eius apostolis clarissimo lumine fulsisse intelligebant, humilitatem idcirco vocatam, quoniã vt superbi, quidquid in ipsis est facultatis tũ verbis & ostentatione, tum etiã opinione exaggerantes efferuntur, non homines tantũ, sed diuinas læpe leges contemnentes: sic humiles appellati suarum imbecillitatum magis, quàm virium memores cohibent animi tumores, Deumque primum summa pietate colunt, reuerenturque, vt omnis virtutis, & cunctorum bonorum authorem: deinde angelos & ciues cęlestis Ierosolymæ, tũ homines cæteros, quò se putant virtute, munereque Dei præstantiores, hoc sibi pręferũt maiore interuallo, humilitas enim quãuis serpat etiam ad humanã societatem, primũ tamen ac præcipue versatur in diuino cultu: & ea reuerentia, qua supplices Deum veneramur, exiguitatem nostram, & illius maiestatem agnoscentes. quo factum est (vt modo dicebam) ne tam præclara virtus fuerit à veteribus philosophis celebrata. Præter Platonem, cui⁹ ea verba sunt in opere de legibus: *Deum* (inquit) *semper assectatur iudicium vindex eorum, qui à lege diuina desciscunt: cui iudicio adhærens, qui beatus esse debet, eundem sequitur, humilis atque modestus: qui verò superbia effertur, vel opibus aut honoribus formaúe corporis intumescit, inuenili & stulto flagrans animo, quasi nullo præfecto duceúe indigeat, sed ipse potius valeat aliorum esse dux & moderator, hic deseritur à Deo, relictusque & alios sui similes nactus, exultat, nec sine vulgi laude conturbat omnia.* Atque hæc quidem Plato de humilitate & superbia diuinitus, vt pleraque, memorauit, cæteri autem antiqui philosophi de virtutibus morum differentes: eas potissimum & penè solas persecuti sunt, quæ communitatem hominum: vitamque ciuilem attingunt, humilitas enim pars est, & quidem præcipua religionis, quæ vt à iunioribus theologis definitur: homines facit supplices esse deo: & propter Deum cæteris hominibus concedentes: hortante nos Petro apostolo, ac dicente, *Subiecti estote omni humanæ creaturæ propter Deum*. quanquam si placet priscorum theologorum, qui philosophiam inuolucris fabularum tradiderunt, præcepta repetere, ab illis quoque humilitatem vel in primis commendatam esse haud dubie reperiemus. Quid enim aliud egerũt Homerus & Hesiodus,

Lib. 4.

1. Pet. 2.

quos

quos veteres theologos Aristoteles appellat, gygantũ cum dijs pugnam casumque memorantes, nisi homines admonuerunt, vt Deum supplices colerent, cuius potentiæ hominum vel robustissimorum vires comparatæ vmbra quædam inanis, gygantum exemplo videri possunt. aut certe simia, quemadmodum testatur Plato, de homine etiam sapientissimo verba faciens, quę recordatio propria est humilitatis? Sophocles quoq; prudentissimus poëta, Aiacẽ facit per superbiam perire, cum viribus humanis fretus opem diuinam contẽpsisset, spreto patris consilio qui proficiscenti ad bellum nihil aliud quã Dei reuerentiam, hoc est humilitatem, commendasset. Sed quoniam humilitati in humana etiam cõmunitate suum esse locũ paulo ante dicebam, erras Leopolde, si hanc fortè putas, vt nomine, re itidem fuisse ab antiquis philosophis ignoratam. Non igitur fuit humilitas ab illis ex moralium virtutum choro reiecta sed potius in honoratissimo loco collocata, est enim (nisi prorsus ego cæcutio) pars eius virtutis, quam tu videris ipsi cõtrariam esse existimare, magnanimitatem dico, tantopere à nobis paulo ante veterum testimonio laudatam.

Plat. in Hippia maiore.

¶ LE. Quid ais Democrates? humilitatem putas partem esse magnanimitatis? quid hoc aliud est, quàm ignem cum aqua copulare? Nónne magnanimitatis est animum attollere, & quasi inflammare ad res magnas concipiendas? humilitatis contrà deijcere, & velut extinguere ardorem concitatum? Atqui contrarios esse habitus, quorum actus sunt oppositi, ipse tuus Aristoteles est auctor. DE. Speciosum argumentum, sed enerue. nam tu mihi vicissim respondе, Animum impellere ad magna pericula subeunda, eundemq; à magnis periculis ratione deterrere, nónne opera contraria esse, eodem modo confitebimur? LE. Fortasse. DE. At vtrunque opus esse fortitudinis, consensus est philosophorum, nimirum, quoniam quæ inter se se puguare videntur in rebus agendis, hæc in eundem finem relata, societatem quandam habere existimantur. Intelligendum est igitur in rerum difficilium, & arduarum cogitatione, ancipitem esse, & quasi lubricum motum animorum. nam quo voluptas ob rei prçstantiam impellit, honestasque vocat, inde dolor retrahit propter laborem, difficultasq; deterret, in quorum vtroq; sæpe modus exceditur, diuersaq; ratione pẽccatur. his autem vicijs vt occurratur, non duabus virtutibus est opus, vt quidam falso putauere, sed vna satis est, quæ medium extremorum tenens, ratione, velut calcaribus, & freno motus animi à dolore, & voluptate profectos, quatenus licet, impellẽdo, viciſſimq; reuocãdo moderetur. vt igitur liberalitas vna virtus motus animi temperat in pecunijs dandis & accipiendis, fortitudo in timore & audacia: sic magnanimitas in magnis honoribus petendis, aut vicissim fugiendis. & quemadmodum liberálitas vt oportet dando, quã accipiendo: fortitudo, audendo, quàm timendo magis cernitur: sic

Ethi. 5.

magna-

magnanimitas in egregio magnarum rerum conatu,& honorum appetitu,ſuum & ſplendorem,& nomen magis oſtendit, quàm in talium rerum modeſta fuga,quæ cum pars magnanimitatis ſit,tamen humilitatis nomine plurimum eſt à religioſis hominibus celebrata. Nam vt in periculis capitalibus vna ratio impellendi,& reuocandi vnam efficit virtutem:ſic item in magnis honoribus, quoniam vtrobique hoc agitur,vt motus animi rationi pareat, ne vltra quam decet illecebra rei progrediatur,neúe rurſus officium deſerat difficultate deterritus.quod moderamentum in periculis fortitudo, in honoribus magnanimitas, veteri vocabulo nuncupatur.ſed quemadmodum virum fortem, quatenus pericula ratione vitat,cautum poſsis appellare, ſic magnanimus vocatur humilis quatenus ratione cohibet magnorum honorum appetentias. Non igitur audiendi ſunt,qui humilitatem docent ad temperantiam eſſe referendam, Ariſtoſtelis teſtimonium parum videlicet appoſite doctrinæ ſuæ prætendentes,propterea quod Ariſtoteles temperatum eum appellet,qui vt eſt,ſic ſe paruis honoribus dignum eſſe cenſet. quos miror non aduertiſſe temperantiæ nomine non humilitatem illo in loco, ſed aliam longe diuerſam virtutem fuiſſe à philoſopho nuncupatam. humilitas enim non tenui virtute hominibus ſuam exiguitatem agnoſcentibus tribuitur,ſed ijs duntaxat,qui cum ſint magna virtutis dignitate,conuertentes tamen cogitationem ad ea,quibus deficiunt,inferioreſque ſunt his, cum quibus conferuntur, cohibent animi tumores, & non ſolum Deum,ſpiritaleſque ſubſtantias reuerentur, ſed hominibus etiam,quacunque ratione præſtantioribus concedunt. qualis Chriſtus fuit, Virgoque mater,quales item apoſtoli, viri omni genere virtutis decorati.non igitur humilitati,ſed ei virtuti nomen tribuit temperantiæ, quam paulo ante nomine vacare,ſed ab extremis modo ambitionis: tũ contrarij vitij vocabulum mutuari dixerat:hac enim cenſentur, qui rationi temperant,paruorum,& ordini, virtutique ſuæ conuenientium honorum appetentiam.quo intelligitur haud dubiè,eadem nõ ſuo, ſed alieno nomine temperantia per ſimilitudinem,vt pleraque, & translationem nuncupari, de qua tamen virtute idem Ariſtoteles in libris Eudemijs de moribus ad hunc modum ediſſerit: *Tali* inquit *habitu præditus videtur quidem,non tamen eſt magnanimo contrarius, neque enim opponitur ei in hoc,quod ſit vituperandus: cum ſeſe habeat,quemadmodum ratio iubet,& eſt natura idem.atq; magnanimus:nam vterque quo dignus eſt, hoc ſeſe dignatur honore, & hic fieret dignitate ſuppetente magnanimus,nam ſe pro meritis honore dignaretur.* Ad hæc temperantia eodem auctore in eis modo voluptatibus temperandis haud dubie verſatur,quæ ſenſibus,nec his omnibus,ſed tactu & guſtatu capiuntur, honoris iocunditate nullo tali corporis ſenſu fruimur, ſed mente potius, vt docet Ariſto.tertio Ethi.Cæterum nulla virtus eſt,ex ijs quidem,quæ temperant humanos affectus,quin commode valeat per ſimilitudinem, ac tran-

Ethi.4.

Lib.3.

Ethi.3.

ac tranſlationem temperantia nuncupari, quatenus vt temperantia in corporeis voluptatibus, ſic cæterę virtutes in ſua quæque materia, concitato animo præſcribit & modũ imponit, ne vltra quã decet, illecebra voluptatis progrediatur. ſic fortẽ ſic etiã liberalem temperanter agere ſæpe dicimus: in quo ille ſpreta morte, ab audacia: hic pecunias contemnens, temperat tamẽ à prodigalitate, ergo cũ latiſsime pateat voluptas; pertinet enim ad omnẽ illecebram, qua capitur animus vel concitatur: & prudens voluptatis moderatio cunctis moralibus virtutibus ſit communis: nihil mirum eſt, ſi earum quæq; continentia & temperantia receptiſſima tranſlatione interdum nuucupatur, teſte Ariſtotele, qui continentiam teſtatus, in eodem genere rerum verſari, quo temperãtiam, tamen intemperantes iræ, honoris, & lucri eos appellari tradit, qui ſunt, harum rerum ſtudioſiores. quas nemo dubitat, velut materiam eſſe fortitudinis: magnitudinis animi ac liberalitatis, contrariorumque vitiorum. Qua ratione haud equidem inficior, humilitatem poſſe temperantiam appellari, alieno tamen vocabulo, proprio enim & ſuo, magnitudo animi nuncupatur. *Ethi. 7.*

¶ Non enim ſi magnanimus, quem (vt diximus) omni virtute præditum eſſe oportet, & dignus eſt, & dignum ſe iuſte putat honoribus, qui maximè conueniunt ordini ſuo, protinus quoſcunque honores ſuo iure poſtulabit. Achilles enim apud Homerum, exceptis Atridis, procerũ græcorum ſine controuerſia erat honoratiſſimus, ſed cum ſe voluit Agamemnoni æquare, nec putauit regi concedendum, Neſtoris ſapientiſſimi ſenis oratione taxatus eſt, & omnium prudentium iudicio ſuperbiæ crimine damnatus. Romanorum vero Q. Fabius Maximus, Marcus Marcellus, vt cæteros taceam viros magnanimos, conſulares honores, qui maximi erant in ſua rep. poterant ſibi iure delatos eſſe putare: eoſdem quis tuliſſet, ſiquis eorum in ſua ciuitate honores regios affectaſſet? Certe Africanꝰ Scipio ad vrbem Hiſpaniæ Betulam Aſdrubale deuicto, cum circumfuſa omnis multitudo Hiſpanorum & ante deditorum ¶ & pridie captorum, ac ſine pretio dimiſſorum ingenti conſenſu regem eũ appellaſſet, ſilentio per præconem facto, ſibi maximum eſſe nomen imperatoris dixiſſe traditur, quo ſe milites ſui appellaſſent, regium nomen alibi magnum, Romæ intolerabile eſſe. Itaque vir ſummus per vnam magnanimitatis partem honores imperatorios ſuis virtutibus conuenientes adſciuit: per alteram, quæ humilitas vocatur, regios velut ſuperbos, & inuidioſos repudiauit. Age vero fingamus aliquem choro virtutum omnium ſtipatum, eundemque in rerum faſtigio poſitum, faceſſe Romanorum principem, multo etiam Traiano meliorem, vniuerſo quoque orbi dominantem, permittemus ne huic, vt arroget ſibi diuinos honores? quibus ſtulti quidam reges, ac imperatores affectatis, magnam ridendi materiam prudentibus viris prębuere, nullus igitur homo tantus

est, aut tantopere præstans meritorum magnitudine, in quo non sit humilitati locus, dum vel se cum potioribus, vel tenuitatem humanam comparat cum infinitate diuina. Vt magnanimus is esse intelligatur, qui magnis quidem honoribus est dignus, & his sese dignum existimat, non tamen sua dignitate maioribus. hoc est enim quod Aristoteles ait, magnanimum esse quidem magnitudine extremum, medium tamen tenere, si rationem spectes. quod idem alio in loco apertissime docet magnanimum definiens: qui se honore dignatur, nec minore suis meritis, nec maiore. Itaque eiusdem virtutis est, summis viris, à quibus virtute, quæ Dei munus est (*vt omne datum optimum & donum perfectum*) non superatur, se parem ducere sua merita Deique munera existimatione recta metientem, & qua inferior est, potioribus concedere, magno & illustri Aristidis exemplo. qui in bello Marathonio, cum inter Athenienſium imperatores, quos ea ciuitas more suo complures cum æqua potestate eidem bello præfecerat, excepto Milciade dignitate, gloria, potentia primus haberetur, Milciadi tamen, cuius prudentiam in bello gerendo anteponebat suæ, concessit vt solus imperaret. Nam cum inter ipsos duces conuenisset, vt vicissim per dies singuli, summam rei administrarent: Aristides suæ diei ius imperandi transtulit in Milciadem. quam modestiam, animique magnitudinem cum nemo collegarum sustinuisset non imitari, summa auctoritas imperandi ducum omnium consensu delata est vni Milciadi: atque id consilium constat, sublatis contentionibus glorioſissimam de Medis victoriam Athenienſibus peperisse. Poteram hoc in loco illustria magnanimorum Romanorum referre: sed commodius eadem à monumentis sacris mutuabimur: Paulumque autorem adhibebimus: virum diuinum, & re vera magnanimum: qui cum gratiã perpendit, qua fuerat donatus à Deo, cæteris apostolis nihilo se inferiorem profitetur: de primis enim loquebatur, cum diceret: *Mihi enim qui videbantur esse aliquid, nihil contulerunt: sed contrà cum vidissent, quòd creditum est mihi euangelium præputij, sicut & Petro circumcisionis (qui enim operatus est Petro in apostolatum circumcisionis: operatus est mihi inter gentes) & cum cognouissent gratiam, quæ data est mihi, Iacobus, & Cephas, & Ioannes (qui videbantur columnæ esse) dextras dederunt mihi & Barnabæ societatis* & paulò pòst Petro se Antiochiæ in faciem restitisse profitetur, propterea quòd reprehensibilis esset, nec dubitat multis in locis cæteros homines, vt suas virtutes æmulentur adhortari. *Volo* (inquit ad Corinthios scribens) *vos omnes esse, sicut me ipsum* & alio in loco: *Imitatores* (ait) *estote mei, sicut & ego Christi*. sed & Philippenses eisdem propemodum verbis abhortatur. idem contrà cum sua delicta recordatur, humi se deijcit, nec Apostolorum ordine dignatur. *Ego* (inquit) *sum minimus apostolorũ, qui non sum dignus vocari apostolus quia persecutus sum ecclesiã Dei.* quo in loco vbi se per humilitatem depressit, protinus per alteram magnanimitatis partem extollit. *Nam gratia* (inquit,) *Dei sum, id quod sum:*

Ethi. 4.

Magnorum morali. 1.

Ad gal. 2.

1. Cor. 7.
2. Cor. 4. & 11.
Phi. 3.
1. Cor. 15.

&

& gratia eius in me vacua non fuit, sed abundantius illis omnibus laboraui. vt alio in loco, *Non sum liber? non sum apostolus? nònne Christum vidi? nónne opus meum vos estis in domino?* Vides, vt humilitas non modo à magnanimitate non dissidet: sed maximam etiam habet cum ipsa societatem, est enim virtus eadem, quæ motus animi in magnis honoribus moderatur. Nec te moueat, quòd Christus præter suam dignitatem pedes lauit apostolorum. neque enim turpiter aliquid deliquit ignauia vel ignoratione suæ dignitatis: quod pusillanimis accidit: sed auctore Paulo quæ *stulta sunt mundi elegit, vt confundat sapientes: & infirma mundi, vt confundat fortia; & ignobilia mundi & contemptibilia, & ea quæ non sunt, vt ea quæ sunt destrueret; vt non glorietur omnis caro in conspectu eius.* cæterum qui apostolorum pedes tum lauit, vt exemplo damnaret leuitatem ambitiosorum, ac superborum: hic eisdem paulò pòst dixit: *Vos me vocatis magister ac domine, & bene dicitis, sum etenim.* Itaque id officium optime poterat humilitate salua præterire, sed cuique licet à suo iure decedere, quod sine alterius iniuria fiat, præsertim Christo, qui sponte sua criminum alienorum pœnas dare voluit innocentissimus supplicijs affectus & morte cum ignominia. ac vt verbis vtar Pauli, *Humiliauit semetipsum factus obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis.* Itaque à Christo & apostolis perfectissimis hominibus multa facta sunt, quæ possunt à nobis sine crimine præteriri. nam mediocribus hominibus, si morum teneant & affectuum mediocritatem, etiam citra apostolicam perfectionem licebit iustitiam, virtutes omnes amplectentem colere, *in qua qui seruit Christo,* vt ait Paulus, *placet Deo & probatus est hominibus.* hunc igitur recte humilem simul atque magnanimum, & dicemus & sentiemus. qui primum supplici pietate deum colet, deinde recto iudicio sua, cæterorumque hominum merita, virtute potissimum metitus, alijs se vel postponet, vel quemadmodum ratio postulabit anteferet. Deum enim colit, qui virtutem, opus, atque donum eius colit, virtus autem non in alijs modo pro sua magnitudine colenda est, sed vbilibet etiam in se ipso cuique nihilo secius pro merito tum tacita existimatione, tum etiam verbis veneranda, scitum est enim illud Augustini, *Cum humilitatis causa mentiris, si non eras peccator antequam mentireris, mentiendo efficeris quod vitaras.* & alio in loco, *Nõ ita caueatur* inquit *arrogantia, vt veritas relinquatur.* Quæ omnia huc pertinent, vt de se quisque etiam humilis non secus, ac res est, vel sentiat vel loquatur. nec enim aliter sentiendum est, aliter loquendum. *Nam quomodo,* inquit, *est humilitas, vbi regnat falsitas?* Et profecto dissimulatio, quæ græce dicitur ironia, vitiũ est nõ solum à religiosis viris, sed à philosophis etiã dãnatũ. Cauendũ est tamẽ, ne nobis imponat amor studiumq; nostri, vt sæpe accidit in iudicando. quanquã non ignoro à quibusdã sanctis eisdemq; perdoctis viris humilitatẽ intelligi, cũ sua quisque peccata cum aliorum virtutibus conferens, ea

I. ad. Cor. 9

Io. 13.
I. Cor. 1

Ioan. 13.

Ad Phi. 2.

Ad Ro. 14.

Aug. de vera apostoli.
Aug. super Ioan.

ratione se cunctis inferiorē arbitratur. quo pertinere videtur illud Pauli præceptum Philippēses in hunc modum adhortantis, *Nihil per contentionem, aut inanem gloriam, sed in humilitate, superiores sibi inuicem arbitrantes, non quæ sua sunt singuli considerantes, sed ea quæ aliorum.* cuius sententiæ atque præcepti summa est, vt qualemcunque virtutem alterius, & recte factum laudemus & veneremur, vicium & turpitudinem etiam in nobis aspernemur & contemnamus. quod nihil abhorret à magnitudine animi, quæ virtutem vbique cunctis rebus anteponit. Phi. 2.

¶ LE. De humilitate Democrates nulla nobis erit amplius concertatio, nam tibi equidem assentior ipsam neque cum militia, neque cum magnitudine animi pugnare, sed probè potius eisdem conuenire. Cæterum diuitiæ vereor, vt dixi, quibus animi magnitudinem augescere cōfirmasti, ne vehementer præceptis euangelicis aduersentur.

¶ DE. Magnarum virtutum, & egregiæ sanctitatis exempla Leopolde, si verū quærimus, & libeat temporum memoriam à vetustate repetere, multo frequentiora, & plerumq; maiora in omni ætate à tenui fortuna viris edita, quàm ab opulentis, & locupletibus reperiemus. pauper erat Aristides, pauperior Phocio: cuius filiæ post mortem patris, qui munus Alexandri centū auri talentorū magno animo repudiauerat, nubiles tādiu propter egestatem maritis caruere, donec publica pecunia dotatæ collocarentur, sed vt Athenienſiū nemo his pauperior reip. attigit, sic nullus iustitia, frugalitate, magnitudine animi maior fuit, pares verò quā rarissimi. quorū Aristidem constat nō ob aliā causam in exiliū scelere inuidorū fuisse missum, nisi quod nimis iust⁹ esse videretur, vt Damō Periclis præceptor, quòd nimis sapere. Romanorū resp. ne singulos referam, tunc beatissima fuit, & omni virtute præstans, cū consules & dictatores, ab aratro accersebantur: tunc corruit in omne flagitium delapsa, cū suas opes & diuitias ferre non potuit. ergo quæ Fabricij, Reguli, Attilij, Cincinnati, ac Cn. Scipionis summorū virorū frugali, & modesta paupertate creuerat cum maxima gloria, eadē Crassi, Pompeij, ac Cæsaris ambitiosis opibus turpiter est labefactata. LE. quin tu Democrates profanas resp. omittis, & quod huius loci propriū est ecclesiastica initia, progressū, & hoc velut senitū cōmemoras? Nūt bi par sanctitas & religio sacerdotū esse videtur, postquàm opes ecclesiasticę tā immensè creuerunt, & Episcopatus non modo Romanus, sed plerique etiam alij velut regna esse cœperunt, & tunc cum Petrus, cæteriq́ue apostoli stipe religiosorum hominum alebantur? & Paulus dum prædicaret euangelium, nec dies nec noctes operi parcens victum suis manibus quærebat: aut cum Clemens, Ignatius, Marcellus, Polycarpus, Athanasius, & cæteri sanctissimi pontifices & episcopi paruo contenti sic sacerdotium suscipiebant, vt id non opulentiam, sed omnis virtutis exercitamētum, & occasionem martyrij esse existimarent. DE. ista quidem Leopolde

non

non abhorrent à vero,nec dubium eſt,quin inter initia naſcentis Eccleſiæ,& quandiu Chriſtianum nomen,principib.erat vel inuiſum, vel ſuſpectum,cum cæteri Chriſtiani ſanctius viuerent,& religioſius, tum in primis ſacerdotes, qui cæterorum quaſi duces erant in certamine fidei, eorundemq; liberalitate in diem,aut tenui admodum cenſu viuebant, quàm poſt Eccleſiæ aſſertam libertatem, auctoritatemq; confirmatam, opibuſq; munitam.ſed huius mali culpa, ſi æqui iudices eſſe volumus, in moribus eſt,non in diuitijs:nec enim vnquàm vicio datum eſt cuipiam:quòd diues eſſet:at multis quòd diuitias malis artibus quærerent, vel vtcunque partis ad turpes voluptates, aut iniuriam & ſuperbiam abuterentur:quod pertinet ad morum corruptelam. L E. quid ſi morũ iſta corruptela ex ipſis naſcitur diuitijs? videmus enim non quidem omnes:ſed tamen magna ex parte diuites ſuperbos eſſe, & iniurioſos in tenuiores,aut turpibus etiam voluptatibus ſeruientes:pauperes contrà modeſtos,ſine alterius iniuria in officio cõtineri. D E. At hoc ipſum argumentum eſt,neutrius cauſam eſſe vel diuitias vel paupertatem,quòd neque omnes diuites mali ſunt,nec omnes pauperes boni.quod tamen oportuit,ſi aut in diuitijs ineſſet vicium,aut in paupertate virtus.nec igitur diuitiæ malum ſunt ſponte ſua, nec paupertas bonum:ſed vt veriſſime ti adidit Paulus, *omnia munda mundis ſunt, coinquinatis autem & infidelibus nihil eſt mundum,ſed coinquinatæ ſunt eorum & mens, & conſcientia* L E. Cur igitur diuitum, quàm egenorum plures proportione in vitio ſunt, & maiore iniquitate? D E. Nempe quia omnes homines procliues ſunt ad malum,& diuites maiorem habent tum licentiam, tum etiam occaſionem peccandi,quorum vtrunque pauperibus abeſt.ſed ſi propterea diuitiæ vituperandæ ſunt & paupertas laudanda, nimirum eadem ratione perſpicacia,& ſolertia,robur,venuſtas dabitur vitio:inſcitia, tarditas,infirmitas,fœditas erit in laudibus.ingenioſi enim intelligentes,robuſti,ac pulchri plus fallere,atque nocere poſſunt, quàm hebetes imperiti,imbecilli,& deformes.Morum igitur corruptio & prauitas,quibus malis Chriſtus & Paulus vt mederentur omnem licentiam, peccatiq́ue occaſionem ſubtractam eſſe volebant facit, vt diuitiæ pleriſque noceant,paupertas proſit,laboribus & rerum inopia viam ad voluptates & maiores iniurias intercludens. quæ tamen interdum ad rapinas nonnullos,& fraudes,ac periuria tranſuerſos agit. nec enim ſine cauſa Romanæ leges,egenorum teſtimonia,quàm locupletum minùs ponderis habere ſanxerunt.Certè Plato nec opulentiam, nec paupertatẽ vendicat à magnis incommodis,vtriuſq; tradens comitem eſſe ſtudium rerum nouarum. præterea ab illa turpes voluptates, ſegnitiemq́ue pari, hanc homines efficere maleficos & auaros. Sic Salomon prouerb. 30. *Mendicitatem* (inquit) *& diuitias ne dederis mihi, ſed tantum tribue victui meo neceſſaria,ne forte* & cæt. vt mediocritatem quandam vir ille diuinus,

Ad Tit.1.

Li.4. de rep.

quemadmodum cæteris in rebus, sic etiam in opibus maxime probare videatur.

¶ L E. Obsecro te Democrates, quoniam oportunè Platonem nominasti, citato loco, ex eo libro, vbi sic ille remp. constituit, vt nihil in ea suum quisq; habeat, sed sint omnia omnibus communia, putabimus ne Christo talem reip. ratione placuisse? hoc.n. mihi sæpe venit in mẽtem existimare recoléti, & Christum maximè homines adhortari solitum, vt sua quisq; bona relinqueret, & hoc initio à plerisq; Christianis fuisse factitatum, qui possessionib. distractis pretium apostolis in commune conferebant. D E. Noli hunc lapidem mouere Leopólde, non sunt omnia vbiq; differenda. Cæterùm Platonica resp. non solum ab Aristotele summis rationib. confutata est in eis libris, quos de republica conscripsit, vnde sumere poteris quæ ad hunc locum pertinebunt, sed hominum etiam vita, magnoq; consensu reiecta. quod est indubitato argumento, Christum nullam talem reip. formam voluisse in hominum vitam inducere. Nefas est enim existimare Christum irrito conatu id egisse, atq; in vniuersum præcepisse, quod nulli ciuitati, nulli populo persuaserit. nec sic Paulus, cæteriq; apostoli docebant, sed quemadmodum nuptijs cælibatum, sic diuitijs paupertatem præferebant propter vitæ, quam ipsi elegerant perfectionem, non ignari & nuptias, & diuitias esse ad humanam, ciuilemque vitam necessarias. Est igitur magni & religiosi animi diuitias in paupertate contemnere, in fecundiore fortuna, eisdem prudenter vti ad beneficentiam & liberalitatem, & in vtraque conditione virtutem colere & libertatem retinere, cupiditatibus imperantem. his enim longè turpius, quàm hominibus seruitur. quam alteri, vt Cicero ait, *se adipisci posse arbitrantur si opes magnas habeant, alteri si contenti sint, & suo & paruo.* quorum neutrum abhorret ab ea, de qua tã multa diximus animi magnitudine. nec diuitias igitur, vt de gloria diximus, vel optare vel habere turpe ducendum est, nec rursus paupertatem fugere vitiosum. nã qualiacunq; siue bona expetere, quatenus modo bona sunt: siue mala vitare, qua talia sunt nulla lege prohibemur. diuitias autem nemo ignorat, bonis fortunæ annumerari, paupertatem malis. cæterum fortunæ non ea vis est, vt quenquam possit vel bonum secundo flatu, vel malum efficere, si reflauerit: qua ratione ducti Stoici nihil in bonis habebant aut malis, præter virtutes & vitia, quibus homines boni & vicissim mali censentur, præposita & reiectanea nuncupãtes ea, quæ ab Aristotele cæteriq; Platonis alumnis corporis vel externa bona & mala nominantur: bonum esse statuentibus, quidquid adsciscit natura: malum, quidquid vicissim aspernatur. Illud tamen dubiũ non est, quin virtus ad officiosa munera fungenda sæpe bonis non solum corporis (quod est animi velut instrumentum) sed externis etiam iuuetur. fieri enim non potest (inquit Aristoteles) aut non facilè fit, vt is

Polit. 2.

De offic. li. 1.

Eth. 1.

agat

agat res præclaras,cui desunt facultates, Nam liberalitatem exercere vel eodem tacente constat sine diuitijs posse neminem, magnificētiam verò multo etiam minus. vtraque enim virtus in pecunijs rectè collocandis maximè cernitur:sed illa in paruis aut mediocribus,hęc in sumptibus magnis intelligitur.Transi ad iustitiam,quæ tanquá lucifer dicitur inter cæteras virtutes elucere,nónne opes illa quasi neruos desiderat?quibus non suppetentibus,ne otiū quidem suppetit ad gerendá rem publicam,magistratibus & principibus necessarium,nec vires ad impotentium cupiditates coercendas,ipsosq; cum tenuioribus pari iure cōtinendos.Age verò ciuilē vitam omittamus, quæ haud dubiè sine opib. non consistit, egóne philosophantium quidem contemplantiumq; vitę locum relinqui dico,si rem familiarem omnino subtraxeris?Nam vt intellectus in homine sine vita & sensu, quæ res nobis sunt altera cum stirpibus,alter cum beluis cōmunes,inesse non potest:sic in magna esuritione,& nuditate,vel grauiori morbo corporis, animus à pulcherrimarum,diuinarumq; rerum contemplatione ad quærendas res vitæ,ac valetudini necessarias sollicite reuocatur. LE.Tu igitur eorum consilium damnas,qui suis facultatibus,si quas habebant,reiectis,viuunt in ocio aliorum liberalitate,tanquam horum vita violenta sit,& contemplationi,ac naturæ legibus inimica. I nunc & Lutherum lacera maledictis,qui ob hoc ipsum monachorum instituta non probat, quia voluntinuitissimo Paulo *nō laborātes ex alieno viuere*. DE.Lutherum Leopolde iube cum sua insscitia,vel nefaria potius impietate valere,cæteros monachos ex se ipso metientem, ego enim vitam apostolicam omni viuendi rationi præfero.in qua Christum ipsum imitantur, qui opere & sanctitatis exemplo iuuantes plurimos, religioni vacant, & optimarum rerum,doctrinarumq; contemplationi.neq; enim refert, ad otium contemplationis ex suo,an ex alieno necessaria ad vitam suggerantur.quāquam non ex alieno,sed ex sibi debita mercede viuere dicendi sunt,qui eorum *carnalibus*,vt inquit Paulus,aluntur,quos ipsi *spiritalium suorum participes* effecerunt,docendo,admonendo,Deumq; peccatis populi succēsentem precibus sacrificijsq; placando.Non igitur vituperandum, sed summa laude horum institutum dignum esse dico:illud tamen contendo,ne horum quidem vitam sine opibus constare posse suis,vel alienis. fac enim esse omnes Christianos egenos, quis alimenta esurientib. subministrabit?quis nudos vestiet?ægrotantes curabit?quòd si egenis Christianis licet in otio literarum aut contemplatione alienis opibus viuere,cur non diuitibus, suis? honestis artibus sine alterius iniuria partis? & cum labore,quemadmodum Paulus præcipiebat.Nam *qui furabatur* inquit, *iam non furetur, magis autem laboret operando manibus suis,quod bonum est, vt habeat vnde tribuat necessitatem patienti.*

Ad Ephe. 4.

Ad Rom. 15.

Ad Ephe. 4.

¶ LE.

¶ LE. Rectè Democrates mihi quidem videris,& ingeniosè diuitiarũ cauſam peroraſſe, ſed dicat fortaſſe quiſpiam,neque ad liberalitatem, nec ad magnificentiam,cęteraſque virtutes colendas opus eſſe diuitijs. primum quia natura, cuius legibus ipſe tãtopere patrocinaris,paruo & parabili contenta eſt:deinde, quia ratio virtutem efficiens non in opere poſita eſt.ſed in animo,& voluntate. ſiquis enim ſic animatus affectusque ſit in ſumma paupertate,vt ſi diuitiæ ſibi contingant, eis ſit ad liberalitatem,ac magnificentiam perlibenter vſurus, hũc credo nemo negabit,liberalem eſſe atque magnificum, eadem ac in criminibus ratione,quorum aliqua cogitata duntaxat,ciuilibus quoque legibus capi-
Ethic.10. tali ſupplicio vindicantur. Nam quod ait Ariſtoteles, virtutes operibus indicari,cum voluntates lateant, & iniuſti quandoque iuſtè agendi voluntatem mentiantur,hoc ad virtutis declarationem pertinet, hominumque notitiam,non ad rem aut eiuſdem rationem,cuius efficiens voluntas homines fallere poteſt,Deum non poteſt, corda humana perſcrutantem, & apud quem *gloria* cuiuſque eſt ſuæ *conſcientiæ teſtimonium.*
2.ad Cor.1. hominibus enim ſuademus,Deo autẽ manifeſti ſumus,vt ait Paulus. Et
Matth.5. Chriſtus, *Quicunque mulierem viderit ad concupiſcendum,iam mœchatus* (inquit) *eſt eam in corde ſuo*, quod de libidine & adulterio dictum ad omnia peccata & contrarias virtutes conſenſu doctiſſimorum commodiſſimè tranſfertur. Nam viduam pauperculam, quæ miſit æra duo minuta in gazo-
Luc.21. phylacium, pluſquam diuites omnes miſiſſe idem Chriſtus teſtatus eſt, propter maiorem videlicet animi eius liberalitatem. *Si enim voluntas*
2.ad Cor.8. *prompta eſt* (vt inquit Paulus) *ſecundum id quod habet, accepta eſt; non ſecundum id, quod non habet.* Quid quòd actiones externæ per ſe nec honeſtæ cenſentur eſſe, nec turpes, vt internis accedentes ipſas honeſtiores reddant,aut turpiores.Nam cum ab inuitis eduntur,aut per ignorantiam, breuiter cum voluntas abeſt,nec laudi tribuũtur,nec vituperio, & minima ſunt inſitæ virtutis aut vitij documenta. Adde quòd ſi quando videntur obiri voluntariè,tamen tunc neceſſitate quadam naturali parent imperio conſtantis, ac certæ voluntatis: vt hac quoque ratione nec apud Deum,nec apud homines laudem & gloriam, aut res contrarias mereantur.

¶ DE. Non ego Leopolde cum diuitias à ieiuna quorundam, & ſi verũ fari licet,ambitioſa ſeueritate aſſero, Crœſi,aut Midæ theſauros ad vi-
Ethic.10. tam ducendam præſertim priuatam deſiderari dico. Nam vt cæteris in rebus,ſic in diuitijs modus eſt optimo cuique tenendus. tantumque rei familiaris auctore philoſopho deſiderandum, quatum ſatis ſit,ad ſumptus & neceſſarios & liberales.non ſolum nobis pro cuiuſq; conditione,ſed etiam iis quibus tenemur ex nomis facultatibus impartiri,præſertim domeſticis, qui noſtræ fidei ſũt lege naturæ, atq; diuina cõmiſſi.
1.Tim.5. *Nam qui ſuorum,& maximè domeſticorum* (vt Paulus teſtatur) *curam non habet, is fidem*

fidem negauit, & est infideli deterior. Itaq; homo ciuilis (vt docet Aristoteles) & qui se rebus agendis tradidit, vt multis alijs rebus, sic opibus indiget ad res gerendas: & quo maiores & clariores, hoc etiam pluribus. honorati enim nobilesque ciues pluribus indigent, quàm obscuri, & ignoti. Nam Reges & principes sine magnis opibus infirmi sunt, ab hostibusq; despiciuntur. qui verò philosophiæ se, contemplationiq; dedunt, hi diuitijs parum indigent, quæ ipsis potius impedimento sunt ad contemplationem. paruo igitur contenti esse debent, præsertim suo, studia enim literarum otium in primis requirunt, & animi tranquillitatem. quorum vtrumque egestas excludit, nisi adsint necessaria ad victum, reliquumque cultum. si ne quibus negat Aristoteles naturam sufficere ad contemplandum. Est tamen genus quoddam philosophandi, quod non tam in doctrinis versatur, & studio literarum, quàm in commentatione mortis, & cohibitione humanæ cupiditatis, superbiæ ac peruicaciæ. hæc enim nisi cunctis rationibus coerceantur, nos ducunt (vt Paulus ait) in interitum & *in laqueum diaboli*, quibus malis vt occurrant, qui ad hunc modum philosophantur, homines egregia in Deum pietate, ac religione per omnem laborem, curam, sollicitudinem, affligere sibi proposuerunt, & quasi domare corpora sua, & affectus, omnesque carnis quæ militat aduersus spiritum, prauas appetentias refroenare. qui omnes paupertatem in primis suscipiunt, & profitentur, sed ita vt ipsorum quidã diuitias vniuersi habeant in commune, vnde alantur, singuli nihil omnino suum: alij tam publicè, quàm priuatim egeni viuant in diem stipe ab hominibus religiosis, ac liberalibus emendicata: vtriq; sanctitatem egregiè, pietatemque colentes vtrique ex parte vitam Apostolorum imitantes. Horum igitur instituto paupertas, aut etiam mendicitas vel accersita conuenit, nuditasque, ac omnis vitæ difficultas. hi sunt in primis de quibus ait Christus, *Beati pauperes, beati qui lugent, beati qui esuriunt.* ad talem quandam, aut huic non multum absimilem vitam & Christus, & Paulus homines adhortabantur, quos diuitias vt abijcerent cõmonebant. sed quanquam hæc perfectissima, proximaq; via est, & quasi compendiaria ad vitam æternam, non tamen sola, nec prorsus necessaria putari debet. Nam *in domo* Dei *patris, mansiones multæ sunt,* ad quas (vt Paulus ait) non omnes vna, sed alius alia via progreditur. *diuisiones* enim *gratiarum & operationum sunt, idem verò Deus, qui operatur omnia in omnibus sicut enim in vno corpore multa membra habemus omnia autem membra non eundem actum habent: ita multi vnum corpus sumus in Christo, singuli autem alter alterius membra, habentes donationes, secundum gratiam, quæ data est nobis, differentes.* in quarum donationum commemoratione non prætermisit Paulus liberalitatis opus, quod est fructus diuitiarum, cum ait, *Qui tribuit in simplicitate.* Porrò Christus cum Apostolos mitteret ad prædicandum Euangelium, apud optimum quemque vrbes ingressos diuersari, eiusque liberalitate, quæ

Ethic. 10.

1. Tim. 3.

Matth. 5.

Io 14.

1 Cor. 7.

1. Cor. 12.

Ad Rom. 12.

Rom. 12.

sine opibus non præstatur, vti præcipiebat: illud adijciens, *Qui recipit vos, me recipit: & qui me recipit, recipit eum, qui me misit. Qui recipit prophetam in nomine prophetæ, mercedem prophetæ accipiet, & qui recipit iustum in nomine iusti, mercedem iusti accipiet. Et quicunq; dederit vni ex minimis istis calicem aquæ frigidæ tantùm in nomine discipuli, amen dico vobis, non perdet mercedem suam.* Non igitur pauperib. tantum aditus est ad regnum cælorum, sed ijs etiã nihilo minus, qui pauperes & iustos suis opibus liberaliter fouent. vt enim illos, sic hos fore in die iudicij ad dexteram Dei, pollicitus est Christus, & audituros ab ipso summo iudice *Venite benedicti patris mei, possidete paratum vobis regnũ à cõstitutione mundi: esuriui enim & dedistis mihi mãducare, sitiui & dedistis mihi bibere, nudus eram, & cooperuistis me: quidquid enim fecistis vni ex istis fratrib. minimis, mihi fecistis.* Itaq; Paulus Timotheũ iubet, vt diuitibus huius sæculi præcipiat, non diuitias abijcere (sciebat enim, vt Chrysostomus interpretatur, diuitias non esse prohibitas) sed non efferri, *non sperare in incerto diuitiarum, bene agere, facilè tribuere, & cõmunicare.* Neq; enim diuitias expauit Paulꝰ, vt inquit Augustinus, sed morbum diuitiarum, hoc est superbiã. Diuitiæ igitur bonis & Christianis hominib. tantum abest, vt noceant, vt præbeant etiam multas ad virtutẽ & religionem colendã & exornandam cõmoditates. sunt. n. quasi caput & fons beneficentiæ & liberalitatis, qua pauperes subleuantur, & magistri morũ, ac religionis sacrorumq; præfecti aluntur, tẽpla surgunt, & exornantur, ea magnificentia quædã dotata, vt census non modo procurandis faciendisq; sacris, & ipsorũ ministris alendis sufficiãt, sed etiã ad multorũ pauperũ indigentiã alleuandam. Qui census si ab episcopis quibusdã, aliisve sacerdotib. malè administrantur, qui nõ domini, sed quasi quæstores & dispensatores sunt Ecclesiasticarũ opũ, hæc culpa morũ (vt ante dicebã) est, non diuitiarũ. Iusti enim ac religiosi episcopi, & sacerdotes, quo ditiores, hoc sanctiores sunt, & reip. magis vtiles, plurimis hominibus pupillis, & viduis, egenisq; cæteris ecclesiastica bona sedulo pro sibi cõmisso munere impartientes. Et profecto Leopolde si æqui esse volumus, nec studiosè (vt quidam) sacerdotib. obtrectare, quanquã ipsorũ quidã bonis ecclesiasticis abutantur, illud tamẽ cõfiteri necesse est, eorũ bonorũ maximã partem à sacerdotib. in vsus pauperũ distribui. cęteros. n. ciues etiam diuitijs affluentes, timidè & cũ pudore quisquã sanguine proximorũ rogare sustinet, vt aliquid sibi inopia laboranti impartiatur de magnis opib: ad filiam exẽpli gratia collocandã, aut alias vitæ necessitates tolerandas, ne quasi filijs, aut nepotib. quorum est ius hęreditariũ, iniuriã facientes repellantur: à sacerdotib. aũt non solũ fratres & sorores, sed horũ etiã filij, cæteriq; consanguinei tã incunctanter iuuari se petunt, vt nõ precari, sed optimo suo iure postulare videantur. itaq; velis nolis, dandũ est, opportunè, importunè flagitantib. & rationem plerumq;, si tuã indigẽtiã excuses, accepti & expensi reposcentib. ita fit vt maxima pars census ad pauperes præsertim consanguineos perueniat, saluo iure charitatis, quæ

Matth. 10.

Matth. 25.

Ti. 6.

Aug. in serm. de ver. euan.

tis,quæ rationem ſequitur neceſſitudinum naturalium.

¶ Quod verò aiebas,virtutem etiam ſine opere cõſtare,propterea quod virtutis ratio,quemadmodum vitiorum tota in animo, & volũtate poſita ſit,tibi vehementer aſſentior,ſi hoc dicis, hactenus quodq; crimini verti,aut virtuti tribui,quatenus eſt voluntarium. aliter enim nullius factum neque vi,neque ignorantia excuſaretur. ſed voluntatis eſt, non ſolùm agenda velle,ſed vt fiant, cæteris potentijs imperare, quod plerumq; ſimul fit,atque eodem motu,quẽ philoſophi iuniores, donec animo & voluntate continetur, actum elicitum appellant. nam ſi voluntatis imperio cæteræ potentiæ pareant,& munus exequãtur, harum quoq; opus ad volũtatem refertur,quaſi ad fontem & autorẽ,vocatur q; actus voluntatis imperatus, & vterq; vno nomine dicitur humanus actus.propterea quòd homo quatenꝰ homo eſt,particepſq; rationis, per liberũ arbitriũ,quod voluntatem cõſueuimus appellare,vtriuſq; principium exiſtit.Cæterũ talis actio nõ ſolũ habet per ſe quidquã honeſtatis vel turpitudinis,ſed vtraq; re vincit etiã electionem.Vt enim velle, ſic etiã agere hominis eſſe finis ſtatuitur.Cũ finis cuiusq; rei,ſit propria ipſius operatio.vt finis equi eſt currere,pecuarij canis,pecus à maleficis animalib.cuſtodire,& quot operationes tot fines habeantur,quorũ philoſopho teſte,eo quiſq; potior eſt,quo perfectior:eſt autem perfectior ex duobus is,qui ſi contingat,alter non deſideretur: imperfectior contrà,poſt quem alterũ præterea requirimus. Vt ſi adſit iuſtitia(vtar enim eiuſdẽ Ariſtotelis exemplo)alia tamẽ deſideramus,ſi felicitas, hac vna contẽti ſumus.quo perſpicuè intelligitur felicitas iuſtitię,cuius nomine virtutes omnes continentur præſtare. Cum igitur duæ ſint propriæ hominis actiones & fines citrà vltimũ,bene velle,& bene agere, & bona voluntate ſuppetente,actio quoq; deſideretur, poſt bonam actionẽ, non item bona voluntas requiratur, quippe quæ bona actione continetur,vt in felicitate iuſtitia,dubitari non debet, quin bene agere, quàm bene velle perfectior finis,ac proinde præſtantior,& honeſtior habeatur,quæ ratio eadẽ eſt in peccatis.Age verò, vt rem accuratius perquiramus,ſi finis cuiuſq; rei eſt,quo fertur eadem ac intuetur,nónne actio, quo fungi vult quiſq;,voluntatis eius proximus erit finis? Nam verũ & falſum,quæ ſpectat intellectus,vt philoſophi docent,in mente ſunt,bonum & malum,quæ voluntas intuetur in rebus habetur.finem porrò in rebus agendis principem eſſe,non eſt philoſophi dubitare. Itaq; ſi verũ quærimus,idcirco voluntas bona eſt,& honeſta. quoniam opus ipſum quod molitur,eſt bonũ & honeſtum.Huc enim valet,quod tradidit Ariſtoteles,honeſtarum rerum cupiditates laudandas eſſe,turpium vitupe randas.vt dubium non ſit,quin actiones voluntati præferantur. Nam propter quod vnumquodq; tale eſt,id magis eſſe tale, rata ſententia eſt philoſophorum. LE. Voluntatem igitur bonam eſſe dicis, quoniam opus,quod

1,et 10. Eth.

Ar.1. magn. moral.

6. Metaphyſ

Eth.10.

Poſt 1.

3. *Ethic.* pus, quod editur est bonum? D E. Num miraris, si vt cæterarum rerũ, sic animi honestatem ex ipsius fine metior autore philosopho, qui suo rẽ quamq; fine decerni testatur? L E. Actus externus, si voluntas absit, quæ 3. *de anĩ.* est appetitus cum ratione, nec honestus habetur nec turpis. Nam idem Aristoteles negat, vllam esse vel bonam, vel malam actionem sine intelligentia & more, quod pertinet ad electionem. Itaque nec turpia vituperanda esse tradit, nec honesta laudanda, nisi fuerint voluntaria: scilicet quia talia nomine tenus, non etiam re vel turpia, vel honesta esse intelliguntur. D E. Ego Leopolde cum hominem appello non statuam dico marmoream, aut cadauer, sed corpus anima rationis participe formatum. sic cum actum externum cum interiore confero, voluntariũ actum intelligi volo, non vi expressum, aut ignorantia naturáve editum, 5. *Ethic.* quo in genere fateor nec turpitudinem inesse, nec honestatem. Nemo enim nisi volens (vt testatur philosophus) vel iustè agit vel iniustè. nec est iniustè, timidéve agere, cum vxore aliena cõcumbere, aut proiectis armis terga dare, & similia facere, sed sic se habentẽ facere, hoc est scientẽ & volentem, præterquã ex accidenti. Est igitur voluntas actionis 3. *Ethic.* quasi forma, & in iudicio morũ magis spectatur, quã opus. qualis enim quisq; morib. est, tales solet facere electiones, & in actiones similes voluntas eius est procliuis. At opera interdum venditationes sunt, & ficto etiã vultu, non solum verbis ostentantur. Itaque voluntas quo largior est, & promptior, eo magis vel sine opere, si facultas abest cum ab hominibus laudatur, tum Deo grata est, & maiore charitate gratiaq; suffunditur. sed par voluntas cum opere sanctior habetur, & maiore præmio nescio an essentiali (vt theologi loquuntur) at certè accidentario re- *Ethic.* 10. muneratur. Neque vero noua quæstio est, in virtute vtra potior habeatur, electio, qua volũtas intelligitur, an actio, sed à Socraticis vsq; temporibus inter philosophos agitata: quam sic Aristoteles expediuit, vt perfectionem in vtroq; simul constituerit, hoc est in actione voluntaria, & ab electione profecta. Nam quod ais posita volũtate certa & cõstanti, siue vt nunc loquũtur, efficaci, necessitate naturali, si facultas adsit, actionem existere, leuissimum argumentum est: cum eadem propemodum ratione affirmare liceat, ipsum velle non liberum esse, sed necessarium propterea quòd posito voluntatis motu, ipsam velle necesse est. quidquid enim est, quando est, necesse est esse, vt docent philosophi. nõ est igitur ita, sed cum homo voluntate operatur, tam actio externa voluntaria est, quàm ipsum velle. voluntarium enim atq; liberũ esse intelligitur, quidquid à principio libere agente, hoc est à volũtate proficiscitur. quod nihilo minùs actioni externæ conuenit, quàm electioni: *Matth.* 15. vel Christi ipsius testimonio, cui? ea verba sunt in Euãgelio: *De corde exeunt* (inquit) *cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falsa testimonia, blasphemiæ.* Neq; verò solũ tales actiones liberę sunt, & volũtarię, sed

siquis

si quis habitus ab ipsis fuerit ingeneratus, actiones etiam ab hoc iam natura prodeuntes pro voluntarijs, & liberis à philosophis habentur propter libertatem voluntatis, vnde quasi à fonte ipsorum initia per habitum & priores actiones ducuntur. Nam quorum principium est, in ipso (vt tradit Aristoteles) hæc & agere, & non agere in eiusdem est potestate. 3. Ethi.
Quanquàm igitur virtutum, vitiorumque ratio in voluntate, siue electione potissimum intelligatur, perfectio tamen in actione voluntaria consistit. Nam si ratione, scienterque gubernator nautis, vt explicét vela: dux militibus imperet, vt ineant in hostes pugnam: rudentibus tamen, & armis non suppetentibus, aut re alia impediente neutrius imperio pareatur, constabit quidem officij ratio ducis, & gubernatoris, qui quod in ipsis erat præstiterunt, sed irritus conatus officium inchoatum faciet, ac imperfectum, sic boni consulendum est, si quis beneficia, quæ inopia rei familiaris excluſus, opere conferre nequit, præstare sit animo & voluntate paratus, huiusmodi tamen officium nemo dicet esse perfectum, nec enim pauperum indigentia bona cuiusquàm voluntate, si res absit, subleuatur, qui finis est liberalitatis. Nefas est autem existimare, in Christiana rep. cum cætera sint perfectissima, & vberrima, plena gratiæ, ac libertatis, locum non relinqui quarundam virtutum perfectioni. Perfectum igitur officium, & Deo maxime gratum, auctore Paulo est, quod à *fide* profectum *per charitatem operatur*, quæ charitas non modo *ad Gal. 5.*
Deum spectat, sed etiam proximum. Eodemq; modo de criminibus statuendum est, non solum in voluntate peccàtum esse, sed in operibus etiam à voluntate profectis plerumque maius, cum præsertim aliqua sint *Ethi. 2.*
ipso genere mala, vt testatur Aristoteles, & quæ nomine ipso turpitudinem præferunt, vt furtum, & adulterium, & in decalogo non cupiditates tantum, sed praua etiam opera lege diuina prohibeantur. Vides vt diuitiæ pro cuiusque conditione moderatæ partim necessariæ sint ad vitam degendam, & aliquas virtutes perfecte colendas, tuendamque societatem hominum, & libertatem: partim vtiles ad cultum diuinum & templorum ornamentum: tantum abest, vt à Christo vel apostolis damnatæ fuisse putari debeant, cum diuitum auaritiam, & inexplebilem habendi cupiditatem magna cum seueritate castigarent, & eas docerent minimum apostolicæ vitæ conuenire.

¶ A L. Satis iam mihi superque Democrates & Leopolde de magnitudine animi, eiusque partibus, & vitijs contrarijs disseruisse, & meo quidem iudicio prudentissime videmini, sed quanquam vestra disputatione sum equidem vehementer delectatus, cupio tamen audire, expectoq; Democrates, quid ad ea respondeas, quibus me tanquam scrupulis quibusdam sollicitari, explicarique velle, & initio, & si meministi, iam læpe sum professus. DE. Scio quos scrupulos dicas, memoriaque teneo, ego vero de fortitudine & magnanimitate paulo accuratius edisserens

nihil aliud egi, quàm vt altioribus iactis fundamentis, quærelis ista militaribus satis facerem. vt igitur quæstio commodius explicetur, ne te pigeat obsecro, sæpe vt ais testata breui nunc oratione referre. A L. Faciam verò perlubens. Miles mihi non videtur posse religioni Christianæ simul, & officio militari quibusdam in locis satis facere. D E. At Ioanni Baptistæ videbatur, qui rogatus à militibus, quid se facere oporteret respondit, *neminem concutiatis, nec calumniam faciatis, & contenti estote vestris stipendijs.* Sed quibus tandem in locis id tibi non posse videtur? A L. Primum vbi certamen est de fama. quia gloriam mundanam appetere criminosum est hominibus Christianis, eandem cunctis rationibus quærere, ad laudem militarem pertinere putatur, deinde in causa iniuriarum. quoniam iniurias persequi, & inimicos fortiter vlcisci, quod ab optimo milite expectatur, alienum est legibus Christianis. Itaque iniuria paulo grauiore lacessitum in singulare certamen inimicum prouocare optimi, & generosi militis esse dicunt, Christiani & religiosi negãt: eodemque modo prouocatum pugnam non detrectare, quod pertinet ad laudem fortitudinis. D E. Recte tu quidem Alfonse pauciq; veterem quærimoniam explicasti, respondebo igitur ordine, si prius tamen explicueris, quid gloriam mundanam appelles. A L. Haud equidem eam, qua frui creduntur iusti, cum ex hac vita migrauerint, eandem enim iã gloriam, iam beatitudinem, tum vitam æternam à viris religiosis appellari video. sed gloriam mundanam appello, quæ homines virtute prestantes nobilitat in hoc mundo, & illustri nomine decorat, quæ à nonnullis bona fama, ab alijs honor etiam appellatur, propterea quòd sit pars honoris potissima. Nam cum eius, qui honoratur excellentię testimonium honor esse intelligatur, hoc nulla re tam locuples hominib. contingit, quã bonorũ consentiente laude, & iudicio de præstante virtute, hoc est gloria, sic enim hæc à philosophis definitur. D E. Rem dicis pulcherrimam, & quam ego non dubitem, cæteris omnib. externis bonis anteferre, sed tu quamobrem existimas huiusmodi gloriæ appetentiam esse Christianis hominibus interdictam? A L. Quoniam video inanem gloriam magno consensu à nostris philosophis damnari. D E. Quasi verò à Christianis tantùm improbetur inanis gloria, & non ab omni philosopia docto rum omnium, prudentiumque iudicio reijciatur, sed tu quam gloriam appellas inanem? A L. Quam quidam, vt video, viri doctissimi, qui triplici ratione docent inanitatem gloriæ deprehendi, primum, si non re ac virtute solida, sed *simulatione & inani ostentatione*, & vt Cicero ait, *ficto non modo sermone, sed etiam vultu quæsita* sit: deinde, si à quibus non oportet petatur: postremo, si referatur aliò, quàm in Dei laudem, vel aliorum hominum commoditatem. Peti autem affirmant, à quibus non oportet, quæ ab hominibus quæritur, auctore Paulo, qui ait: *Non quærentes ab hominibus gloriam*, cũ sit humanũ iudiciũ incertũ, & fallax. D E. Scio quosdã viros alioquin

Lucæ 3. Impedimenta bellorũ minus iustè à Christianis suscipiuntur.

Responsio ad impedim.

Inanis gloria triplex. off 2.

1. Thes. 2.

lioquin eruditiſſimos ſic de gloria diſſeruiſſe, quibus cætera quidem aſſentior, ſed profecto, qui hominum etiã optimorũ, & prudentiũ iudiciũ reijcit, eiuſque tollit certitudinem, & auctoritatẽ, is ego non video quẽ locum prudentiæ, quẽ humanis virtutib. relinquat. Nã quem alium prudentem dicere ſolemus, vel intelligere, niſi eum, qui recte poteſt de petendis reb. aut viciſſim fugiendis iudicare? vt indicat definitio moralis virtutis, quæ habit⁹ electiuus eſſe definitur, poſitus in mediocritate quo ad nos, quemadmodum prudens definiret, hoc eſt ſtatueret & iudicaret. *Ethi. 2.* Age verò ſi bonorum hominum, & prudentium incertum eſt iudicium, cur ab his recte, non à malis, & ſtultis honeſta à turpibus rebus dijudicari, magno conſenſu philoſophi tradiderunt? Non eſt igitur ita, neq; inanitas gloriæ ſatis arguitur eo quòd ab hominibus petatur, modo boni ſint, & prudentes, quorum iudicio probari volumus. Alioquin Paulus præfatus, *qui iuſtitiam colit, hunc Deo placere*, perperã addidiſſet *& probatum eſſe hominibus*. in quam ſententiã illud etiam dictũ eſt ab eodẽ, *Prouidentes bona non tantũ corã Deo ſed etiã corã hominibus*. quib. verbis declaratur, quæ Dei iudicio bona, malaque iudicantur, eadem à bonis & prudentibus hominibus recte magna ex parte probari, viciſſimque damnari. Nam quod ſcriptum eſt in pſal. 52. *Qui hominibus placent confuſi ſunt, quia dominus ſprevit eos.* & quod Paulus ait, *Si adhuc hominibus placerem, Chriſti ſeruus non eſſem*, de malis hominibus intelligendum eſt, vt cum idem dicit, *Nónne homines eſtis?* non de bonis, quorum eſt haud dubie rectum iudicium. Gloria igitur ab hominibus non ſemper adumbrata, & inanis eſt: ſed expreſſa interdum ab ipſis & ſolida maximis & ſpectatis viris contingit. quæ ab Ambroſio clara cum laude notitia eſſe decernitur: ſed expreſſius & magnificentius à Cicerone definitur: *conſentiens laus bonorum incorrupta vox bene iudicantium de excellente virtute*. quid tu Leopolde cenſes? an tibi videtur talis quoque gloria inanis eſſe? L. E. Minime verò, ſed ſolida & vera. Itaque hac quoque in parte tibi prorſus aſſentior. tu tamen vide, ne in huius etiam gloriæ (qualiſcunque ſit) appetitu, peccatum inſit. Nam idem Cicero (quem de virtutibus, & officijs optime diſputaſſe conſtat) cauendam eſſe ait vel in primis gloriæ cupiditatem, & Auguſtinus noſter, ſanius videre dicit eum, qui amorem laudis, vitium eſſe recognoſcit. D. E. Nihil eſt in rebus humanis Leopolde tam honeſtum, & bonum, cuius non plurimum gratiæ vel totum potius, bonitatiſque decedat: ſi quis decore ipſius ad rem turpem abutatur. quid enim honeſtius, quàm pecunias egentibus liberalitatem impartiri? at hoc ipſum turpe redditur, & liberalitatis nomen amittit, ſiquis ea virtutis ſpecie ad tyrannidem ſpectans, patriæ libertati inſidietur, aliudúe turpe moliatur. quòd ſi hoc poteſt in virtutẽ cadere, vt crimen fiat abutẽdo: quãto magis in gloriam, quæ bonis externis annumeratur? cuius appetitũ bonũ ſponte ſua

Rom. 14. *Ad. Rom 12.* *Gal. 1.* *1. Cor. 3.* *2. Tuſ. queſt.* *lib. 1. offic.* *De ciui. dei. l. cap. 13.*

ho-

honeſtumque eſſe, vno mihi verſiculo conficipoſſe videtur in hunc modum: Cuiuſque rei bonæ, appetitus bonus eſt (vt teſtatur Ariſtoteles) gloria autem eſt bonum, gloriam igitur appetere bonum eſt. Huiuſmodi enim facultates (nam ſic à philoſophis & corporis & externa bona vocantur) propter virtutem rem optimam bona nominari non ignoramus. ſcilicet vt medicamentum & cibus ſani dicuntur, qui poſſunt ad ſanitatem efficiendam accommodari. Quanquam enim talibus rebus probi homines bene, vitioſi poſſint male vti, vnde facultates (vt dixi) nuncupantur, tamen à proborum vſu ob virtutis prærogatiuam, vt docet Ariſtoteles, merito bonorum vocabulum eædem acceperunt: vt dubitari non debeat, quin à bonis viris ſine vllo crimine poſſint non ſolum expeti, ſed etiam diligenter comparari: gloriam autem qui negat talibus bonis eſſe annumerandam, quid hic relinquat in bonis externis, non intelligo. cum horum maximum eſſe honorem, qui gloriæ comes eſt atque cognatus, non Ariſtoteles tantum in libris morum, ſed Plato etiam in opere de rep. teſtis ſit locupletiſſimus. Salomon quoq; in prouerbijs, *Melius eſt* (inquit) *nomen bonum, quam diuitiæ multæ.* & alio in loco *Melius eſt nomen bonum, quàm vnguenta prectoſa.* Non igitur appetitus gloriæ à viris prudentibus atq; religioſis damnatur, ſapientis enim præceptũ eſt *Curam habe de bono nomine.* & Paulus nos in eandem curam adhortatur, dũ ait, *Prouidentes bona non ſolum coram Deo, ſed etiam coram hominibus.* qui & alio in loco mortem ſibi potiorem eſſe profitetur, quam vt ab aliquo gloria ſua euacuetur. & ad Timotheum ſcribens, *oportet* ait *Epiſcopum, bonum habere teſtimonium ab ijs, qui foris ſunt*: quod maxime gloriam attingit, ſed appetitus gloriæ præpoſterus, aut prauus, merito in vitijs, & quidẽ maximis, habetur: hunc Auguſtinus, hunc Cicero damnat, & libertatem auferre dicit, hunc oẽs boni & ſapientes deteſtãtur, eſt aũt prauus gloriæ appetitus, cũ is nõ ad Deum, ſummũq; bonũ refertur, ſed ad explendas turpes, aut leues appetẽtias, vt ad iniuſta imperia, & poteſtates, vel quod eſt leuiculorũ hominũ, ad inanẽ iactantiã, aut quæſtũ, quod hypocritæ faciunt, quos taxat Chriſtus in euangelio tuba vocantes ad eleemoſynam, & in platearum angulis & ſynagogis orantes, vt videantur & laudentur ab hominibus. tales enim ſuam, vt Chriſtus teſtatur, mercedem tulerunt, vtiq; laudem imperitæ multitudinis: à Deo autem, & bonis ac prudentibus viris neque præmium, neque gloriã, ſed pœnam potius, & vituperium, præpoſterus appetitus eſt, qui virtuti gloriam, quæ comes illius eſſe debet anteponit. Nam vtrumque vitium cupiditatis obſcurat ſplendorẽ gloriæ, & ſoliditatem exhaurit, inanemq; reddit. Si de recto igitur gloriæ, honeſtoque appetitu ſollicitus es, primum hic non eſt magis contra religionem, quam valetudinis, quam ſcientiæ, quam diuitiarum moderata cupiditas: deinde gloriam ratione petere, non eſt proprium boni, nobiliſque militis, ſed communis ei cum omnibus probis, honeſtis, ac libe-

Eth. 10.

1. mag. moral.

Ethi. 4.

Cap. 22.

Eccleſ. 7.

Cap 41.

Ad Ro. 12.

1. Cor. 9.

1. ad Timo. 3.

Matth. 6.

ac liberaliter instítutis hominibus,siue quis in pace rep. administranda iustitiam colat, seu vitam priuatam cum egregia virtute & bonorum approbatione degat. Itaq; Augustinus, cuius tu mihi testimonium obijciebas, amorẽ laudis peccatũ esse statuentis, idem crudelẽ esse dicit, si quis recte facti conscientia fretus famã suam contẽnat. i. pro nihilo ducat quid homines de se vel loquantur vel sentiãt, vt intelligatur, ab ipso non omnis laudis appetitus damnari, sed prępostérus, vel à veritate dissentiens. Quid est enim gloriam rõne petere, nisi virtutem maxime colere? quod bonis omnibus est propositum. Nã qui vult excellẽtem suam virtutem cognitam esse, & bonorum ac prudentium hominum iudicio probari, & ob eam honorari quod est recte gloriã appetere, nõ is virtutem præpostere colit propter gloriam, aut honorẽ, vt falso quidã existimant, sed gloriã & honorẽ amat propter virtutẽ, quemadmodũ Aristoteles de felicitate differens interpretatur, quod est ad Deũ appetitum gloriæ referre. Deũ enim colit, qui virtuti dat operã. Itaq; Socrates hanc viã proximã ad gloriã, & quasi cõpendiariam dicebat esse. si quis id ageret, vt qualis haberi vellet, talis esset: sin aliũ dicis appetitũ gloriæ, à via virtutis abhorrẽtẽ, facile tibi assentior, eũ esse Christianis hominib. interdictũ, sed qui talẽ putat generosis, bonisq; militib. conuenire, vehementer errat, nimirũ si quid nobis superiore disputatione confectũ est, ac bonũ & generosum militem intelligere oportet, fortem & magnanimum. Nam qui legitimum etiam honorem, & suis virtutibus debitam gloriam nõ magni facit, quod magnanimi proprium esse docuimus, is quomodo potest accersitam, & inanẽ gloriam ex aliorũ errore per mendacium aut fictionem, res itidem magna nimitati inimicas affectare?

Aug in ser. de vita & moribus clericorum.

Ethi. lib. 1.

¶ Nunc venio ad eam partem querelæ militaris, in qua se plurimũ quidam, & nimis ambitiose iactant, inferius esse dictantes generosi militis dignitatẽ, acceptas iniurias grauiores non pertinacissime persequi, aut ab inimicis pœnas communibus legibus, & non armis potius exigere, præsertim certamine singulari, & hanc esse maximã causam, cur non licet bonum militem esse & eundem bonũ Christianũ, propter religionis præceptũ de iniurijs condonandis, scriptum est enim: *Mihi vindictam, & ego retribuam.* & Christi verba illa sunt ex Euãgelio: *Ego dico vobis, diligite inimicos vestros, benefacite ijs, qui oderunt vos.* nec verò solum verbis hoc præceptũ dedit Christus, sed exemplo etiam confirmauit, pro eis à quibus morti tradebatur patrem deprecatus. Et Paulus, *Benedicite* (inquit) *persequentibus vos, benedicite, & nolite maledicere.* hoc enim negant generosum militem decere. nónne Alfonse, hæc summa est alterius partis militaris querelæ?

Responsio ad secundũ impedimentũ.

Deu. 32.

Matth. 5.

Luc. 23.

Ad Ro. 12.

A L. Maxime. D E Cur autem decere negant, nobilem militem iniurias condonare? A L. Nimirũ quoniã id militari virtuti cõtrariũ esse putatur, & laudi inimicum, nam hoc quoque (vt video) ad gloriam referri solet.

D E. Quid ita? nónne militaris virtus fortitudinis, & magnanimitatis

ratione definitur? A L. Certe, si recte vos ante, vt mihi quidē videmini, de militis virtute statuistis. D E. At magnanimi propriū esse docuimus, facile, si quid in se cōmissum fuerit, remittere, & ex omnib. minime malorū meminisse: id igitur præstare, nō est cōtra militis officiū. A L. Argutiæ sunt istæ philosophorū, quæ dissentiētib. silētiū fortassis imponere valeāt, persuadere certe nihil possint contra receptā fortiū hominū, ac inueteratā opinionē. D E. An potest imperitorū hominū existimatio, vt nebulā quādā effundere veritati, sic eius vim tollere, & splendorē penitus extinguere? A L. Nō audeo id quidē dicere, sed cū agitur de gloria, plurimū valet hominū opinio. Tolle hominū existimationē, quomodo poterit gloria, de qua quæritur contingere? quæ per te quoq; in iudicio, vocibusq; hominū posita est. D E. De stabili & solida gloria disputam⁹, nō de fluxa & inani, illius aūt fundamentū res solida est, præstansq; virtus, qua sublata, siquid secus homines existimēt, error id appellari debet, nō opinio. Tūc igitur gloria recte nuncupabitur, cū expressa excellensque virtus, iudicio, & voce bonorū & prudētiū virorū approbabitur. qui de virtute iudicantes rē ipsām spectant, non quid vani, & imperiti homines loquātur. Et alioquin magnanimi est, rē spectare ac veritatē colere, cōscientia recte facti contentū, rumores populares vanos quidē pro nihilo ducere, veros & laudes non magni facere. *Mihi enim* (dicebat magnanimus Paulus) *pro minimo est, vt à vobis iudicer, aut ab humano die.* Cōdonare igitur iniurias, vt est, sic esse magnanimi opus, boni, & sapientes existimāt. Itaq; harū condonatio nihil obstat, quo minus liceat & bonū militē esse, & religiosum Christianū. A L. Cur igitur obsecro tantopere inualuit ista inter milites opinio, quorū multi & boni viri & prudentes habētur, vt timori detur ac ignauiæ, si quis iniurias æquo animo ferat, impunitasque relinquat? quoniā tam inueteratam, tamque insitā militibus opinionem penitus vanā esse dicere nihil habet probabilitatis. D E. magna videlicet rōne, qui enim à multis criminib. & plerunq; maximis, quæ sine difficultate perpetrātur, nec respectu religionis, nec amore virtutis cohibetur, hic cur officio aut religione credatur à periculosis & difficilib. peccatis abstinere? & non timore potius, & ignauia? Iniurias igitur persequi tū religioni Christianæ, tū etiā virtuti, quę magnanimitas dicitur, contrarium est, sed stulta vulgi militaris opinione factum est, vt id vulgo putetur ad laudem militarem pertinere, bonis, & prudentibus longe aliter iudicantibus. Sed cum adulterari, hominē innocentem per occasionē occidere, spoliare tenuiores, & cætera id genus flagitia perspicuè sint contra virtutem & religionem, in eaque cernantur plerique milites ferri præcipites, nullo nec virtutis freno, nec religionis retardati, cur talium quisquam virtuti ac pietati seruire putetur, cum lacessitus fert iniurias dissimulāter? & nō potius vltionis difficultatibus & ignauia deterreri? Fingamus enim animo bonū aliquē perfectumq; militē (nam talem inuenire rarissimum est) qui planè fortis sit, & re vera magna-

1. Cor. 4.

nimus nullo se scelere cõtaminãtẽ sed studiose seruientem virtuti & religioni, solidamq; gloriã cõsectantem, qui præbuerit magna & clara vt militaris, sic aliarũ virtutũ documẽta, & hũc faciamus iniuriã fortè acceptã male de se merito virtutis, ac pietatis causa remittere, quis tot tãtarumq; virtutũ memor, huius optimè, magnoq; animo factũ in diuersã partẽ interpretabitur? A L. Multi fortasse milites. D E. Credo, quia multi stulti sunt, & rectũ iudiciũ prauis & morib. & opinionib. corrupere: nemo tamẽ bonus, nemo prudens recte factũ nõ probabit. quanquã magnanimus (vt sæpe diximus) dum ipse recte faciat, quid homines loquãtur, parũ laborat, stultorũ iudiciũ penitus contemnens. A L. isto igitur modo quid obstat, quo minꝰ miles aliquis: cuiꝰ ante acta vita latrocinijs, adulterijs, homicidijsque fuerit fœdata, possit ad breue recepta sanitate, pœnitẽtiaq; ductus iniuriã causa pietatis inimico cõdonare, & sic officio fungi boni militis, & Christiani? D E. nihil omnino prohibet. Nã & mẽdacissimũ quẽq; licet aliquãdo verũ dicere, sed quẽadmodũ huic vera dicẽti ab ijs nõ creditur, quib. reliqua ipsiꝰ vanitas est nota: sic illiꝰ animũ nemo probat, ne in recte quidẽ facto, qui prauã illius mẽtem fuerit cæteris in rebus expertus. ¶ Si verũ ergo quærimus Alfonse, militaris ista querela plus habet ambitionis, quàm grauitatis & iustitiæ: vt illa altera quorũdã huic nõ prorsus absimilis querimonia plus impietatis, quã intelligentiç, qui religionẽ Christianã in eo sustinent vanissime dãnare, quòd homines reddat ignauos, & ad imperandũ ineptos, & quo planius suã ignorantiã cũ impietate prodãt, haud alio nomine religionis iniquitatẽ accusant, quã quod dolis, mẽdacijs, insidijs, sceleribusq; vafrorũ, & improborũ hominũ ad tyrannidẽ tuendã non suffragetur, quo quid potest esse dictu vel indoctius, vel sceleratius? iusti enim ac legitimi imperij diuturnitatis optimꝰ custos est subditorũ populorũ amor, hic aũt nõ dolis, nec prauis artibus, sed pietate in Deũ, iustitia, humanitate, magnitudine animi, ac vt semel dicã, omnium virtutũ opere multo magis, quã vt istis placet, opinione simulationeque alitur, vana siquidẽ existimatio celeriter excidit, ac in diuersũ mutata pro beneuolẽtia odiũ affert certissimã tyrannorũ perniciẽ. caput igitur harum querimoniarũ est ignorantia. huc enim summorũ philosophorum adhortationes spectãt, hoc omnes bene institutarũ ciuitatũ leges petunt, vt ex virtute sine alterius iniuria viuatur, & hæc summa est præceptorũ Christianæ pietatis. nec aliter Paulꝰ vim illius oraculi interpretatur, *Diliges proximũ tuum, sicut te ipsũ:* quod isti non intelligentes philosophorũ leges, ciuilesq; probant, religionis sanctitati, qua nihil potest æquiꝰ excogitari succẽsent. Sed redeo ad militarem iactationem, quæ quidem tolerabilior videatur in ijs militibus, si qui excepta causa laudis, & iniuriarum, cæteris in rebus egregie pietatẽ Christianã colũt, ac religiose præceptis eius obtẽperãt. at eorum vanitatẽ, & arrogantiã quis ferat (qui cũ nullã non partem religio-

Ad Ro. 13.

 nis vio-

nis violent,& hac contempta, omnibus se quotidie sceleribus obstringant,sustinent tamen propter id quod rarissime, fortibus quidem viris accidit,seueritatem religionis in eo accusare, quòd sibi per eam fortiter agere non liceat,& simul officio boni militis & Christiani satisfacere:cum ab vtroque toto, vt aiunt,cœlo,cæteris vitæ partibus abhorreãt. Itaq; videre licet,milites quosdã multis alioquin criminibus infames, in vlciscendis iniurijs,aut æmulationis gratia præposterã laudem cum suo magno periculo per summã incõstantiã affectare,inimicos interdũ, aut æmulos ad certamẽ singulare prouocantes.vbi sæpe volẽte Deo meritas luunt suorũ flagitiorũ pœnas. A L. At enim scimus viros multos illustres,& probos,vt probos solemus appellare, qui minimis vitijs implicantur,hæc enim non sunt ad viuũ resecanda,*nam vitijs nemo sine nascitur* (vtait Horatius)aliquos igitur tales iam accepimus,& vidimus,non dico iniuriæ obliterandæ gratia,sed solo laudis amore præter istã philosophorũ normã maxima pericula,& quæ poterant ab ipsis sine crimine, aut nota præteriri,suscepisse.Vt enim taceã Athenienſium, Lacedæmoniorum, Romanorũq; vetera exempla,quæ sunt scriptis disertorum hominum græce & latine celebrata, memorare possem Hispanorũ cõplures huius rei locupletissimos testes memoriæ recentioris,in primisque illustrium familiarum viros Emanuelẽ Leonẽ,& Suerum Quignonium. quorũ(vt accepim⁹)Emanuel,patrũ,vel nostra potius memoria in Africã traiecit ad quęrẽdas laudis occasiones,ac de more indicto bello, per vniuersam Mauritaniã fortissimũ quemq; ad singulare certamen prouocauit,quæ fama & æmulatio cũ ex tota penè Africa multos fortissimos viros in locũ pugnæ destinatum euocasset,septẽ deuictis & obtrũcatis (cæteros enim periculi mortisq; certitudo à pugna deterruit) in Hispaniã cum summa laude occisorũ capita, quæ nos pueri spectauimus Hispali,in triumphum ducens remeauit.Suerus aũt Quignonius eadẽ cupiditate ingens & animi & corporis robur ostentandi, anorũ memoria ineunte anno,quo erat Compostellę Iubileus de more celebrand⁹, qua via Compostellam est peregrinis exterarum nationum, quos religio solet frequentes excire,pontem Vrbici amnis ad Asturiã custodire statuit,hac lege viatorib.proposita,vt quisquis vellet transire pontẽ,vel se quasi victũ & virtute inferiorem dato munusculo profiteretur,puta calcari,seu chirotheca:vel si hoc alienum duceret suagloria & dignitate, nõ aliter,quàm victo custode transiturus.singulari se pedestri, seu mallet equestri certamini compararet,ad quod ille armageneris omnis,& equos vtriq; paratos habebat quo bello publicè per nobilissimas Galliæ, Germaniæ,Britãniæq; ciuitates indicto,multi fortissimi viri cõfluxere. quorũ nemo pontẽ transire tentauit,quẽ non Suerus aut deuicerit(quibusdam etiam interemptis) aut deditionem facere ex legis præscripto coegerit. D E. Tales quosdã ex illustribus viris extitisse, qui ad egregias

lib.1 sat.3.

corporis,

corporis,animiq; vires ostentandas,affectata populari laude, quasi tempestatem in tranquillo, sic pericula in pace quærerent, nemo dubitat. quod scio multis præterea Hispanis ex mihi notis accidisse, veluti Lo. Vrbinæ,Didaco Garsiæ,ducibus spectatæ virtutis & magni nominis. qui non semel,sed sæpius causis nõ tam necessarijs, quàm ambitiosis inimicos,aut æmulos,ad certamen singulare prouocarunt, & vicisse glorioſum putauerunt.Sed vt ipse dicebas,nemo viuit sine crimine,nemoq; tã constans est in virtute,vt non interdum ab ipsa dilabatur:& vt alij sunt ad alia,sic fateor magnos animos,cũ à recta via discesserint,in hæc duo vitia procliuiores esse,vt laudẽ affectent immoderate, à fortitudine in audaciam dilapsi,sintq; iniuriarum plusquã oportet impatiẽtes. quæ vitia quanquã minus vituperantur quã ea quib.ignaui solẽt implicari, vitia tamen sunt,nec animi magnitudini cõuenientia, vt bonum virum acescit potius,quàm vapescat, vtrouis tamen vitio gratiã & bonitatem amittit.& bonus ensis impactº cõminuitur magis,quã hebetetur,vtrunque tamen est detrimentũ. ¶ Quod verò pertinet ad singulare certamẽ, quoniã in frequenti corona,& quasi theatro decernere pulcherrimum hoc tẽpore plerisq;,& magnorum virorũ opus esse videtur,nollẽ quenquã ignorare,hanc consuetudinẽ commilitonũ inter se pugna singulari decernẽdi plurimũ abesse à veteri tũ Græcorum,tũ Romanorum militari disciplina,apud quos qui in tale certamen descendissent infamia notabantur.id enim munus seruorum erat,& viliſſimorum hominum, qui sanguinem venalẽ habebãt,gladiatores nuncupati. nã horum paria in theatris spectandi gratia, & iustis exequiarũ magnorum virorũ edebantur. quãuis hæc ipsa spectacula,optimi ac prudentiſſimi principis Cõstantini lege,vt crudelia,& inhumana,sublata sunt. Itaq; Hispanos tuos miror,gentem non modo bellacem,sed etiã humanam & grauem, hunc apud eos morem inueteraſſe, longe videlicet ex veteri memoria repetitum,vt non solũ ingenui homines,sed clari etiã & illustres sæpe æmulationes & controuersias, quas disceptando vel finire non potuissent,vel noluissent,armis & singulari certamine decernerent. quam operam gratuitam Africano Scipioni patris,patruiq; mortis causa multi ad nouam Carthaginẽ præstitisse memorantur, quidam à regulis missi ad specimen insitæ genti virtutis ostendendum,alij æmulatione ducti, Corbis autẽ & Orsua patrueles fratres, viri illustres de principatu ibis ciuitatis ambigentes. Nam cum verbis disceptare Scipio vellet,ac sedare iras,negauerunt ambo,aliũ se Deorũ hominúmve,quàm Martem iudicem habituros.Itaq; ab Hispanis ad Italos & Græcos hæc pugnandi consuetudo videri poterat post labefactatum imperium reip. Romanæ permãsisse,nisi Carolº Pipini filius Francorũ rex,& idẽ Romanorũ imperator,lege Longobarda nuncupata,& item Otho imperator, ac rex Italiæ tam longo post Scipionem tempore sanxissent,vt quædam causæ

hoc genere pugnæ teſtibus non ſuppetentibus dijudicarentur. quibus tamen legibus antiquatis iure pontificio tanquam immanib. & iuri diuino contrarijs, conſuetudo omni philoſophia & recta ratione dãnata perſeuerat inter milites præſertim Italos, Hiſpanos, & Græcos, æmulationis vel iniuriarum cauſa decernẽdi. quæ rationis & humanitatis minimum, ambitioſæ feritatis plurimũ habet. Inter Gallos enim, Pannonios, Britãnos, Germanos, cæteraſq; Septentrioni adiacentes nationes, rariſſimum eſt talia certamina ſpectare, quanquam ſint alioquin gẽtes ferociſſimæ, & facile mortem contemnentes, ſcilicet quonia his natura inimicitiarum irarumq; modum imponit: nos qui cæteris mortalib. humaniores eſſe gloriamur, eaſdem ſæpe prauis opinionibus alimus, à leuitate, ſi verum quærimus, ambitioneq; profectis. Sæpe namq; ſum° ad noſtras contumelias ingenioſi. quam peruerſitatem damnans Gonſalus ille magnus (quem ego parem ſummis cuiuſq; memoriæ viris ſemper exiſtimaui) dicere ſolebat, ſtamen honoris generoſo militi craſſius eſſe nendum, docens videlicet paulò duriuſcula tranſlatione, ſi quid in nos dictum fuerit, aut factum paulo liberius vel cõtumelioſius, id eſſe non amarè querimonia ingenioſa, ſed craſſa, vt dicitur Minerua, humanè, & quantum res patitur, diſſimulanter interpretandum. ne leuibus ex cauſis temerè ad capitalia diſſidia, & talia certamina progrediamur, quæ facilè, nec ſine principum magna culpa his temporib. in Italia præſertim permittuntur, præter veterem, vt dixi, Græcorum & Romanorum diſciplinam militarem, per quam olim prouocare licebat ex hoſtibus aliquem ad ſingularem pugnam, & vtroq; exercitu ſpectante ſuperare, pulcherrimum glorioſumq; habebatur. ſic in bello Troiano Paris pugnauit cum Menelao, Hector cum Aiace, in Thebano Eteocles cum Polynice: ſic ex Romanis, ne ſingulos referam, Manlius cum Gallo, à quo deuicto propter torquem eidem detractum, Torquati cognomen tulit, & ante hunc eodem ferè modo tres Horatij cum tribus Curiatijs de ſumma rerum, publica auctoritate dimicarunt, quos imitati noſtra memoria vndecim Hiſpani permittente Gõſalo magno cum totidem Gallis de gloria duntaxat, exercitibus ſpectantibus, equeſtri pugna decertarunt, dubiaq; victoria interuentu noctis, cũ maiore tamen Gallorum detrimẽto diſceſſere. eodemq; genere pugnæ paulò pòſt tredecim Itali ex eodem exercitu parem quoq; Gallorum numerum deuicere. Nec vero ſolum militibus tunc illud fuit conceſſum, ſed ineunte bello dux ipſe Gonſalus, dum ſe Bariletæ cum Hiſpanorum parua manu contineret, Gallorum ducem fœderis percuſſi violatorem dirimẽdarum controuerſiarum gratia ad ſingulare certamen prouocauit. Nec mirum eſt, Gallũ pugnã detrectaſſe, qui datas acceptasq; in regni Neapolitani diuiſione leges, fretus ſuorum multitudine cõtempſerat. Cõſtat igitur tales cum hoſtibus pugnas, vt his temporibus, ſic olim inter

claros

claros etiam viros non modo per leges conceſſas fuiſſe, ſed etiam vſitatas: commilitones autem inter ſe, vt nunc fit, gladiatorum more dimicaſſe, nullos antiquitus video neq; conſuetudine illarum, quas dixi gẽtium, neq; legibus fuiſſe permiſſos. A L. Alia eſt gladiatorum abiectiſſimorum hominum cauſa, qui vel empti pretio, vel mercede conducti in ludis theatralibus dimicabant: alia honeſtorum, & fortium virorũ, qui laudis ſtudio, aut dirimendæ controuerſiæ cauſa inſpectante exercitu, aut in corona militari depugnant. D E. longe quidẽ alia, ſed vtraq; in milite non modo contra religionem Chriſtianam, ſed etiam præter veterem militarem diſciplinam.

¶ A L. Nunquámne igitur licebit Chriſtiano militi ſingulari pugna decernere? D E. Licebit, quoties multis fuerit ſimul pugnare permiſſum. Quibus enim turmatim, legionatímve dimicare per Chriſtianas leges permittitur, hos quid prohibet pro eadem cauſa, & cũ eodem hoſte cõfligere ſingulariter? An minus licuiſſe arbitremur, Dauidi Philiſtæum Goliatũ pugna ſingulari proſternere, quã ſi hoc idẽ conſerto multorũ prælio peregiſſet? Nã cum hoſte legitimo, vtcunq; in bello depugnare, non eſt tentare Deũ, quod lege diuina vetamur, ſed officio fungi boni militis: nec hoſtem tollere, eſt homicidium patrare, naturæ quoq; lege prohibitum, quod fit, cum innocens homo, & indemnatus iniuſſu principis, aut magiſtratus occiditur, ſed victoriam quærere hoſtium numero diminuto. commilitonum inter ſe, aut ciuium diſſidentium longe alia ratio eſt. Turpiſſimũ eſt enim belli ſocios, quos oportet ope mutua cauſam cõmunem defendere, ſtulta, vt ſæpe fit, ac pernicioſa ambitione inter ſe pugnare, aut velle ſuas priuatas controuerſias ferro potius dirimi velut ſortib. impijs, quàm cõmunib. legibus dijudicari. A L. Quid ſi non detur alia facultas dijudicandi, vt poſſet vſu venire? D E. Quo tãdem id pacto? A L Faciamus aliquem audacia furentẽ hominem, falſo detuliſſe ad imperatorẽ, me cogitatis inſidijs læſiſſe maieſtatẽ, ſe vno fruſtra magnis pollicitationibus in ſceleris ſocietatem adſcito, qui me facinus inficientem, armis ſe, cum aliter non detur, profiteatur adacturum imperatore credulo inſtitutũ eius pertinaciter approbante, vt mihi armis crimen intentum repellere ſit neceſſe, vel certamine detrecta to, cauſa cadere cum certo periculo non ſolum infamiæ, ſed necis etiã, aut exilij, adde etiam bonorum publicationem. hoc igitur ſi mihi forte accidat, quod omen auertat Deus immortalis, ne tũc quidem mihi liceat per Chriſtianæ religionis ſeueritatem pro meis fortunis, pro mea fama, pro mea ſalute depugnare? D E. Tot rebus congruẽtibus Alfonſe, ſi quis miles certamen recuſaret, hunc ego nõ fortiter prudentérve agere, nec religioſè crederẽ, ſed ignaue & ſtultè ſe, ſuaq; prodere iudicarẽ. nec enim tale certamen ſuſcipere eſſet turpiter agere (quẽadmodũ quidã exiſtimant) vt honeſtũ aliquid contingat, quod facere Paulo auctore vera-

1. Reg. 17.

Rom.3. vetamur,ſed arctiſſimis anguſtijs ſine ſua culpa intercluſum magnam & intolerabilem iniuriam inferenti,ea ratione, qua ſola datur obſiſtere.quod eſt honeſtiſſimum iure naturæ magno tamen ſcelere prouocãtis,& ſingulari principis iniuſtitia.Sed quid attinet huc afferre,quæ cogitatione finguntur,nec multis ſæculis vſu veniunt,vbi quæritur de ijs, quæ quotidie patrantur,& legibus tum pontificijs,tum etiã diuinis prohibentur? Hoc igitur dico,non licere Chriſtiano cuiquam pugna ſingulari,niſi cum hoſte legitimo decernere, ſi aliter detur,pacem ſine maximis incommodis,ac impendente graui iniuria retinere, vel ſe legibus tueri,ſuamq; dignitatem,nunquam tamen, vt euentu pugnæ anceps cõtrouerſia velut Marte iudice dirimatur.Non eſt enim cõmittendum,vt tentare Deum eiuſq; iuſtitiam experiri velle videamur.At ſi grauiſſima injuria,intolerabiliaq; damna impendeant,cæteris nobis legum, principisq; ſubſidijs ademptis, qualem cauſam fingere me paulò ante iubebas,haud equidem verear,Deum nobis iratum fore, ſi vltima præſidia petemus à lege naturæ, quæ nulli vnquam interdixit, vim vi repellere, aut iniurias quàm honeſtiſſime poſſet, vel neceſſaria ratione propulſare.

¶ A L. Aequiſſima verò ſententia, & cui nemo non videatur etiam atq; etiã aſſenſurus.Sed obſecro te Democrates, quando nos huc ſermo deduxit,ne graueris illã huic finitimam quæſtionẽ nobis expedire,de qua nuper me audiẽte magna fuit inter egregios milites altercatio,propter recẽtẽ memoriã pertinaciſſimi certaminis duorũ robuſtiſſimorũ meæ gentis militũ Spinoſæ,& Guſmani,quibuſdam in cœlũ efferentib. laude,alijs contrà vituperantib.Guſmani conſiliũ,qui proſtratus, ac omni ſpe victoriæ deiectus pernecari maluit,quã facienda deditione ſe victũ confiteri.cui ſimile quiddã contigerat Sancticrucio,qui Ferrarię in nobili ac frequenti corona victus eſt ab Azeuedo. Quid igitur ipſe ſtatuas ſcire velim,ſi commiſſo certamine,talib. ex cauſis ſuſcepto, generoſus miles amiſſo telo,vel quacunq; ratione,tam miſeraliter laboret,vt nulla ſuperſit amplius ſpes neq; victoriæ omnino,neq; vitę,niſi cedat,vtrũ huic honeſti⁹ putes,mortẽ oppetere inuicto animo, an facere deditionẽ,ſi qua ex parte,ſi quáve ratione, ſibi valeat in extremis malis conſulere.Nam ſi mori honeſtius eſt,ac fortius,vt fert multorũ militum opinio,hic erit alius loc⁹,in quo ratio militaris videri poſſit cum diſciplina Chriſtiana diſſentire.Illud quoq; à te perlibenter diſcerem,facta deditione ab eo, qui turpem cauſam fouebat,quiq; fraudulenter cõfoſſus paulò pòſt efflauit animam, quale Dei iudicium fore de hoc licebit ſperare,ſi ritè confeſſus fuerit peccata ſua:vel ſi hoc non detur, ſaltem pœnitenti animo Dei miſericordiam implorauit,cum illud cõſtet,ſic peremptis hominibus Eccleſiaſticam ſepulturam iure pontificio negari.

D E. Dicã equidẽ quod ſentio,nec me rigida quorũdã ambitioſaq; oratio(ne-

rio (neque enim quid sibi velit ignoramus) obstabit, quo minus explicem liberè, quæ tum à prudentissimis, eisdemque fortissimis viris didici, tum certa ratione sum edoctus. Sic igitur censeo, quod attinet ad priorem quæstionem, fortem militem, si quando acciderit, vt in tale certamen descendat, hoc animo accedere oportere, nihil vt minus cogitet, quàm de facienda deditione, sed sibi statuat, vel vincendũ esse, vel moriendũ. Sic enim fiet, vt periculi mortisq; securus strenue acriterq; vrgeat inimicũ, nec quidquàm reliqui faciat ad egregiam virtutem. Ergo commisso certamine, qui hostem viriliter obtruncat, vel cogit ad deditionem, hunc esse suo iure in strenuis, & spectatis militibus habendum dico: ac vicissim in timidis, & ignauis, qui non tam virtute hostis, quàm sua ignauia vincitur, facitve deditionem, antequàm spes victoriæ, & quoquo modo repugnandi facultas fuerit omnino sublata. Qui verò præsenti animo cuncta præstiterit, quæ à forti milite desiderantur, maiore tamen hostis aut robore, aut armorum peritia, aut fortuna denique succubuerit, ne hunc quidem sua quadam laude fraudandũ puto. qui quod in ipso erat præstiterit inuicto animo: quæ vna & magna ratio est virtutis colẽdæ. quòd si victus vtcũq; superetur effugere nõ potest quandã in vulgus infamiã, tamen certũ habeo maioris animi esse, nõ solũ prudentiæ, in tantis rerũ angustijs deditionẽ facere, quàm mortẽ iã voluntariam nihil proficientem oppetere. Cuius rei dubitatio nõ solũ indigna est homine Christiano, sed abhorret etiam ab humanitate, & ipsa, de qua quæritur fortitudine. Quid est enim talibus in certaminibus deditionẽ facere, nisi victum se ab hoste cõfiteri? loquor enim de his pugnis ambitiosis, quæ iniuriarum causa, vel hac prætenta, de gloria & æmulationis gratia, vt nunc ferè assolet suscipiuntur. Quod igitur non in tenebris aut solitudine, sed in media luce, & populo vel exercitu tanquam in theatro spectante gestum est, id ne coram ipsis testibus fatearis, mortem præoptare, nonne furoris est, & extremæ demẽtiæ? AL. At enim mors est ignominiæ præferẽda. DE. Nõ eo inficias, si inest in ignominia, facti vel animi turpitudo. Mors enim potius oppetẽda est viro forti, quã turpiter aut ignaue faciendum. hic autem nulla est alia ignominia post certamen institutũ, nisi fuisse victum, quod nec vitari iã potest, nec iure vituperari, cũ vacet culpa, quæ potissima ratio est veræ ignominiæ. AL. Quid si victus honestã causam tuebatur, & crimẽ falso sibi obiectũ repellebat? etiãne huic cõsiliũ dabimus. vt faciat tali tẽpore deditionẽ, & crimẽ intentũ fateatur? DE. Moriendũ potius est, quã falsum crimen confitendũ. Nam cum mentiri ipsum per se turpe est tum cum sua vel alterius infamia turpissimum. Sed victor more huius temporis cum abolita lege Longobarda de gloria ferè, vt dixi, vel iniuriarũ causa decertatur, non postulat à victo, vt in se quidquam fateatur, tantum petit, vt se dedat. Hoc autem non est confiteri crimen,

Cap. significantibus de purgatione vulg.

sed se victum esse fateri: tunc esset, si semper & indubitato peior causa vinceretur, quod nunc abest. Vt declarãt cum alia quotidiana exempla, tum nobile illud Spoletanorum fratrum, de quibus extat Innocentij tertij Pont. max. rescriptum. qui fratres cum furtum sibi obiectum certando expellerent, quod est postea apud alium repertum, victi tamen sunt, Deo propter alia ipsorum peccata permittente. Ergo victor imperitaq; multitudo, vtcunq; velit interpretetur, deditionis tamen non est alia vis, quàm quòd se victus victori tradit: nec aliud in his malis dedecus est, quàm succubuisse, quod ipsum totum est opinabile. qui verè rectèq; iudicant, vbi non est culpa, nullam ignominiam agnoscentibus. Nam victum necessitate cedentem se victori dedere, hoc est in ipsius se potestatem permittere, in qua iam est, nihil addit noui dedecoris, quod sit tanta iactura redimendum. Nisi fortè putamus, qui iam superatus est hunc moriendo posse, quominus fuerit victus recusare. Sed faciamus ignominiam iam acceptam; cum vitari nullo modo possit, posse tamen moriendo non nihil subleuari, quæ dementia est? quis furor per Deum immortalem, vt leuius reddat tolerabile incommodum opinabilis dũtaxat infamiæ, vtpote sine culpa contractæ, extremum malum sponte subire præter omnem rationem? A. L. Hæc Democrates, vt video, non ratione gubernãtur, sed opinione geruntur, atq; more militari. D E. Quousq; tandem non pudebit nos, vulgarem & inanem persuasionem solidæ virtuti præferre? aut quid leuitate hac potest magis contrarium excogitari magnanimitati? quæ cum cæteras res humanas paruas putet, tum pro nihilo ducit rumores populares. Age verò, qui tam excors est, vt multorum errorem asserat certæ rationi præferendum, hic quem tãdem locum relinquit inquirendæ veritatis, aut de quibuslibet rebus disputandi? Quid enim ratione fiat, quæri solet à sanæ mentis hominibus non quid stulte vel furiose, nisi forte vt hoc vitetur cognitum, illud sine cũctatione petatur. quanquàm id perspicuum est, qui vt seruiat multorum errori, se rationem sequi negat, hunc apertè profiteri, se neq; fortem esse, nec magnanimum, nulla denique virtute præditum, nec virtutis aliud, quàm vmbram fortassis quandam consectari. Nam quod ais, morem quoque militarem suffragari huic errori; negligenter mihi videris, quid maxima ex parte fiat à fortibus etiam militibus obseruasse. A. L. Nonne plerique omnes milites sic loquuntur, moriendum esse potius, quam faciendam, etiam tali tempore, deditionem? D E. Nonne plerique omnes milites se dedunt potius tali tempore, quam oppetant mortem voluntariam? Neque enim tam interest, quid homines loquantur, quàm quid faciant. Veritas enim in rebus agendis, vt philosophorum sapientissimi testantur, non ex verbis, sed ex factis, vitaq; hominum iudicatur. Nam vt quidam encomium, vt dicitur, leuissime canunt ante victoriam, sic multi multa iactant ambitiose præter animi

lib. 10.

sen-

ſententiam,temereque magna,vt ſibi videntur,loquuntur, & de ſe tacitè pollicentur,ad rumores populares colligendos,qui in tales angustias detruſi bonitate naturæ rationem præferunt priſtinæ ſuæ,& reliquorum ſtultæ iactationi.Nunquàm igitur ego committam, vt huic militi qui cum fortiter,ac ſtrenuè depugnaſſet,iniquitate tamen fortunæ,quę in prælijs maxime dominatur, non ſua ignauia victus eſt, & extrema neceſſitate compulſus deditionem fecit, quenquam eorum anteferam qui cum nullum ipſi præbuerint egregiæ virtutis documentum , ſuſtinent tamen ſtulte magnificis verbis illius prudenter ac fortiter factum vituperare. Huius enim virtus & animus iam re mihi notus eſt, & certam ſpem dedit,ſi æquiore fortuna fuerit vſus,egregiam ſe laudem per occaſionem meriturum. illorum audio quidem magna verba, certum indicium fortitudinis nullum fortaſſe vidi, nec habeo quidquàm exploratum,quo poſſim,quid ipſi tali tempore præſtituri ſint, tam certa cõiectura polliceri.Vt igitur nihil mouearis religionis reſpectu,quod ipſum eſt ſummum malum,& extrema infamia in homine Chriſtiano, tamen ſi putas non iam repugnando,amiſſa videlicet facultate,ſed prębendo iugulum nihil proficientem,non tibi,non patriæ, non reipublicæ conſulentem,mortem oppetere,quam potes ſolo verbo , ſine culpa vel nouo dedecore vitare pulchrum eſſe,& fortitudinis opus,vehemẽter erras.Illud enim iam non eſt,vt quidam iactant,fortiter facere, ſed ſtultiſſime pati. Huc itaque valet tritum illud inter milites verbum, vincendum eſſe aut moriendum viro forti,vt nec mortis timor,nec periculum obſit,quo minus fortiter ac intrepide inimicum oppugnemus non vt viribus exhauſtis,ac vtcunque repugnandi facultate ſublata,vltro mortem accerſamus.quod eſt hominis planè ſtupidi, vel perfracto animo. Quanto illud ſanioris mentis eſt, & integrioris animi in extremis malis bene ſperare? & qui lætaliter eſt vulneratus deſperata corporis,animæ ſaluti conſulere,cui vero ſpes aliqua vitæ ſupereſt,reſeruare ſe meliori fortunę? Multi enim quorum exemplorum plena vita eſt,cum infeliciter aliquando pugnaſſent, non ſolum maiore virtutis laude ignominiam deleuere, ſed etiam optime de patria, vel republica merendo ſummam gloriam ſunt conſecuti.Quòd ſi quis mortem præoptat,ne viuus infamia,& infelicis caſus recordatione conficiatur: ſimiliter omnino facit,vt qui mortem ſibi conſciſcit,quo effugiat calamitates. quod timidi eſſe & proſtrati animi, teſtis eſt non modo Auguſtinus,ſed Plato etiam, & Ariſtoteles.Nec tamen fuiſſe miror, qui Guſmani imprudenter,ne dicam ſtulte & impie factum laudibus efferrent & fortaſſis ore pleno laudarent, non ſolum quoniam à ſolertibus hominibus ſæpe inſania inter inſaniẽtes non inutiliter ſimulatur,ne quos animi forſitan robore,intelligentiaque excellunt, ab ijs magnitudine verborum,cum aliqua popularis exiſtimationis iactura ſuperari vide-

antur,sed etiam quia multi milites tanta cupiditate laudis indomiti ac feri animi flagrant,vt beluis immanibus,quam prudentibus & præstãtibus hominibus similes & esse,& haberi malint, vrsi vel leonis feritatem virtutibus humanis præferentes.Quæ pernicioſa peruersaq; ambitio quantum absit ab ea,quam sæpe dico, magnitudine animi, satis est, vt arbitror,à nobis supra declaratum.Alia est enim Sancti crucij causa: qui licet succiso femore in genu concidisset,non tamen nec gladium amiserat,nec spẽ posse se inimicũ male accipere,si ille vt relato pede largius manãte sanguine ad victoriã vtebatur,sic cominus pugnare perrexisset.Quem porrò exitum certamẽ habuerit non ignoratis. Sancticrucius.n.non fecit ille quidem deditionem, nec tamen se passus est iugulari.quanquam victus fuerit Alfonsi ducis iudicio.qui victo consulens paulatim deficienti,& iam penè quasso sanguine pugnã diremit. Quod autem quæris de spe diuini iudicij in eum,qui turpem causam defendẽs occiditur,quæstio non habet difficiles explicatus.Nam qui delicto per

Matt.12. tinaciter indulgens obierit, peccati tenetur in spiritum sanctum: *quod nec in hoc sæculo remittitur,nec in futuro.* Qui verò malorum pœnitentia tacta vel puncto temporis ante emissum spiritum, Dei misericordiã imploraverit,de hoc nihil est quòd desperemus. Nam testibus Iohele & Pau-

Ioh 2. *Rom 10.* *Ezech.18.* lo,*quicunque Dei nomen inuocauerit*,saluus erit. *nec Deus vult mortem peccatoris,sed vt conuertatur,& viuat*,vitam scilicet æternam.Nam quòd sepultura in loco sacro sic interemptis ab ecclesia negatur,hoc non tam pertinet ad animæ efflatæ præiudicium,quàm ad infamiam:qua viui solẽt multomagis interdũ quàm peccato deterreri.Cæterũ vt Christiani,sic viri fortis est,ac magnanimi(vt sæpè dico)talia certamina, quoad fieri potest euitare,& nunquã ambitionis,aut vltionis gratia:deniq; nisi ob honestissimã,eandemq; necessariã causam , qualem suprà exposuimus suscipere.

A L.Obsistere igitur iniuriæ venienti Christianis decernis esse concessum,illatas persequi negatũ? D E.Sic equidem statuo.¶ A L.Nullane ergo relinquetur male meritos vlciscẽdi ratio?sed magna impunitas erit prauis hominib. in bonos,& magnanimos debacchandi patientia fortium virorum abutentibus ? quid hoc aliud est quam dare improbis & iniustis peccandi licentiam , & optimos quosque reddere iniurijs opportunos? D E. Nonne leges sunt, quibus crimina pro meri-

Rom.13. to vindicantur? non magistratus? qui *ministri Dei sunt*(vt Paulus ait)*& vindices in iram ei qui malum agit*? A L. Imbecillium & ignauorũ hominũ est, accepta iniuria magistratus fidẽ ad vltionem implorare. D E. At fortiũ & magnanimorũ,cũ infertur,robusto animo repellere,illatã porrò pœnitentib. quod ad se pertinet cõdonare. Nec tamẽ si nostræ nobis iniuriæ exẽplo Christi,vt docet Chrysostomus,magno animo ferẽdæ sunt, protinus reipubl.contumeliæ, aut damna negligenda. Interest autem reipublicæ quam Deus in primis saluam & tranquillam esse vult, ne crimina maneant impunita. Quæ maiorem sæpe ciuitatibus exemplo,

quàm præsenti malo perniciẽ afferũt, nisi legitimis pœnis vindicentur Vindicta enim pars est, & quidem magna iustitiæ, si tamen nõ ad explẽdum priuatum odium sumatur, sed ad correctionẽ malorum spectet, & bonorum tranquillitatem. Quod munus regibus ac magistratibus, belliq; ducibus commissum est, ne priuatis ciuium, aut militum contentionibus, & certaminib. status reipublicæ perturbetur, cui° optimus quisque debet esse colens, & studiosissimus. Quo fit, vt magistratibus, & quicunq; personam gerunt reipublicæ per diuinas leges, humanasq; liceat, iniurias in se illatas rite vindicare, non iræ priuatæ, odiove indulgentibus, sed ne quid detrimẽti res, aut dignitas publica patiatur. Nam quòd vereris, ne vir optimus & magnanimus iniuriæ fiat per has leges opportunus, nequidquam sollicitaris. Multa enim sunt, quæ tales viros ab iniurijs contumelijsq; tutentur. Est enim (vt diximus) fortis & magnanimi, neminem lædere nisi lacessitum, nullius dictis, aut factis obmurmurare, nullius neque laudi, neque commodis inuidere, aut obtrectare, res quas alij demirantur, præter virtutem pro minimo ducere. multos iuuare, ac beneficijs, & gratuita, liberaliq; opera demereri. cunctis demum officijs & virtutibus, omnisi in se animos cum laude, ac beneuolẽtia cõuertere. Nihil est enim amabilius, nihil plausibilius virtute. Talẽ igitur virũ, quis lædere inducet animum? aut quis potius non colet, ac demirabitur? Quòd si quis tam peruersæ mentis, tamque deprauatorum morum fuerit, vt virtutem oderit studiose, quod in fortem & robustum animum cadere non potest, hunc tamen vt pessima quæque mancipia timor pœnæ ab inferenda in fortem, & optimum virum iniuria deterrebit. Timebit enim leges, quibus talis mentis, factique peruersitas, & turpitudo dignis supplicijs vindicatur. timebit, & multo fortasse magis, ne iniuria, quam inferre molitur, fortiter propulsata (propulsare enim optimo, & sanctissimo cuique licet) recidat in suum magnum malum. Quòd si quis per insidias, & captatam occasionem se iniuriam sine præsenti pœna inferre posse confidat, metuet tamen, ne id quod interdum accidit, vir alioquin optimus, & patientissimus, iniquius ferat rei indignitatem, & ira, quæ res est in primis violenta depulsus, paulũque virtutis ac religionis angustias egressus fortitudinem in audaciam conuertat: ac iniuriam turpiter & cum infamia auctoris illatam, seuerius multis approbantibus vlciscatur. Hæc mihi in mentem venerunt, quæ de militaris disciplinæ & Christianæ religionis conuenientia pro temporis angustia disserẽ, conueniẽter (vt arbitror) piorũ & catholicorum sententiæ, à qua statui nunquam discedere. Cætera (si quæ præterea desiderabitis) à doctioribus petetis, & magis otiosis. LE. Tu verò quæ huius erant loci, cuncta mihi videris acri ingenio, exquisitaque doctrina copiosissime collegisse, meque tali tuo sermoni interfuisse vehementer delectauit. AL. Ego verò profiteor nullas iam pridem horas

nec vtilius, nec iocundius, quam hoc biduo, dum vos audirem traduxisse; tibiq; Democrates ingẽtem habeo gratiam, quòd mihi diuturnam, eandemque difficilem dubitationem exemisti. DE. Si vobis satis feci, tuli nostri colloquij fructum, quem maximum optabam. Sit igitur disputationi modus. Iam enim adueſperascit, & pontifex ad palatium regreditur.

FINIS.

ARNOLDVS MYLIVS ARN. F. Birckmannus.

LECTORI.

SCRIPSIT *Geneſius Sepulueda dialogum alterum* de iuſtis belli cauſis, *quẽ inſcripſit* Democrates ſecũdus, *in quo iſtam quæſtionem potiſſimum explicauit:* An liceat bello Indos proſequi, auferendo ab eis dominia poſſeſſioneſque, & bona temporalia, & occidendo eos ſi reſiſtentiam appoſuerint, vt ſic ſpoliati & ſubiecti, facilius per prædicatores ſuadeatur eis fides. *De qua controuerſia quia tunc grauiſſimæ erant doctorum diſputationes, latuit ad tempus liber inter priuatos, donec vicit eorũ ſentẽtia qui publicandum exiſtimabant. Editus igitur eſt Romæ curante Antonio Auguſtino ſacri Palatij auditore, ſed cum inter Italos maximè & Hiſpanos iſta controuerſia ageretur, & pauca admodum exemplaria excuſa eſſent, ad exteros non peruenit, adeoque in ipſis Hiſpanorum manibus intercidit. Damus ergo iſtius libri apologiam, qua libellum ſuum contra oppugnantium rationes defendit. Fruere Lector, & ſi per te editi libelli exemplum habere licuerit, deuinces nos tibi memoria beneficij ſempiterna.*

Colonia Vbiorum.

Aluarus

Aluarus Gomecius libro octauo de rebus gestis Francisci Ximenij.

ANNO quadragesimo Ferdinando Barriouero rectore, cum noui orbis per Hispanos patefacti indigenæ, duro & acerbo seruitio à militibus nostris premerentur, seruos eos esse contendentibus, quasi Barbari homines & contumaces, palamque religionem auersantes, iure belli iustissimè capti essent: Genesius Sepulueda vir nostra tempestate doctrina & eloquentia illustris, illorum causam libello elegantissimo, alijs contra asserentibus, defendit. Huius rei cognitio nostræ academiæ commissa est: quæ post longam cum Genesio disputationem, hisce verbis ad regium senatum scripsit. Doctrina huius libri accurate probat quod assumit: sed quoniam non est satis tuta, librum hũc imprimi aut euulgari æquum non est. Atque ita iuxta Complutensis academiæ decretum factum esse, in hunc diem videmus.

APOLOGIA IOANNIS GENESII SEPVLVEDAE PRO LIBRO DE IVSTIS BELLI CAVSIS.

Ad Amplissimum, & Doctissimum præsulem, D. ANTONIVM RAMIRVM Episcopum Segouiensem.

COMMENTATIONEM tuam Præsul Amplissime, quam de bello Barbarico aduersus meum de iustis belli causis libellũ elucubrasti, & mihi misisti, Cordubæ acceptam non sine quadam consilij tui deliratione perlegi. Mirabar enim, quæ te causa impulisset, vt elucubrato libello meam huius generis sentẽtiam, oppugnare animum induceres, hominis primũ tui, tuarumque virtutum, & dignitatis studiosi & cupidi, deinde publicam & honestissimam, nostræ nationis & principis, cui tu plurima debes, causam aduersus quorundam pertinaciam apertissimis, & grauissimis diuinarum scripturarum, & sacrorum doctorum testimonijs, & firmissimo rationum præsidio, & ecclesiæ auctoritate defendentis. Nãte virum prudentem & antistitem grauissimum ambitioni seruisse, vt

inge-

ingeniũ tã alieno loco, & doctrinam ostentares adduci non poteram. Præsertim cum parum, aut nihil detuo afferas, sed pleraq; omnia aliena, nec satis tua singulari eruditione digna, & ab his sumpta, qui calumnijs, & strophis, parum vel prudenter, vel modeste, ne quid grauius dicam, in mea sentẽtia honestissimam Reipublicæ, ac Regum nostrorum causam oppugnant. Sed cum omnia solicito animo & vaga cogitatione perlustrassem, in eam potissimum opinionem adductus sum, vt te virum optimum, & perhumanum, nihil aliud secutum fuisse, quam officium existimarem, & libello, quo rationum, quibus maxime nituntur aduersarij, momenta complexus es conficiendo, ad meq; mittendo, id egisse, vt vel me errantem & rationibus cedentem, in viam reduceres, aut si persisterem in sententia, quomodo obiecta diluerem, me respondente planius intelligeres. Faciam igitur quod tacitus iubes, imo vero plusquam iubes, proponam enim non tua solum argumenta, sed etiam omnia, quæ mihi vel Compluti, vel Salamanticæ fuerunt obiecta, & interiectis more scholastico mearum rationum fundamentis, & confirmationibus, ad singula respondebo, refellamq; calumnias non tuas (noui enim animi tui candorem, ac simplicitatem) sed quorundam, ambitione aut etiam grauioribus animi morbis laborantium hominum, quos certum habeo, omni ope elaborasse, quo te, vt multos alios eisdem præstigijs ludificarentur. Sed primum omnium deponenda tibi est falsa persuasio, si forte putas Salmanticensem aut Complutensem academiam contra meum libellum iudicasse, non enim vniuersitatis illud iudicium fuit, sed paucorum corruptorum hominum artificium, non communis sententia, sed duorum aut trium vtrobique præstigiæ quorum cæteri auctoritatem propter doctrinæ maiorem opinionem suo iudicio prætulerunt. Sic igitur disputationem ordiris *Quæstio est*, inquis, *an liceat bello indos prosequi auferendo ab eis dominia, possessioneſque, & bona temporalia, & occidendo eos, si resistentiã apposuerint, vt sic spoliati, & subiecti facilius per prædicatores suadeatur eis fides.* Quæstionem autem, vt de mea sententia differatur, ad hunc modum proponere quid aliud est, quam in limine vt aiunt offendere? & ipso statim disputationis principio artes eorum prodere, vnde ista sumpsisti? Qui cæterarum machinationem, quibus meum librum oppugnant, infirmitati diffidentes præsidium petunt à falsis criminibus, & quas iniurias, & impia latrocinia acerrime meus libellus insectatur, harum me patrocinium suscepisse mentiuntur, vt mihi faciant inuidiam, sibi verò concilient fauorem popularem, nisi forte meum librum vel non legerunt, vel lectum propter characteris paulo cultioris insolentiam non intellexerunt. Quod multis accidisse sensi ex his, quorum suffragio res permissa est, vt scias ipsum à plerisq; indicta causa fuisse damnatum, iure diuino & naturali repugnante. Ego igitur ne te mea sentẽtia, de qua quærẽdum est lateat, hos barbaros non

Salmant. neq; Complut. academia iudicauit contra libellũ Sepulueda.

non possessionibus & facultatibus spoliandos esse dico, nec in seruitutem redigendos, sed Christianorum imperio subijciẽdos, ne fidem, aut eius propagationem impediant, prædicatoribus obsistendo, & Deum per idololatriam blasphemando, & ob alias ipsorum vtilitates. Aliter igitur quæstio proponenda est ad hunc modum.

Quæritur, vtrum barbari, quos Indos vocamus Christianorum Hispanorum imperio iure subijciantur, vt barbaris moribus, & cultu idolorum ac impijs ritibus sublatis ad accipiendam Christianam religionem ipsorum animi præparentur, qui negant his rationibus dicuntur.

Quæstionem ab Ant. Ramiro male positam corrigit.

Primum ita differunt *bellum, quo isti barbari in Christianorum ditionem rediguntur non est iustum, non igitur iure debellantur.* Illud probatur: iusta bella definiri solent (vt inquit Augustinus. 23. q. 2. c. dominus) quæ vlciscuntur iniurias, isti autem barbari nulla iniuria Christianos affecerunt, non igitur iure his bellum infertur. 1.

Argumenta quibus ducuntur qui negant bellum hoc iustum.

Secundò, *bellum quod ad tradendam religionem pertinet, non potest esse iustum, religionis igitur prætextu bellum barbaris iustè inferri non potest*, Namq; ad fidem neminem esse cogendum testis est Augustinus in epistola Petiliani, & habetur. 23. q. 5. ad fidem, & concilij Toletani. 4. decretum est ad credendum nemini esse vim faciendum, de quo est in c. de Iudæis. dist. 45. & c. maiores de bapt. & eius effectu. Idem testatur Gregor. in epistola ad Pascas. de qua est in eadem dist. c. qui Syncera. 2.

Tertiò *hoc bellum fit contra Christi & Apostolorum exemplum qui persuasionibus tantum, nulla omninò vi adhibita religionem tradiderunt, non igitur iustè infertur.* Cum omnis Christi actio debeat esse nostra instructio auctore Paulo Ro. 15. 3.

Quartò *finis huic bello propositus s. barbarorum conuersio ad fidem, alia ratione, & sine armis commodiùs obtineri posset. s. per Euangelij prædicationem missis Apostolis, seu prædicatoribus, vt in primitiua Ecclesia factum est, non igitur est bellum inferendum.* Nam bellum necessitatis esse debet, id est cum nulla alia ratione belli finem pacemq; consequi datur vt testatur Augustin. 23. q. 1. c. noli. 4.

Quintò. *Nulli genti bellum est inferendum, nisi antecedente monitione, & cognita pertinacia, nam obtemperantibus iniustissimè vis adhibetur. Quamuis igitur idolorum cultũ deponere, & prædicatores admittere nolentibus, iure possit bellum inferri, prius tamen vt hæc facerent, essent admonendi, vt non aliter, quam spreta admonitione pertinacibus bellum inferretur. Hoc autem nunquam factum est ab Hispanis in hoc bello, nunquam igitur iustè hoc bellum intulerunt.* 5.

Sextò, *fieri non potest, aut certè difficillimum est, vt bellum hoc sine peccatis, multisque malis geratur, vt res ipsa docuit, nunquam enim gestum est sine iniuria & maleficio magnisque incommodis, & iacturis barbarorum. Non est igitur gerendum ne spe quidem boni quamlibet magni, quod euenturum esse videatur*, non enim faciẽda mala sunt, vt eueniant bona auctore Paulo ad Rom. c. 3. 6.

Septimò. *Non est iure, aut potestatis Ecclesiæ siue Pontificis de infidelibus iudicare, Papa ergo nec per se, nec per alium potest infideles ad cuiuscũq; legis obseruationem cõpellere.* Nõ enim fuit talis potestas Apostolis cõcessa, vt Paulus testatur. 1. Cor. 5 dicens *quid enim pertinet ad me de ijs qui foris sunt iudicare*, ergo nec Ecclesiæ. 7.

Contra hæc faciũt sanctorum patrum apertissima testimonia & Ecclesiæ decretum factum, atq; declaratio.

Responsio probatur primo.

Respondetur *optimo iure isti barbari à Christianis in ditionem rediguntur.*

Primùm, *quia sunt, aut erant certè, antequam in Christianorum ditionem venirent omnes moribus, pleriq́ue etiam natura barbari, sine literis, sine prudentia, & multis barbaricis vitijs contaminati,* vt testatur historia generalis de ipsis scripta, & auctoritate Indici consilij probata lib. 3. c. 6. *Barbari enim,* vt ait Thomas, polit. primo, lectione prima, *simpliciter nominantur, qui ratione deficiunt, vel propter regionem cœli, ex qua hebetes magna ex parte inueniantur, vel propter aliquam malam consuetudinem, qua homines fiunt quasi brutales.* huiusmodi autem gentes, iure naturæ, debent humanioribus, prudentioribus, & præstantiorib. parere vt melioribus moribus & institutis gubernentur, sed si admoniti imperium recusent, possunt armis cogi, & id bellum erit iustum iure naturæ, vt auctor est Arist. primo Politicorum. c. 3. & 5. & Thomas ibidem, quo factum est, vt imperium Romanorum in alias gentes fuerit iustum & voluntate Dei quæsitum, vt testatur Augustinus lib. 5. de ciuitate Dei. c. 12 & deinde *Romanis,* inquit, *concessit Deus maximum, & illustrissimum imperium ad domandum grauia mala multarum gentium,* qui Romani propter gloriam multa vitia comprimebãt, id est, virtutes colebant. Ergo eadem potiore q; ratione Hispani possunt Indos in suam ditionem redigere. Hoc idẽ asserit Sanctus Thomas de Reg. prin. lib. 3. c. 4. & deinde allegans Augustin.

2. Secundò *isti barbari implicati erant grauissimis peccatis contra legem naturæ,* cuius ignoratio, nemini suffragatur, propter quæ Deus deleuit gentes peccatrices, quæ terram promissionis incolebant, cuncti enim idolorum cultores erant & pleriq́; omnes immolabant victimas humanas. Nã quod Deus non occulto iudicio, sed propter huiusmodi idololatriam deleuerit eas gentes, testatur scriptura diuina non obscure sed verbis apertissimis. Sic enim scriptum est. *ne dicas, cum deleuerit eos dominus in conspectu tuo, propter iustitiam meam reduxit me Deus, vt possiderem terram hãc, cum propter impietates suas istæ deletæ sint nationes;* & ibidem. *omnes abominationes, quas auersatur dominus fecerunt diis suis, offerentes filios & filias, & comburentes igni* & explicans scriptura impietates propter quas deletæ sunt gentes: sic ait. *Quando ingressus fueris terram, quam dominus Deus tuus dabit tibi, caue ne imitari velis abominationes illarum gentium, nec inueniatur in te, qui lustret filium suum, aut filiam ducens per ignem, aut qui ariolos scisciteur, & obseruet somnia, atque auguria, nec sit maleficus, nec incantator, nec qui Pythones consulat, nec diuinus & quærat à mortuis veritatẽ, omnia enim hæc abominatur dominus, & propter istiusmodi scelera delebit eos in introitu tuo.* Quibus testimonijs aperte declaratur has gẽtes propter idolorum cultum fuisse deletas. omnia enim peccata, quæ hic memorantur Theologorum consensu ad idolorum cultum referuntur, aut impiam superstitionem. Idem prope traditum est Leuit. 18. & 20. Item ob eadem peccata populum Israeliticum magna ex parte fuisse deletum, &

Deut. c. 9.

c. 12.

cap. 18.

tum,& in ſeruitutem & captiuitatem abſtractum, teſtatum eſt in pſalmis *Commixti ſunt*, inquit, *inter gentes, & didicerunt opera eorum, immolauerunt filios ſuos, & filias ſuas dæmonijs, & iratus eſt furore dominus in populum ſuum, & tradidit eos in manus gentium.* Adiuuat quod eſt ſapientiæ.12. & Exod.32. quibus rebus declaratur eis peccatis lex naturæ violari, cum ob eadem, vtriq; fideles & infideles puniti fuerint. Quare eiſdem de reb. memorans Cyprianus in exhortatione ad martyrium addit, *quod ſi ante aduentum Chriſti circa Deum colendum, & idola ſternenda hæc præcepta ſeruata ſunt, quanto magis poſt aduentum Chriſti ſeruanda*, quæ verba habentur.23.q.5.c.*ſi audieris*. Cui planè aſtipulatur Ambroſius vt eſt.23.q.5.c.*remittuntur*. His teſtimonijs cum idolorum cultu modo per ſe, modo accedentibus humanarum victimarum ſacrificijs, cauſa iuſti belli ac internecionis fuiſſe memoretur, aperte declaratur idololatriam per ſe ſatis magnam & iuſtam cauſam præbere fidelibus ad bellum idololatris inferendum, vt Nicolao Lyræ viſum eſt. Numerorum.c.31. Illud præcipuè citanti, *ſubuertite omnia loca in quibus gentes, quas poſſeſſuri eſtis, coluerunt Deos ſuos.* Quod etiam Diui Thomæ doctrina, & teſtimonio comprobatur, qui cum ſecunda ſecundę.q.10. ar.8.ſcripſiſſet, infideles poſſe bello à fidelibus compelli, non vt credãt ſed vt fidem non impediant, blaſphemijs, vel malis perſuaſionibus, aut perſecutionibus; poſt hæc. q. 94. ar. 3. idololatria magnam blaſphemiam cõtineri, & opere fidem impugnari teſtatur. Quam doctrinam ſecutus Lyra, quo loco diximus, *vna* inquit *iuſti belli cauſa eſt, contra terrã, in qua Deus per idololatriã blaſphematur*, itaq; Auguſtin⁹ in Epiſt.50. quæ eſt ad Bonif. docens pios reges ſeruire Deo idolorum cultũ oppugnando *ſic* (inquit) *Ezechias ſeruiuit domino lucos & templa idolorum, & excelſa quæ contra præceptum Dei fuerant conſtructa deſtruendo & Ioſias eadem faciendo. ſicut Rex Niniuitarum ad placandum dominum vniuerſam ciuitatem compellendo: ſicut ſeruiuit Darius idolum frangendum in poteſtatem Danieli dãdo ſicut ſeruiuit Nabuchodonoſor* &c. Nam quod Caietanus infideles negat iure poſſe à Chriſtianis ob infidelitatem debellari, intelligendum eſt ob ſolam infidelitatem, puniendi gratia, non autem ſi fuerint ſimul idolorum cultores, aut alia ratione nõ ſeruent legem naturæ.

Pſal.105.

Deut.12.

4.*Reg.18.*

4.*Reg.23.*

Ioſ.3.

Dan.14.

Item alia ratione probatur conceſſum eſſe Chriſtianis bello perſequi idolorum cultores *auctoritate publica, & pontificia. Chriſto* enim ſecundũ humanitatem *data eſt omnis poteſtas in cœlo & in terra.* Vt eſt Matthæi vltimo, hanc autem poteſtatem Chriſtus Petro vicario ſuo & ſucceſſoribus cõmunicauit, vt docet Thomas quæ poteſtas & ſi propriè verſatur in ijs quæ pertinẽt ad ſalutẽ animæ & bonis ſpiritualib. tamẽ à temporalib. quatenus ordinantur ad ſpiritualia non excluditur. vt eſt in eodem libro.c.13. Habet igitur Papa poteſtatem vbiq; gentiũ, non ſolum ad præ-

Probatur ratione bellum inferri iuſtè idololatris.

de Reg. Prin. lib.3 c.10.12

dicandum Euangelium,ſed etiam vt gentes ſi facultas adſit cogat, legẽ naturę,cui omnes homines ſubiecti ſunt,ſeruare. vt Innoc. & Hoſtienſ. grauiſſimi Auctores tradiderunt, in c. quod ſuper his de voto quibus Ioan. Andreas & Panor. ſuffragantur.

Nam Chriſtus qui ſic prȩcepit Apoſtolis Matthæi vltimo *docete omnes gẽtes, quæcunq; mandaui vobis.* Idem naturæ leges,quæ decalogo, & dilectione proximi continetur, in primis ſeruari iuſſit. Vt autem infideles Euangelicam prædicationem audire & legem naturæ ſeruare cogantur,neceſſe eſt vt Chriſtianorum imperio ſubijciãtur, cauſaliter igitur vt vtar verbo pontificio hoc quoque pertinet ad poteſtatem Papæ,quod magnopere dirigitur ad ſpiritalia quæ ſunt eiuſdem poteſtatis.c.*per venerabilem.§.rationibus qui filij ſint legit*. Qui autem idola colunt ij maximè violant legem naturæ.Iure igitur Idololatræ bello poſſunt à Chriſtianis coerceri,vt ipſorum imperio ſubiecti ex lege naturæ viuere cogantur,néue per idolorum cultum ab ipſis Deus blaſphemetur,& offendatur.Legem autem naturæ ab idolorum cultorib.minimè ſeruari dubitari non poterit,ſi legẽ naturæ ab aliqua gente non ſeruari, quid ſit intelligatur.Quamuisq; enim omnia peccata mortalia ſint cõtra legem naturę,vt eſſe docet Auguſtinus,non tamen ſi qua in gente peccata mortalia patrantur,protinus hi dicendi ſunt legem naturæ nõ ſeruare, vt iuniores quidam theologi falſo putarunt. Nam eo quidẽ modo nuſquam gentium lex naturę ſeruaretur.Cauſa enim publica publicis moribus & inſtitutis dijudicanda eſt,vt docet Ariſtoteles non ſingulorum rectè,aut perperam factis.Sed ea demum gens legẽ naturæ non ſeruare intelligenda eſt,apud quam peccatum aliquod mortale in reb. turpib. non habetur,ſed publicè probatur,vt apud hos barbaros homicidium innocentium,qui multis in regionibus immolabantur,& vbique apud eoſdem idololatria,quod eſt peccatorũ grauiſſimũ. Quib.rationib.planè intelligitur non peculiari Dei voluntate & occulto iudicio, ſed cõmuni lege naturæ,propter memorata flagitia, quæ pertinent omnia ad idolorum cultum, illas gentes fuiſſe deletas. Itaque his diuinæ hiſtorię & ſacrorum doctorum teſtimonijs colligitur hos barbaros propter ſuas impietates,ſi iure ſummo agendum eſſet,potuiſſe & vita, & terris ac bonis omnibus mulctari ad iuſtam punitionem, quanto igitur magis iure poſſunt Chriſtianorum imperio ſubijci, nõ vt talia patiantur (nam poſſeſſionibus eos aut libertate priuare vetitum eſt lege Regum* Hiſpanorum) ſed vt Chriſtianorum imperio ſubiecti à talibus flagitijs, quibus maximè Deus offenditur abſtinere cogantur, & meliorum rerum conſuetudine & piorum commercio ad veri Dei cultum & religionem accipiendam præparentur.

Cõtra Fauſt. lib.22.

Polit.3.

Huc

Huc quoque pertinet, quod est Deut. 20. *si quando*, inquit, *accesseris ad expugnandam ciuitatem, offeres ei primum pacem si receperit & aperuerit tibi portas, cunctus populus, qui in ea est, saluabitur, & seruiet tibi sub tributo, sin autem* &c. *deinde sic* (inquit) *facies cunctis ciuitatibus, quæ à te procul valde sunt.* 1. quæ sunt diuersæ religionis, vt glossa interlinearis exponit, quod in idololatras maxime conuenit, itaq; idolorum cultores designat, quamuis eorum iniquitates non essent completæ vt Amorrheorum, vt melioribus & pijs hominib. parentes ad veri Dei cultum ipsorum vel doctrina, vel exemplo dirigerentur.

Tertio, *innocentes homines, ne indigna morte trucidentur, seruare omnes homines iubet lege diuina & naturali, si facere id possint sine magno suo incommodo.* 3. Cum igitur isti barbari singulis annis multa innocentium hominum millia ad impias dæmoniorum aras mactarent (constat enim in sola noua Hispanri singulis annis, amplius viginti millia immolari solita) idque prohiberi hac vna ratione posset, si proborum, & à talibus, & tam immanibus flagitijs abhorrentium hominum, quales sunt Hispani, imperio subijcerentur. Quis dubitet, vel hac vna ratione, iustissime barbaros potuisse & posse à Christianis in ditionem redigi.

Quarto, *homines periculosissime errantes, & ad suam certam perniciem contendentes, seu ignorantes id, seu scientes faciant, reuocare atque etiam inuitos ad salutem retrahere, iuris est diuini & naturalis, & officium quod sibi etiam inuitis præstari omnes homines sanæ mentis vellent.* 4. Omnes autem homines qui extra Christianam religionem vagantur æterna morte perire, si quis dubitat, non est Christianus. Iure igitur barbari salutis suæ causa ad iustitiàm compelluntur. Hoc autem officium dupliciter præstari potest, vno modo per doctrinam tantum & exhortationem, altero vi quadam adhibita, & pœnarum metu, vt credere cogantur, sed vt tollantur impedimenta, quæ obesse possent fidei prędicationi, & propagationi. Priore modo vsus est Christus, & Apostoli, secundo vsa est Ecclesia postquam Regum & Principum Christianorum potentia, & præsidio munita est, & vtrumque factum, vt docet August. diuino & euangelico præcepto, quod conuiuij similitudine continetur Nam, cum primi inuitati venire noluerint, Secundi permonitu & doctrina fuerint ad epulas diuinas introducti, Postremi, vt intrent compelli iubentur. Qua de re Augustinus epistola vltima, & habetur. c. *displiceret.* 13. q. 4. cum ipsi primorum temporum ratio ab hæretico Donato obijceretur *Non attendis*, inquit, *quod tunc Ecclesia nouo germine pullulabat, nondum cōpleta fuerat illa prophetia, & adorabunt eum omnes Reges terræ, omnes gentes seruient ei. Quod vtique quanto magis impletur, tanto maiore Ecclesia vtitur potestate, vt non solum inuitet, sed etiam cogat ad bonum,* ad cuius confirmationem subijcit Parabolam Euangelicam, de qua dixi. Nam quod est in concilio Toletano, &c. maiores de bapt. & eius effectu neminem ad credendum cogi debere planum & apertum habet intellectum, neminem nec vi, aut bello,

officium quod ad salutis viam barbari ducuntur duplex.

Luc. 14.

Psalm. 71.

nec minis compellendum esse vt Christianus fiat, baptismumque suscipiat inuitus. Cuius ratio est, quoniã ea vis esset inutilis, nemo enim voluntate, quæ cogi nõ potest repugnante, potest effici fidelis. Itaq; doctrina & persuasionibus vtendum est. Cæterum, vt quisquã deponat omnia impedimenta vt superbiã licentiamq; peccandi, quæ obesse possent tradendæ doctrinæ, minis, & pœnarum metu iustissime cogitur auctoribus August. Amb. & Gregorio: nam quod est in concilio Toletano. idem August. qui vim probat, multo ante dixerat *ad fidem*, inquit, *nemo cogendus est, vt dicitis.* alloquitur autem hæreticum Petilianum. 23. q. 5. *ad fidem, sed vos imperatoria lege non benefacere cogimini, sed malefacere prohibemini. Nã benefacere nemo potest, nisi elegerit quod est in libera volũtate cũ aliquid ergo aduersus vos leges constituunt, admoneri vos credite, vt cogitetis, quare ista patiamini.* Ad idem in Epistola ad Vincenti. ut habetur, 23. q. 6. c. *vides* sic scribit. *Vides* inquit *nõ esse considerandum quod quisquam cogitur, sed quale sit illud ad quod cogitur, vtrum bonum an malum, non quod quisquam bonus possit esse inuitus, sed timendo quod non vult pati, vel reliquit impedientem animositatem, vel ignoratam compellitur agnoscere veritatem, vt timens vel respuat falsum de quo contendebat, vel quærat verum, quod nesciebat, vt volens iam teneat, quod nolebat.* Nam licet contra hæreticos hæc differat Augusti. tamen rationes ipsius contra paganos similiter valere idẽ ipse August. docet in eadem epistola ad Vinc. vbi de legib. contra vtrosque latis memorat declarans, neutris vim factam fuisse à Christo, vel Apostolis, postea verò vtrisque illatam ab ecclesia potentia & legib. imperatorũ Christianorum munita, vt habetur, 23. q. 4. c. *non inuenitur.* in qua epistola docet eisdem rationibus iustam esse legem latam, aduersus sacrificia paganorum, & ab omnibus Christianis laudatam quæ habetur in .c. *de paganis & eorum sacrificijs* l. 1. ibi enim constituta est pœna capitalis & bonorum publicatio. si quis amplius sacris & ritibus paganicis vteretur: quam legem primum à Constantino, vt Eusebius in historia ecclesiastica & Hieroni. in chronicis testantur latam, & post à Constantio filio & alijs imperatoribus confirmatam vt piam & iustissimam pugnacissime defendit Ambro. apud Imperatorem Valentinianum. Gregorius autem in epistola ad Aldibertum Britanorum Regem, quæ est nom. lib. 60. hæc de rebus eisdem tradit, *Sic enim Constantinus quondam pijssimus Imperator Romanam Remp. à peruersis idolorum cultoribus reuocans, omnipotenti Deo Domino nostro Iesu Christo secum subdidit* &c. nec interest subiecti sint Pagani imperio Christianorum an secus, quibus vis salutifera est inferenda. Nam si Sibutus Rex Hispaniæ, qui Iudæos vt Christiani fierent coegit, in sibi subiectos vim intulit, tamen factum eius non perinde probatur quia talis vis simpliciter, siue directe ad Christianissimum compellens, inutilis habetur, quia voluntatem cogere nequit, & pertinaciores facit. Prohibere autem à malo, quod fit lege Constantini, quæ eadem est Cõstãtij, magnum beneficium est, & quod, si absque incommodo nostro possumus, o-

epist. 30. 31.

Sibutus rex Hispaniæ Iudæos ad fidẽ Christianam coegit.

mus, o-

mus, omnibus hominibus, vt proximis impendere iubemur, lege diuina & naturali. *Mandauit deus vnicuique de proximo suo* Hæc igitur est ratio ex Euangelica parabola, & Augustᵢ Ambrosij & Gregorij doctrina, paganos vt ad Christi epulas intrent compellendi. Vt primum Christianorū imperio, si fieri sine magno incommodo nostro possit, qui non sunt subiecti, subijciantur. Deinde vt lege Constantini conuenienter, Idolorum cultu & omnibus Ethnicis ritibus prohibeantur, tollanturque omnia impedimenta, quæ obesse possent euangelicæ prædicationi. Quibus rationibus, & testimonijs edoctus diuus Thomas. Ritus infidelium præterquam Iudæorum negat esse vllo modo tolerandos, si facultas adsit, *quamuis aliquando*, inquit, *fuerint ab Ecclesia tolerati, cū multitudo* infidelium antequam essent Principes Christiani, qui cogere possent. His autem rebus confectis, nulla præterea vis, nullus metus, quo Christiani fiant, est adhibendus. Sed ita præparati doceri debent, & fidei prædicationi, vt Christianismum volentes suscipiant, inducᵢ, vt sapientissimi ac sanctissimi Pontificis Gregorij decreto seu testimonio declaratur, quod habetur 23. q. 4. *si nō* . quo in loco Gennadiū virum optimum & Christianissimum laudat & ab omnibus laudari testatur, quod gentes paganas haud dubie non subiectas in Christianorum ditionem bello redigendas curaret, non ob aliā causam, nisi vt cum essent debellatæ facilio in Christianam religionem per liberam fidei prædicationem, inducerentur. Nam Gennadium scribit vbique laudari, quod bella frequenter appeteret, *non*, inquit, *desiderio fundendi sanguinis, sed tātum dilatandæ causa* Reip. *in qua deum coli conspicimus, quatenus Christi nomen per subditas gentes fidei prædicatione circumquaque discurrat*. Loquitur autem non vt quidam somniarunt de Saracenis siue Mahumetanis, qui eo tempore nulli dum erant, nec vt alij, de Vandalis, qui iam fuerant à Bellisario deleti, nec vt alij de hæreticis, qui puniendi erant, non debellandi, nec gentium alieno nomine vocandi, sed de gentibus in Africa interiore Romano Imperio finitimis, vt declaratur in extremo eiusdem Epistolæ, quæ primi libri est 73. nec denique quod Christianos infestarent, vt falso quidam causantur. hoc enim excluſum est à Gregorio per verbum *tantum*, sed vt à Christianis debellati fidei prædicationem, & propagationem non impedirent. Hoc est 2. quod Thomas ait *frequenter*, inquit, *Christi fideles contra infideles bellū mouent, non quidem vt eos ad credendum cogant, sed vt compellant, ne fidem impediant* explicans videlicet causam cur Gennadius, pium bellum infidelibus frequenter inferret. Nam gentes, quæ non sunt Christianorum imperio subiectæ multifariam fidem eiusque propagationem si quis eam inducere velit impediunt. Primum quia publicam eius prædicationem non admittunt, vt constat etiam auctore Thoma libro 3. de Reg. prin. capite 16. nunquam ante Constantini tempus sine mortis periculo publice fidem prædicare licuisse. deinde quia prædicatores etiam occultos;

Ecclᵢ 17.

2. 2. q. 101. art. 11.

2. 2. q. 101. ar. 8.

Gentes multifariam fidei propagationem impediunt.

cultos occidunt,& ne qui ſuorum conuertantur obſiſtunt & conuerſos perſuaſionibus,aut etiam perſecutionibus auertere conantur.vt ſæpe & à multis ante Conſtantini principatum factum eſt, & paſſim initio Eccleſiæ fiebat. Accedit quod infideles Chriſtianis ſubiecti facilius adducuntur,vt noſtros mores & religionem ſequantur.Non igitur ſola prædicatione & diſputatione vtendum eſt,nec in paganos,nec in hereticos, vt in primitiua Eccleſia cum nullus principum crediderat, ſed cum facultas adſit,vis vtilis & permiſſa quemadmodum expoſuimus,adhibenda.Hęc enim expeditiſſima ratio eſt gentes ad Chriſti fidem conuertendi,vt omni ſeculo res ipſa & exempla docuerunt. quæ exempla vim habent demõſtrationis teſte eodem Auguſt.in eadem ad Vincentiũ epiſtola.Cuius verba translata ſunt.23.q.6. *vides mea primitus* inquit *ſententia erat, neminem ad Chriſti & Eccleſiæ vnitatem eſſe cogendum,verbis eſſe agendum,diſputatione pugnandum,ratione vincendum.Sed hæc mea opinio non contradicentium verbis, ſed demoſtrãtium ſuperabatur exemplis.Nam primum opponebatur mihi,mea ciuitas,quæ cũ tota fuiſſet in parte Donati,ad vnitatem catholicam legum imperialium timore cõuerſa eſt. Quã nũc videmus ita animoſitatis veſtræ perniciẽ deteſtari,vt in ea nũquã fuiſſe credatur.* Et item aliæ multæ.Thomas quoque *quo anno*, inquit, *Conſtantinus conuerſus eſt ad fidem, baptizata ſunt circa partes Romanas plusquam centum millia hominum.* Quod euenire conſtat eodem modo in hac Indorum conuerſione, qui cum fuerint in ditionem redacti, & impijs ſacrorum ritibus prohibiti vix euangelica prædicatione audita, agminatim confluunt baptiſmum poſtulantes,ſic enim ferè hominum more ac natura comparatum eſt, vt victi facile in morem victorum & imperantium tranſeant,& facta, dictaque eorum libenter imitentur.Itaque hac ratione paucis diebus plures & tutius ad Chriſti fidem conuertuntur,quam fortaſſe trecentis annis,ſola prædicatione conuerteretur.*Fieri enim non poteſt,* vt Philoſophus ait,*aut non facile fit,vt ea verbis mutentur,& extrudantur,quæ impreſſa ſunt moribus, temporeque diuturno retenta,* Itaq;vi op⁹ eſſe ait,Vnde natę ſint leges,quę vim cogentem habent.Cui naturali dogmati maxime conuenit,Auguſt.Ambroſijque doctrina, & Eccleſiæ atque Gregorij ſapientiſſimi Papæ decretum in memorato cap.*Si non*. Quod ſolum per ſe poteſt omnem controuerſiam in hac cauſa cõmuni lege rationeque dirimire. Congruit etiam Ioan.Scoti doctrina,qui maiorem etiam vim in tradenda religione infidelibus & filijs infidelium adhiberi cenſet. 4. ſententiarum diſt. 4.q.vltima & Ioan. Maioris. 4. ſentiarum diſt. 44.q.3.qui hanc in barbaros expeditionem nominatim probat.

de Regni prin lib.3. c.16.

Ariſtot. Etic.10.

Alexander Vſfern.hiſp. regẽ hortat⁹ eſt vt barbaros ſuo imperio ſubijceret.

Quas rationes atque decreta ſecutus Alexander Sex. Papa anno Chriſti 1493.Fernando & Iſabellæ Regibus noſtris,ab eximia religione Catholicis cognominatis oraculum & ſententiam ſedis Apoſtolicæ iuxta tradita deut.17. &.c. *per venerabilem,qui filij ſint legitimi.* Sciſcitantibus volentibusque

busque, & suo iure petentibus rescribens negotium dedit,& magnopere hortatus est,vt hos barbaros imperio suo subijcerēt, & ad Christi fidem reducendos curarēt, his verbis, quę ex bulla plumbata descripta sunt, *vnde omnibus diligenter, & præsertim fidei catholicæ exaltatione & dilatatione (prout decet Catholicos Reges & principes) consideratis, more progenitorum vestrorum claræ memoriæ Regum terras firmas & Insulas prædictas, illarumque incolas & habitatores, vobis diuina fauente clementia subijcere & ad fidem catholicam reducere proposuistis. Nos igitur huiusmodi vestrum sanctum ac laudabile propositum, plurimum in domino commendantes, ac cupientes, vt illud ad debitum finem perducatur, hortamur vos quamplurimum in domino & per sacri lauacri susceptionem, qua mandatis Apostolicis obligati estis & viscera misericordiæ domini nostri Iesu Christi attente requirimus, vt cum expeditionem huiusmodi omnino prosequi & assumere prona mente orthodoxæ fidei zelo intendatis. populos in eiusmodi insulis & terris degentes ad Christianam religionem suscipiendam inducere velitis & debeatis, nec pericula, nec labores vllo vnquā tempore vos deterreant, firma spe, fiduciaque conceptis, quod Deus omnipotens conatus vestros feliciter prosequetur.* Hæc Alexander Pontifex. Cui & similibus decretis non solum stare Christiani homines eo decreto iubentur, sed si quis non paruerit,aut cōtradixerit ipso iure per dictum c. *per venerabilē* excommunicatur,& alioquin Christi Vicarium, vt in libro de dispensatione testatur Bernardus, tanquam ipsum Christum, in ijs quæ non sunt apertè contra Deum audire debemus. Cuius decreta & rescripta in ijs,quæ fidem,aut mores attingunt,contemnere,hæreticum esse, magni Theologi tradiderunt.Quo igitur iure Christi Vicarius potest gentes omnes ab idolorum cultu,si facultas adsit, prohibere, & ad prædicationem Euangelicam audiendam compellere. Eodem valet ipsas imperio Christianorum per se, aut Principes Christianos subijcere. Cum hæc via expeditissima sit & commodissima ad ea perficienda & salutem animarum comparandam.

Hanc epistolā huic apologiæ post finem subiecimus.

v. Syluiū in verb. Canonizatio.

Cæterum quidam docti quidem homines, sed non perinde vsu rerum periti oportere tradiderunt,vt antequam bellum pararetur, missis legatis admonerentur barbari vt ab idolorum cultu desisterent, & Christianæ religionis prædicatores publice admitterent, vt si postulatis adquiescerent, ipsorum animarum saluti citra bellum consuleretur, sin autem hæc ab ipsis impetrari non possint, tunc iustis armis debellati imperata facere compellerētur quæ.admonitio, fateor,si absque magnis difficultatibus, & vtiliter fieri posset, non erat repudianda,nec omittenda. Est enim similis ei, quam Christus fieri iubet in fraterna correctione, priusquam ad denunciationem procedatur.

Antequā gentes bello subigantur per legatos admonendi sunt, si prodesse possit.

Cæterum quemadmodum in fraterna correptione,inutilis admonitio omittenda est Theologorum consensu, & ad denunciationem, si res præsertim publica postulet, procedendum, sic est de huiusmodi ad-

monitione in hoc bello barbarico ſtatuendum, vt omittatur omnino, ſi prudenter exiſtimantibus inutilis fore videatur.

Admonitionē hanc qui gētes ſunt inſtruēdi inutilem eſſe probatur.

Nā *debet qui arat, arare, in ſpe* fructus percipiēdi auctore Paulo 1.Cor.9& q̄ eſt inutile pro nullo habetur, vt dederat caput inter corporalia de trāslatione Epiſcopi, hanc autem admonitionem eſſe inutilem in tali cauſa, ac iccirco nunquam factam fuiſſe, multifariam declaratur. *Primum* quia eſt factu difficilis, & erat difficillima initio belli, tot enim nationes tam barbaras, immenſo Oceani & terrarum interuallo diſtantes,
1. nullo linguæ commercio adire & admonere, nec ſolum quid reſponderent, ſed etiam quid facerent expectare, res eſſet tam difficilis, tanti ſumptus, tam longi temporis, vt facile principes omnes Chriſtianos à tali conatu deterreret. Itaq; hanc admonitionē, vt neceſſariam inducere, nihil aliud erat, quam expeditionem piam & barbaris ſalutiferam, ac proinde ipſorum conuerſionem, quæ finis belli eſt penitus impedire. Eſt igitur inutilis & proinde omittenda. Nam quæ ordinantur ad finem, hæc rationem boni, ex ordine ad finem ſortiuntur, quare quæ finem impediunt non habent rationem boni. Vt Thomas, ſecunda.2.q.33. ar.6.ad.3.tradidit. *Deinde* hæc admonitio, & ſi ſuperatis difficultatibus fieret, nihil tamen, aut parum proficerent, eſſet igitur inutilis & omittenda, non.n.eſt probabile, neq; vero ſimile, gentem aliquam per ſolam admonitionem & externæ nationis exhortationem adduci poſſe, vt inſitam & à maioribus acceptam religionem relinquat. Nam vt eſt in epiſtola Auguſt.ad Vincen. *ſi docerentur infideles, & non terrerentur, vetuſtate conſuetudinis obdurati ad capeſſendum viam ſalutis, pigrius mouerentur.* Si quis autem dicat non verbis ſolum admonendos eſſe barbaros, ſed etiam metu admoti exercitus terrendos, vt metu ſaltem imperata faciant, iam hoc eſſet difficultatem admonitionis plurimum augere, & vim facere, propter quam vitandam ipſi admonitionem inducunt, quæ vis ſi facienda eſt, non eſt omittenda vtiliſſima, quæ imperium Chriſtianorum ac-
2. cipere cogat. Præterea quamuis barbari metu impulſi prædicatores admitterent, & cultum idolorum ad tempus deponerent vel potius deponere ſimularent, tamen non dubium eſt, quin timore ſublato eſſent ad priſtinos mores reuerſuri & prædicatores eiecturi, aut ipſos etiam & ab ipſis conuerſos niſi ad priſtinam impietatem redirent occiſuri, vt initio naſcentis Eccleſiæ fiebat. Quæ omnia incommoda & difficultates debellatis barbaris facillime tolluntur, & ſic plus vno menſe in ipſorum conuerſione proficitur quam centum annis per ſolam prædicationem, non pacatis barbaris proficeretur. Non enim, arbitror, noſtri temporis prædicatores ſine miraculis plus efficerent, quam quon-
Marc.16. dam Apoſtoli, *domino cooperante & ſermonem confirmante ſequentibus ſignis.* Quæ ſigna iam non ſunt à Deo poſtulanda, cum nobis liceat præce-

ptum

ptum eius sequentes prudenti consilio barbaros ad conuiuium euangelicum, qua diximus tatione compellere. Accedit quod barbarorum subiectio causa est magni Christianorum concursus quorum illi commercio, & consuetudine facilius conuertuntur, & conuersi commodius edocentur, constantius in accepta fide persistunt nec in hæreses labi permittuntur, & facilius barbariem exuunt, humanioribus & Christianis moribus induuntur. Cum igitur duæ viæ sint, quibus ad barbarorum conuersionem procedi posse videatur, altera per monitionem solum, doctrinamque & prædicationem, difficilis, longa,& multis periculis,& laboribus impedita, altera per subiectionem barbarorum, facilis, breuis, & cum multis barbarorum commoditatibus expedita,vtra progrediendum sit, non est prudentis hominis dubitare, præsertim cum Augustinum auctorem habeamus, qui expeditiore progrediendum esse, apertè verbis illis, quæ ex Paulo ante citauimus declarat.,*Si docerentur*, inquit, *& non terrerentur vetustate consuetudinis obdurati ad capessendam viam salutis pigrius mouerentur*,quibus plane docet August. non doctrina modo agendum esse,sed vim etiam ialutiferam, quæ viam doctrinæ muniat adhibendam.His rebus explicatis supereſt, vt ad obiecta respondeamus.

Ad primum igitur respondeo. bello quod idololatris infertur,non tam hominũ quam dei iniurias,quæ multo grauiores sunt, vindicari, & alioquin iniuriam infert postulanti,qui iusta postulata non facit,& qui parere alteri debet,is si admonitus imperium recuset, iniuriosus est,vt appareat hoc bello,humanas quoq;,non solum diuinas iniurias vindicari,nam nec iniustum bellum inferre,nec iustum illatum, si rite fuerit indictum propulsare licet sine iniuria, non enim solum contumeliam inferre,sed vtcunq; iniuste in quenquam facere iniuria est. *Respondetur ad argumẽta quibus probant bellum esse iniustum.*

Ad secundum fateor,neminem esse ad fidem cogendum,vt inuitus credat,inuitus baptizetur,vt pœnis, aut metu Christianus fieri compellatur,quæ summa est decretorum & testimoniorum obiectorum. Esset enim vis inutilis,& irrita opera,nam credere voluntatis est, quæ cogi non potest.Idolorum autem cultores Christianorum imperio subijcere,vt impijs ritibus abstinere,& legem naturæ seruare, euãgelicos prędicatores sublatis impedimentis audire cogantur,iustum est ac pium, & ab ecclesia comprobatum & factum eorundem sacrorum Doctorũ testimonio August.23.q.4.c.*non inuenitur* Gregor. in Epistola ad Aldibertum,quæ est lib.9. Sexagesima. 2.

Ad tertium Christi facta, siue actiones, si possumus imitari fas est & pium, sed ita, nisi Christus aliter statuat. quanquam igitur Chri- 3.

ſtus nullum, nec paganum, nec hæreticum ad epulas euangelicas, hoc eſt ad fidem compulit, nec ipſe, nec Apoſtoli, idem tamen, cum Regum ac principum Chriſtianorum facultas eſſet, vt vtrosque, qua ratione diximus, compelleremus. præcepit in euangelica parabola. vt Auguſt. Ambroſ. Gregoriuſq; exponunt, & ita factum eſt ab Eccleſia tempore Conſtantini, item Gennadij, cuius bella Grego. maxime laudat, vt ſupra memorauimus. Hanc tertiam obiectionem accuratiſſimè confutat Auguſtinus in Epiſtola 50. quæ eſt ad Bonifacium. *Non conſiderant*, inquit, *aliud tunc fuiſſe tempus & omnia ſuis temporibus agi. Quis enim tunc in Chriſtum crediderat Imperatorem*. &c. Quod ergo quidam cauillantur euangelicam illam compulſionem, ad exemplorum & miraculorum vim eſſe referendam, commentitium eſt, & ſtropha hæreticorum ab Auguſtino in eadem ad Bonifacium epiſtola confutata.

4. *Ad quartum* nego commodius barbaros per ſolam prædicationem ad fidem induci, quam ſi prius fuerint debellati, quin potius niſi debellentur, multæ & magnæ difficultates obſunt prædicationi, & conuerſioni, de quibus ſupra diximus. Quæ omnia impedimenta tolluntur, ſi prius gentes fuerint in Chriſtianorum ditionem redactæ. Itaque bellum eſt neceſſarium ad prædicationem & conuerſionem, non quidem ſimpliciter, ſed quia rectè, hoc eſt, ſine magnis difficultatibus, res fieri non poteſt, niſi gentibus debellatis. Nam cum neceſſarium quinque modis dicatur auctore Ariſtotele, vno modo neceſſarium id eſſe intelligitur, ſine quo res, aut omnino, aut rectè fieri non poteſt. Bellum igitur neceſſarium eſt, niſi fortè barbari voluntate, & ſine armis in ditionem redigerentur. Nam via prædicationis ſine vlla vi longa eſt, & multis difficultatibus impedita.

Metaph. 5.

5. *Ad quintum*. Duplex hoc in bello intelligi poteſt admonitio, vna qua pax offertur, ſi fecerint imperata, vt præcipitur in Deuteronomio his verbis. *Si quando acceſſeris ad expugnandum ciuitatem, offeres ei primum pacem, ſi receperit, & aperuerit portas, cunctus populus qui in ea eſt ſaluabitur, & ſeruiet tibi ſub tributo.* Quæ admonitio non in hoc ſolum, ſed in omni bello iuſte inferendo neceſſaria eſt, ſi forte ratione, aut denunciatione periculi, ſine ſanguine hoſtes ad deditionem compellere, & quod petimus aſſequi detur. Alia eſſet admonitio, de qua ſupra memorauimus, & quam inutilem fore, ac proinde omiſſam, & omittendam eſſe demonſtrauimus.

c. 20.

6. *Ad ſextum reſpondeo*, iſtam rationem, nihil magis contra hoc bellum facere, quam contra cætera, quacunque ratione fuerint illata, vix enim vnquam bellum geſtum eſt ſine magnis incommoditatibus, & iacturis, ſine aliqua iniuria & maleficio. Cæterum non ſi difficile eſt bellum & ex cauſa iuſta gerentem, iniurias & maleficia cauere protinus,

timus, est impossibile, nec principi, cuius iusta, vel iniusta causa, bellum iustũ facit, aut vicissim iniustũ assignanda sunt crimina à militibus præter eius voluntatem admissa, nec ea ex causa iusta, iniustam faciunt siue damnandam. Quod si pericula etiam & peccandi occasiones Christianis legibus vitare iubemur, non tamen cum maius alterum malum vitare eodem tempore necessitas adhortatur, aut si aliorsum vocet publica & magna commoditas. Nam licet nemo possit in eas angustias compelli, vt peccare sit illi necesse, si tamen duo præcepta simul vrgeant, quæ simul adimpleri nequeunt, qui grauiori paret, altero prætermisso non peccat. Vt concilij Toletani decreto & Gregorij testimonio docemur dist. 13. c. *duo mala* &. c. *nerui*, & Gersonis regula morali & Aristot. doctrina Ethi. tertio. quæ ratio in bellis potissimum est ineunda, vt docet idem Ioan. Gerson auctor grauissimus ibidem, Sic enim differit. c. *de auaritia* in bellis faciendis, quæ malis innumeris plena sunt, nunc ad istos innocentes, nunc ad illos sola vtilitas Reipub. excusat à mortali, aut euitatio damni publici, notabiliter peioris, quam sit damnum priuatum ex bello proueniens. Ex hoc igitur præcepto si mala & bona, quæ hoc bellum barbaris importat, ad calculos reuocemus, haud dubiè mala bonorum multitudine & grauitate prorsus obruantur. Summa enim malorum est, quod principes mutare coguntur, nec eos omnes, sed quos oportere visum est, & bonis mobilibus magna ex parte priuantur, auro scilicet, & argento, quæ metalla apud ipsos in paruo pretio erant, quippe qui, nec aureis, nec argenteis nummis vtebantur, & pro his ab Hispanis ferri metallum, quod ad vitæ plurimos vsus longe commodius est, accipiunt, præterea triticum, hordeum, legumina, frugiferarum arborum, & oleorum multa genera, equos, mulas, asinos, oues, boues, capras, & alia multa barbaris nunquam visa, quæ hinc allata felicissime proueniunt in illis regionibus. Quarum rerum singularum commoditate, vtilitas, quam barbari ex auro & argẽto accipiebãt, lõge superatur. Adde nunc literas, quarũ barbari fũditus erãt expertes legẽdi, & scribẽdi prorsus ignari, adde humanitatem, optimas leges, & instituta, & quæ sola vincit omnes omnium cæterarum rerum commoditates, veri Dei cognitionem, & religionem Christianam, quibus rebus cognitis, & animaduersis. qui hanc expeditionem impedire conantur, ne barbari veniant in Christianorum ditionem, hos ego non barbaris humanè fauere vt ipsi videri volunt, sed eisdem plurima & maxima bona crudeliter inuidere contendam. Quæ bona ignaua & importuna ipsorum sententia, vel tolluntur omnino, vel plurimum retardantur. Neque tamen negauerim posse tempus incidere, cum sit à subiectione barbarorum licet cogendi facultas adsit, temperandum, vt si quis Princeps cum sua ciuitate aut gente, non metu, & simulatione, sed sua sponte bona fide

ſpiritu Dei afflatus, magiſtros Chriſtianæ religionis à noſtris poſtularet, ſi quo ue alio caſu recta ratio in maxima rerum humanarum varietate, quam vna regula metiri non poſſumus, barbarorum ſaluti aliter conſulere adhortaretur, legibus enim atq; præceptis, quid in quoque genere magna ex parte fieri oporteat cõſtituitur. Cætera quæ extra ordinem accidunt, iuſtorum Principum & proborum virorum qui rebus gerendis præfuerint prudentiæ, prout ratio boni publici poſtulabit, adminiſtranda relinquuntur. Vt Philoſoph. Polit. 3. & ethic. lib. 5. declarat.

2. Cor. 5.

7. *Ad ſeptimum*, quod Paulus ad ſe pertinere negat, *de eis qui foris ſunt iudicare*, hunc habet intellectum, non eſſe muneris Apoſtolici, vt à Chriſtianis ſic ab eis qui extra fidem ſunt, vitæ rationem poſcere, & vt Chriſtiane viuant poſtulare. Cæterum dare operam, vt ijdem ad Chriſti fidem conuertantur, ac eis euangelium prædicare & omnia quæ ad hoc commode præſtandum conducunt pro facultate conari, proprium eſſe muneris Apoſtolici non ſolum eiuſdem Pauli, ſed omnis omnium Apoſtolorum vita & ob id oppetita mors teſtificatur.

Quod vero pertinet ad editionem libri, in quo belli faciendi, Iuſtitia & ratio, & quod iure, quid iniuria fiat, declaratur & crudeliter, atque auare facta vituperantur, ſi quis miles aut præfectus per occaſionem libri ſe peccaſſe dixerit, is per ignorantiam affectatam, & malitiam, ſeu per ſcandalum Phariſæorum deliquiſſe facile conuincetur. Contra vero ex editione libri, hæc maxima commoda conſequentur. Tolletur magnum ſcandalum & infamia Regum noſtrorum & nationis, qui vulgo propter falſam, aut male intellectam quorundam Theologorum doctrinam iniuſte & tyrannice hos barbaros in ſuam ditionem redegiſſe putantur, vt quidam nuper impudentiſſime prodidit. Deinde qui ex hac expeditione aurum, vel argentum retulerunt, quid iuſtè, quid iniuſtè parauerint, quid iure retinere poſſint, quid reſtituere debeant facile & ab ipſis, & à ſacerdotibus, quibus peccata confitentur, intelligetur. Nunc enim vtriq; in magna iuris ignoratione verſantur.

Vtrũ ſi rex perſtet in ſẽtentia & cõfeſſio ſit in cõtraria iuſte poſſit rex ab ipſo abſolui.

Poſtremo, quæſtione perorata, *ſi Rex perſtet in ſententia, confeſſor contrariam probet, num recte pieque ab eo poſſit abſolui*, reſpondes ſtatuiſque poſſe, propterea quod vtraque opinio probabilis ſit, ſeque pari doctorum numero tueatur, quod ſi ita eſt obſecro te Præſul grauiſſime, quid tibi & iſtis meis areopagitis in mentem venit in cauſa dubia regem veſtrum, veſtramque nationem iudicio veſtro condemnare infamiaque notare, & cum magno totius orbis ſcandalo ſummi ſacerdotis Eccleſiæque iudicium atque decretum tam fine cauſa reijcere, vt contemnere videamini

mini. hoc igitur dicerem, si causa, vt vobis videtur, esset dubia, nunc autem meis rationibus expositis, si verum quærimus nihil habet ambiguitatis. Istorum enim opinio, nec vera est nec probabilis. Nam quod memoras de doctorum seu iudicum numero vide ne parum diligenter rationem suffragiorum inieris pro ista enim opinione de scriptoribus solus Thomas Caietanus facit, nec id aperte, ex cæteris autem nemo, qui meæ sententiæ fundamenta ex me vel meis scriptis plane cognouerit, præter admodum paucos ambitione corruptos, qui veritatem scienter & pertinaciter oppugnant, ne ab eo quod voce, aut commentariolis ipsi vel adiurati amici prædicauerant, cum aliqua existimationis iactura discedere videantur. Nostra vero sententia auctores habet ex Philosophis Principem ipsorum Aristotelem Pol. 1. c. tertio & quinto. Ex iuris Pontificij peritis nobiscum faciunt consultissimi quique in .c. *quod super his voto*. Ex Theologis vero August. Ambro. Gregorius & Thomas, viri sanctitate & doctrina clari, qui omnes vim apertissime probant, vt in hæreticos, sic etiam in paganos vt demonstraui. Item Ioan. Scotus, qui. 4. sententiarum dist. 4. q. vltima, maiorem etiam vim infidelibus horumque filijs adhibendam censet. Nicolaus Lyra numer. 31. Mag. Roa. explicans art. Poli. 1. Io. Maioris qui. 4. sentent. dist. 44. q. 3. hanc in barbaros expeditionem nominatim probat. Alfon. Castrus lib. 2 de iusta hæreticorum punitione, qui & ipse nuper Salmanticæ summa quæstionis, quam ipse cõfeceram diligenter, vt idem chirographo quod penes me est profitetur perlecta & considerata, libellum meamque sententiam sine vlla exceptione probauit. Ad summam meum librum antequam versutus & inimicus homo zizania figmentis disseminasset, nemo legit, & intellexit, quin magnopere probaret, in primisque quatuor doctissimi, & grauissimi viri Fernandus Gueuara, & Franciscus Montaluus regij consiliarij, Aluarus Moscosus, Didacus Victoria monachus Dominicanus, quibus singulis libri mei examen à regio consilio fuit commissum, quorum theologorum Iudicium, quod vterque sua manu operi subscripsit, subieci.

Perlegi hoc opus, in quo nihil inueni à veritate alienum, sed plura quæ legantur digna, adeoque opus cum auctore non modo commendo, sed admiror. Fr. Didacus de Victoria. Quam sententiam nunquam ille contra communem suorum persuasionem tam libere & incunctanter pronunciasset, nisi Franciscí fratris Germani doctissimi & animo ingenuo liberoque viri, cui bidui aberat auctoritate fuisset confirmatus, cum quo librum meum quem diu causis illatis retinuit & consilium communicasse claris coniecturis pro certo mihi persuasi. Moscosus autem ita subscripsit.

Iudiciũ doctor. virorũ de opere Sepulueda de iustis belli causis Victoriæ.

Et ego

Moscosi iudicium.

Et ego legi hoc opus docte elaboratum, & nihil inueni quod meo iudicio probabilitate careat, immo ea quæ ex sacris literis & sacris doctoribus hic adducuntur, ita suadent huius doctoris intentum, vt nullus quamuis proteruus oppositum audeat affirmare. Moscosus. Nec est silentio prætereundum grauissimum amplissimi & doctissimi viri Fernandi Valdesij Hispalensis Archiepiscopi & Inquisitoris generalis testimonium, qui cum meum librum & summam quæstionis, de qua dixi, semel & iterum legisset, nuper post præclarum illud iudicium in doctissimorum grauissimorumque virorum consessu cum de his rebus quæ tunc erant in ore omnium, cui enim non scandalo fuit, res tam insperata? pauca differuisset. *Dicam,* inquit, *quod sentio, qui hunc librum impediendi auctores initio fuerunt, hi multo magis ex officio facerent, si sedulo darent operam, vt idem grandioribus literis excusus ex pulpitis per omnem Hispaniam prædicaretur.* Idem sæpe professus est Petrus Ortisius, præstanti doctrina Theologus, in cuius immatura morte magnam nuper iacturam studia theologica fecerunt.

Iudiciū Fer. Valdesij

Petrus Ortisius.

Petrus Sotº.

Petrus Sotus monachus Dominicanus Caroli Cæsaris sacræ confessionis administer, in epistola quam ad me misit, negat se vllo modo de iustitia belli huius dubitare, sed ne libri editionem properarem me in eadem epistola sollicitè semel & iterum, nescio qua ratione ductus, adhortatur. Idem palam asserunt Ioannes Aegidius, qui Salmanticæ ex cathedra theologiam docet, & Honcala canonicus Auilensis primarij theologi, quorum hic non voce tantum sed etiam scripto sententiam suam testatus est. Et Alfonsus Herrera monachus Dominicanus concionator regius vir doctissimus animo candido & ingenuo, qui cum mea scripta legisset, meque differentem audisset *ex me,* inquit, *Genesi coniecturam facio, nec puto à te quenquam dissentire, nisi qui te tuaq; scripta, vel non audierit, vel non intellexerit.* Item nobis suffragantur magno consensu Hispalenses theologi, qui nuper summam quæstionis diligenter perlegerunt, in primisque duo viri doctissimi Ludoicus Caruaialus Franciscanorum præfectus & Augustinus Sbaroia monachus Dominicanus, qui theologiam ex cathedra in suorum collegio docet. Præterea vir, vt auctoritate, sic doctrina præstans Michael Arcus Dominicani ordinis in Bætica præfectus Prouincialis, qui nuper in Cordubensi cœnobio re diligenter ex meis scriptis, meque differente perspecta, & cum doctis monachis non paucis collata, non solum meam sententiam cæteris, quos dixi, & inprimis Martino Mendoza, eiusdem cœnobij præfecto grauissimo & egregia doctrina viro consentientibus palam probauit, sed etiam mirari sese professus est, quæ causa impressionem libri huius moraretur, qui ad multorum errorem tollendum, & mentes scrupulis, & aculeis conscientiæ perperam fortassis iniectis explicandas magnopere pertineret, à cuius sensu non abhorrere virum ei

Io. Aegidius

Honcala.

Alfonsi Herrera iudiciū.

Hispalenses Theologi.

Lud. Caruaialus.

Augusti. Sbaroia.

Michael Arcus.

Martinus Mendoza.

doctrina

doctrina & auctoritate ſimilem Dominicum cognomento ſanctæ Crucis eiuſdem ordinis ad Caſtellam præfectum Prouincialnm, nuper mihi retulit Dominicus à Cruce cognominatus ad nouam Hiſpaniam Præfectus & ipſe Prouincialis, qui cum alijs perſpectæ probitatis & religionis monachis ex illo altero orbe miſſus fuit, vt Carolum Cæſarem coram quid boni publici, & iuſtitiæ ratio poſtularet edocerent, peterentque (id quod impetrarunt) vt pro ſua prudentia, & æquitate tumultibus illarū regionū incolarum Hiſpanorum, & ſeditionibus leges temperando proſpiceret. & pro ſua ſapiētia modū imponeret tātis malis, quæ mala, ſi verum quærimus, ex vnius hominis vel errore noſtræ huic ſententiæ contrario, vel etiam temeritate & rerum nouarum ſtudio primam originem habuerunt, pro quib. malis, & quietis impatiente animo, qui nos quoque hic exercet homini malum cupere, vel imprecari alienum eſt meæ naturæ, & inſtituto, quin magis precor, vt deus illi meliorem mentem præbeat, quo diſcat aliquando quietas cogitationes turbulentis conſilijs anteferre. Ad ſummam, vt vnde ſumus digreſſi reuertamur, à nobis ſunt omnes eruditi, quibuſcunque meam ſententiam, & rationes expoſui, præter paucos quos dixi, ambitione, aut alio grauiore morbo corruptum, & repugnantem animum gerentes, quos ipſos tamen tergiuerſantes, & laborantes diſputatione coegi, vt ad leuiſsima & plane indocta commenta, nolo enim dicere puerilia, miſerabiliter confugerent more factioſorum hominum, qui in ciuilibus contentionibus, & magnis rerum anguſtijs ergaſtula ſoluunt. Longe igitur diſpar noſtra, & aduerſariorum cauſa eſt. A quibus ſi ceteris in rebus tantopere vinceremur, quanto ſumus ſuperiores. Vna tamen ſummi Sacerdotis, & Eccleſiæ Sacroſancta, qua ipſi nitimur auctoritas in hac mores, & religionem publice attingente cauſa, omnes omnium aliorum iudicium ſententias pondere, & maieſtate apud pios omnes longe ſuperaret, nec ſuperaret modo, ſed etiam pertinaciter obſiſtentes, hæreticos eſſe conuinceret. Vt igitur dicam quod ſentio, & aliquando perorem, haud equidem video, quomodo iſtorum opinio defendi queat quæ fundamentis, & ſtrophis hæreticorum nititur, euangelio, & ſacrorum doctorum conſentientibus declarationibus, & teſtimonijs aduerſatur, à vetere iuditio Eccleſiæ diſſentit, & nouum eiuſdem grauiſſimum decretum, & reſcriptum noſtris principibus Apoſtolicum oraculum ex diuino præcepto (de quo eſt Deut. 17. & c. *peruenerabilem*, qui filij ſint legit) conſulentibus datum contemnit, aut quomodo non ſit hæretica, ſi rebus, & rationibus cognitis, cum pertinatia defendatur.

FINIS

DECRETVM ET INDVLTVM ALEXANDRI SEXTI.

Super expeditione in barbaros noui orbis quos Indos vocant

IN NOMINE DOMINI Amen. Nouerint vniuersi hoc præsens publicum transumptũ inspecturi quod nos Iacobus Conchillos Dei & apostolicæ sedis gratia Episcopus Cathanensis habuimus, vidimus, & diligenter inspeximus infrascriptas litteras felicis recordationis Alexandri Papæ sexti eius vera bulla plumbea cum cordulis sericeis, croceique coloris more Romanæ curiæ impendentis bullatas sanas siquidem & integras ac omnimoda suspicione carentes huiusmodi sub tenore.

ALEXANDER Episcopus seruus seruorum Dei carissimo in Christo filio Fernando Regi & carissimæ in Christo filiæ Elisabeth Reginæ Castellæ Legionis, Aragonum, Siciliæ & Granatæ illustribus, salutem & apostolicam benedictionem. Inter cetera diuinæ maiestati beneplacita opera & cordis nostri desiderabilia, illud profecto potissimum existit, vt fides catholica & Christiana religio nostris præsertim temporibus exaltetur ac vbilibet amplietur & dilatetur, animarumque salus procuretur, ac barbaræ nationes deprimantur & ad fidem ipsam reducantur. Vnde cum ad hanc sacram Petri sedem diuina fauente clementia (meritis licet imparibus) euocati fuerimus, cognoscentes vos tanquam veros catholicos Reges & principes, quales semper fuisse nouimus & à vobis præclare gesta toti pene iam orbi notissima demonstrant: ne dum id exoptare sed omni conatu, studio & diligentia, nullis laboribus, nullis impensis, nullisque parcendo periculis etiam proprium sanguinem effundendo efficere, ac omnem animum vestrum omnesque conatus ad hoc iamdudum dedicasse, quemadmodum recuperatio regni Granatæ à tyrannide Saracenorum hodiernis temporibus per vos cum tanta diuini nominis gloria facta testatur. Digne ducimur non immerito, & debemus illa vobis etiam sponte & fauorabiliter concedere, per quæ huiusmodi sanctum & laudabile ac immortali Deo acceptum propositum in dies feruentiori animo ad ipsius Dei honorem & imperij Christiani propagationem prosequi valeatis. Sane accepimus quod vos qui dudum animum proposueratis aliquas insulas & terras firmas remotas & incognitas ac per alios hactenus non repertas quærere & inuenire, vt illarum incolas & habitatores ad colendum redemptorem nostrum & fidem catholicam profitendum reduceretis: hactenus in expugnatione & recuperatione ipsius regni Granatæ plurimum occupati, huiusmodi sanctum & laudabile propositum vestrum ad optatum finem perducere nequiuistis, sed tandem sicut domino placuit regno prædicto recuperato, volẽtes desideriũ adimplere vestrum dilectũ filiũ Christophorũ Colõ virum vtique dignum & plurimum commendandum, ac tanto negocio aptum cum nauigijs & hominibus ad similia instructis, non sine maximis laboribus & periculis ac expensis destinastis, vt terras firmas & insulas remotas & incognitas huiusmodi, per mare vbi hactenus nauigatum non fuerat diligenter inquirir et. Qui tandem (diuino auxilio facta

extre-

extrema diligentia in mari Oceano nauigantes certas insulas remotissimas & etiam terras firmas, quæ per alios hactenus repertæ non fuerant) inuenerunt, in quibus quam plurimæ gentes pacificè viuentes, & vt asseritur nudi incedentes, nec carnibus vescentes inhabitant, & vt præfati Nuncij vestri possunt opinari, gentes ipsæ in Insulis & terris prædictis habitantes, credunt vnum Deum creatorem in cœlis esse, ac ad fidem catholicam amplexandum & bonis moribus imbuendum satis apti videntur, spesque habetur quod si erudirentur, nomen saluatoris domini nostri Iesu Christi in terris & insulis prædictis facile induceretur. Ac præfatus Christophorus in vna ex principalibus Insulis prædictis iam vnam turrim satis munitam, in qua certos Christianos qui secum iuerant in custodiam, & vt alias Insulas ac terras firmas remotas & incognitas inquirerent, posuit, construi & ædificare fecit. In quibus quidem Insulis & terris iam repertis aurum, aromata, & aliæ quam plurimæ res pretiosæ diuersi generis & diuersæ qualitatis reperiuntur. Vnde omnibus, diligenter & præsertim fidei catholicæ exaltatione & dilatatione (prout decet catholicos Reges & principes) consideratis: more progenitorum vestrorum, claræ memoriæ Regum, terras firmas & Insulas prædictas illarumque incolas & habitatores vobis, diuina fauente clementia, subijcere & ad fidem catholicam reducere proposuistis. Nos igitur huiusmodi vestrum sanctum & laudabile propositum plurimum in domino commendantes, ac cupientes, vt illud ad debitum finem perducatur, & ipsum nomen saluatoris nostri in partibus illis inducatur: Hortamur vos quam plurimum in domino, & per sacri lauacri susceptionem, qua mandatis apostolicis obligati estis, & viscera misericordiæ domini nostri Iesu Christi attente requirimus, vt cum expeditionem huiusmodi omnino prosequi & assumere prona mente orthodoxæ fidei zelo intendatis, populos in eiusmodi insulis & terris degentes ad Christianam religionem suscipiendam inducere velitis & debeatis, nec pericula, nec labores vllo vnquam tempore vos deterreant, firma spe fiduciaque conceptis, quod Deus omnipotens conatus vestros feliciter prosequetur. Et vt tanti negotij prouinciam apostolicæ gratiæ largitate donati liberius & audacius assumatis: Motu proprio, non ad vestram vel alterius pro vobis super hoc nobis oblatæ petitionis instantiam, sed de nostra mera liberalitate & ex certa scientia, ac de apostolicæ potestatis plenitudine, omnes insulas & terras firmas inuentas & inueniendas, detectas & detegendas versus occidentem & meridiem, fabricando & construendo vnam lineam à polo arctico scilicet septentrione, ad polum antarcticum scilicet meridiem, siue terræ firmæ & insulæ inuentæ & inueniendæ sint: versus Indiam aut versus aliam quamcunque partem, quæ linea distet à qualibet insularum, quæ vulgariter nuncupantur de los Azores & Cabo verde centum leucis versus occidentem & meridiē. Itaq; oēs insulæ & terræ firmæ repertæ & reperiēdæ, detectæ & detegendæ à præfata linea versus occidentem & meridiem, per alium regem aut principem Christianum non fuerint actualiter possessæ, vsque ad diem natiuitatis domini nostri Iesu Christi proximè præteritum à quo incipit Annus præsens millesimus quadringentesimus nonagesimus tertius, quando fuerunt per Nuncios & Capitaneos vestros inuentæ aliquæ prædictarum insularum. Auctoritate omnipotentis Dei nobis in beato Petro concessa, ac vicariatus IESV CHRISTI qua fungimur in terris, cum omnibus illarum dominijs, ciuitatibus castris, locis & villis, iuribusque & iurisdictionibus ac pertinentijs, vniuersis vobis hæredibusque & successoribus vestris, Castellæ & Legionis Regibus, in perpetuum, te-

nore præsentium donamus concedimus & assignamus, vosque & hæredes ac successores præfatos illarum dominos cum plena libera & omnimoda potestate auctoritate & iurisdictione facimus, constituimus & deputamus. Decernentes nihilominus per huiusmodi donationem concessionem & assignationem nostram nulli Christiano principi qui actualiter præfatas insulas & terras firmas possederit, vsque ad prædictum diem Natiuitatis domini nostri Iesu Christi, ius quæsitum sublatum intelligi posse aut auferri debere. Et insuper mandamus vobis in virtute sanctæ obedientiæ (vt sicut etiam pollicemini & non dubitamus pro vestra maxima deuotione & regia magnanimitate vos esse facturos) ad terras firmas & insulas prædictas viros probos & Deum timentes doctos peritos & expertos ad instruendum incolas & habitatores præfectos in fide catholica & bonis moribus imbuendum destinare debeatis, omnem debitam diligentiam in præmissis adhibentes. Ac quibuscunque personis cuiuscunque dignitatis etiam imperialis & regalis status, gradus, ordinis vel conditionis sub excommunicationis latæ sententiæ pena, quam eo ipso si contrafecerint incurrant, districtius inhibemus, ne ad insulas & terras firmas inuentas & inueniendas, detectas & detegendas versus occidentem & meridiem, fabricando & construendo lineam à polo arctico ad polum antarcticum siue & terræ firmæ & insulæ inuentæ & inueniendæ sint: versus Indiã aut aliam quamcunque partem: quæ linea distet à qualibet insularum quæ vulgariter nuncupantur de los Azores & Cabo verde: *centum leucis versus occidentem & meridiem; vt præfertur pro mercibus habendis vel quauis alia de causa accedere præsumant, absque vestra ac hæredum & successorum vestrorum prædictorum licentia speciali. Non obstantibus constitutionibus & ordinationibus apostolicis cæterisque contrariis quibuscunque: in illo à quo imperia & dominationes ac bona cuncta procedunt confidentes: quod dirigente domino actus vestros si huiusmodi sanctum & laudabile propositum prosequamini breui tempore cum felicitate & gloria totius populi Christiani vestri labores & conatus exitum felicissimum consequentur. Verum quia difficile foret præsentes litteras ad singula quæque loca in quibus expediens fuerit deferri: volumus ac motu & scientia similibus decernimus: quod illarum transumptis manu publici Notarij inde rogati subscriptis & sigillo alicuius personæ in ecclesiastica dignitate constitutæ seu curiæ ecclesiasticæ munitis ea prorsus fides in iudicio & extra ac alias vbilibet adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur si essent exhibitæ vel ostensæ. Nulli ergo omnino hominũ liceat hanc paginam nostræ commendationis hortationis, requisitionis, donationis, concessionis, assignationis, constitutionis, deputationis, decreti, mandati, inhibitionis, & voluntatis, infringere vel ei ausu temerario contraire, Si quis autem hoc attentare præsumpserit indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri & Pauli apostolorum eius se nouerit incursurum. Datis Romæ apud sanctum Petrum, Anno incarnationis dominicæ, millesimo quadringentesimo nonagesimotertio, quarto nonas Maij pontificatus nostri anno primo.*

HAEC declaratio decretum atque concessio Sacrorum canonum sententiæ consentit quæ, habetur cap. *per venerabilem. §. rationibus qui filij sunt legitimi* & cap *si nõ.* 23. q. 4. *in quo* inquit Gregorius *iustum sanctũque esse bellum quod infidelibus à Christianis infertur vt eis imperio subditis prædicari possit Christi euangelium, ne si imperio subditi non sint, prædicationi & conuersioni eorum qui crediderint impedimento esse possint.* Idemq; decretũ atq; cõcessio potestati Christi initur qui cũ ei secundũ humanitatẽ, vt Hieronymus & Augustinus exponunt *data* fuisset *omnis potestas in cælo & in terra,* hanc potestatem.

Matt. 28.

tem communicauit vicario ſuo, quæ quamuis ordinetur ad ſalutem animarum & bona ſpiritalia, non tamẽ excluditur à temporalibus quatenus hęc ordinantur ad ſpiritalia vt Tho. teſtatur. Subiecto autem barbarorum ad Euangelij prędicationem ordinatur, ad quam Papa non ſolum poteſtatem habet à Deo, ſed etiam præceptum Euangelicum. Non quod Paulus ad ſe pertinere negat *de ijs qui foris ſunt iudicare*, hunc habet intellectum non eſſe muneris apoſtolici vt à Chriſtianis, ſic ab ijs, qui extra fidem ſunt vitæ rationem poſcere, vel ab eis vt Chriſtianè viuant poſtulare. Cæterùm dare operam vt ijdem ad Chriſti fidem conuertantur proprium eſſe muneris apoſtolici, non ſolùm ipſius Pauli, ſed omnis omnium apoſtolorum vita, & ob id oppetita mors teſtificatur. Vide Auguſtini Epiſtolas. 48. & 50. & 204. quæ ſunt ad Vincentium ad Bonifacium ad Donatum, & citantur in decretis. 23. q. 4. c. *non inuenitur*. c. *ſi Eccleſia* c. *diſplicet*. q. 6 c. *vides*: item Epiſtolas Gregorij 73. primi libri & 60. noni & Ambroſij Epiſtolas 30. & 31. Nam licet in hæreticos diſputat Auguſti. in eiſdem rationibus à Charitate profectis concludit iuſtè paganos compelli vt deſiſtant idololatria dicto cap. *non inuenitur*. Thomas ſecunda ſecundę. q. 10. art. 8. *infideles* inquit *compellendi ſunt*. ſi facultas adſit ne fidem impediant blaſphemijs, vel alia ratione & ideo frequẽter bellũ in eos fideliter mouent, idẽ. q. 94. art. 3. teſtatur idololatria magnã blaſphemiã contineri & fidem opere impugnari. Vnde Lyra ſuper Numer. c. 31. iuſtum eſſe bellum dicit contra idololatras, ne Deum blaſphement per idololatriam. Sed omnium maximè facit. c. *ſi non*. 23. q. 4. vide etiam Innocentium & Hoſtienſem & Panormitanum in c. quod ſuper his de voto. Itaq; vis prohibita. c. *de Iudæis* diſt. 45. eſt ne quis inuitus baptizetur aut Chriſtianus eſſe cogatur. Nam deponere idololatriam & Chriſtianorum imperio parere iuſtiſſimè compelluntur infideles, ne fidei prædicationem & propagationem impediant, & facilius conuertantur non tamen ſunt, nec poſſeſſionibus ſpoliandi, nec in ſeruitutem redigendi.

de regn. prin. lib. 3. c. 10. 13.

1. *Cor.* 5.

IOANNIS GENESII SEPVLVE. DAE CORDVBENSIS COHORTATIO.

Ad CAROLVM. V. *Imperatorem inuictiſſimum, vt facta cum Chriſtianis Pace, Bellum ſuſcipiat in Turcas.*

QVANQVAM omnis conſultatio, quæ de rebus maximis ſuſcipitur, ab eo præſertim qui velit Regi, aut Imperatori conſilium dare, difficillima mihi ſemper eſt viſa Cæſar inuictiſſime, eoque periculoſior, quid ſi res ſucceſſerit è ſententia? non qui conſilium dederit, ſed qui rem geſſerit laudatur, ſin par euentus conſilio quālibet recta ratione inito defuerit, hunc venia plerumque cum miſeratione conſequitur, culpa vero & inuidia omnis in conſultorē transfertur; tamen in ea tempora reipub, incidimus Chriſtiani, vt ſi cui quid in mentem venerit, quid ad bonum publicum pertinere putet, id vllo tali metu aut periculo retardatum in tanta rerum difficultate tacere, contra fas & pietatem mihi eſſe videatur. Neque verò ignoro tibi in maximis difficultatibus neque conſilium vnquam, neque animum defuiſſe, qui tuorum hoſtium conſilia tam prudenter fruſtratus es, & conatus tam fortiter repreſſiſti, vt nemo te hactenus ad bellum vel ſimultatem ſine ſuo maximo incommodo, & tua ſumma gloria prouocauerit. Sed quia nec tua fortuna debet tuorum in te, remque publicam pietatem excludere, & bellum impendet maximum, atque omnibus, quæ noſtra memoria geſta ſunt Chriſtianis periculoſius, quippe cuius diſcrimine maiora quam vnquam, rerum momenta verſantur, explicare tibi conſtitui, quæ mihi nuper, cum eſſet nunciatum Turcas capta Buda Vrbe ad Viennæ obſidionem properare, ſollicite de Chriſtianorum Repub. & imminenti periculo commentāti, non inutilia viſa ſunt, quæ tibi in Italia, quo nuper optimis, vt ſpero, & Chriſtiano populo ſalutaribus auſpicijs adueniſti, de ſumma rerum conſultanti ſuggerantur. Tuæ verò ſapientiæ, atque humanitatis fuerit, non dicentis perquam tenuem fortunam, ſed pium in te, Remque pub. animum, & momenta rationum ſpectare,

ſpectare. Dicam enim de genere belli, & de Turcarum noſtrisque viribus & facultatibus, atque ita dicam, vt appareat, neque contemnendum eſſe hoſtem, cui, niſi maturæ fuerit obuiatum, noſtra ſalus, & libertas, ſummum diſcrimen, atque periculum ſit aditura, neque rurſus tam magnum, vt pertimiſcendus ſit, aut maior habendus, quam vt queat tuis armis ſuperari. Nam bellum, Carole Cæſar, multis ſæpe de cauſis ſolet à mortalibus iniri. Iuſtè quidem ad res ablatas, cum iure nequeunt, armis repetendas, vel ad iniurias propulſandas, & vim illatam repellendam. Iniuria verò quoſdam, vt bellum inferrent, ambitio regnandique cupiditas coegit. alios habendi libido concitauit ad arma. fuerunt, quos auaritia ſimul, & ambitio ſollicitauerit. Sed cum bellum omne iniuſtè ſuſceptum deteſtandum ſit, atque mortalibus omni peſte & alluuione nocentius, cætera tamen ludus quidam, & ſeuiſſima videri poſſunt, ſi ad genus Belli huius ſpectetur, quo noſtri hoc eſt Chriſtiani homines, à barbara Turcarum immanitate infeſtantur. non enim de Gloria certamen eſt, in qua vinci ſit indecorum, non de Imperio, & facultatibus, quibus expoliati ſolam inopiam, nec eam turpem, aut ſeruilem incurrant, ſed pro patria, pro liberis, pro aris & focis, ad ſummam pro ſalute & libertate, proque ipſa religione pugnandum eſt. Reſipiſcant igitur aliquando, & ſuam cæcitatem, ac miſerandum furorem agnoſcant, qui cum principis cuiuſpiam Chriſtiani paulo ſæuius imperium patiuntur, ſatius eſſe clamitant, perpeti Turcarum dominatum. O vox cæcorum hominum turpiſſima, & ab omni religione, atque ingenuitate aliena, ſi quidem ex animi ſententia prolata ſit, non vi præſentis doloris expreſſa! Nam quæ tanta eſſe poteſt Chriſtiani principis in Chriſtianos importunitas, quæ non ſit longo interuallo præferenda, vel mitiſſimo Turcarum dominatui? Si quis enim Chriſtianus populus ab aliquo Chriſtiani nominis, qui ſe pro principe tyrannum gerat, quamlibet auare atque crudeliter vexetur, aliqua tamen habet, quibus præſentium malorum leuius dolorem ferre poſſit. Primùm quod retinet non modo Chriſtianam, ſed ciuilem etiam libertatem, oppreſſam illam quidem, ſed quæ facilè valeat emergere, & plurifariam excitari, vtitur enim ſuis legibus magna ex parte, ex ſuis habet magiſtratus, formam demum retinet Regiæ, ac liberorum hominum Reipub. quamquam Principis, aut ipſius præfectorum libidini aliqua ex parte pareatur. Deinde quod ſpes eſt, poſſe aliqua ratione eam calamitatem in mitiorem conditionem commutari. Sæpè namque iniquus ſæuuſque princeps ad ſanitatem rediuit, vel ætatis medicina, vel obiurgatione amicorum,

Chriſtiani principis ſũma importunitas, mitiſſimo Turcarum dominatui præferenda.

amicorum:aut certe metu & temporibus adductus. quid si minus contingat:certior spes est in fortunæ inconstantia:quæ Reges:& regna pro sua libidine variat:vel certè in communi hominum fragilitate : quos natura non perpetuos nec immortales : sed breuis vitæ & mille mortis generibus obnoxios effinxit:cum sæpe improbo,& parum pio Principi dissimillimus successerit : qui iustitia & religione subiectos sibi mortales sanctissimè moderarent:& vexatas ciuitates, legesq; in pristinam dignitatem restitueret? At qui semel Turcarum grauissimo seruitutis iugo colla subiecerint:ijs rogo, quid tandem solatium supereſt tantorum malorum?qua spe valeant præsentem calamitatem sine summo dolore tolerare: non modo libertate , sed spe quoque libertatis amissa? Qualis enim sit Christianorum conditio:quos premit Turcarum dominatus:ex eorum seruitute licet intelligere:quibus cum tyranno suo natio & religio communis est:libertasque,vt inter ipsos maxima. Quib. primum omnium ad tollendas omnes veræ libertatis occasiones:litterarum studium penitus est interdictum : & ingenuarum doctrinarum cognitio prohibita:quæ solet in primis mortalium animos ad veram religionem:& libertatem excitare. Itaque nulli sunt apud ipsos Philosophi,nulli Oratores,Theologi nulli. Ad summam ipsa Græcia ingeniorum feraciſſima,& omnis quondam Philosophiæ , ac bonarum disciplinarum magistra : & quæ cæteris mortalibus omnis humanitatis notitiam & cunctarum scientiarum cognitionem, quamdiu libera fuit,diffundebat : postquam Principium Christianorum discordia facta est ditionis Turcarum:tam obruta est omnis generis literarum ignorãtia:vt vix vnum in tota ipsa reperias, qui vel semiplenam notitiam habeat eius sermonis:quo veteres illi sapientię ac doctrinarum magistri: quorum nunc scripta demiramur vsi sunt. Deinde cum omnis Respub. siue popularis , aut quæ paucorum consilio gubernatur ; siue Regia, quam cæteris præfert schola Peripateticorum , legibus sapientium virorum fundata sit,nec sine legibus valeat suam dignitatem, aut nomen saltem retinere, Turcarum populi tam dura seruitute depressi sunt, vt nullas habeant leges,nullis institutis gubernentur paucis, quibusdam exceptis tyrannorum libidini ex amussim commoditatis , quorum vnum execrandum in primis,ipsis tamen sanctissimum , ex quo facilis fuerit de reliquis coniectura,non fuerit alienum commemorare.Cautum est inter Turcas , vt non solum intestato fine liberis decedentium bona regio fisco adiudicentur , sed in omni hæreditate Rex tanquam vnus ex inde mortui filijs pari cæteris portione succedat O nouum genus tyrannidis, & prioribus sæculis apud humaniores gentes inauditum.O auaritiam intolerabilem.Parum ne vilium fuit, omnium municipium ac subiectorum fortunas , & patrimonia ludibrio , quoties collibuisset,more veterum tyrannorum habere,nisi de nefanda rapina & de-

Turcarum miserrimus status.

Rex turcarũ in omni hæreditate tanquã vnus ex filijs pari portione succedit.

& detestando latrocinio inuiolabili lege caueretur : vt mirari desinamus, inter Turcas nullos esse Satrapas, nullos Tetrarchas, nullos denique ea potestate, ac dignitate, qua sunt apud nos Comites, Marchiones aut Duces appellati. qui sibi eam dignitatem initio per clara facinora pepererunt, iustis, ac benignis Regibus egregiã virtutem pari præmio remunerantibus. Atq; talis quidem est Turcarum conditio, huiusmodi legibus & institutis eorum Resp. gubernatur. quod si tam dura est eorum seruitus, qui bello nostram libertatem lacessunt, & religionem oppugnant, quid tandem vos sperare oportet, si (quod abominor) essemus eorum armis subiugati? aut quid aliud essemus futuri, quam miserè seruientium mancipia, & abiectorum seruorum infelicissimi vicarij? ad summam miseris his *Iudeis* abiectiores, qui inter nos peregrinantur, & *quorum* est (vt inquit Poëta) *Cophinus fenumq; supellex*. Sed quid agimus coniecturis? Græcos ipsos percontemur, quorum gemitus ad nos quotidie, atque lachrymæ deferuntur tacite nostram fidem, atque opem implorantium, illorum seruitutem multo etiam grauiorem opinione nostra reperiemus. A quibus non ea modo tributa exiguntur, ad quæ pensitanda vix sudores continui, & ærumnosi miserorum labores sufficiunt, sed filiorum dignitate oris, corporis habitudine, ac virtutis indole præstãtissimi, quique ab infelicissimis parentibus, quibus ne dolere quidem aperte licet, abstrahuntur: vt religioni Christianæ in pueritia renuncia re compulsi, & in errore Mahumetæo enutriti, cum ad ætatem militiæ peruenerint satellites fiant, Regiæq; tyrannidis ministri: ab ipsis Genizari nuncupati: & cum bello lacessimur, præcipui Christianorum oppugnatores. Horum igitur durissimam sine spe libertatis seruitutem, horum ærumnosos labores vix ad vitæ necessaria & miserum spiritum ducendum, cum est trbutis satisfactum, sufficientes, horum pro charissimorum liberorum diuulsione gemitus tristissimos, horum omnis generis calamitatem, etiam hostibus miserandam, & morte ipsa intolerabiliorem contemplentur Christiani, qui tyrannide cuiuspiam suorum vexãtur, & conditionem suam malis illorum comparatam, libertatem summam putabunt. Quod cum ita sit, & bellum atrox nobis impendeat, impendeat autem, immo verò iam vrgeat illatum ab hoste superbissimo, qui Buda vrbe magna nuper & opulenta capta, Viennam premit obsidione, ac ex illo successu magnis spiritibus & audacia sumpta, reliquo Christiano orbi turpissimam seruitutem, aut si hanc recuset, crudelem mortẽ minitatur, te Carole Cæsar omnes Christiani, te pij omnes, omnes Catholici, quorum salus atq; libertas tibi potissimum tuęque fidei commissa in summum periculum atq; discrimen adducitur, te inquam orant, obsecrant, & obtestantur, id quod tua te sponte agere certe scio, & ipse, hoc te animo in Italiam nauigasse, soles clara voce profiteri, vt publicam Christianorum causam suscipias, & pace composita, in-

Iuuen. lib. 2. sat. 3.

itoq; fœdere cum cæteris principibus, ac populis Christianis periculosissimum bellũ,& impium hostem à nostris ceruicib. depellas, libertatem,& religionem Christianam ab immanium barbarorum crudeli dominatu,& impietate defendas,ad quæ maturandum,& primo quoq; tempore cunctis opibus annitendũ,quamquã satis impelli debebas vel optimi,ac fortissimi Pãnoniæ Regis Fernãdi fratris tui necessarijs precib.fidẽ tuã in magno periculo & summis difficultatib.implorãtis, vel auiti imperij discrimine,q̃ in proximo periclitatur,multo tamẽ magis totius Christianæ reip.ratio,& religionis respect⁹ apud te optimũ pijssimumq; Principẽ valere debet,quib.tali suo tempore aduersus crudelissimi tyrãni scelus,& impietatẽ nisi suppetias opẽq; tuleris, vide ne quas nõ defendis,cũ possis,easdẽ prodere,ac deserere videaris.Scio.n.tibi nõ suspectos modo impietatis nomine, sed inuisos etiã nefarios homines: quos audio sacrilegas voces spargere falso Christianissimi colore prætextas,nõ esse Christianæ tolerãtiæ Turcarũ violẽtiæ,quã Dei flagellũ esse iactãt,ferro & armis repugnare,Christianis.n. non vi,sed patientia superandũ esse, quorum hominũ vocem nõ vt cæterorum hæreticorũ placita,à mentis errore,non ab ambitione,& opinionis prauitate manasse certum habeo, sed ab auctoris scelere, & insidioso sacrilegio,qui muneribus ac pollicitis Turcarum corruptus,nefandas insidias tendit libertati Christianorum,quibus insitũ est, & maiorum sapiẽtia, ac religione traditum,vt cætera bella,quæ inter pios geruntur, ciuilia & domestica,quæ verò cum Turcis & cæteris impijs,iustissima & plena pietatis esse putẽt.Nec.n.(quia nunquã Christus Deus,& idẽ homo: nostræ religionis auctor,neq; eius Apostoli, quorũ doctrina & miraculis eadem est amplificata,cũ ijs bellum non gesserunt, ad quos à veteribus cæremonijs,aut vano commentitiorũ Deorũ cultu reuocandos,& vera Christianaq; religione imbuẽdos,quod non vi sed persuasionibus fieri debet mittebantur)protinus ipsam sacrosanctã religionẽ nostramq; libertatẽ posteri Christiani quacunq; ratione detur,etiã armis tueri, ac propugnare dubitabimus:aduersus eorum auaritiam, & crudelem impietatem,qui nos opibus,& imperio expoliare,& in durissimam seruitutem redactos,à veri Dei cultu in suos nefandos errores traducere cũctis rationibus moliuntur,atq; conãtur.Si enim quoniam neq; Christus neq; Apostoli bellauerunt,ne nobis quidem vlla ratione bellum gerendum est,propterea quod illorum vita,& actiones debent esse nostra doctrina,nónne eadem ratione quia Christus adulteram ream non condemnauit,idcirco adulteria Christianis permissa esse putabuntur,& vicissim negata coniugia,quoniam neq; Christus,neq; Apostoli, postquã adhæsere magistrõ,vxores duxisse memorantur? Si non est ijs obsistendum,qui nos plusquam hostiliter insectãtur,ne Dei flagello resistamus, cur latrones,sicarios, & homicidas non patienter perferimus? cur ve-

Ioan. 8.

neficos

neficos iusta morte mulctamus? Cur parricidas conijcimus in culeum? quorum omnium flagitijs & sceleribus tanquam durissimis flagellis, Deo permittente quotidie torquemur. Nam istorum pulcherrimo decreto religionem violare videri debent, qui sceleratos, & impios legitimis pœnis prosequuntur: quod ipsum putare, impium est, & sceleratum. At enim Christus vetat violentis reluctari, qui tunicam auferēti, pallium quoq; iubet relinquere: & vnam maxillam percutiēti alteram feriendam exhibere. At Paulus Apostolus, idemq; doctor gentium appellatus, neq; ea Christi verba oblitus, nec quam vim habeant ignarus, cum ei esset iussu Pontificis Ananiæ colaphus incussus, tantum abfuit, vt genam alteram ministro feriendā præbuerit, vt Pontificis insolentiam, qua ratione licuit vlciscēs dixerit, *percutiet te Deus paries dealbate.* quod Apostoli factum, declarat illa verba Christi non esse simpliciter accipienda, nec in homines cunctos, aut omnia tempora conuenire. Sed hęc & pleraq; alia Christum docuisse, non quod homines vellet, ipsis tanquam legibus obligari, sed partim vt viam ostenderet ad summam perfectionem ijs, qui cęteris morum & religionis magistri futuri essent nō solum doctrina, sed etiam cōtemptu rerum humanarum, partim vt insolentium hominum peruicaciam atq; superbiam summæ tolerantiæ, & abiectionis voluntarię commendatione coerceret. Tolerantia enim virtus est, & quidem maxima, nam sic interdum magnitudo animi vocatur, sed cum ciues inter se priuatas offensiones patienter ferunt, & iniurias quas vlcisci poterant inimicis suis condonant, cum verò Resp. ab hostibus appetitur, aut religio ab impijs oppugnatur, qui non resistit hostili violentiæ, cum potest, is non tolerantis laudem feret, sed timidi & desertoris inuidiam apud sapientes & religiosos mortales incurret. Non obstitit Christus Iudæorum violentiæ, sed abiectorum hominum contumelias per summam indignitatem pertulit, nec genus mortis ignominiosum recusauit, quid ni perferret? qui de cælo descenderat in hoc à patre missus, vt Deus homo factus, indignissimam mortem pro mortalibus oppeteret. Sed idem Christus rogatus num Rex esset respondit, *Regnū meum non est de hoc mundo, alioquin ministri mei vtiq; decertarēt,* apertissime innuens duplex esse Regnū, alterū animarū, quod spiritale non incommodè voces, quod est propriè sacerdotū, & quod tunc Christus exercebat, alterum ciuile, quod legibus humanæ prudētiæ, quæ data est nobis à Deo, ad rectè beateq; viuendum, gubernatur, quale tuum est & cæterorum Regum & Principum, ac illius administratoribus non ferro & armis pugnandum esse, sed precibus & lachrymis, ac iniuriarum tolerantia, nisi cui sit vtriusque regni commissa administratio. ciuilium autem Regum lōge aliam esse rationem. His namq;

Luc. 6.

Act. 23.

Quomodo intelligenda Christi verba Luc. 6. si percusserit maxillam &c.

Ioan. 18.

& ipſorum miniſtris, hoc eſt ciuibus & clientibus cum iniurijs & violentis hoſtibus gnauiter eſſe dimicandum. & profecto principum officium leges diuinæ iuxta & humanæ id potiſſimum eſſe voluerunt, vt ſuos iuſtitia prudentiſſimè moderentur, alienos ab iniurijs inferẽdis fortiſſimè prohibeant. Conſtat enim Reges initio rerum, penes quos tunc gentium, & nationum imperium erat, non vi, non dolo, non ambitione populari ſibi regna peperiſſe, ſed iuſtitiæ ac virtutis opinione, & ſpecta inter bonos moderatione, conſentientibus populis ad faſtigium eius Maieſtatis fuiſſe prouectos, vt eſſet, qui potentiorum iniurias à tenuioribus iuſtè, ac ſanctè propulſaret, cœtusq;, & concilia hominum, hoc eſt ciuitates, in pace & libertate æquabiliter conſeruaret, Rẽq; pub. non ſolum ab impugnantibus defenderet, ſed opibus augeret, ac dignitate, quæ qui rectè præſtiterint, hos ſapientes optimoſq; Reges, & Principes omnes mortales, omni memoria, & cunctis in regionibus putauere. quorum mortalium conſentientem vocem & opinionem placet ſapientibus legem eſſe naturę, à qua diuina nunquã diſſenſit. quoniam natura quid aliud eſt, niſi cauſarum conſtans ordo: quarum prima, & cęterarum moderatrix Deus eſt? Ita qui naturam optimam ducem incorruptus ipſe moribus, ac opinione ſequitur, Deum ipſum ſequitur, & viciſſim *qui ei repugnat: cum dijs* immortalibus *more Gigantum*, vt magnus Orator, & idẽ Philoſophus ait *Bellum gerit*. quid porrò magis eſt cõtra naturam, quam iniuria laceſſitum, vbi nõ modo imperium & dignitas, ſed libertas & ſalus in diſcrimen vocatur non repugnare? quid magis contra religionem, quã religionis hoſtibus, quacunq; ratione datur, non obſiſtere? An licet brutis animantibus ab inimicorum maleficio, ſuã & ex ſe genitorũ vitam, & libertatẽ defendere, ad quod nonnullis cornua, quibuſdã dentes aut vngues acutiores, alijs alia arma natura tribuit: Chriſtianis hominibus non licebit? Age verò Abraham vir iuſtus in lege naturę, & Dei voluntati obſequentiſſimus, non ne pugnauit cum Chodorlaomor Elamitarum, & cæteris Regibus belli ſocijs, qui Sodomorum, & Amorreorũ Reges in valle ſylueſtri ſuperauerant, & maximam prędam abigebãt cũ pleriſq; captiuis, in quib erat Loth filius fratris Abrahã, eoſdemq; in fugã verſos vſq; Sobã, & Phenicẽ ſtragẽ magnã edẽdo perſecutus eſt? cui ex victoria reuertẽti obuiã proceſſit Melchiſedech Rex Salẽ, & idẽ Sacerdos Dei altiſſimi, proferẽſq; panẽ & vinũ, ei (vt legitur in ſcriptura ſacra) benedixit. Quid Iudæi populus electꝰ à Deo, & quorũ Reſp. nõ humano cõſilio, ſed peculiari Dei prouidentia adminiſtrabatur, & in quorum locum Chriſtianus populus ſucceſſit, lege per Chriſtum non ſoluta, ſed mutatis cærimonijs completa & declarata, nónne ſacris literis ſæpiſſimè traduntur, non modo propulſaſſe, ſed bellũ etiã intuliſſe? Iuſtiſſimã arbitrantes expeditionẽ, quęcunq; in impios, & à verò Dei cultu abhorrẽtes ſuſciperetur. Hinc. n. clarus virtute, ac

Cicero in Catone Maiori.

Gen. 14.

te,ac sanctitate Iosue,hinc complures,qui iudices vocati sunt, hinc Regum optimi quique nobilitati:quorum Saul tamdiu Rex optimus,Deoque acceptissimus est habitus, quamdiu cum impijs Iudæorum hostibus acerrime pugnauit,tunc vero regno pulsus iubente Deo,cum parum seuere tractasset Agag Regem Amalech,cui ciuitati,quod excedēti b. Aegypto iudęis obstitisset in via,crimini dabatur.quamquam populum vniuersum ad internecionem cesisset,& Regem captiuum duxisset.Nam Dauid maximū,& Regem,& Prophetam, nemo est,qui nesciat ob egregiam virtutem,quam aduersus Philistęos,& cæteros veræ religionis hostes dimicans ostentauit,è pastore factum esse Regem, & in Saulis loco subrogatum,tantoque cæteris & sanctiorem,& clariorem habitum,quāto plures victorias de hostibus retulisset.vt Iudam Machabæum,Ionatā, & Eleazarum cæteroſq; Israelitici populi sanctissimos, ac nobilissimos duces omittam.quos tradit scriptura diuina, nullam vnquam Deo magis acceptam mactasse victimam, quam cum hostes suæ religionis quāplurimos occidissent,duce Deo.qui quod suo populo iuste bellanti vindex semper adiutorq; adsit,*Deus exercituum* in sacris monumentis vocitatur.Porro principum imperio, vt cæteris in rebus, sic vel in primis in bello iuste gerendo christianos obtemperare fas esse, auctor est Petrus apostolorum princeps, qui *Regi* parere præcepit *quasi præexcellenti: Ducibus tanquam à Deo missis ad vindictam malefactorum & bonorum laudem* & Paulus doctor gentium.*Omnis* inquit *anima potestatibus sublimioribus subdita sit. Non est enim potestas nisi à Deo* &admonet *illos principibus, & potestatibus subditos esse,dicto obedire,paratos esse ad omnem bonum opus*. Neque enim minus officium militare Regibus præstari debet à suis. quam tributum, quod Christus & Paulus eis suppeditari iubet. quod tamen officium sic obeundum est,vt ab iniurijs & maleficio in socios & pacatos abstineatur,præcepto Ioannis Baptistæ:qui,vt est in euangelio,militum ordini, quid sefacere oporteret consulenti, militiam ciuilem legitimamque probans, sic respondit:*Neminem concutiatis:neque calumniam faciatis, & contenti estote stipendijs vestris.* Hæc cum ita sint Sapientissime Imperator potes ne dubitare,quin auctor eius sceleratissimæ vocis,qua Christianis bellum iustum et necessarium in suæ religionis inimicos interdicit,infensior sit, & capitalior hostis christianæ religionis.quam non dico omnes hęretici qui fuere vel sunt,sed ipsi etiam quibus tantopere fauet Turca,& cum quibus in eandem & libertatem nostram cōspirauit?in cuius monstri fraudibus & insidijs detegendis scio longius meam orationem prouectam esse tanti sceleris indignatione, quam tua sapientia, et animus maximarum & pulcherrimarum rerum amore flagrans, atque huius expeditionis sua sponte cupidissimus postulabat, sed non fortasse quam opus erat,ad plane conuincendam insidiosam istius vanitatem. De genere igitur belli satis, quod eiusmodi esse intelligis, vt cum libertas & populi

epist.1.c.2.
ad Rom.c.13
ad Tit.c.3.
Matt 22.
Marc.12.
ad Tit.3.
Luc.3.

puli Christiani salus agatur,& in magnũ discrimẽ summa religionis vocetur, non solum tuum, sed omnium christianorum animos excitare, atque inflammare debeat. Iã mihi de huius belli gerendi facultate plane,ac verissime differenti parumper te animum intẽdere peruelim, vt me suggerente hostium infirmitatem intelligas, & vires tuas recognoscas. Nec animi tui reprimat magnitudinem alacritatẽve minuat error quorundam,qui non genere ac virtute militum,sed copia& numero robur exercitus metientes, timide iudicant de tuis hostiumque tuorum viribus.qui si Græcorum latinorumque monumenta litterarum perlegissent,quibus res ac bella continentur, quæ ab hominibus orbis nostri hoc est ab ijs,qui hanc mundi partem incolunt, quam Europam appellamus,cum illis Asiaticis nationibus gesta sunt, ex quibus ferè confusus commistusque est Turcarum exercitus,scirent vtique maximas sæpe istorum copias parua nostrorum manu fusas fugatasque fuisse,nec ignauorum hominum quãlibet magnam multitudinem fortium virorum iusto modo exercitui parem, nedum pertimescendam putarent. Vt enim omittamus Troiana tempora cum Ilienses ac Teucri, quos nunc Turcas paulum immutato vocabulo quidam putant appellari, cum infinitis propemodum auxiliaribus copijs, ex Asia reliqua, & finitimis regionibus, ab exercitu Græcorum, si ad illorum numerum spectes, exiguo victi esse referuntur, incensa Troia vrbe tunc Asiæ opulentissima, ne videamur Poetarum figmenta consectari, legimus in veterum probatæ fidei monumentis Xerxem Persarum Regem, quorum imperio maioris Asiæ magna pars vsque ad AEgyptum, & Pontum parebat,exercitum quinquẽnio comparatum septingentorum millium de Regno,de auxiliaribus trecentorum millium armatorum, ex ijs videlicet gentibus,ex quibus plurimum constat nunc Turcarum exercitus,in Greciam traiecisse,quæ non immerito vix tantum mortalium numerum flumina ipsa siccantem capere potuisse fertur.Cuius Regis tanta fuerit initio superbia,virumq; fiducia,vt quasi naturæ dominus mõtes altissimos in planum deduxerit, vallium conuexa vicissim æquauerit,et fretum Hellesponti ad copias traijciendas ponte commiserit.Sed quam terribilis ingressus eius in Græciam fuerit, tam turpem & fœdum fuisse discessum. Duobus enim magnis vulneribus terrestri pugna à Leonida Lacedæmoniorum Rege,qui cum paucis Thermopylas occuparat acceptis, cum maris fortunam, quod innumeris nauibus repleuerat,tentare placuisset, prælo nauali à paucis Græcis victus fuisse traditur ad angustias Salamini freti, & maxima clade perculsus, Mardonio Duce cum trecentis hominum milibus relicto, in regnum se suum turpissima fuga recepisse. quem paulo post idem Mardonius, à paucioribus Græcis terrestri certamine superatus, tantoque amisso exercitu imitatus est,cum paucisque profugit. Ex quorum hominum ignauia quanquam facile fuerit cæterorum Asianorum mollitiem vel

Altera orationis pars de facultate gerendi belli.

Pugna Xerxis ad Thermopylas.

Probatur veterũ Assiano rum exemplo magnum eorum exercitum à minori sæpissime fusum.

noſtris mulieribus ſpernendam exiſtimare, magis tamen eos contemnas, ſi ſcias, Darium huius Xerxis patrem, paulo ante in Campis Marathonijs cum ſex centum millibus Aſianorum à decem millibus Athenienſiũ, & Platenſibus auxiliaribus mille, duce Milciade fuſum, et ſuorũ ducentum millibus amiſſis ad naues confugiſſe. Ne quis autem tam turpis ignauiæ culpam ad tempora fortaſſe transferat, vel ad regum, aut ducum inertiam, quaſi poſterorum mutatis Ducibus egregia aliquando virtus eluxerit, iam ſi placet quam ſtrenue multo poſt tempore bellum propulſauerint, ſibi à Macedonibus illatum diſpiciamus. Triginta duo peditum, equitum quattuor millia, naues centum octoginta fuiſſe traduntur, quas Alexander Macedo cognomento Magnus in Aſiam intulit, plenus fiducia & alacritate, nec tam paruam manum copijs Darij Aſiam latiſſime vſque ad Indos imperio tenentis, cui nec animus, nec rei militaris ſcientia traditur abfuiſſe, & tot gentium coactis viribus opponere dubitauit. Sed nec tantis auſis par abfuit euentus. Primo enim congreſſu in campis Adraſteis ſexcenta Perſarum Aſianorumque millia cum rege ipſo ſuperaſſe, & maxima ſtrage edita in fugam vertiſſe memoratur, ſuorum non plus nouem peditibus, & centum viginti equitibus deſideratis. Quod ſi libet ad ea tempora deſcendere, quibus Romani cum Aſianis nationibus bellum geſſere, nihil fortiter, nihil ſtrenue, nil denique ſine turpi ignauia eos feciſſe reperiemus. Cum enim Atilius Romanus Conſul aduerſus Antiochum Syriæ & minoris Aſię Regem miſſus eſt, in prima belli congreſsione hoſtes fugiſſe caſtraque ditia victoribus reliquiſſe memorantur, ipſeque Rex fugientibus ſeſe Ducem præbuiſſe. qui redintegrato in Aſia bello iterum ab AEmilio Scipione paruo negotio ſuperatur, cæſis hoſtium quinquaginta millibus, captis vndecim. Nam Iulium Cæſarem, quis ignorat cũ in Syriam & inde Pontum ferocientis Pharnacis magni Mithridatis filij nuncio commotus tranſiuiſſet, intra quintum quam affuerat diem, quatuor quibus in conſpectum venit horis, hoſtem cum exercitu acie vna profligaſſe. Vnde titulus ille in Pontico triumpho. *Veni. vidi. vici.* Itaque crebro Pompeij felicitatem commemorabat, cui præcipua militiæ laus de tam imbelli genere hoſtium contigiſſet. vſque adeo Aſianos homines, cum in aciem ac prælium aduerſus orbis noſtræ viros educũtur, non ea cura ſollicitat, qua ratione ſtrenue pugnando, ac hoſtem feriendo victoria potiantur, ſed qua via fugientes noſtrorum victrices manus euadant. quod altero, & tertio prælio (totiens namque bellum Darius per latiſſimum regnum fugitans redintegrauit) conſtantiſſime declararũt. In vtroq; enim vix primo impetu Macedonũ tolerato, ſe fugæ mandarũt, & impia trepidatione abiectis armis vſq; ad victorũ laſſitudinẽ more pecudũ trucidabãtur, vt nõ ab re Alexãdri Moloſſi celebretur elogiũ, qui cõparans hoc Alexãdri bellũ cũ illo, quod ipſe Romanis illaturus in Italiã venerat, ſe dictabat ad virorũ, illũ ad fœminarũ cõclaue proceſsiſſe. Ex his gentib. Cæſar inuictiſſime ſunt copiæ, quib. ingentia

Turcarum castra distenduntur, quæque sua multitudine nonnullis tam profligatam ignauiam ignorantibus terribiles esse videntur. Cum sit re vera omnis Turcarum exercitus, vel maiore numero contẽnendus, præter milites Prætorianos Genizaros appellatos, in quibus totum exercitus robur consistit. quos ex Thracia & Græcia Christianis, vt paulo ante dixi abstractos habent, non ignauos illos quidem, sed numero tamen perpaucos, ac ne mediocribus quidem nostrorum æquiparandos. Cum tanta igitur exercitus quam libet magni infirmitate, ac militum fugacitate, compara Cæsar potentissime tuorum gloriam bellicam & virtutẽ militarem, hostium multitudinem magnum pecudum gregem existima bis, nec Græcorum & Thracum parua manus, quam tibi tuisque spernẽda sit ignorabis. Habes enim ex Italia viros ingenij animique virib. præstantes, de cuius regionis gloria quid ego loquar? cum eius virtuti non solum eam Asiæ partem, quæ Turcarum imperio continetur, quam Romanis ludus propemodum fuit debellare, & Græciam, Thraciamque, quas ijdem prouincias paruo negocio subiugarũt, sed Africam etiam & Europam reliquam paruisse constat omnibus mortalibus. Habes Hispanos, quorum summa in bellis ciendis virtus, atq; solertia notior est, non solum tibi, sed cunctis hominibus, quam vt oratione debeat, & verbis meis explicari. Neque enim oportet rerum fortiter ac strenue ab ipsis passim gestarum testimonia ex veteribus historijs peti, nec opus est belli Saguntini laudem referre, aut Numantini gloriam commemorare. in quo quatuor Hispanorum millia, quatuordecim annos exercitum sustinuisse traduntur quadraginta millium, non Medorum aut Persarum, non imbellium Asianorum, sed fortium militum Romani nominis: nec sustinuisse modo, sed repulsum non semel & victum pudendis fœderibus affeciisse. cuius rei testes sunt locupletissimi veteres historici, nõ Hispanorum, sed ipsorum qui vincebantur Romanorum, non est igitur opus vetera recensere, abunde suppetunt recentissima memoriæ nostræ documenta. quibus, cum Heluetijs, cæterisque Gallis, atque Italis gentibus pugnacissimis bellantes, summam virtutem ostenderunt, continuatis longo tempore victorijs, quas pauci semper à longe maiorib. copijs reportarunt. Habes Germanos viros robore corporis & vi animi excellentes: hosti cedere nescios, nec ante locum quem semel occupauerint quam vitam amittere solitos, prodigos animæ atque sanguinis, interritos ad omnia pericula, ad summam, tam inuictos, vt non absre de Sueuis Germanorum late patentibus populis dictum esse videatur, quod est apud Cæsarem in Gallici belli cõmentarijs, ne Deos quidem immortales ipsis pares esse posse. Neq; tantũ militũ genere longissime Turcas anteimus, sed omni etiã armorũ apparatu, præsertim bombardularũ, quas factas nuper singulis hominibus habiles archibusos appellamus, & grauis armaturæ, qua nostri equites instructi facile parua turma magnum

Cæsaris potẽtiã recenset.

Laus Italorũ in bellis gerendis.

Hispanorũ laus.

Germanorũ laus.

gnum hostium equitatum prosternat. Agnosce igitur Imperator maxime vires tuas, & tuorum virtutem, robur & inuictos animos ante oculos ponens, hostium vecordiæ, imbecillitatis, atque ignauiæ recordare, nec dubitare poteris, quam sit indignum te Germanię principe, Hispaniarum ac tot prouinciarum rege, simulque Romanorum Imperatore, vel infinitam Turcarum multitudinem non contemnere, cum in eos iustas tuorum copias eduxeris, quas tibi haud difficile profecto fuerit comparare, immo iam propemodum habes in Italia comparatas. paruo enim supplemento ex his fiant duo iusti atque legitimi exercitus electorum virorum, quos fortiter opponas, quamuis innumeræ fortium gentium, nedum imbellium multitudini, vt veteres Romani viri summa rei militaris & doctrina, & experientia factitabant. qui orbis terrarum victores cum infinita multitudo ex gentibus pugnacissimis rebellasset, ni mia necessitate cogente, duos Duces cum duobus iustis exercitibus mittebant, iustum exercitum peditum viginti, equitum quatuor millia definientes, maiorē namq; multitudinē & inutilē pugnæ, & facile cōmeatus inopia laborare reperiebant. cuius rei Flauius quoque Vegetius in eo libro meminit, quem de re militari ad Valētinianū Cæsarem diligentissime ac eruditissimè conscripsit. Nisi forte quoniam auro cæterisq; diuitijs affluentior est Turcarum exercitus, idcirco à nostris, qui armati ferro, non torquibus ornati ad prælium procedunt, eundem inuictum esse putamus, cum longe aliter sese res habeat: auro nāque onusti milites, cur expolientur habent, non cur metuantur. In quam sentētiam Annibal respondisse fertur Antiocho milites suos preciose armatos & auro fulgentes ostentanti. Rogatus enim ab eo vtrum satis ei virium in tali exercitu ad superandos Romanos esse videretur, *plane* inquit *hæc satis fore puto Romanis, quamquam auaritissimi sint.* Quare noli Cæsar solicitus esse, quibus opibus bellum ducas, quibus facultatibus tuas copias diutius alas, incepto tātum opus est, cætera res ipsa expediet. Si enim hostem semel prælio deuiceris (quam victoriam tua tibi tuorumq; virtus, & fortuna, & Christus ipse, pro cuius populi libertate atque salute pugnabis, indubitatam pollicentur) præda ipsa, & hostium exuuiæ abunde in longum tempus sufficient, ad copias tuas nutriendum. Sed quid ego parua loquor? & de castrorum militumque exuuijs mentionem facio? Nolo te Cæsar de militari, aut castrensi præda, quamuis ingenti & tuos milites ditatura cogitare, sed iam nunc in plurima eademque opulentissima regna animum intendere. Non iam de vnius ciuitatis imperio exercitus tuus depugnabit, non de regno Neapolitano, aut Ducatu Mediolanensi, Italiæ atque Galliæ Cisalpinæ partibus certamen erit, ad quas tutandas minime sufficiunt ipsorum vectigalia, & pro quibus iam pridem inter principes christianos tanta contentione dimicatur, vt attritis mutua pernicie nostrorum viribus, & exhaustis opibus, affectum bellum com-

Exercitus iustus, quis apud Romanos.

muni hosti, nisi reditum fuerit ad sanitatem, tradituri videamur: cui ex nostra discordia magis, quam ex suis viribus audacia creuit. Quod si in hunc & cæteros nostræ religionis hostes arma eadem nostri ex mutua cede collatis viribus conuertissent, facile nimirum erat, sanguine christianorum his paucis annis in Italia & Insubria mutuis vulneribus effuso, Africæ atque Asiæ imperium ditioni Christianorum adiecisse. Non igitur posthac *de paupere* (vt ille ait) *regno pugna* erit, sed præmium tibi huius sanctissimi ac sacratissimi belli victori multorum regnorum, & maximæ ac opulentissimæ partis orbis imperium proponitur. Te namque Græcia, Thessalia, Macedonia, Thracia Christianorum nuper regiones: sed post ob nostrorum discordiam imperio Turcarum submissæ, adhuc tamen integras Christianorum ciuitates retinentes, cum maxima expectatione desiderant, vt se asseras in libertatem à crudeli dominatu barbarorum, quibus populus non modo nihil repugnantibus, sed gnauiter etiam vindici suę libertatis opitulantibus, quãti demum negotij fuerit, transmisso breuissimo freto Pontum, Phrygiam, Bithyniam, Capadociam, Lyciam, Ciliciam, & cæteras Asiæ minoris Prouincias, cumque Arabia vniuersam Syriam, cuius pars Iudæa est, & vrbs sacra Hierusalẽ, vsque ad Aegyptum subiugare, gentes vt ditissimas, sic molles & imbelles, ac ne repugnaturas quidem tibi, si semel à te victum regem suum intellexerint, qui vniuersas regni vires cõtulerit ad difficillimum bellum profecturus, quib. prouincijs cum fueris potitus, quod regnum, quæ natio possit tuis viribus obsistere, quominus hunc orbem tripartitum cum eo, (quem antichthones tenere putantur) Fernandi aui tui tuisque auspicijs Hispanorum ditioni & religioni Christianæ nuper addito imperio valeas continuare? facultatibus abunde tibi suppetentibus ad copias tuas vel multo maiores numero, quã diximus, liberaliter alendas. Vt enim Aegy pti, & Assyriæ, Arabiæque fœlicis diuitias & vbertatem fileamus, Asia minor, qua multæ gentes modo memoratæ continentur, tam opima est, & omnium fructuum, pactionisque, ac rerum exportandarum ferax, vt ex hac vna populo Romano maiora vectigalia, quam ex tota Europa fuisse, veterum testimonijs acceperimus. atque hoc tempore constat, hanc regi Turcarum tam inuidiosas opes velut perennem inexhaustumque fontem subministrare. Quin igitur Cæsar expergiscere? & impiger viam hanc ingrederis, quam tibi fata Deusque ad res maximas, & orbis terrarum imperium commonstrant. An vero tu solus tuam fortunam ignorabis? de qua sic omnes mortales opinãtur, cum videant fœliciss imos vbique successus tuos, & præter omnium opinionem mirabiles, ac vicissim miserandos eorum casus, quicunque te ad inimicitias, siue bellum prouocauerint, vt res tuas non viribus hominum geri putẽt, aut humano consilio, sed superum prouidentia, et propriore Dei cura gubernari. & te tacita Dei voce ad rerum fastigium euocari. Age igitur

Statius lib. 1 Thebaid.

Conclusio

Impe-

Imperator fœliciſsime,& omnes cunctandi mores abrumpe, omiſſiſq; his bellis,quæ ſi verum quærimus,parum habent & emolumenti,& dignitatis,optatiſſimaque pace Chriſtianis reddita, ad hæc propera, in hæc toto animo & cunctis opibus incumbe, ad quæ officium te imperatoris vocat, pietas hortatur tum in patriam, tum in Deum & religionem, quæ cum libertate, & ſalute reipublicæ Chriſtianæ (hæc enim cuncta implicita inter ſe ſunt atque cohærent) in ſummum diſcrimen adducitur.ſuccurre pio fratri,fer opem cæterisChriſtianis laborantibus,qui tuam fidem cum gemitu & lachrymis implorant,aduerſus ſæuiſſimum hoſtem, qui orbi chriſtiano, ſi duriſſimam ſeruitutem recuſauerit,ſupplicia & excidium minitatur. In quem ſic animatus eſſe debes,ſic tota mente ad hoc bellum incumbere, non vt ſatis habeas ignauam multitudinem,noſtræ diſcordiæ fidentem,& ſe paruo ſucceſſu iactantem à noſtris ceruicibus repellere,ſed vt hoſtes ipſos vel à te tuiſque victos,vel(quem nuncium in horas expecto)antequam tu illuc cum exercitu poſsis peruenire, virtute Germanorum repulſos, conſtanter vſque in intimum regnum plenus fiducia & alacritate perſequaris. Ne viribus reſumptis quod ea via non proceſſerit, alia expeditiore aggrediatur,& ſemper illius aduentus ſit Chriſtianis cum perpetua ſollicitudine pertimeſcendus.vt miſeram Græciam & finitimas Chriſtianorum regiones cum Byzãtio regia iampridem Romanorum Imperatorum in libertatem aſſeras,& minoris Aſiæ opulentiſſimæ regionis, & finitimarum gentium vſque Meſopotamiam,& Aegyptum imperio potitus, in ſancta vrbe Hieruſalem teſte noſtræ redemptionis oculata, & primo atque præcipuo Chriſtianæ religionis ſacrario victor Deum adores, & debitis ſacrificijs pro tanta victoria cum ſumma pietate veneris, ſimulque iuſtis precib. exores,vt qui cœpta ſecundauerit, idem Dux ſit atque auctor, vt te Imperatore,& bellum adminiſtrante reliquus terrarum orbis ditioni Chriſtianorum,& ſanctiſsimæ religioni adijciatur.

IOANNIS

GENESII SEPVLVE-

DAE CORDVBENSIS,

De ratione dicendi testimonium in causis occultorum criminum, dialogus qui inscribitur,

THEOPHILVS.

Ad generosum Dominum

FERNANDVM SYLVAM, comitem Centifontanum, Cæsar. Maiest. Legatum &c.

PRAEFATIO.

VTrum boni viri sit magnis commodis, adhortãtibus, quidquàm facere præter honestatem, quam susceptam constet non mediocre damnum allaturam, sæpe & à multis dubitatum est Fernande Sylua comes inclyte Centifontane. Importuna videlicet quæstio, & excelsis, ac magnis animis indigna deliberatio. tu verò, cui propositum est, semperq; fuit, virtutem colere, constanterq; gloriam maiorum tuorum æmulari, vt nulla sollicitari soles id genus consultatione, sed omni loco virtutis laudem quamlibet magnis commodis anteferre: sic eas quæstiones inprimis odisti, quæ vtilitatis afferunt cum officio & honestate contentionẽ: contrà verò ijs delectaris maxime, cum ab hominib. doctis disputantur, quæ declarant, duarum rerum honestarum vtra honestior, ac bonis viris suscipienda potius esse videatur. Neque verò solum tales philosophorum disputationes libenter audis, cum otium sumis à reip muneribus, quæ Cæsaris legatus Romæ cũ egregia tua laude geris: sed te quoq; iuuat interdũ pro tua singulari prudẽtia, & acerrimo ingenio philosophari: & cum viris eruditis res in hoc genere controuersas, & scitu dignas disserere. qualis nuper quæstio à te fuit, & prudẽter proposita, & magno ingenio disputata. Cũ sermo incidisset de ratione occultæ crimina celãdi. Aderat enim quidã præstãti doctrina theologus, qui rogatus à te, num

te,nũ quãdo liceat bono viro,ne ſocium ladat roganti ſe iudici veritatẽ quauis arte verborum occultare inficiando:cum ſuam ſententiam expoſuiſſet, quorundam iuniorum theologorum decretis conſentaneam, magna fuit vobis & diſſentiens altercatio,dum ille charitatis iura,atq; humanitatis vrgeret, tu religionem opponeres,& ſacramentum veritatis.qua de re cum parum vobis conueniſſet,& controuerſiam ipſe cuperes accuratius excuſſam certa ratione definiri,me qui tunc Romæ agebam,poſt paucos dies,quid eſſet mei iudicij rogaſti,ac tibi ex animi ſententia ſuffragãtem rationibus aduerſarij doctiſſimi (qui forte aderat) reſpõdere iußiſti.inſtituta igitur hortatu tuo,in longumq; protracta diſputatione, dum vterq; ſuam ſententiam diligenter tueretur,nihil tamen certi definitum eſt,tum propter varios, & difficiles quæſtionis explicatus,tum quia fit neſcio quo pacto,vt quam quiſq; ſententiam rogatus dixerit,hanc licet in commune conſultetur,non modo velit eſſe potiorem,ſed interdum etiam minus probabilibus rationibus, quàm quibus niti videat diſſentientem ſibi propemodum perſuadeat,nec præter officium putet,omnes animi ingenijq; vires in defenſionem eius intendere. Ita fit ſæpe,vt ingenioſorum hominum contentionibus veritatis lumen offuſis tenebris deliteſcat. Sed eam quæſtionem mihi poſtea recolenti & vtriuſq; partis momenta rationum accuratiùs perpendenti,res viſa eſt in primis digna,quæ non voce tantùm,ſed ſcripto etiam tibi,ac cæteris prudentibus & pijs hominibus explicaretur. Nec enim parum pertinet ad moderandam religionem,& ſæpe poteſt, niſi fuerit dijudicata, bonorum ac religioſorum animos ancipiti conſilio diſtractos perturbare.Ita q; dialogum mere veterum theologorum, & quorum eſt magna in primis authoritas,confeci duarum fictarum à me perſonarum,quarũ Philetus contradicentium, Theophilus noſtram ſententiam, & ſentiendi rationes explicabit.Quem librum ad te mitto,hoc equidem libentiùs,quoniam video quam tu ſententiam pro ſingulari prudentia tua probabas, ingenioq; tuebaris,hanc veteribus,& primarijs theologis placuiſſe. De quo edendo libello quo minùs dubitarem ea res effecit, quod cum in Hiſpaniam poſt continentem viginti duorum annorum Italicam peregrinationem Carolum Cæſarem eiusq; voluntatem ſecutus rediſſem,offendi præter ſpem,illum veterum ac ſummorum theologorum conſenſu damnatam opinionem, quorundam doctiſſimorum alioquin & primæ claſſis theologorum publicè docentium animis penitus inhærentem, & ferè ſtudioſorum auribus & mentibus inculcatam, vt ſi veritas in hac cõtrouerſia rectè (quemadmodum ſpero) fuerit noſtra vel induſtria vel diligentia,aſſerta & patefacta,verendum nõ ſit, ne temerè aut parum vtiliter hanc ſcribendi curam & laborem ſuſcepiſſe videamur. Vt igitur res quaſi agendo,nõ velut enarrando proponatur, ſic enim commodiùs

disputantium rationes explicari videntur: dabimus hoc differentibus exordium.

Personæ dialogi, Philetus, & Theophilus.

Summarium.

1. *Crimen occultum proximi celare tenemur lege naturali & diuina.*
2. *Crimen occultum proximi licet indicare in alterius vel reip. periculo.*
3. *Vtrum sit parendum iudici inquirenti de manifesto crimine, sed occulte admisso.*
4. *Homo non est iudex occultorum criminum, sed solus Deus*
5. *Crimina occulta non sunt credenda, nisi certis indicijs comprobantur*

CAPVT I. PHIL.

1. *Prouerb. 11.*

SI bonus semper celabit occultum cuiusque crimen, scriptum est enim in libro prouerbiorum, *Qui ambulat fraudulenter reuelat arcana: qui autem fidelis est, celat amici commissum.* TH. Etiámne in reipublicæ discrimine tacebit, vel si crimen spectet in perniciem ciuitatis? PH. Nequaquam, sed tali Reipublicæ tempore diligenter conabitur sceleſtum illum hominem à cogitato scelere deterrere, si tamen dehortando nihil profecerit, nec alia honesta ratione obuiam iri posse videat venientibus malis, non dico reip. sed vnius innocentis hominis salute poscente, cogitatum illud crimen deferet ad eos (Augustino authore) qui magis prodesse possint, quàm obesse, vel ad magistratus, si rei magnitudo postulabit, vel ipsum, cui malum paratur admonebit, & hæc omnia pro ratione Christianæ charitatis prudẽter moderabitur. TH. Rectè tu quidem, & ex præceptis Christianæ philosophiæ, boni prudentisque viri officium in tali causa ac difficultate expedienda mihi videris, atque pauc is explicasse. Non igitur sem-

Vide Th. 2 2 q 33. ar 7 & 4. senten, di. q. 2. ar. 7. ad secũdum argumentũ, q. 1. & gabr in can. lect. 74.

2. per occultum crimen alterius est celandum. PH. Semper quidem, sed nisi ex celando extiturum esse constet maius aliquod alterius damnum, quàmquod author criminis, si proditus esset incurreret. Nunquam est enim committendum, vt quidquam faciamus contra legem naturæ, & diuinam, quam violari constat, si quis indicet alterius occulta peccata. Nam si quisque recta ratione velit, suum occultum crimen ab altero non prodi, omnes tenemur alterius occulta crimina celare lege naturæ, quam Christus in Euãgelio confirmauit his verbis: *Omnia quæcunque vultis, vt faciant vobis homines, ita & vos facite illis: hæc est enim lex & prophetæ.* Item quia rectè nemo vellet, suam famam ab altero deturpari (quod maximè fit occultis criminibus prodendis) hac quoque ratione iuris est & diuini, & naturalis, occulta crimina celare. TH. Rectè tu quidem docuisse mihi videris, scelus esse temerè sociorum occulta crimina deferre, & ipsos peccatis prodendis infamare nec id mihi fuit vnquam dubitabile, sed si homicidium

Matth. 7.

(exem

(exempli cauſa)te vno vidente fuerit patratum,& cadauere propè domum tuam reperto,prætor authorem ſceleris inquirens, te vocet,ac de homicida percontetur, quid iuratus huic iudici reſpondebis ? P H. ſi me vocauerit non parebo. T H. Quid ſi te venire coegerit? P H. Iurare ac reſpondere quatenus potero recuſabo. T H. Reſiſtes igitur, quãtum erit in te,poteſtati ſublimiori,ac proinde ordinationi Dei, *cui qui reſiſtit, ſibi damnationem adquirit* authore Paulo. P H. Non reſiſtit poteſtati, qui non paret iniquis eius imperatis.nam præfectis *poteſtatem in ædificationem* eſſe datam,*non in deſtructionem*, idem Paulus teſtatur. T H E. An tibi videntur iniqua imperata,quæ huc pertinent,vt ſontes pro ſceleribus commiſſis plectãtur,ab eo qui *Dei miniſter eſt, vindex in iram ei, qui malũ agit* P H. Quod iuſtum eſt,id Deus iubet,vt iuſtè exequamur: prætor autem vindex eſt, & iudex criminum manifeſtorum, occulta peccata Dei iudicio reſeruantur:ſiquidem homo ea tantum videt,quæ apparent, Deus autem intuetur cor,vt eſt in libro regum:ac vt Paulus teſtatur,*Deus in die iudicij occulta hominum iudicabit*. Qua de re Sixtus ſecundus Papa & martyr in epiſtola,quæ eſt ad Epiſcopos Hiſpaniarum,hæc ſanctiſſimè,ac prudentiſſimè ſcripta reliquit:*Eorum* (inquit) *quæ homini ſunt incognita, ſolus Deus iudex eſt iuſtus*. Et paulo pòſt:*Nullus ergo poteſt ex humano condemnari examine, quem Deus ſuo iudicio reſeruauit*. In quam ſententiam Vrbanus ſecundus in quodam reſcripto taxans quorundam clericorum peccata : *De manifeſtis* (inquit) *loquimur, ſecretorum autem Deus cognitor eſt, & iudex*: prætori ergo malè rempublicam adminiſtranti,ac præter leges & officium ſuum,inquirenti in occulta crimina,qui paret, hic nõ ſequitur Dei ordinationem, ſed comes efficitur peccantis. T H E. Illa quidem oracula ſunt ſcripturæ ſacræ,& nemini Chriſtiano dubitanda:nec eſt qui refragetur his Sixti Vrbaniq; pontificum decretis,quibus declaratur,vnius eſſe Dei hominum cogitationes perſpicere, & nullum crimen, quamlibet occultum poſſe diuinum iudicium effugere, huc enim pertinere dicta pontificum,declarant proxima verba Sixti in eodem loco, quæ tamen fuit à Zeferino mutuatus.*Nam de occultis* (inquit) *cordis alieni temerè iudicare peccatum eſt: & cuius non videntur opera niſi bona, iniquum eſt ex ſuſpicione reprehendere.* Item *quamuis vera ſint* (inquit) *non tamen credenda ſunt, niſi quæ certis indicijs comprobantur: niſi quæ manifeſto iudicio conuincũtur: niſi quæ iudiciario ordine publicãtur.* Quo fit vt etiam ſi qui teſtes iuuati,dum inquiritur in aliquem, ſe videntibus confirmẽt,crimẽ aliquod ab eodẽ admiſſum, non tamẽ liceat per leges pontificias in ipsũ animaduertere, ſi crimen nulla nec popularis querela,nec fama præceſſerit. Ad ſummã ne talia teſtimonia iudices admittãt, néve propter famoſos libellos clã ſummiſſos in quenquã de criminib.occultis inquirant,cautũ lege eſt Innocẽtij tertij põtificis maximi.His tamẽ nõ efficitur,vt præſes præter officiũ ſuũ faciat,cũ admonit° homicidij manifeſti quidẽ,tamẽ occultè cõmiſſi,authorẽ ei° cunctis rationi-

3. Rom.13. 2.Cor.13. Rom.10. Deut.16. 4. 1 Reg.16. Rom.2. Ex lib. cõcil. Diſtin.32. erubeſcant. 5. *Cap. inquiſitionis de accuſa Et inquiſi §.3.*

rationibus inquirit: nisi forte volumus damnare ius gentium & leges, tum ciuiles, tum etiam pontificias: quibus cauetur, vt præsides ac iudices quorundam etiam occultè commissorum criminum authores, diligenter per coniecturas quoque, & indicia perquirant, & his magnis suppetentibus tormenta etiam suspectis adhibeant.

Summarium.

1. *In crimina occulta, sed non penitus, iudici licet inquirere.*
2. *Parendum est iudici non solum cum constat ipsum imperare iusta: sed etiam cum de iustitia imperatæ rei dubitatur.*
3. *Si crimen est manifestum: licet iudici occultum autorem inquirere: etiam si nulla antegressa fama aut suspicione quisquam grauetur.*

CAPVT II.

1. NOn est ergo ius omnia crimina occulta inuestigare: sed multa patrantur occulte, quæ clamoribus popularibus ad prætorem deferuntur, in quæ iudices inquirere solent: & iure solent (vt Innocentius tertius scripsit in concilio generali) & auctores inuestigare: & quoniam huiusmodi est homicidium, de quo est nobis suscepta disputatio: idcirco diligenter inquirere: & quos visum fuerit adactos iureiurando de homicida illo percontari. Neque verò solùm extra dubium bonus & religiosus ciuis præfecto Reip. obtemperabit: sed etiam si ambigat, iure an secus ab inquirente iudice interrogetur, parere debebit, & si quid sciat indicare. Nam rebus dubijs fas est de magistratuum consilio & iudicio rectè sentire, & ipsorum iussa facere, quippe quorum volũtas & authoritas pro ratione debet esse dubitãtib. vt ipia ratio docet, & viri prudentissimi tradidere. quo planè intelligitur contra iustitiam esse prætori officium suum ad hunc quem dicebamus modum obeunti, & quæ iusta esse ducit præcipienti non parêre. Atque eo magis quòd talis reticentia posset esse in causa, vt innocens quisquam propter suspiciones non contemnendas illas quidem, sed tamen vanas in discrimen, vt sæpè accidit, non modo famæ, sed etiam vitæ tormentis adhibitis vocaretur. P H. Ista quidem ratione nonnihil moueri poteram, sed me confirmat theologorum ille consensus, testimonium ferri de occultis criminibus non deberi. T H. Theologorum consensui, nunquam (si me audies) refragaberis: sed vide ne nullus theologorum exceptionem illam non admittat: dummodo occulta crimina fama sinistra non præcesserit. P H. Scio istam exceptionem plerisque omnibus theologis placuisse: sed author eius, de quo quæritur homicidij nulla criminis eius antegressa fama grauatur, talem enim causam confingimus. T H. Est vt ais: atque ideo præter officium iudicis est, in eum priuatim, ac nominatim inquirere, sed quoniam homicidium patratum esse

2. constat

Cap. qualiter de accusa. el. 2.

Palud. 4. sent. di 19. q. vltima

Vide Io. Gerson parte 2. alph. 34.

3.

constat,populo fortassis ipsum,& certe bonis viris detestantibus, prætor non potest autoris inuestigationem sine magna culpa negligere. cũ autem de crimine non dubitatur quo pertinet inquirendi sollicitudo, nisi vt autor eius occultus patefiat inuestigatus? PH. Hoc ergo crimen manifestum esse dicis non occultum, quãuis autor ignoretur:ac proinde ius esse,vt prætor autorem inquirat,& inquirenti pareatur:si hoc igitur asseueras,nihil pugno. TH.At pugnabas paulo ante: & te iudici negabas vlla ratione obtemperaturum. PH.Scilicet quia non animaduertebam,crimen illud ex parte manifestum esse: ac huiusmodi, vt more ac iure possit in ipsum prætor inquirere.

Summarium.

1. *Quid faciendum,si iudex inquirat in penitus occulta crimina, propositis censuris & excommunicatione.*
2. *Celare verum sæpe licet,inficiari nunquam, nec pro salute hominis.*
3. *De vsitatis collegiorum & cœnobiorum inquisitionibus seu visitationibus:& formula iurandi rogatos testes.*
4. *Incommoda quæ sequuntur si formula prætermittatur.*
5. *Quam diuersa ratio sit sacerdotis nota per confessionem crimina negantis: & eius qui aliter nouit.*
6. *Inficiatio criminis occulti quomodo interpretanda.*

CAPVT III.

SEd faciamus non modo autorem, verum etiam crimẽ ab omnibus, 1.
præterquam à me & eo qui commisit ignorari,exempli causa:faciamus ignotum quendam & peregrinum hominem à Titio ruri suo fuisse,me vno conscio,interemptum,& humatum, quem nemo vnquã postea in vrbe requisiuerit: omnibus Titium virum esse bonum existimantibus,& abhorrentem à talibus criminibus: at seuerum, ac potius importunum iudicẽ edictis monere populares, vt ad se omnia cuiusq; generis homicidia in vrbe patrata deferãt: magnis pœnis propositis, si quis conscius non indicauerit: tũc me profiteor,nec iudici pariturum, nec (vt res habet) si me testificari coegerit responsurum, ne socium infamem,& perdam occulto crimine prodendo. TH. Etiámne proposito sacrorum interdicto(quod si placet vocetur etiam à nobis vt vulgo solet excommunicatio) imperium detrectabis? Affingamus enim rem geri Bononiæ,vbi præses habet vtrumque iustitiæ quasi gladium. PH. Ego verò nihilo minus. Nam in quo mihi iudex imperare iure nequit, in hoc meum nullum erit peccatum,si temere imperioso non paruero: interdicere autem,siue(vt nunc loquimur)excommunicare, neminem licet nisi propter capitale peccatum: quale illud hominis Corinthij, 1.Cor.5.
de quo Paulus in epistola. TH. Quo tempore, & quatenus minæ iu-

Vide. Th. 2. 2 q. 33 ar. 7. ad. 5 arg.

dicis,& imperata negligenda esse videantur,pòst si tibi videbitur dis-
ferem us:nec erit fortasse nobis hac de parte controuersia: nam tibi fa-
cile equidem assentiar, talia iudicum edicta & imperata sic esse acci-
pienda: vt putemus aut ipsos nolle de criminibus occultis inquirere:
aut si velint,non tamen esse parendum injustis eorum imperatis. Nunc
illud videamus, quod ais, te si coactus fueris dicere testimonium,ne
tunc quidem,vt res est indicaturum:ista enim oratio, quam vim habe-
2. at,non satis intelligo. Aliud est enim celare verum quod bono viro
in. 5 art. & habetur. 2. 2 q. 2. nequis. multis in causis permittitur:aliud falsum dicere mentiendo: quod au-
tore Augustino non datur,vel pro vita hominis, sine crimine, iuratus
ergo quid tunc iudici respondebis? PH. Crimen diligenter celabo:&
me dicam nihil scire,nec notam verebor,si quis mihi mendacium obie
cerit,quoniam cum sic loquor, ea dico, quæ planè iudex intelligat,&
vere ad mentem non modo meam, sed etiam ipsius respondeo. Nam
cum ille me de ijs criminibus roget,in quæ iure potest inquirere, hoc
est de non occultis,sic enim interpretor,& iure interpretor ipsius ani-
mum:ego itidem respondeo,me nihil scire eorum videlicet de quibus
ille me rogat,& rectè atque vere respondeo. Nam si quis me roget ho-
die:viderim ne Titium,quem ipse quæritat, cum heri ambo fuerint a-
pud me cœnati, vere negem,si non viderim hodie,quippe recte intelli
go,de hodierno me die interrogari.Nec aliter video in vsitatis, & an-
3. niuersarijs inquisitionibus collegiorum,& cœnobiorum vel iudices,
vel sodales scholasticos, & monachos, tum edicta, tum rogata, & re-
sponsa interpretari. TH. Ingeniosum commentum & speciosum, sed
nihil habens aut parum veritatis: non quid recte, & vere sic respon-
deat,si quis exploratum habeat, iudicem sua verba in eum sensum ac-
cepturum, sed quia in ijs quas dicis & similibus inquisitionibus, non
indocti nec imprudentes iudices formulam testium rogandorum ab
De accusati. ca. qualiter vi primo. Innocentio tertio institutam non prætermittunt,qua in primis excep-
tio criminum occultorum explicatur, nec equidem video, quomodo
possint eam citra grauem culpã prẽterire.sic enim episcopo Vercellen.
rescripsit *Formam vero iuramenti, quam à clericis Nouariensibus super inquisitione facienda in hoc negotio recepistis,in similibus volumus obseruari: vt videlicet iurent clerici,quòd super ijs,quæ sciunt vel credunt esse in sua ecclesia reformanda,tam in capite, quàm in membris,exceptis occultis criminibus,meram,& plenam dicant inquisitoribus veritatem.* Hac enim formula contra legem prætermissa, indocti homi-
4. nes,ac istius subtilis interpretationis ignari, putantes se de cunctis o-
mnino criminibus interrogari, vel socium prodent occultum crimen
indicando,vel(contrà quam ipsi fieri putant oportere) peccatum alie-
num per humanitatem celantes,ipsi se obstringent suo,propter erran-
tem conscientiam,quæ vbi nullum est,ibi solet interdum peccatum pa
Ro. 4. rere.vt testatur Paulus.Doctiores autem scrupulosa, vel prudenti po-

tius

tius cogitatione rogantis verba perpendentes, quomodo possunt non magnopere dubitare: num sibi liceat, in eum sensum verba iudicis simpliciter loquentis interpretari? ad cuius intelligentiam debent suum responsum accommodare, cum animis non perspectis, ius sit à verbis non discedere: & iudices interdum de occultis etiam criminibus iure & iniuria videamus inquirere? PH. Vir doctus, nec superstitiosus verba iudicis perinde ac lege cauetur interpretabitur: nec erit sollicitus, ne quid lateat in iudicis animo iuri atque legibus aduersum. Vt sacerdotes solent, cum se scire negant peccata, quę per sacram confessionem nouerunt. TH. Sacerdotis longe alia ratio est. Deus enim & Ecclesia, ipsaq; ratio naturalis arcanum sacræ cõfessionis, quod multis scriptis legibus nominatim est sancitum, tam sanctum esse voluerunt, vt in nulla, prudenti modo & coacta, sic cognitorum peccatorum inficiatione possit esse, vel periurium, vel mendacium propter sacramenti huius maiestatem, & maximam publicamque religionis christianæ perturbationem: quam existere necesse esset si quo tempore, si qua ve ratione religiose confessum prodere liceret. Tunc enim quis non timide, atq; cunctanter ad hoc sacramentum accederet? immo verò quis non vehementer à sacra confessione deterreretur, qui modo sibi conscius esset criminis alicuius, quo patefacto, posset infamiæ, & fortasse salutis etiam periculum adire? Itaque Thomas peccatorum in confessione cognitorum occultationem esse dicit de substantia sacramenti: quod nemo tribuit alteri cognitioni: si quis secus nouerit quamlibet occulta crimina: quippe quæ multifariam licet interdum indicare. Pręterea sacerdos aliam personam induit, dum sacramentum administrat, aliam dum testis producitur inuitus. Hic enim priuatam magistratibusque subiectam: illic Christi personam gerit, cuius est administer, nullo ne pontifice quidem maximo inferiorem. Vt autem quæ vel iuratus quisque promiserit, vt publica persona, ea priuatus cum abierit magistratu præstare non tenetur: nec propterea quòd non fecerit, periurus habebitur: sic qui negat se scire priuatus, quæ nouit vt minister dei ac sacramenti, non mentitur, nec periurium incurrit. quæ personarum diuersitas nulla est in teste, qui rogatur de criminibus occultis. Vt enim priuatus nouit, sic priuatus producitur, vt dicat testimonium. Atq; hæc quidẽ à magnis theologis traduntur, vt sacerdotis illã inficiationẽ vindicent à periurio, & vanitate quæ palàm est, vt dixi minime in eum cõuenire, qui de peccatis occultis testimonium dicit. Cæterũ nescio, hac in causa an nihil magis sacerdoti suffragetur, q̃ publica christianorum doctorum iuxta, & indoctorum interpretatio: quæ declarat, hunc intellectum habere simplicẽ sacerdotis inficiationem se nihil scire præterquam vt deum vel administrum dei, & sacramenti. vt si quis aliter verba inficiantis acceperit, sacerdos tamen sit extra culpam & mendacium

Despõ. cap. ex literis.

5.

4. di. 21. q. 3. ar. 1.

Vide palu. li 4. di. 21. q. 3.

cium propter publicam & receptam interpretationem. quemadmodum si quis iuret prætori, vera se ad omnia rogata responsurum, nihil opus est, vt addat illud: dummodo fuero, quę iusta sunt & honesta rogatus: nam ipso tacente lex communis & mos hominum interpretatur. P H. Si mos iste, & consensus christianorum facit, vt sacerdoti liceat eorum, quæ nouit, notitiã inficiari, fuit profecto tempus, cum id non liceret, nimirũ ante, quàm de hoc inter christianos conueniisset, aut hic mos inualuisset: quod nemo tradit theologorũ. T H. Fateor, si quod tempus tale fuit: nullum tamen fuisse reor: sed instituta cõfessione protinus apostolos (vt tutius esset eius arcanum à tyrannorum violẽtia: néve quis eo timore à cõfessione deterreretur) hãc interpretationem instituisse: magnoq; cõsensu christianorũ comprobatã posteris quasi per manus voce tenus tradidisse. Quòd si contendas aliquod tẽpus institutæ cõfessioni, & huic interpretationi interfuisse: quo per me non liceret sacerdotibus peccatorũ cognitorum per cõfessionem notitiam simpliciter inficiari, haud equidem ponam in magno discrimine: modo ne idcirco putes, fuisse minus sanctum arcanum confessionis. Faciamus enim fuisse. quæris quid tunc faceret sacerdos rogatus à prætore: cui dedisset iusiurandum? prudenter responderet, si se negaret scire quidquã eorum, de quibus testimoniũ ferre posset aut deberet: aut alia non dissimili verborum cautione citra mẽdacium vteretur. Ego vero his quoque temporibus talem quandam cautionem adhibere censeo sacerdotes: vt non solum mendacium vitent, sed etiã speciem mendacij: quemadmodum doctissimis quibusdam theologis placere video: præterquã si magna necessitas cogat, præsidium petere ab hac, quam dicimus, communi christianorum interpretatione: qua nondum instituta, fortis ac religiosi sacerdotis fuisset, mortem potius oppetere, quàm vel falsum respondere, vel arcanum confessionis violare: cum neutrum fieri possit sine crimine. Alia ratio est occulta crimina secus cognita celãdi: quæ interdum non modo citra crimen indicantur sed etiam officiose: & quorum notitiam inficiãti nulla talis legitima interpretatio suffragatur. P H. Ego vero & legitimã euangelicã interpretationẽ affero. Christus enim à discipulis se de iudicij extremi tempore rogantibus sic respondisse traditur in euangelio: *de die illo & hora nemo scit net angeli in cælo, neq; filius, nisi pater.* Nam cum dubium non sit, quin filius perinde sciat atque pater: filius nescire dicitur, ita videlicet, vt expediret de hoc homines ab ipso doceri: quemadmodum Hieronymus exponit: vel nescire dicitur, id est non facere homines scire: vt Augustinus interpretatur. Cur enim mihi non liceat inficiationem notitiæ criminis occulti eodem modo interpretari? vt cum se quisquàm id nescire dixerit, ad indicãdum nescire intelligatur. T H. Res dubias & ignotas certis & exploratis confirmare solent, qui via & ratione philosophantur: tu quæ

Vide gabriẽl. 4. sen. di. 21. q. vltima

Marc. 13.

Hieronym⁹ in Math. Aug. nihil. 23. q.

6.

obscu

obſcura ſunt,& incerta obſcurioribus & ambiguis declarare niteris & confirmare. Quid enim magis anceps & dubium eſt,quàm intellectus eius loci,quē citaſti ex euangelio?Nam vt miſſam faciam Arrianorum expoſitionem impietati ipſorum accommodatā: qui verba ſimpliciter accipiūt,vt filium faciat minorem patre,nónne vides,quāta ſit diuerſitas explicandi inter catholicos doctores? Hieronymus quemadmodū dicis enarrat, & item Auguſtinus qui in opere de Trinitate aliter locum his ſcilicet verbis declarat,*In omnibus* (inquit) *quæ deus ignorare ſe loquitur, ignoratione non detinetur: ſed aut tempus eſt non loqueudi, aut diſpenſatio non agendi.* & paulo poſt,*Si itaque* (dicit) *filius neſcit,ſacramentum eſt,vt taceat.* Origenes neſcire accipit pro non experiri:& filium pro eccleſia, quippe cuius corporis caput eſt Chriſtus.Quidam filium dei non vnigenitum, ſed adoptiuum intelligi volunt: vt tradit Baſilius. Nec deſunt, qui affirment illis verbis negari Chriſtum ſcire quatenus homo eſt,ac(vt ait Petrus Paludes) *per ſcientiam acquiſitam, ſed per infusā.* Nec illa eſt incommoda interpretatio(à qua Auguſtinus non abhorret)vt filius neſcire dicatur à ſe videlicet,ſed à patre:ſcientiam enim & quæcunque filius habet,habet à patre,cum ſe ipſum,hoc eſt ſuam eſſentiam, à qua non differunt re,quæcunque in ipſa ſunt habeat à patre,non à ſe. Sic igitur nōnulli,& alij aliter interpretantur. Quod ergo dubium eſt,quomodo intelligi & accipi debeat in magna ſententiarum & enarrationum varietate fundamentum faciemus,quo fulciatur ea ſententia, quam tueri moliamur contra veterum & ſummorum theologorum auctoritatem?Et ſcripturæ ſacræ ac reſponſionis Chriſti myſterium, vel (quemadmodū Auguſtinus ait)ſacramentum, in cuius intelligentia tantopere viri doctiſſimi laborant varijs modis interpretantes, ſuſtinebimus in vitam communem ad cuiuſpiam quamlibet magni viri enarrationem transferre: eoque nitentes quidquam contra non modo veterum & grauiſſimorum doctorum,ſed communem hominum ſenſum quaſi legem inducere?

4.*ſent.d.21. q.3.*

In li.de verbis domi.

Summarium.

Explicantur rationes cur ſacerdoti ſimpliciter inficiari liceat quæ nouit per cōfeſſionem: non autem ſi quis aliter occulta crimina nouerit.

CAPVT IIII.

PHI.Et quid prohibet occulti criminis extra confeſſionem cogniti ſimplicem inficiationem, tali chriſtianorum conſenſu, ſimilem habere intelligentiam?vt negari quaſi pluribus cognitum intelligatur: & tanquam reſpondiſſet conſcius, ſe nihil ſcire, quod quidem indicare debeat? TH.Nihil certe, ſi de hoc perinde conſentiant Chriſtiani:

ſtiani:ſed non conſentiunt,nec par eſt conſentiendi ratio. P H. Satis cõſentiunt,cum lex omnibus probata ſic iudicis ſimpliciter rogantis animum interpretatur,vt de non occultis videri debet interrogare: quæ interpretatio eodẽ iure ſimpliciter reſpõdentis inficiationi accõmodatur. T H. Et quæ tandem lex iudicis animũ, aut talẽ eius orationẽ interpretatur? P H. Illa videlicet,quæ prę ſcripta formula rogãdi teſtes, iudicibus interdicit:ne temere de criminibus occultis inquirant. T H. Vide quantũ opinione fallaris:lex illa docet potius verba iudicis,quibus teſtes rogãtur,non eſſe ſubtiliter interpretãda,ſed perinde vt ſonãt:& ſecundũ cõmunem intelligentiã accipienda: dũ ſic formulam præſcribit rogandi teſtes,vt explicet occultorũ criminum exceptionẽ:quę ſuperuacanea videri poterat,ſi legitima eſſet talis interpretatio. Iſta igitur lex tibi nihil ſuffragatur:ac obſtat potius, niſi ſi quam aliam habes, quã nullam eſſe reor:cuius auctoritate iuſtius interpretationem iſtam contrariam cõmuni hominum intelligẽtiæ tuearis. Quid igitur iudex velle debeat,iure & legibus facile eſt peritis hominibus explicare: quid autem velit ex verbis ipſius ſimpliciter acceptis eſt indicandum. Cum igitur iudex teſtes abſque exceptione de cunctis criminibus interrogat in magna culpa eſt propter rationes, quas ſupra memorauimus. Quo circa à doctis & religioſis teſtibus,antequam reſpondeant, admonendus eſt,vt verbis aperiat animum ſuum: ne velle videatur, de occultis etiam criminibus præter leges inquirere:tunc ſi de non occultis rogare ſe dixerit,licebit teſti occulti dumtaxat criminis conſcio, ſe nihil ſcire reſpondere:ſin aliter,quid hic vir bonus facere debeat, iam(ſi placet)conſideremus.

Cap. qualiter de accuſa. el. 1.

Summarium.

1. *Interrogantis & reſpondentis verba accipienda ſunt ſecundum communem intelligentiam.*
2. *Quam vim habeat illa expoſitio mentiri eſt contra mentem ire.*

CAPVT V.

1. TV igitur productus quid conſilij caperes,ſi ſe iudex indicaret,velletque ſibi de occultis etiam criminibus reſponderi? Exempli gratia:ſi manifeſtis homicidijs, ſed occulte patratis, vehementer commotus,& putans tali tempore legem illam iure poſſe præteriri,quæ inquiri vetat in occulta crimina:aut malitia & pertinacia te cogat etiam de quãlibet occultis homicidijs reſpõdere:quid iuratus huic iudici reſpondebis? P H. Nunquàm me iudicis vel temeritas, vel ſtultitia ſic tranſuerſum aget,vt præter legem naturæ ſociũ prodam,& infamem. Nam quod mihi ſponte facere non licet,id nõ poteſt per alterius iniuriam coacto licere. TH. Quid ergo iudici reſponſionem flagitanti re-

ti reſpondebis? PH. Non ego quidquàm narrabo falſi, nec fictam narrationem prætexam ſpecioſis mendacijs, ſed me de occulto illo crimine percunctanti nihil aliud etiam tunc vel iuratus, quàm me nihil ſcire reſpondebo, hoc autem prolatis verbis, nam illud in mente mea ſubiungam, quod quidem debeam indicare, nihil ſollicitus quomodo iudex iniquus ſit meam orationem accepturus. TH. Te igitur dicis (ſcio quibus autoribus) nō longa oratione, ſed paucis verbis peieraturum. PH Non peierat, qui non mentitur: nec mentitur, qui nō dicit contra mentem. Nam mentiri id demum eſſe interpretantur, contra 2.
mentē ire: qui ſic ergo mēte cōcepit, nihil ſe in ea cauſa ſcire, quod euulgare debeat, is non dicit cōtra mentē, ſi ſe neget, quidquā in ea cauſa ſcire: etſi voce prætermittat illud, quod quidem indicare debeam, cum ſit ſatis id mente excipere, & tacita cogitatione loqui. TH. Quis te docuit tam belle nugari? Quis tibi periuriorum tam pulchram latebram indicauit? Nam iſto quidem modo nec ego mētiar, ſi me dicā, nunquā Hiſpaniā vidiſſe: modo illud cogitatione adijciā: his quidām viginti duobus annis, poſtquam ab ea ſum in Italiā Bononiamq; profectus: quia mē dacij excuſatione ſi vti vellē, quis me ferret grauiū prudentiumque virorum? Si quid igitur veri habet vulgaris iſta interpretatio contra mētem ire: hoc declarat, mentiri eſſe aliud animo ſentire, aliud fallēdi gratia ſignificare: ſeu verbis id fiat, ſeu geſtibus aut factis. Nam recte Auguſtinus mendacium eſſe definit, falſam ſignificationem cum intentione fallendi. Verborum autem ſignificatio ſeu proferantur ea ſingulatim, ſeu in orationis complexu, non dicentis arbitratu temperanda eſt: ſed ad communem loquendi conſuetudinem, & intelligētiam: ſic enim iure cauetur accipienda & accōmodanda. Ergo ſi dicas, te nihil in ea cauſa ſcire, haud dubie mentiaris: falſa eſt enim orationis ſignificatio, & ab eo quod occultas animo diſſentiens: quia te nihil omninō ſcire, & tu dicis, & quicunque te audit intelligit: tu tamen tibi conſcius es, te aliquid ſcire, quamuis id non pures enunciandum.

In li. contra mendacium

Deſpōſa cap. ex literis.

Summarium.

1. *Interpretatio verborum Gregorij dicentis: oportere non verba, ſed animum dicentis conſiderare.*
2. *De puerili amphibologia, qua quidam vtuntur ad rationem mendacij tollendam.*

CAPVT VI.

PHI. Tu igitur nugari putas Gregorium in libro moralium, cum 1.
nos docet, *oportere non verba, ſed dicentis animum conſiderare.*

TH. Ego vero & grauiſſimam, & ſanctiſſimam eſſe iſtam Gregorij doctinam, certum habeo: quæ declarat, non eſſe malitioſe interpretanda verba eius, qui plane loquitur & ſine fraude: quod boni-

boni & æqui homines intelligant etiam si quod verbum exciderit loquenti, siue vtcunque prolatum fuerit, quod possit in calumniam rapi malitiosa interpretatione. Hæc enim sunt, si recte memini, verba Gregorij ex moraliũ libro xxvj. *Humanæ aures talia verba nostra iudicant, qualia foris sonant: diuina vero iudicia talia foris audiunt, qualia ex intimis proferuntur. Certe nouerit ille, qui intentionem ac voluntatem alterius varijs explicat verbis: quia non debet aliquis verba considerare, sed voluntatem & intentionem, quia non debet intentio verbis deseruire, sed verba intentioni,* quam orationem Gregorij quis non videat ad calumniam dumtaxat refellendam pertinere? Calumniatur enim, *qui intentionem & voluntatem alterius* (vt ipse ait) *varijs explicat verbis*. Nam licet in dubijs non sit à verbis discedendum, vt Alexander tertius Archiepiscopo Cantuariensi rescripsit, vt modo dicebamus: tamen cum de intellectu constat, animus potius loquentis considerari debet, quàm verba. Sic enim locum viri doctissimi interpretantur qui docent, cum calliditas adhibetur ab alterutro dicente, vel accipiente, tum deum orationem accipere ad mentem eius, qui simpliciter intelligit: quemadmodum igitur Gregorius calumniam eorum taxat, qui contra loquentis indubitatam mentem verba malitiose interpretantur, sic Augustinus & Isidorus stultitiam eorum damnant, qui se per dolos & astutias putant, posse mendacium, aut periurium effugere. Isidorus enim sic scripsit in libro sententiarum secundo: *Quacunque arte quis iuret, deus tamen, qui conscientiæ testis est, ita hoc accipit sicut ille, cui iuratur intelligit.* Augustinus autem in quodam sermone, *Multi falluntur* (inquit) *in hoc, & putant, quia nihil est, per quod iurant: ideo non se crimine periurij teneri. Prorsus periurus es, quia per id, quod sanctum non putas, falsum iuras: si tu illum sanctum non putas, sanctum putat, cui iuras: non enim quãdo iuras, tibi aut lapidi, sed proximo tuo iuras.* Quibus Isidori & Augustini verbis satis intelligitur, nec dicentis astutia mendacium, aut periurium vitari, & de verborum veritate ad mentem audientis, & verba secundum communem intellectum accipientis esse iudicandum, siquidem (vt Gratianus vir doctissimus, & idem grauissimus ait) *deus duplicitatis aspernator simplicem intentionem vtriusque considerat:* & tam ex parte recipientis, quàm ex parte præstantis verborum artem aspernatur, & odit. Vt igitur redeamus ad illam tuam responsionem, si crimen occultum, cuius conscius es, te scire neges, tibi fortasse non nihil dicas, certe roganti iudici mentiaris.

2. Nã adeius intelligẽtiã verba tua falsa sunt, quo planè cõuincitur leue illud (ne puerile dicã, & ioculare) cõmentũ quorundã, qui se posse putãt ingeniose iudicũ diligentiã frustrari, citra mẽdacij crimẽ: si quauis amphibologia etiã inusitata, & alijs incognita, pcũctantẽ eludãt. Sic enim docẽt exẽpli causa: si prętor Titiũ, quẽ tu fugientẽ domo tua receperis, nominatĩ vestigans, ei insequẽs ex interuallo, te roget, vel iuratũ in hũc modũ: vidisti huc ingrediẽtẽ Titiũ? nõ peierabis ac ne mẽtieris quidem,

Habetur 2.2 q.v cap. humanæ.

Cap. ex lib. desponsata.

Glo in cap. humanæ. 2.2 q. 5.

Glo. in cap. qui peierat, 2.2.q.5

Habetur 2 2 q. 5. cap. quacunque.

Et habetur 2.2 q. 5. cap ecce dico.

dem, si sic responderis: haud equidem vidi huc ingredientem Titium, dummodo manu latenter admota sinui tibi partem tuæ tunicæ demonstres. Negant enim huc pro nomine domum magis, quàm sinum tuum significari. Itaq; satis esse in alterutro intellectu ancipitem inficiationem esse veram. Nam simili verborum dubiorum artificio cũ alios de quibus est in scriptura sacra, tum in primis Abraham & Iacob mendacium effugisse, cum ille Saram filiam fratris, sororem suam esse diceret, hic primogenitum se esse cæco patri affirmaret, cum esset posterior Esau, propterea quòd sororis nomine etiam cognatam, fratrisq; filiam mos esset Hebræis significare, & primogenit' intelligi possit vt primum fratrum genitura, sic item si quis tali iure censeatur cuiusmodi erat Iacob, cum emisset ab Esau ius primæ genituræ. Quasi verò similis aut par ratio sit veræ legitimęq; amphibologię, & eius quam sibi quisq; temerè fingat, nec præterea valeat quisquam hominum diuinare. Qua velle sibi in mendacio patrocinari (nisi ego magis fallor) hominis est haud leuiter errantis, aut certè parum piè ludentis in rebus maximè seriis, & religionem attingentibus. Nam vir grauis, aut misericordia ductus & indulgens humanitati simpliciter mentietur officiosum mendacium, vel cum volet (semper autem velle debebit) omninò non peccare, tacebit, aut si minus id dabitur, verùm fatebitur nullis adhibitis verborum technis, authore Augustino, qui sic scripsit in libro de conflictu vitiorum, & virtutum: *Nec artificioso mendacio, nec simplici verbo oportet quenquam decipere, quia quomodolibet mentitur, occidit animam.* & alio in loco: *Si quis* (inquit) *ad te confugerit, qui de mendacio tuo possit à morte liberari, non es mentiturus: os enim quod mentitur, occidit animam, nec vt præstes, mentiri studeas, nec qualibet fallacia vitam alicuius defendas* Quanquam quod pertinet ad illa sanctorum patrum exempla, longe rectius & commodius Abraham & Iacob de mendacio purgari contenderim, si (quemadmodum credi par est) sic eos locutos esse dicamus latenter admonitos à iubente Deo, cuius voluntati qui paret, is recte pieq; facit, licet interdum nescientibus hominibus peccare videatur: ac eodem modo iudicio de lenocinijs & blanditijs, quibus illectus est à Iudith Olofernes, & quibusdam alijs, in vetere testamento memoratis. Qui si talia fecissent iniussu Dei, vix, aut ne vix quidem possent à peccato vendicari. Talia verò exempla si quis dubitat, recténe possint ad communem Christianorum vitam transferri, Gregorium adhibeat authorem, cuius illa est grauissima sententia: Si quis per vetus testamentum, suum vult tueri mendacium, quia minus illic quibusdam fortasse nocuerit, dicat necesse est, rerum alienarũ raptum, retributionem iniuriæ, quæ infirmis illic concessa sunt, sibi nocere non posse, quæ omnia cunctis liquet, quanta animaduersione veritas insequitur, quæ nobis iam significationis suæ vmbra postposita, in vera carne declaratur.

Gen. 20.

Gen. 27.

2.2.q 2 nec artificioso.

2.2.q.2.ca. si quis.

Iudith.11.

Habetur 2.2 q. 2 si quis.

Summarium.

1. *Confutatur eorum ratio, qui mendacium falsum respondentis excusant: quasi absit inficianti fallendi voluntas.*
2. *Quædam quæ inuoluntaria esse videntur, probantur esse voluntaria Arist. & Augustini authoritate.*
3. *Quid sit fallere in definitione mẽdacij, & quod deceptiones quædam sunt ijs qui falluntur, salutares.*

CAPVT VII.

1. *Aug. in li. cõtra mẽdaciũ.*

PHIL. Quoniam me vrges inuidia vocabuli (est enim mendacij nomen vehementer odiosum) iam illud cõfitebor & contendã, quod esse arbitror Augustini verbis consentaneum, me tunc falsum fortasse dicere, sed mendacio non implicari. Vt enim si quis quod non est, id esse putans affirmet, falsum quidem dicat, sed non mentiatur, quoniam id errore facit, non animo fallendi, sic nec is mentiri putandus est, qui falsum iudici respondet, non vt eum fallat, vel falsam dicat, sed ne socium perdat & infamet. in ipsa enim mendacij definitione Augustinus, quem authorem citasti, ad falsam significationem adiecit animum fallendi, hoc est dicendi falsum. TH. Non satis intelligo quid dicas, nisi forte huiusmodi est, præter huius boni viri voluntatẽ esse falsum dicere (quoniam fallere sic ipse interpretaris) sed eò ferri tota volũtate, quæ intentionis nomine ab Augustino nuncupatur, nõ vt falsum dicat, sed vt socij seruiat commoditati. An rectè interpretor orationem tuã?

Eth. 3.

PH. Tu verò rectissime. Nam volũtatem finis esse, vt electionem eorũ, quæ ducunt ad finem, consentiens est philosophorũ doctrina. TH. Hũc igitur contendis, non voluntate, sed inuitum significare falsum. Ac proinde non mentiri. cum absit animus fallendi, falsúmve dicẽdi. PH. Id ipsum. Nam quid magis alienum est à bono viro, quàm volentem, &
2. nulla vi coactum enũtiare falsum? TH. Isto igitur modo cum suas quisquam merces, aut pretiosam supellectilem in mare iactat, vt vim fluctuum, & tempestatis effugiat, id factum inuiti hominis esse dices, atq; coacti. PH. Sic prorsus existimo, nec id opus voluntarium mihi esse videtur. quis enim velit suum magnum malum, & grauissimam iacturam? TH. At Aristoteli videtur prudentissimo naturæ interpreti, & morum grauissimo magistro, qui sic scripsit in tertio libro Ethic. Nicomachi: *Nemo (inquit) simpliciter iacturam facit in tempestate volens. Id tamen vt se cæterosq; conseruent, faciunt omnes sanæ mentis, ita cum mixtæ sint huiusmodi actiones, voluntariæ tamen magis esse videntur. tunc enim cum fiunt, expetendæ sunt. finem verò actionis ratio temporis moderatur. quamobrem cum quisque agit, tunc actio voluntaria vel secus appellari debet. tunc autem volens agit. Nam principium mouendi partes instrumentarias in talibus actionibus in ipso est, quorum autem principium est in ipso, hæc agãt ãn secus, in eiusdem est potestate, quo fit, vt tales actiones sint voluntariæ.* Hanc Aristotelis de

lis de naualibus iacturis sententiam transfer ad illius boni viri pronunciatum, iam intelliges ipsum volentem dicere falsum, ac proinde mentiri, licet non dicturum, si posset alia ratione malis impendentibus occurrere. Itaque dum cupit humanè facere socij causa, facit contra legem Dei mentiendo. Ne vero putes philosophorum præcepta à sanctorum patrum decretis abhorrere, audi quid scripserit Augustinus, cum vellet hanc ipsam controuersiam dijudicare. *Merito* (inquit) *quæritur, quæ sunt peccata nolentium, vtrum quæ à nescientibus committuntur, an etiam rectè dici posset peccatum esse nolentis, quod facere compellitur, nam & hoc contra voluntatem dici solet sed vtique vult id, propter quod facit: tanquam si peierare nolit, quod tamen facit cum vult viuere, si quisquam, nisi fecerit, mortem minetur, vult ergo facere, quia vult viuere, & ideo non per seipsum appetit, vt falsum iuret, sed vt falsum iurando viuat. Quod si ita est, nescio vtrum possint ista dici peccata nolentium, qualiter hic dicuntur peccata expianda. Nam si diligenter inspiciatur, forte ipsum peccare nemo velit, sed propter aliud quod vult peccat, omnes quippe homines, qui scientes faciunt, quod non licet, vellẽt licere facere, vsque adeo ipsum peccare nemo appetit propter hoc ipsum, sed propter illud, quod ex ipso consequitur. hæc si ita se habent, non sunt peccata nolentium nisi nescientium, quæ discernuntur à peccatis volentium.* In lib. quæst. & habetur 15. q. 1. c. merito.

vides Aristoteles, & Augustinus consentientes, quàm valde sententiæ tuæ refragentur? contra tantos igitur & tam graues authores sustinebis etiam nunc aperto errori patrocinari? Age verò si sic statuis qui fallit falsúmve dicit temporibus adductus, non dicturus, si posset aliter vitare malum, huic abesse fallendi, falsúmve dicendi animum & voluntatem, & propterea non mentiri, non vides eos, qui pernicioſissime mentiuntur, te authore sese posse à mendacio vendicare? etiam si quis Christianus cum sit, ac rectæ fidei, Christum neget esse Deum, vt necem sibi ab hæreticis aut impiis intentatam effugiat, quo quid magis potest Basilidis errori, aut Elcesaitarum suffragari? hic enim non fallendi libidine falsum dicit, sed ob id duntaxat, vt mortis periculum euadat, cuius mendacium pernicioſum esse constat, atque mortiferum: *Corde enim creditur ad iustitiam, ore autem confeßio fit ad salutem*, vt testatur Paulus. Et Christus, *qui me negauerit* (inquit) *coram hominibus, negabitur coram Angelis Dei.* ex quo planè intelligitur, non satis esse, veritatem animo concipere, nisi eandem cum res poscit confiteatur. Res autem poscit, quotiescunque est aliquid pronunciandum. Nam Christum negare, qui negat veritatem, Christus ipse docet, cum ait: *Ego sum via & veritas.* Ad summam, si tibi constare velis, confitendum est, in tanta hominum vanitate, tot mendaciorum technis atque fraudibus (octo enim genera mendaciorum numerat Augustinus) mentiri neminem præter eos si qui mentiuntur libidine dumtaxat mentiendi, nullum inde præterea commodum expetentes, quod rariſſimum est, nec tam malorum siue iniustorum, quàm leuiculorum hominum vitium, vel potius insania:

Rom. 10. Luc. 12. Io. 14. In li. de mẽdacio & habetur 2. 2 q. 2 primum.

quocirca Auguſtinus mirum mendacium id eſſe tradit, quam ſententiam non video, quomodo poſſis contra eundem Auguſtinum, theologorumq; conſenſum tueri. Nam quod philoſophis placere dicebas voluntatem eſſe finis, vt electionem eorum, quæ ducunt ad fidem, vide ne hoc aliter ab eiſdē philoſophis tradatur, non enim (ſi rectè memini) voluntatem finis eſſe dicunt, ſed ipſam magis eſſe finis, quàm eorum ſcilicet, quæ ducūt ad finē, in quib. verſatur electio, nō īficiantes, hæc quoq; ad
Eth.1. voluntatē pertinere. Nā qui poſſint? cū electio abſq; volūtate nulla ſit,
Eth.5. vt interim taceā, quòd finis ab eiſdē philoſophis vocatur, quocunq; animus voluntaſq; fertur, fertur aūt interdū in ea, quæ prorſus aſpernaretur, niſi anguſtijs iniquioribus intercluſus, illa tunc temporis putaret expetenda, cum minus malum eiſdem philoſophis authoribus bonum quodāmodo eſſe videatur. quod ijs accidit, qui mētiri malunt, aut iactu
Eth.1. ram facere rei familiaris, quàm mortem oppetere. ſed finis alius alio potior eſt, & in quoq; genere vel actione licet alia ſint, quæ rectè poſ-
Eth.1. ſint appellari fines, hoc tamen nomen id ſibi vendicat potiſſimū, cuius gratia cætera fiunt, & qui agit ab hoc potiſſimū nominatur. Nā qui lucri quæſtuſq; cauſa adulteratur, & quaſi mercedem capit ab adultera, hic
Eth.5. non tam intemperans adulterq; vocandus eſt, ſi philoſophis credimus, quā iniuſtus & auarus. Vtrumq; tamen rectè nominari poſſe, nemo dubitat: eodem modo qui falſum dicit, vt periculum euadat, timidi potiꝰ nomen feret, quā vani & mendacis, tamen fuiſſe mentitū nemo debet dubitare, quæ eadem ratio eſt eius qui falſum reſpondet iudici, vt ſuis alteriúſve incōmodis occurrat, quippe volēs iudicē fallit, quæ ſumma ratio eſt, vt ſæpè diximus, mentiēdi. PH. Ergo tu iudicem ab eo falli exiſtimas, qui hæc ipſum celat, de quib. ille iuſtius ageret, ſi nō inquireret. TH. Ego verò certum habeo, ſi celat reſpondendo falſum. An tu neminem falli, ſine ſua quantulacunq; iactura vel damno putas? PH. An ego non putem? vel me falli exiſtimem, ſi quis vir bonus præcipitem in aliquod meum magnum malū falſa me oratione, ſed tamen ſalutari reuo-
In expoſ. præf.5. cet à conſilio pernicioſo? TH. Imò vero te fallat authore Auguſtino, fallacia tamen non ſibi, leuiter quidem, at tamen peccanti, ſed tibi ſalutari (fallit enim, qui falſum qualecunq; alteri pro vero perſuadet) & mentiatur, ſed mendacium officioſum, quod genus peccati leuiſſimum, ſi non eſt committendum, authore Auuguſtino, non dico vt alterius ho-
Rom.3. minis ſaluti & famæ conſulatur, ſed nec vt ſuæ quiſq; perſpiciat (*non ſunt enim facienda mala, vt eueniant bona*, vt Paulus docebat Romanos) quanto turpius erit in qualicunque cauſa, vt vitet quis alterius cuiuſpiam damna, falſum iudici iureiurando confirmare, quod efficitur etiam turpius & grauius, ſi quam iudex habeat probabilem cauſam crimen inueſtigandi rumore aut ſuſpicionibus antegreſſis, tunc enim vel citra iuſiurandum turpiter ac perniciosè mentiatur, qui iudicis iure

ſuſceptam

suſceptã operã fruſtretur ſua vanitate. PH. Quid igitur vir bonus faciet, ſi in tale tempus inciderit? quem video per te ijs auguſtijs intercluſum, vt quocunque ſe vertat, ſit magnam plagam accepturus? aut enim ſe obſtringet mendacio, ac potius periurio, vel ſocium prodet, & infamabit, quorũ vtrumq; eſt impium atque nefarium, & contra leges diuinas & naturales. Quid conſilij dabis his difficultatibus implicato?

Summarium.

1. *Non poteſt tempus incidere, quo ſit neceſſe cuipiam turpiter agere.*
2. *Omnium legum interpres eſt & quaſi moderatrix recta ratio.*

CAPVT VIII.

THE. Dicam equidem quod ſentio, & quod me ratio docuit, præceptiſque magnorum virorum, arbitror eſſe conſentaneum, Primum omnium meminiſſe debes, id in quo omnes, qui via & ratione philoſophantur, omneſque theologi conſentiunt, nullum tempus incidere poſſe, quo ſit neceſſe cuipiam turpiter agere, ſeue obſtringere peccato. Nam quod vitare quis, aut viciſſim præſtare non poteſt, hoc vt vitet aut præſtet, nemo poteſt lege diuina obligari, qui autem contra legem Dei non facit, dicit, aut cogitat, vt totam peccati definitionem complectamur, hunc certum eſt non teneri nec peccati, nec turpitudinis. Ex quo intelligitur haud dubie, nullas diuinas leges, vel etiam naturales (omnes enim naturales diuinæ ſunt, licet non reciprocetur) eſſe inter ſe penitus contrarias, quamuis interdum tales eſſe videantur, non dico ſimpliciter, vt altera in vniuerſum iubeat, altera vetet, exempli gratia, mentiri vel furari, in quo eſſet aperta legum diſſenſio, & latoris inconſtantia, ſed ne tum quidem, cum tempus incidit, quemadmodum ſæpe in magna rerum agendarum varietate ſolet, vt altera ſuſcipi aliquid, vel omitti iubere, altera vetare videatur. Intelligendum, eſt enim, omnium cuiuſque generis legum, quibus humana vita dirigitur, moderatricem, hoc eſt interpretem, eſſe rectam rationem, quę Dei legem æternam affectatur. à qua lege æterna omnis lex iuſta proficiſcitur, eſt enim lex æterna ſumma ratio, cui ſemper eſt obtemperandum, quemadmodum tradit Auguſtinus ſimul affirmans eiuſdem legis notionem ſcriptã eſſe in mentibus noſtris. Cur enim qui fame conficitur, extremaque inopia laborat, ſi rem alienam ad cibum vitæ neceſſarium auferat inuito domino, is nõ tenetur diuina lege, qua furta ſeuere vindicantur? nempe quia recta ratio ſic illud Dei præceptum interpretando in tali cauſa moderatur, quaſi neceſſitas omnia faciat omnibus communia, furtiq; rationem excludat, melius eſt enim vt copioſus ſupellectile vna priuetur, quàm vt egenus fame pereat, & quia ſic iudicat, & interpretatur recta ratio, idcirco ſic Deo placere dicimus, qui eſt omnium & rerum dominus, & legum ſummus moderator.

1.

2.

De *lib. arbit. lib.* 1.

Summarium.

1. *Summa omnium legum est, vt semper fiat quod iustum & æquum sit: pro rerum & temporum ratione & facultate.*
2. *Præcepta decalogi non admittunt nouam interpretationem.*
3. *Comparatio cæterarum legum naturalium cum præceptis decalogi.*

CAPVT. IX.

1. Hæc igitur summa est omnium iustarum legum de rebus agendis, hoc potissimum iuris est tum diuini, tum etiam naturalis, vt semper vitentur grauiora mala, semper fiat quod iustum & æquum sit, semper rectæ rationi pareatur. Hanc enim normam esse virtutum & vitiorũ, docent nõ modo theologi, sed etiã philosophi, qui cũ res quã optime fieri potest, efficitur pro rerũ videlicet facultate, tũc eadẽ natura duce & authore fieri cõfirmant, quãuis scriptũ & formula cuiuspiã legis aliorsũ vocare videatur, omnis .n. lex etiã naturalis, sic est accipienda & interpretanda vt si quid acciderit in tãta rerũ varietate & incõstantia, q̃ aliter fieri, quã lege cauetur, melius esse monstret recta ratio, non putemus eã legem aliter faciendo violari. forsitan enim natura non patitur rerum agendarum, vt lex aliqua simplex, & vniuersalis à quocumque etiam ab ipsa natura, vel Deo feratur, quæ singulis euentis & actionibus semper sic accõmodetur, vt nihil accidere possit, in quo eadẽ desideret aliquod rectæ rationis moderamen seu interpretationẽ; nec id latoris culpæ tribuendũ est, aut ignorãtiæ. sed ipsi naturæ rerum, quæ talis est, vt modo dicebam, & docent philosophorum maximi. Quæ cum ita sint, religio tamen Christiana quasdam leges diuinas tam ratas, & sanctas esse voluit, vt nullo vnquã tempore Christiano liceat ab ipsarũ scripto discedere, præterquàm in ijs, quæ rectæ rationis interpretatio ab ecclesia publicè iam recepta, & prudentium, ac piorum consensus excepit, nõ si vel maxima commoda aut incommoda priuata vel publica adhortari videantur, seu vicissim dehortari, aut si quis locus etiam nũc esse potest nouæ interpretationi, rei genere ac magnitudine postulante, eam non singulis quamlibet doctis viris permittitur, sed vniuersæ ecclesiæ eiusue præfecto pontifici maximo reseruatur, hæ vero leges sunt præcepta ipsa decalogi in eo intellectu, quo sunt ab ecclesia declarata, à quib. velut fontibus manant reliquæ omnes iustæ leges, quæ mores attingunt, tum pontificiæ, vel ciuiles, tum etiam naturales, quas vt prudẽtium hominum naturalis ratio deriuauit, sic eadem sæpe in varietate rerum existentiũ exponendo moderatur. harum igitur posteriorum legũ etiã naturaliũ, nõ ea vis & autoritas est, vt possint, aut debeant cũ illis suis quasi capitibus comparari. quamobrem si venerint in contentionem, nullo vnquàm

Ethi. 1.

Plato in ciuili. Arist. Ethi. 5.

2.

3.

vnquàm tempore est à principe lege discedendum. Sed si quando duæ te posterioris ordinis leges sic in diuersa distraxerint, vt simul vtrique satisfacere non posse videaris: nunquàm errabis, si quo te cunque duxerit recta ratio, huc sequeris, quamuis scriptum alterius legis videatur in diuersum reuocare. quod facit qui celat potius occultum socij crimen, quàm pareat iudicis imperio iniuste suum munus exequentis, quamuis simplici lege sit cautum, vt præfectis pareamus. *Ro.13. etiam 1.pe.2.*

Summarium.

1. *Rectæ rationis iudicium, est iudicium bonorum ac prudentium virorum.*
2. *In duarum legum contentione, præterunda est quæ minore vinculo, aut paucioribus nexibus obligat: nec in eo peccatur.*

CAPVT X.

PHI. Optimam tu quidē, & pulchram rationem cōstituisti dirimendi cōtrouersias, si quādo leges venerint in cōtentionē, vt omni scripto legis semper iudiciū rectæ rationis præferatur, sed mihi negociū nihilo magis expedisti. adhuc enim hæreo ad eandē salebrā, & quod sit iudiciū rectæ rationis, ignoro, eoq; magis, quòd sæpe eandē causā alij aliter dijudicant penitus cōtraria decernentes, quorū quisq; suum iudicium à recta ratione profectū esse contendit. TH. Tibi videlicet arbitrabar theorema philosophorum non excidisse, quo bonum & rectū id esse docent, & vicissim malum & prauum, quod tale iudicatur esse, à bonis & prudētib. hominib. quo perspicue intelligitur, rectā esse rationē qua viri probi & sapientes diriguntur. Hæc est enim ratio manans ab ea, quā legē æternā appellamus. Itaque philosophi tum priores, tum etiam qui Christianè philosophantur, excessuum, & defectuū mediocritates, quæ virtutes nominantur, tunc rectè constitui docent, cum sic à prudentibus viris definiuntur. vt autem nos ratio docet, vtq; sancti patres definierūt in octauo concilio Toletano, viri prudentis est, in tali legum discrepā tia, quæ quamque prætermissam legem incommoda, ac turpitudines sequi videantur, diligenter considerare, & his inter se collatis, in qua lege prætermittenda minus perspexerit esse mali, hanc tali tempore prætermittere turpe non esse constituere. Nam minus malum (vt supra dictum est docentque philosophi) vicem habet boni. Itaque *hoc placet Deo, & probatum est hominibus*, vt verbis vtar Pauli, hoc maxime naturæ consentaneū est: quæ vellet illa quidem semper opus absolutum conficere, sed cum id non datur, materia, quam tractat, aut alia re quapiam impediente, satis habet, suum munus strenue pro facultate, & ratione rerum suppetentium obire, nec id esse putat præter suam dignitatem. Quanquàm huiusmodi quoque legum interpretatio sæpe prudentium hominum

1. *Ethi.5.*
2. *Roma.14.*

Ethi.2. cap.2.

hominum ſententia non contenta auctoritatem etiam requirit Pontificis maximi.

Summarium.

1. *Comparatio legis iubentis celare occulta crimina, & vetantis peierare vel mentiri.*
2. *Quædam ſponte facere non licet, quæ recte fiunt propter malum vitandum.*
3. *Quo in genere peccatum tollat iuſtus metus certi periculi.*
4. *Ratio & tempus celandi ac vicißim indicandi crimen occultum.*

CAPVT. XI.

1. REdeamus igitur ad eas leges, quæ huius boni viri, cui conſulere volumus, animum diſtrahunt in varia conſilia, & vtriuſque vim, & autoritatem conſideremus. Altera dicit, *occultum ſocij crimen diligenter occultabis.* Iuſta lex eſt honeſta, & à natura profecta, ſed quam præterire licet aliquando, ſi ſpectet in alterius malum, & multo magis in tuũ, ac maxime omnium in periculo religionis, vel reipublicæ. Altera lex dicit, *non feres teſtimonium falſum,* legem audio ſacram diuinam & naturalẽ, non cuiuſuis ordinis, ſed ex ijs, quæ continentur in decalogo, breuiter à cuius ſcripto nemini vllo vnquam tempore licet diſcedere, non ſi neceſſe fuerit millies mortem oppetere, & tota ciuitas periclitetur. Quibus legibus comparatis, crimen eſt profecto crimen, dubitare, vtra ſit alteri in contentione præferenda. PH. Iuſiurandum ergo, quod dedi, præbet mihi ius reſpondendi. TH. Minime verò, ſed neceſſitas, qua cogeris, tibi permittit reſpondere, cum prius non liceret: veritas porrò, & iuſiurandum, ne falſum iudici præſertim referas interdicunt. Non igitur verum eſt, quod tibi paulo ante ſumebas, ſi quid ſponte facere non licet, id nunquàm ne coacto quidem licere cuipiam, vt effugiat aliquod malum.

Vide Caietã. in. 2. 2. q. lxix. ar. 1. & 2. ad finem.

2. PH. Si qua vis allata poteſt non modo ſubleuare, ſed tollere etiam omnino peccatum, eodem modo non delinquet, ſi quis temporib. adductus

3. peierabit, aut vrgente neceſſitate adulterabitur. Hoc autem nec patitur religio, nec philoſophiæ ratio, quibus qui parere velit (omnes autẽ velle debebunt) is morietur potius, quàm turpiter faciat, facit autem turpiter, qui crimen occultum patefacit. TH. Longe alia cauſa eſt peierantis vel adulterantis, & eius qui inuitus prodit occultum alterius crimẽ. vt enim quis iureiurando falſum confirmet, vel adulteretur, recte fieri nunquàm poteſt, pertinet enim ad præcepta vetantia, quæ nullam patiuntur temporis exceptionem. Itaque mori potius eſt, vt modo dicebam, quàm ſe talibus criminibus obſtringere, nec poteſt vlla neceſſitas delinquentem à peccato vendicare, cum ſint ex eorum genere, quibus etiam Ariſtoteles mortem præferri oportere docet; occultum autem crimẽ celare, quod refertur ad præceptum charitatis, ex eorum numero, quæ affirmatiua nuncupantur à theologis, & temporis intermiſſionem ad

Ethi. 3.

mittunt,

mittunt, tantum abeſt, vt ſemper ſit honeſtum, vt interdum turpe etiam habeatur, nimirum cum crimen ſpectat in alterius perniciem, vel ſaltē mediocre malum, in periculo reipublicæ, qua religio quoque continetur, multo etiam magis, niſi aliter, quàm indicando obſiſti poſſit impendentibus malis. Ergo ſi crimen occultum indicare iam licet, iam ſecus, conſideranda eſt ratio huius diuerſitatis, & eam ſemper tenere iuſtitiæ fuerit, atque prudentiæ, eſt autem vtrobique ratio charitatis in ſocium, quæ te iubet, vt conſulas ipſius commoditatibus. Celas occultum ſocij crimen, recte facis, quia te charitas adhortatur, ne ſociū lædas. Enūcias crimen in alterius periculo, vt euites maius malū, rectius facis, quàm ſi taceas. Hoc enim exigit ratio charitatis, vt ſi vtrumque fieri non poteſt, innocenti potius de maiore vel pari malo periclitanti proſpicias, quā ſontis & male cogitantis impunitati. Si tibi ergo charitas præcipit ſocij crimen enunciare in alterius periculo, cur eadem tibi id ipſum nō permittat in tuo pari diſcrimine? Num Chriſtiana charitas probat ordinem præpoſterum dilectionis? vt quis alterum magis diligat, quam ſe ipſum repugnante natura? Si quis igitur tyrannus, perſpectæ ſæuitiæ, id tibi malum, niſi crimen indicaueris, intentet, propter quod malum in altero vitandum licet indicare, nihil peccabis indicando, ſed fungeris potius officio religioſæ charitatis, quæ ſemper eſt naturali conſentanea, & facit etiam, vt quædam permittantur in ſua cauſa, quæ in aliena ſunt criminoſa. Nam ciuem indemnatum iniuſſu magiſtratus interimere, crimen eſt, & quidem magnum: ſed ſi hoc facias coactus, iniuriam videlicet repellēdo cum moderamine inculpatæ tutelæ, iuſte facias, licet lex quædam naturalis & diuina iubeat, vt vitæ hominis parcas, etiam male de te merentis. Quid ita? nimirum quoniam ſi leges in contentionem venerint, illa tibi ſanctior eſſe debet, quæ te tuam vitam tueri iubet, quod præſtare ſcilicet, vt fingimus, non potes, niſi aggreſſorem occidas.

Summarium.

1. *Quando vir bonus vltro, quando rogatus aut iuſſus accedere vel ſecus debeat, adferendum teſtimonium.*

CAPVT XII.

QVod autem dicebas theologorum conſenſu nulla lege quenquam obligari, vt de occultis criminibus teſtimoniū dicat, theologi (ſi diligenter inſpicias) quæſtionem hanc non ſimpliciter definiunt, ſed intereſſe docent, vltróne crimen deferas, an rogatus ab altero vel iuſſu legitimi iudicis ad dicendum teſtimonium accedas. Nam his autoribus vltro crimen ſocij deferre, nec boni viri eſt, nec religioſi, præterquàm (vt modo dicebam) ſi vergat in cuiuſpiam incommodum vel rei

publicæ iacturam, quibus malis occurrere non aliter valeas, aut antegressa fraterna corruptione (sic enim vt scis, vocant amicam & piam admonitionem) si ratio postulat peccati, nam tunc imminentis mali eum, cuius scire interest admonere, & male cogitantem nominatim, si rei magnitudo poscet indicare, non delatoris inhumani opus, sed iusti, & boni viri officiũ esse decernitur: modo id facere possit sine suo periculo. Nã quæ delatio aliàs vtilis & honesta fraudi esse potest deferenti, nisi crimen probauerit, hanc probationibus minus suppetentib. præterire prudentis est autore Augustino, & legibus cauetur. Sin autem rogeris, vt testimonium dicas, tunc causæ genus est considerãdũ, nã iniuria laboranti, præsertim in capitis aut famæ discrimine, qui cum valet, non opitulatur, perinde peccat, sceleri cõsentiens, ac si reum calũnijs oppugnaret, recte viris doctissimis interpretantibus consentire eum, qui tacet, cum possit refellere. Nã qui à socio iniuriam (vt testatur Ambrosi') si potest nõ repellit, tam est in vitio, quàm qui facit. nec caret scrupulo societatis occultæ, qui manifesto facinori desinit obuiare, vt Anastasius & item Damasus Pontifices scripsere. Vir igitur bonus innocentẽ reum iuuare suo testimonio non grauabitur. scriptum est enim in psalmo,

de hære. in sexto. ca. nolentes. in hõ. de pœni & habetur 24. q. 7 plerunque.

Offi. 1.

Psal. 81. & 14.

Eripite pauperem, & egenum de manu peccatoris liberate. & in libro prouerbiorum *Erue eos qui ducuntur ad mortem* ergo vt innocentem vendices à calumnia, non dico rogatus testimonium ferre debes non grauatè, sed si te nemo roget, prudenter curare, vt reus innocens testimonio tuo subleuetur. Alia ratio est, si te roget accusator, vt testimonium dicas in sontem reum, quo ille conuictus pœnas luat commissi criminis. non enim delinquens, si nec vltro nec accusatoris rogatu ad oppugnandum reum properabis: sed si te iudex vocet, iubeatque ferre testimonium, parêre debes modo iure præcipiat, hoc est nisi crimen fuerit penitus occultum, & huiusmodi, vt celatum nulli officiat. nam in occulta & talia crimina ius non est inquiri, nec eadem à conscijs indicari.

de accus. c. q. taliter. ef. 1.

Summarium.

1. *Quid faciendum si iudex propositis cum alijs pœnis, tum etiam excommunicatione, inquirat, de crimine prorsus occulto.*
2. *Id quod imprudentes iure iurando sumus polliciti si turpe esse resciuerimus, præstare non tenemur.*
3. *Declaratur temeritas sententiæ dissentientium ab authoris opinione.*

CAPVT. XIII.

VT igitur quæ plurib. verbis, ac diffuse à nobis exposita sunt, in pauca cõferamus, si manifesti criminis latẽtẽ autorẽ iudex legitim' vestigans iusiurãdũ à te petat, ac testimoniũ veritatis, parêre debes suũ officium

officiũ more ac iure etiã gentiũ obeunti. sed si nec fama criminis, nec rumor vllus increbuerit, & autor in nullã venerit ne mediocrẽ quidẽ suspicionem, non est iudici obtemperandum, si quo errore, si quaúe temeritate compulsus inquirat in talia crimina, quæ proprie vocantur occulta. Itaque si iubeat edicto publico, vt ad se crimen autor emque deferat, quicunque sit conscius (exempli causa) cuiuspiam homicidij magnis pœnis propositis, etiam excommunicatione, si quis edicto non paruerit, vir bonus homicidij prorsus occulti cõscius, putabit edictum ad se nihil pertinere. Nam aut iudicem fortasse nolle contra legis præscriptum homicidia talia inuestigare: aut si velit, tamen in hoc ei non esse parendũ, & minas ipsius parui pendet, confirmatus dogmate de quo (vt ante dicebas) oẽs theologi consentiũt. Atq; eodem modo iudico de præceptis, minis, & perquisitionibus, quibus præfecti & iudices vtuntur in monachos, & sodales scholasticos, & talibus. Si porrò vir ille bonus nominatim vocatus, adactusque fuerit iure iurando, verum se ad omnia rogata respõsurum, recte negocium ad hunc maxime modum expediet: simpliciter interrogatus, sit ne conscius alicuius homicidij, se negabit scire quidquàm eorum, de quibus debet testimonium perhibere, vrgẽte porrò iudice, vt simpliciter respondeat, ipsum admonebit officij sui, vt iuris formulam teneat rogandi testes occulta crimina excipientẽ, ne quis putet ipsũ de arcanis etiã cõtra ius & fas interrogare. Quòd si iudex indicet suam temeritatem, ab eodemq; petat, sit ne conscius homicidij cuiuspiam quamlibet occulti, tunc multo minus respondebit: sed ipsum obsecrabit, vt se contineat in officio suo, nec præter leges inquirat in occulta crimina. Nam licet iurauerit, ad omnia se rogata responsurum, tamen iusiurandum de permissis duntaxat, & iustis reb. datum esse, leges interpretantur: prorsus vt si quid imprudens aut temere fueris iure iurando pollicitus, id si turpe esse resciueris, præstare nõ tenearis. Est enim contra officium nonnunquã (vt testatur Ambrosius) promissum soluere sacramentum. Nam cum temere iurasset Dauid se occisurum Nabal, non tamen impleuit iurationem (vt ait Aug.) maiore pietate ductus, sin autem fuerit allata vis, aut intentatum par vel maius dãnum: quàm quod ille proditus incurreret, iniecto timore non vano, nec contemnendo, cum iam impune tacere non liceat, crimen simpliciter indicabit, seruato iure atque ordine charitatis, vt cum spectat in magnũ alterius vel reipublicæ malum, faciendum esse docent theologi, differentes de fraterna admonitione. At cum tacere permittũt leges, nec vlla vis extrinsecus adhiberur, quæ temeritas est per Deum immortalem, vt quisquàm inficiando se scire aliquid, respondeat vel falsum, vt ego dico, vel vt ipse confiteris, suspectum, & ancipitis veritatis, cui tacendo licet celandi legi atque officio tam facere? Hæc est enim tua & eorum, quos tueris non ferenda culpa, quòd sine vlla necessitate falsum di-

1. *offi 1 & habetur 2.2. q. 3 est etiam.*

2. *1 Reg. 25. In ser. de ieiun. decol. & habetur 2.2. q. 3 iurauit.*

cere ſuadetis,aut certe quod tale pleriſque, nec ſine magna ratione vi-
1. Theſſ.5. deri poſſit,reclamante Paulo,qui nos monet,vt non tantum à malo abſtineamus,ſed etiã ab eo,quidquid ſpeciẽ mali præ ſe ferat. Sed nec ea ratio contemni debet,quæ iſtam ſententiam periculi plenam eſſe declarat: fieri enim poteſt,& ſæpe vſu venit, vt quod penitus occultum crimen quiſquam eſſe putet,nec eius vllam famam præceſſiſſe, id ab alijs ſciatur,aut venerit in ſuſpicionem legitimam. Quod ſi accidat,& conſcius id ſe ſcire neget,non ſolum peccabit peierando,ſed fortaſſe conuictus periurij pœnas legibus dabit:quod periculum nullum eſt in eo,qui tali tempore tacendo ac reſponſionem differendo tãdiu crimen occultat, donec iure reſpondere compellatur.

Summarium.

1. *Vir bonus alterius peccati conſcius,tanquam neſciret,diſſimulet.*
2. *Si lata ſententia ſacris aliquem nominatim interdixerit niſi reſpondeat,ſub pœna excommunicationis tenetur reſpondere.*

CAPVT XIV.

PHI. Si virum bonum reſpondere vetas ne ſocium prodat,& infamet, permittas eidem cenſeo planè crimen indicare, tunc ſaltem cum de crimine cuiuſpiam nominatim inquiritur.tacendo enim,qui rogatur,perinde teſtimonium dicit,ac ſi crimen indicaret. quis enim tam obeſus eſt, vt non intelligat conſcientiam eſſe cauſam talis reticentiæ?
2. TH. Vir grauis & prudens,dum rationem ſequitur honeſtam in huiuſmodi cauſis, parum laborat, quo modo cæteri factum ſuum interpretentur,vt docet illud peruulgatum ſacerdotis exemplum, quem theologi facientem cum latronibus necem illi meditatis inferendã in proximo nemore, quod ipſe per confeſsionem vnius latronis rite, cæteris videntibus factam reſciuerit.Huic enim theologi conſulunt, vt ad oppidum ante nemus in via ſitum diuertat,nec calumniam metuat arcani violati, ſi cæteris latronibus magnam ſuſpicionem indicati ſceleris iniecerit.cum diuertendi alia poſſit eſſe cauſa, quàm cognitio criminis cogitati : cui ſimilis eſt ratio,eius de qua quæritur reticentiæ. Nam ſi quis ea referat,ad occulti criminis conſcientiam, præſto erit æquior interpres,qui conſilium id eſſe dicat prudenter cauentis, ne forte ſi de vno innocente rogatus ſemel reſponderit,dum licet tacere, de altero, & itẽ de tertio rogetur,donec ad ſontẽ veniatur,quẽ reticendo, cũ de alij reſpondiſſet,grauaret maiore ſuſpicione. Age verò quanti refert, nõ dico ad mulctã,qua nemo niſi planè cõuictus citra iniuriã afficitur, ſed ad fãmã,vtrũ in ſuſpicionẽ quæ ſæpe vana eſt,ſocium adducas,an aperte dãnes tuo teſtimonio? Nõ reſpõdebit igitur vir bon⁹ in tali cauſa,ne vel

ſocium

socium prodat contra officium, vel dum id humanè cauet, iusiurandum violet, ac mentiatur. PH. Proponat ei seuerus iudex, nisi planè responderit, interdictum, siue excommunicationem, suadebis, vt contemnat etiam tunc Ecclesiasticas pœnas? TH. Minimè verò, si lata sententia sacris ipsum nominatim interdixerit. prius enim quàm iudex ipsum nomine vocaret, & suum animum exponeret, minas eius, quasi nihil ad se pertinentes iure non solum, sed etiam impunè negligebat. Ita nec ipse peccabat, nec iudex eum poterat innocentem excommunicare, nunc scandalum ponet popularibus, si visus fuerit imperium iudicis contemnere, cui parêre magis debet ciuis priuatus, quàm quid ei⁹ officij sit præscribere, præsertim si admonitus ille persistat, & se contendat iure age e scripto legis pro rerum ac temporis ratione, bonum æquũ præferendo. lædere igitur rempublicam, videri poterit, & ob eam contumaciam iure fortassis iam excommunicari, excommunicatus porrò nominatim, etiam si fuisset iniustè lata sententia, incurreret tamen grauia damna prohibitus sacris, & consuetudine piorum, atque infamiam impietatis bono & Christiano viro non ferendam, quibus malis impendentibus sua cuique commoditas, & fama chari or esse debet iure naturæ & charitatis, quàm eius, qui crimen patrauerit: quod ipse dum impunè licuit diligenter celauit. Ille verò celabit etiam nunc, si quam rationem inire poterit. Nam vrgente iudice, vt simpliciter quemadmodum est interrogatus respondeat, superiorem iudicem apppellabit, quo vim huius, ac temeritatem effugiat. si tamen nihil profecerit, nec locus deprecationi apud alterutrum iudicem relinquetur, planè crimẽ indicabit, ne se periurio obstringat negata veritate. 2.

Summarium.

1. *Iudex quamuis te iniustè cogat, vt respondeas, tamen vt falsum respondeas, ne iubet quidem.*
2. *Augustini, Thomæ, Scotiæ cæterorum veterum theologorum sententia.*

CAPVT XV.

PHIL. Dum paret igitur præsidi, diuinam legem, de celando socij crimen contemnet, fas autem erat, parêre potius Deo, quàm hominibus, vt Petrus nos docet in actis Apostolorum. TH. Non paret hominibus, qui coactus facit ipsorum imperata, tunc pareret, si faceret valens imperium detrectare. Cæterum iudex respondere cogit testem, falsum respondere non cogit, qui coactus igitur respondere, respõdet falsum: is nec paret Deo, cui odio sunt *omnes qui loquuntur mendacium*, nec hominibus rectè iubentibus. Iudex enim non modo respondere iubet, in quo potest eius esse aliqua culpa, sed etiam verum respondere. qua parte iustum est eius imperatum. PH. Coactus respondet falsum, qui *Actuum 4. 5*

1.

Psalm 5.

non aliter poteſt ſaluti & famæ ſocij conſulere. TH E. Ad ineptias redis. non eſt id cogi, ſed imprudenter errare, ſi quis ſatius eſſe putet veritatem, & iuſiurandum violare, idq; in iudicio, quàm ſocij commoditatibus non pertinaciter ſeruire, inuito Auguſtino, qui ſic ſcripſit, in
2. quinti Pſalmi expoſitione, *ſi quis* (inquit) *fortè non velit ad iſtam viſibilem mortem hominem prodere, paratus eſſe debet verum occultare, non falſum dicere, vt neque prodat, neque mentiatur, ne occidat animam ſuam pro corpore alterius.* ſic igitur docet Auguſtinus, dum mordicus tenet ſæpe à nobis memoratam doctrinam Pauli, quo authore nullum vnquam facies malum : vt vel magnum bonum aſſequaris. ergo vir bonus rem quemadmodum expoſuimus expediet, nec reprehenſionem verebitur, ſi quis ſe recentiorum theologorum arguerit. Nam ſe facilè tuebitur veterum & optimorum doctrina & authoritate. Veteres autẽ appello, noſtra & patrũ memoria
2.2 q 29 ar. 1 & 2. ſuperiores, qualis eſt Aquinas Thomas, qui hanc ſententiã planè & grauiſſimè tuetur. PH. At non Ioannes Scotus primarius theologus, cuius in ſimilibus cauſis ſententia magnum in primis pondus & habere debet, & ſolet. hic enim peccare negat, ſi quis in iudicio intentatum ſibi crimen etiam verum: modo ſit penitus occultum, inficietur: *intendens ta-*
4 ſenten. di. 15. q. vltima. *men* (vt ipſius verbis vtar) *negare illud, vt propoſitum*, ſcilicet vt publicum, *quemadmodum ſacerdos facit de confeſſo.* TH. Agnoſco verba Scoti, quem ego ſecundum Thomam, vt eſt æquum, magnifacio, & totum locum memoria teneo, ſed Scotus illic noſtræ ſententiæ non refragatur. PH. Si mihi licet in mea cauſa crimen occultum inficiari, vt meæ ſaluti proſpiciam atque famæ, cur propter ſimiles, & pares rationes non liceat in aliena? TH. Primum tibi non licet per Scotum abſque omni culpa verum crimen tibi intentum inficiari, deinde etiam ſi maximè liceat, ratio tamen
4 ſenten. di. 15 q. vltima. longè diſpar eſt, & diſſimilis tuæ cauſæ & alienæ. PH. Quomodo tibi videtur per Scotum non licere? TH. Quoniam ipſe dubius eſt ſententiæ, nec pro certo quidquam aſſeuerat. ſic enim quæſtione propoſita reſpondet, *Bonarum mentium eſt, culpam agnoſcere, vbi culpa non eſt; & ideo multo magis, vbi dubitatur, an ſit culpa, & qualis culpa, bonæ mentis eſt culpam agnoſcere, & ideo in tali caſu* (inquit) *tutum eſt, poſt talem negationem pœnitere indiſtincte, de hoc tanquam de tali, quale eſt, vtpote ſub tali diſtinctione, ſi mortale, tanquam de mortali ſi veniale, tanquam de veniali* Quibus verbis Scotus perſpicuè declarat, ſe non modo ambigere, an ſit peccatum ſui criminis occulti inficiatio, ſed etiam mortiferum ſit, an dignum venia dubitare. Intelligebat enim ſacerdotis, qui per confeſſionem nouit alterius peccata, longè aliam eſſe cauſam, atque eius, qui ſibi conſcius eſt criminis occulti. Cuius rationis diuerſitatem animaduertens Io. Gerſon celeberrimus theologus,
2 parte. ar. 3. cum de ſacerdote nihil hæſitans aſſeueraſſet, de cæteris ſe planè profeſſus eſt dubitare. vt enim ſupra diximus, ſacerdoti notitiam inficianti religionis Chriſtianæ ratio, & ſacramenti maieſtas patrocinatur,

eundem.

eundemque publicæ Ecclesiæ interpretatio, magno piorum sancita consensu vendicat à crimine & vanitate. reus autem nihil potest in mendacij excusationem præter rationem suæ salutis, & commodorum allegare: quibus si fuerit priuatus, nihil secus, atque meritus est petetur. loquitur autem Scotus de simplici inficiatione, quæ potest esse mendacium officiosum, non de ea quæ sit iureiurando confirmata, talis enim nunquàm dubitasset Scotus, quale peccatum sit, cum mendacium alioquin officiosum, perniciosum reddatur, si quis Deum testatus mentiatur præter Dei reuerentiã, à qua nullo tempore sine mortifero peccato disceditur.

Summarium.

1. *Quanti referat crimen quis suum occultum inficietur vel indicet, an alienum.*
2. *Declaratur præceptum illud; diliges proximum tuum, sicut te ipsum.*

CAPVT XVI.

SEd faciamus id, quod nec Scotus affirmat, & priores theologi negant, licere reo sine peccato sibi vere intentum crimen inficiari, statim ne testi in aliena causa id ipsum permittetur? PH. Quid ni permittatur eodem modo? cum socij salus, & fama perinde, ac nostra chara nobis esse debeat? scriptum est enim non solum in Leuitico, sed etiam in Euangelio, *Diliges proximum tuum sicut te ipsum*, quod præceptum cætera omnia complecti, Paulus scripsit ad Romanos. TH. Fateor socium vel (si tibi theologorum vocabulum magis placeat, quàm Ciceronis) fratrem aut proximum esse nobis sicut nos ipsos diligendum, vt qualia nobis bona volumus, talia, & tali ratione proximo velimus, & vterque amor ad Deum, quasi ad vltimum finem referatur. sed neque natura, nec ordo charitatis poscit vt ego proximum meum æque diligam, ac me ipsum: proximior enim sum, vt ille ait, egomet mihi. Nam cum omnes homines inter se societate quadam teneantur, omnes omnium socij esse intelliguntur, & proximi, vt non modo Cicero, Sed Augustinus etiam interpretatur. cæterum cum sint societatis hominum complures gradus, eadem optimè ex præceptisq; tum philosophorum, tum etiam theologorum conseruabitur, si vt quisq; erit cõiunctissimus, ita in eum charitatis plurimum conferetur. vnde nos Paulus ad Galatas scribens adhortatur, *vt bona in omnes homines operemur, sed maxime* (inquit) *in domesticos fidei*. & in epistola, quæ est ad Timotheum, perinde probans delectum in gradibus societatis, & necessitudinis, *Si quis* (inquit) *eorum, & maximè domesticorum curam non habet, fidem negauit, & est infideli deterior*. si nemo igitur tam coniunctus mihi est, quam egomet mihi, nemo vtique tam charus mihi esse debet, quàm ego lege diuina

1

Leuit. 19. Matth 22. Marc. 12. Rom. 13. 2.

Offic 1. De doct. Chri. 1.

Gal. 6.

Cap. 5.

& na

& naturali. Quo fit vt si qui dum à se iniuriam mortemq; repellit cu moderamine inculpatæ tutelę aggressorem occidat, aut sibi sumat aliena ad extremam inopiam tolerandam, hunc leges theologiq́ue fortiter & magno consensu vindicent à crimine. qui autem dum vim propulsat à socio cum pari moderamine inuasorem peremerit, aut ex alieno subuenerit æque laboranti, huius factum timidius atque cunctantius tueantur. certe in quo Ambrosius virtutem Mosis commendauit, qui Aegyptium, vt Hebræum tueretur occidisse, id ab Augustino vitio datum esse video. ita tamen, vt in eo eximiæ virtutis indolem apparuisse confiteatur. accedit quòd hic testis reo non tantum discriminis, vel iacturæ affert suo testimonio, quàm reus ipse sibi confessione sua. Nam confitentem reum infamia protinus consequitur, & legis mulcta, vnius hominis testimonium non satis crimen alterius vel iudici probat ad pœnam legibus expetendam, vel cæteris grauibus hominibus, vt male de reo loquantur, vel sentiant. Quam ob rem si reus ipse suum crimen vel iuratus inficietur, etiam si postea fuerit legitime conuictus, nullas aut leuissimas legibus humanis dabit pœnas inficiationis, diuina punietur quidem, sed leuius, quàm si in alieno periculo peierasset.

Offic. 1. Quæst. 2 in Exod.

Summarium.

1. *Occasio erroris Adriani, & cæterorum iuniorum nata ex verbis antiquorum perperam expositis, quasi non confiteri veritatem hoc sit quod veritatem inficiari.*

CAPVT XVII.

PHIL. Quid igitur venit in mentem Adriano viro docto & graui, in quodam loco suorum scriptorum testari, talem reum aut testem posse citra peccatum crimen verum occultum, aut eius notitiam inficiari, idq́ue adeo incunctanter, quasi non suum & paucorum nouum decretum induceret, sed veterem sententiam referret, doctorumq́ue consensum, si nemini (vt ipse contendis) ex theologis primarijs sine peccato id fieri posse placuit? TH. Suspicor, quia perperā interpretatus est dogma, de quo valde theologi ac iuris periti cōsentiūt. quibus omnibus placet neque reum in sua, nec testem in aliena causa de occulto crimine rogatum teneri, vt veritatem confiteatur, aut testificetur, ne si dederit quidem iusiurandum, se vera responsurum, præterquàm si probatio semiplena, aut talis fama vel iudicia præcesserint, vt iure possit prætor ipsum de occulto illo crimine interrogare, tunc enim vt iure rogatur, sic contra ius faciat, nisi respondeat, & cōfiteatur, seu testificetur, & ob eam rem grauiter peccet, consensu doctorum omnium. hoc igitur dogma sic interpretari videtur Adrianus, vt non cōfiteri, hoc esse putet, quod inficiari, magno videlicet errore. Nam iura-

to etiam

to etiam reo licet non confiteri crimen, hoc est non respondere, quando iniustè petitur ab eo talis confessio, seu testificatio: petitur autē iniustè, si nihil eorum quæ diximus præcesserit, itaq; vrgēte iudice, vt neget, aut confiteatur, sine culpa vlla potest superiorem iudicem appellare, & vim alia quacunq; ratione, modo sit honesta defugere, nulla adhibita fraude, nullo dolo, qui vim obtinet mendacij. licere autem crimē vere intentum simplici voce inficiari, etiā si reus aut testis ex industria aliud præter ea mente loquatur, quod iudex dum vocē illius interpretatur, aut accipit secundum communem intelligentiā, non intelligat, nemo veterum & nobilium theologorum, quod equidem sciam affirmauit.

Summarium.

1. *Sententia Henrici de Gandauo ad verbum refertur, & item Thomæ: sed Augustinus ante omnes author esse huius opinionis ostenditur.*

CAPVT XVIII.

PHIL. Non legisti videlicet Henricum Gandauum doctissimum virum, & magnæ in primis authoritatis, quem nominatim nō modo Adrianus, sed quidam etiam alij iuniorum theologorum, quasi authorem citant huius opinionis. TH. Ego vero legi, & totum locū ab istis citatum accuratissime consideraui. Sed Henricus hoc dicit, quod omnes Theologi confitentur. *Quando peccatum* (inquit) *est ita occultum* (vtar enim ipsius verbis) *vt non sit contra subditum super facto suo infamia vel suspicio talis, vt cōtra ipsum per inquisitionem opus sit procedere, prælatus non debet petere à subdito, vt suum peccatum occultum confiteatur in capitulo, imò ipse grauiter peccat per hoc subditum suum de crimine suspectum faciendo, & ipse subditus in casu isto non tenetur ei obedire, ideo & si prælatus petat iuramentum suum super hoc expressum, vt dicat de quo veritatem, quam nouit, non debet in hoc ei obedire, nec se ad iuramentum tale astringere, vlterius si astringat ipsum generali iuramēto ad dicendā veritatē super interrogatis, & postmodū petat specialiter sibi dici veritatē casus prædicti, dico quòd nō tenetur ei respōdere.* Audisti Henrici verba, quorum summa est, grauiter peccare iudicē, qui nec fama, nec legitima suspicione ductus, hominem sibi subiectum rogat de crimine occulto, nec rogatum teneri crimen suum confiteri, nec iurare, nec si adactus fuerit generali Sacramento, iniquè interrogati respondere. licet igitur per Henricum, & fas est, crimen occultū non confiteri, licet non iurare, imperio iniqui iudicis neglecto, licet iurato nō respondere: crimen autē inficiari, falsum respondere, arte verborū mētiri, negare veritatē, per Henricum non licet, per Thomam verò multo etiam minus, cuius verba haud equidem grauabor recitare: *Si iudex* (inquit) *hoc exquirat, quod non potest secundum ordinem iuris, non tenetur ei accusatus respondere, sed potest vel per appellationem, vel aliter licet subterfugere, mendacium tamen dicere non licet* Et paulò post in eadem quæstione. *Accusatus* (inquit) *non*

Ang. in summa. Col. 1. q 33.

2. 2. q. 69. ar. 1.

Ar. 2.

tenetur veritatem confiteri, sed illam solum, quam ab eo potest, & debet requirere iudex, secundum ordinem iuris, puta cũ præcessit infamia super aliquo crimine, nisi aliqua expressa indicia apparuerint, vel etiam cum præcessit probatio semiplena. Hæc autem præfatus Thomas, ne quis se putaret posse crimen verum inficiari, quæ ratio esset expeditissima, subijcit, *Falsitatem tamen proponere in nullo casu licet alicui.* item vt omnem verborum artem ad crimen inficiandum excluderet, hoc etiam adscripsit: *Non licet ei falsitatem dicere, neq; etiam aliquem dolũ, vel fraudem adhibere: quia fraus & dolus vim mendacij habet, & hoc est se calumniosè defendere.* Potuit ne Thomas apertius istorum damnare sententiam, qui docent fas esse reo crimen verum sibi intentum arte verborum inficiari? quanquam huius sententiæ, si verum quærimus, non tam Aquinas Thomas quàm Aurelius Augustinus author esse dicendus est, vt indicãt eius verba, quæ supra ex quinti Psalmi expositione retulimus, idem penè quod Thomas ait, declarantia.

Cap. 16.

Summarium.

1. *Innocentij & Panormitani & aliorum iure peritorum sententia de secreto commisso: quæ conuenit cum veteribus theologis.*
2. *Eandem esse rationem arcani de peccato commissi: ac criminis occulti aliter cogniti.*
3. *Ante Gabrielem Vielem, qui planè tuetur authoris sententiam, nemo nobilis theologus oppositum asseruit.*

CAPVT XIX.

1. *Ser. 2 parte alp. 34. p.*

VBi est igitur doctorum iste consensus? quomodo communis omniũ sententia videri potest? quã proposità Io. Gerson non asserit, Scotus autẽ multo etiam minus, Henricus nõ probat cuius isti auctoritate nituntur, Thomas verò perspicuè damnat, qui omnes facilè principes suæ ac inferioris ætatis theologorũ habentur, & quam Augustinus his non ætate solum, sed etiam authoritate superior multis in locis improbauit? & à qua discedunt cum alij iure pontificio periti, tũ in primis Innocentius, & Nicolaus Panormitanus, qui si quis iusiurãdum socio dederit, nulli se arcanum ab eo sibi commissum indicaturũ, huic licere negant, vt iuratus se nihil scire respondeat. de quo (si quæris) eadem mihi præcipienda esse videntur, atque in causa criminis occulti aliter cogniti. standum est enim promissis, præsertim dato iureiurando, & cõmissum arcanum, si recte id fieri potest, diligenter occultandũ. Sed si arcanum commissum ab aliquo spectet in alterius aut reip. malum: Fraterna correptio cuius Christum habemus authorẽ, adhiberi debet, & male cogitantis pertinaciæ criminis delatione, vti diximus obsisti, atque eodem modo, si conscius ad dicẽdum testimonium iure vocetur. Nã morib. aut legibus officium suum obeunti iudici parendum est. nec iusiurãdum vinculum esse debet iniquitatis (vt ait Augustinus) ad frau-

Inno. c. qualiter de accusationi. el. prime.

2. *Panor. cap. dilectus de excess. prælat.*

In epist. ad Seuerum & habet. .. 2. q. 4. inter text.

dem

dem aut iniustitiam, nec obesse quo minus sontes, in quos iure inquiritur veritate cognita plectantur, quod interest reip. quæ longe præferẽda est priuatæ. alia ratio est, si arcanum de crimine penitus occulto fuerit commissum, tũc enim cum ad rationem criminis occulti accedat fides data, & iusiurandum, multo diligentius occultandum est arcanum commissum, & iniqui iudicis temeritati, quemadmodum diximus obsistendum. Vt igitur ad id, vnde sumus digressi redeamus, quantum ponderis huic Adriani, Ioãnis Maioris, & aliorum recentium minutorum theologorum sententiæ tribuere oporteat, qui cum cæterorm antiquorum, tum in primis Henrici Gandaui authoritate nitentes, tuentur hãc doctrinam, à qua tum alij theologi veteres abhorrent, tum in primis Henricus, ipse pro tua prudentia considera. vt autem intelligas quã dudum cœperit inualescere commentum istud theologorum ad excusandum mendacium falsi testimonij in aliena causa, nullũ vt arbitror theologorũ inuenies, qui ausus sit hoc palã asseuerare ante Gabrielem theo- 3.
logum doctissimum, æqualem pontificatus Alexandri sexti, qui & ipse explicata Scoti sententia de reo suum crimẽ occultum simpliciter, sed artificio illo mentis inficiante, negat illum posse mendacium effugere, saltem officiosum, ac proinde peccatum: cuius causam reddens paulò post: *Quia verba* (inquit) *eius accipiuntur vt sonant & secundum communẽ intelligentiam, secundum quam non sunt vera.* quod si verum est etiam tunc, cum crimen reus inficiatur non iuratus, nullam enim vel hic, vel Scotus mentionem facit iurisiurandi, dubitari non debet, quin hoc authore, si quis crimen sibi vere intentum iuratus neget, is peccatum mortiferum incurrat, cum mendacium officiosum addito iureiurando pernicio sum fiat, propter Dei, qui testis efficitur falsi, neglectam reuerentiam, quod mendacij genus mortiferis peccatis cõsensu omni annumeratur, est enim periurium & contra præceptum decalogi. Aut igitur dicendũ est, mendacia officiosa non esse peccata, quod nec Augustino, nec cuiquam nobili theologo post Augustinum placet, ac ne his quidem, quorum tu sententiam explicasti. aut qui suum crimen ad hunc modum, dato iureiurando inficiatur, se obstringit mortifero peccato. quanto igitur ille magis, qui in aliena causa mentitur, de quo nobis fuit susceptа disputatio. PH. A tot, tamq; grauium, & illustrium authorum sententia difficilè factu est sine iusta reprehensione dissentire. Quare sit iam modus hic disputationi, nam tibi equidem assentior, his maximis authoribus contra religionem esse, scienter verum quacunq; arte verborum iudici præsertim inficiari, etiam in suo, non tantum in alieno periculo.

IOANNIS GENESII SEPVLVEDAE CORDVBENSIS,

De ritu nuptiarum & dispensatione Libri tres.

AD REVERENDISS. ET ILLVSTRISS. Dominum Franciscum Quignonium S. R. Ecclesiæ Presb. Cardinalem, tt. S. Crucis in Hierusalem, Episcopum Caurien.

PRAEFATIO.

MAGNA quæstio est (pater amplissime) ab ipsis vsq; Christi temporibus inter viros eruditos agitata, et in qua non parua vel reip. vel religionis momenta vertuntur, quibus ex causis quáve ratione liceat homini Christiano vxorem repudiare. Quanquam enim Christus hac quæstione sibi à Phariseis occasionem captantibus calumniandi proposita, omnes causas præter adulterium excluisse videatur, viri tamen sapientia & sanctitate clari, sic sunt verba eius interpretati, vt locum reliquerint pleriſque rebus: quæ partim diuino aut naturæ, partim pontificio iure matrimonium infirmant: atque ita infirmant, vt his neglectis aut ignoratis, si nuptiæ fuerint contractæ, non liceat solum viro repudium vxori dare, aut huic ab illo diuertere, sed interdum etiam sit Ecclesia cogente necessarium, nisi summi sacerdotis auctoritas per dispensationem appellatam intercesserit. Quam quæstionem cum hoc temporis viderem magno studio magnaq; contentione doctorum virorum disputari, haud equidem ex officio me facturum putaui, si qui vel alijs silentibus quiescentibusq; loqui ac stylum mouere soleo, in tantis clamoribus conticerem, te præsertim adscribendum (qui iubere tuo iure poteras) adhortante: dum quæ tua est publicæ piorum concordiæ religionisq; cura, ea cunctis hominibus, ad quos pertinere possunt, explorata esse & cupis, & quantum licet elaboras, quæ maxime conducant ad Christianorum controuersias dirimendas. Quod munus cum te auctore grauissimo cogitatione præcepissem, plus etiam oneris,

oneris, quàm mihi imponebatur ſponte ſuſcepi. nec placuit orationem meam cauſæ vnius auguſtijs intercludi, ſed vagari latius, & totam de ritu nuptiarū diſputationem (quatenus res matrimonium impedientes attingit) paulò accuratius, ſed ſtrictim tamen obire: ſimulq; haud paulò impediriorem quæſtionem de diſpenſatione diſſerere. Cuius velut fonte ac viribus indicatis, legumq; generibus expoſitis, quantum per oracula diuina, ipſamq; naturam & decreta ſanctorum patrum cum in alias leges temperandas, tum in ſingula nuptiarum impedimenta pontificis diſpenſationi licere mihi videretur, hoc quem ad te mittimus libello explicare curauimus. Nec enim dogmata modo Theologorum his de rebus recognoſcere, ſed placita etiam iuriſperitorum conquirere tentauimus: & ſi quæ partes fuere philoſophorum, ne has quidem intactas relinquere conſilium nobis fuit. Ita demum rati, poſſe aliquid recte conſtitui, ſi cum ſacris literis ſanctorum ſapientiumq; virorum reſponſa, & cum vtriſq; natura in eandem ſententiam congruere videretur. Sed iā de definitione, inſtitutione, fine, impedimentiſq; nuptiarum diſſerere incipiamus. his enim rebus explicatis, reliqua inſtituti noſtri expeditius perſequemur.

IOANNIS

GENESII SEPVLVEDAE CORDVBENSIS,

De ritu nuptiarum & diſpenſatione, Liber primus.

MAritale coniugium quod maioribus noſtris tum nuptias tum matrimonium appellare libuit recte vt arbitror, definietur, ſi viri atq; fœminæ ſocietas indiuidua eſſe dicatur, libere ac legitime cōtracta, cauſa prolis generandæ. Quo, ſi Originē repetas, ſi finem, ſi auctorem ſpectes, nullum ex vocatis ſacramentis nec antiquius, nec honeſtioribus ex cauſis, nec deniq; maiore inſtitutū auctoritate reperias. Conſtat enim cum cætera poſt peccatū, & propter peccatū inducta ſint, hoc vnum initio poſt ipſam ſtatim primorum hominum creationē, antequā peccarēt ab ipſo Deo fuiſſe in paradiſo deliciarum inſtitutum: cum numine plenus dixit Adam, *hoc nunc oſsex oſsibus meis, & caro de carne mea propter hoc relinquet homo patrem & matrem & adhærebit vxori ſuæ, & erunt duo in carnem vnam.* Neque verò ſolum tunc à *Gene. 2.*

Deo inſtitutum eſt matrimonium, ſed etiam à Chriſto confirmatũ Matthæi 19. Cap. Vbi vt propriè ſacramentum eſſet nouæ legis, non ſolũ (vt ante) officium naturæ ac reip. præſtandum, Chriſtus idem inſtituit: illis potiſſimum (vt pleriq; putant) verbis, *quod Deus coniunxit, homo non ſeparet.* Qui & nuptijs interfuerat in Cana Galilææ nec modo ſua præſentia auctoritatem fecerat, verum etiam edito miraculo (& quidem omniũ primo) mirifice commendans nobilitarat. Cum hoc igitur ſacramentũ (quo Chriſti & Eccleſiæ ſacra copula ſignificatur) bis inſtitutum eſſe tradatur, ante & poſt peccatum: primum officij gratia datum eſt, quinimò & imperatum hominibus: vt in magna ipſorum raritate ineunte mundo, & pari ratione ſtatim poſt diluuium, legitima prole genus humanum propagaretur, poſtea viro etiam in remedium contra adulteria & non permiſſos concubitus: cum ſit homo vt ad multa vitia, ſic in primis ad libidinem pronus ſuæ naturæ ſalacitate, qua omnia propemodum animalia vincit. Paulus enim apoſtolus ſic ad Corinthios ſcripſit *Bonum eſt homini mulierem non tangere, ſed propter fornicationẽ vnuſquiſq; ſuam vxorem habeat, & vnaquæq; ſuũ virum.* Quorũ verborũ praua interpretatio quoſdam hæreticos Tatianos dictos in id erroris induxit, vt nuptias omnino dãnarent: putantes apoſtolum, qui ſe per indulgentiam ea dixiſſe profitetur, nuptias rẽ turpẽ, vt maius malũ vitaretur permiſiſſe. Quorũ error tã longe abeſt à recta ſentẽtia & Chriſtiana veritate, vt naturæ quoq; bellum indixiſſe videatur. Quid eſt enim tam naturale, quàm maris & fœminæ coniunctio cauſa prolis generandæ, non ſolum hominibus, ſed cunctis etiã perfectis animantibus? Tolle hanc maris & fœminæ coniunctionem, omne genus non dico hominum, ſed animantium ſuſtuleris. Cum ſola igitur viri & fœminæ commixtio generis humani perpetuitatem tueatur, aut nulla prorſus damnari debet, aut ea probanda eſt, quæ per legitimum coniugium efficitur: & in rebus optimis, ac humano generi commodiſſimis & neceſſarijs numeranda. Nõ igitur eſt Paulus in eam ſententiam locutus, vt matrimonium lege diuina & naturali olim conſtitutũ, & nullo tẽpore intermiſsũ, atq; in euangelio à Chriſto confirmatũ, multifariam q; commendatum ipſe improbaret: ſed vt intẽperantes & libidinoſos peccati ſui remedium poſitũ eſſe doceret in matrimonio: quod ob aliam multo & iuſtiorem & honeſtiorẽ cauſam inſtitutum, & ſuſcipiendum, hanc quoq;, ſed accidentariam cõmoditatem habet, vt concubitus aliàs illicitos vendicet à peccato & turpitudine. Nam ſi quis non generationis, ſed explendæ libidinis gratia vxorem ducat, poterit fortaſſis coniunctio illa connubium appellari (ſic enim placet Auguſtino, dummodo ſeruetur vtriq; thori fides, nec partus ex induſtria impediatur) iſte tamen abutetur ſanctiſſimo ſacramento, nec præſtantiã matrimonij ſuo fine metietur. Nã qui veneficijs aut medicamẽtis ſterilitatẽ quærũt, adulteri ſunt nõ cõiuges appellãdi.

Ioan. 2.

2. ad Cor. 7.

Aug. de bono cõiugali & habetur. 32. q. 2. c. ſolet quæri. Et. 4. ſent. di. 32.

Quod

Quòd si ab initio tales ambo fuerunt (inquit) *non isti per connubium, sed per stuprum potius conuenerunt, sin ambo tales non sunt, audeo dicere, aut illa quodam modo est mariti meretrix, aut ille adulter vxoris* Hæc Augustinus. Non igitur inficiamur, quin virginitas in primis, quæ ab istis miris, vt debet, laudib. effertur, castusque cælibatus in bonis habeantur *huc enim spectat oratio Pauli, & infirmitas incontinentiæ* (vt verbis vtar eiusdem Augustini) *quæ est in carne per peccatum mortua, ne cadat in ruinam flagitiorum, excipiatur honestate nuptiarum*: non tamen si illa diuiniora sunt & sanctiora, protinus non erit res optima, & per sãcta matrimonium. quòd non modo quasi portus est incontinentia laborantium, sed sacrosanctum à Deoque institutum sacramentum, idemq; honestissimum officium: sine quo nec ciuitas potest, nec religio constare, cum vtriusque tanquam seminarium habeatur: quoniam domus, vt docent philosophi, quàm efficit viri mulieriscq; generationis gratia cõiunctio, principium est vici, vicus ciuitatis. Cum autem officium, quod singulis hominibus confertur, bonum sit ac laudabile, illud tamen teste Aristotele lõge melius est & diuinus, quod reip. præstatur. quo in genere vel in primis esse officium eorum, qui liberos legitime procrearint, declarant leges & instituta optime institutarum ciuitatum, ac rerum publicarum: in quibus præmia publice cum laude proposita erant multorum liberorum parentibus, vt inter Romanos ius trium liberorum, & cõtrà ignominia ijs, qui nullum procreassent: vt in populo Iudæorum maledicta erat & infamis sterilis, quæ nullum fœtum posteritati relinqueret. Quin etiã apud Romanos (vt auctor est Socrates in sua historia Ecclesiastica) qui natas quintum & vigesimum annum vxorem non duxisset, is hæreditatem adire vetabatur, veteri quidem lege. Sed quę fuerit à Constantino principe in virginitatis honorẽ temperata.

De nupt. & concupis.

Ari. 1 poli.

Ethi. 1.

SEd quanquam viri & mulieris generandi gratia qualiscunque propemodum coniunctio olim matrimonium efficeret, & inter initia generis humani nihil præterea requireretur (cum etiam fratribus suas sorores ducere non licuit modo, verùm etiam fuit necesse, ipsa necessitate delectum personarum auferente) postea tamẽ genere humano multiplicato, cũ in veteri, tũ in nouo testamento, partim diuina, partim põtificia lege cautum est, ne temere matrimonium inter quascunq; personas coiret, sed certis cõditionibus seruatis: quæ si fuerint neglectę vel ignoratæ, matrimonium non consistet. Nam sunt res nonnullæ, quæ obstant quidem matrimonio, quominus sine crimine contrahatur, tamen contractum non distrahunt. quæ ferè sunt: si quis sacerdotem sustulerit, vxorem suam necauerit, raptor fuerit sponsæ alienæ, aut incestus, filium suum in fraudem matrimonij baptizauerit, aut ex fonte baptismatis receperit, si pœnitentiam solennem subierit. sunt tamen aliæ complures, quæ non modo contrahi vetant, sed etiam si post fuerit contra-

De pe. & re qui præsbyt. 27. q. 2. statutum 31. q. 7 siquis viduam 30. q. 1 de eo. 33. q. 2. de his anti. qui.

contractum,disiungunt.Multa enim huiusmodi impedimenta reperias, si sacras scripturas diligenter, & decreta patrum legesque pontificias excusseris.

Ac primum omnium,siquis per vim sibi illatam aut timorem incussũ, qui cadat in virum constantem,vxorem quam nollet ducere, aut mulier cui viro nollet nubere cogatur.Quod idcirco primo loco numerandum putaui, quia fundamentum & quasi formam matrimonij esse liberũ consensũ,constat non solũ sanctorũ patrũ, Ambrosij,Chrysostomi,& Isidori,iurisque pontificij testimonio,sed etiam ciuilis : quotraditũ est nuptias non concubitu fieri sed cõsensu. cui consensui cum nihil magis aduersetur,quàm vis aut metus, intelligitur haud dubie nulla re magis impediri matrimoniũ,quam vi aut metu,quę libertatem tollunt dissentiendi.Non quo volũtas hominis vt velit quicquam aut nolit(qui à philosophis iunioribus actus eliciti nũcupantur)cogi possit,præsertim externa vi(hoc enim esset voluntatem de voluntatte tollere, quæ libertate potissimum consistit)sed quoniam quem vis aut metus impellit, vt occurrens maiori malo,quicquam & velit & efficiat, hunc nolentem efficere & coactum dicere solemus:vt qui ne faciat naufragium, iacturam facit:quem tamen volẽtem facere certum est.huius enim optio est mortem subire malit,an iacturam facere:& perinde illius,ducat vxorẽ quãpiam an plagas,vel seruitutem suscipiat,seu etiam mortem, aut si virgo sit, stuprum, eadem namque ratio est vtriusque. Qui ergo vt ea mala vitaret, quæ si intententur constanti etiam viro metum incutiant, hanc duxerit,quam tali metu sublato reiecisset, is nolens & dissentiens duxisse dicitur:atque fœmina eodem modo nupsisse.Ita quicunque contractus ex alterutra parte ab huiusmodi causis ſuerit profectus,non solum re, sed nomine etiam matrimonij indignus ac irritus erit lege naturæ. Nisi fortè post id tempus,quo vis illata fuit, aut timor iniectus,nõ inuiti conuixere.qui enim cum liceret reclamare,conticuit,is tacite videtur consensisse : eoq; consensu matrimoniũ prius irritũ confirmatur.

Amb. in lib de. virginib' & habetur. 27.q.2. cum initiatur.& 4.senten. di 27. Chrys.super matth. eadẽ q.matrimonium. Isid.eth.li9. cap.7.& habetur eadem q.coniugis. &.4 sen di. 27.

4.sent.di.29 31.q.2.De nuptis. De ijs quæ vi met' ne causa.

Post vim & metum proximus est error in impedimentis matrimonij: quippe cuius causa ab eodem fonte eodemq; velut capite repetitur, hoc est ab eo,quod libet consensus defuisse videatur.Quanquam non omnis error matrimoniũ infirmat, sed is tantum, qui pertinet ad substantiam vel ad ea quæ vt sunt, sic bona matrimonij nuncupantur. Siquis enim pauperem pro diuite,malam pro bona, mulierem, aut etiam meritricem pro virgine duxerit, non protinus matrimonium non constabit. his nanque qualitatibus nec substantia matrimonij mutatur (quæ vir est & fœmina) nec bonum eius impeditur. quod ab Augustino triplex esse traditur,fides thori,hoc est adulterij vitatio, proles,id est, liberorum procreatio, & sacramentum, hoc est vita indiuidua. At si fuerit error in persona (vt si mulier aliqua pro altera supponatur) matri-

4.sen.di 30. 29.q.1. circa principiũ. 29.q.1.quod autem.

Super gen. & habetur. 4.sen.di. 31.

monium

monium non erit, mutata enim ſubſtantia, conſenſus eſſe qui poteſt in eius errore? Quoniam qui paratus erat in Iuliam verbi cauſa conſentire, is ſi in Corneliam ſimulantem ſe Iuliam eſſe deceptus conſentire ſe profeſſus fuerit, aut verba conſentientis protulerit, non continuò cenſeri debet conſenſiſſe, in Iuliam enim ſi adeſſet, paratus erat conſentire non in Corneliam. quæ ratio eadem eſt fœminarum in viros. Cui ſentẽtiæ ſi occurratur exemplo Iacob, de quo eſt in libro Geneſeos (huic enim poſt diuturnam ſeptem annorum ſeruitutem, quam pactus ſeruierat pro Rachele, ſuppoſita fuit loco eius Lia) reſpõſum eſt in promptu, non prius Liam factam eſſe vxorem Iacob, quam cum ipſe dolo cognito acquieuit Laban exhortanti ſe, vt cum ipſa hebdomadam dierum copulæ adimpleret, & iterum nuptias Rachelis, ſi totidem ſeruiſſet annos paciſcenti. vt enim iam ſæpe diximus, matrimonium quod nullum fuerit defectu prioris conſenſus, incipit eſſe, ratumque fit, ſi poſtea liber aſſenſus conſequatur. Similis propemodum ratio eſt, ſi fuerit error in conditione: hoc eſt, ſi perſona contrahentis ingenua credita, reperta fuerit ſeruire. ſi quis enim cum ſuus non ſit, alteri ſe tentet addicere, contractus ſponte ſua vacillabit, niſi alter haud ignarus conditionis quantulacunq; illius vſura, ſit æquo animo contentus. Quidam addunt nobilitatis errorem, qui tamen non aliter obſtat, niſi recidat in errorẽ perſonæ. Nam quæ fortè parata erat in nuptias ſenatorij adoleſcentis, quẽ nunquam viderat, conſentire: hæc ſi decepta fuerit plebeio pro ſenatorio ſuppoſito, matrimonium nõ erit propter errorem: qui dicitur quidem eſſe nobilitatis, ſed ſi verum quærimus, eſt potius perſonæ. Nam ſi eadem adoleſcentem de facie noſſet, & nobilem rata in eius coniugium conſenſiſſet, tali errore non magis infirmaretur matrimonium, quàm ſi in fortuna aut in moribus fuiſſet erratum. quod nihil officit cõtractui: cum tamen error in perſona matrimonium impediat lege naturæ. tollit enim liberum conſenſum in eo quod eſt velut ſubſtantia nuptiarum.

29. q. 1. quod autem.

Cap. 29.

29. q. 2 ſi quis ingenuus.

Ad hæc, ineptitudo ad operam coniugalem ignorata, eadem lege marrimonium infirmat. Nec refert natura id malum, an caſu, veneficioue fuerit contractum. Et quidem optima ratione. nam quo ſublato neuter nuptiarum finis contingat, hoc ſi abeſſe ab eo, cui paria non referũtur ignoretur, nutabit haud dubie, aut corruet potius matrimonium, commutationis iniquitate non cognita. Eſt autem naturalis ineptitudo in viro perpetua membri genitalis deiectio: quæ frigiditas appellatur, aut virilitatis orbitas: in fœmina naturæ coarctatio, vel ad omnes viros vel ad eum de cuius matrimonio agitur relata. in vtroque infirmior ætas: quæ finitur pubertate. Accidentaria vero, quæ per veneficia vel artes Magicas quæſita, virum tum ad omnium fœminarum concubitus, aliàs ad eius amplexus de qua quæritur, inutilem fecerit. Quibus

ex cauſis facto diuortio, compoti ad alterius nuptias tranſire licet: impoti non licet, niſi frigeat huic iniuria veneficij, qui cæteris mulieribus virilem operam dare non impediatur. Nam quæ mulier ob naturalium anguſtias hunc virum non admittebat, ea ſi alium experta priori fuerit habilis facta, ad ipſum priſtinum maritum (ſi ſimilis ſit vtriuſque conditio) lege reuocatur.

Præterea ſacri ordinis initiatio perinde obſtat matrimonio. Ita cum alijs clericis ſint permiſſa coniugia, ſacerdotibus, diaconis & ſubdiaconis penitus ſunt interdicta: & ſi fuerint contracta, dirimuntur: non ſolum quia ſtatuto Eccleſiæ talium matrimonia ſunt illegitima, ſed ea quoq; de cauſa, quod qui ſacris ordinibus initiatur, Eccleſiæ velut vinculo indiſſolubili copulatur, aſtringiq; videtur ſolemni voto caſtitatis quæ caſtitas cum liberorum procreatione conſtare non poteſt lege naturæ. procreatio enim (vt ſæpe diximus) finis proprius eſt matrimonij. Nam licet inter Mariam & Ioſeph, qui caſtitatem vouiſſe credũtur, verũ fuerit coniugiũ, alia tamen ratio fuit illarum nuptiarum, in quibus ſine virili opera proles contigit diuinitus: & cætera quæ bona vocantur matrimonij affuerunt. Itaq; merito impedimentis huiuſmodi, caſtitatis aut religionis votum annumeratur, modo fuerit nuncupatum ſolenniter. quod efficitur: vel ſacri ordinis initiatione, vt quibuſdã placet, vel religionis authoritate Eccleſiæ cõprobatæ profeſſione. ſimplex enim votum quanquam obſtet matrimonio, quominus ſine peccato cõtrahi poſſit, tamen contractum non diſtrahit. cæterum peccabit letaliter, qui poſt talem voti nuncupationem ductam ſolicitauerit ad operã liberorum: & ſolicitatus ipſe, ne votum fallat, tenetur ad aliquam religionem commigrare: quoniam ipſius culpa factum eſt, ne poſſit aliter caſtitatem ſeruare.

di. 32. c. placuit, & 27. q. 1. c. vt lex.

4. ſen. d. 38.

Item diſpar religio irritum facit matrimonium: eſt enim contra verus Dei præceptum, cuius illa verba ſunt: *Filias veſtras ne detis filijs alienigenarum & filios eorum ne accipiatis filijs veſtris*. Quod præceptum ſecutus Eſdras huiuſmodi coniugia, quæ filij Iſrael cum externis contraxerant ſeparauit. Neq; verò ſolum in teſtamento veteri hoc fuit obſeruandum, ſed in lege Euangelica multo etiam magis authoribus Ambroſio & Auguſtino. quorum alter in libro de patriarchis, alter ad Polentũ ſcribens, talia connubia vitãda prorſus, & nefanda eſſe confirmãt. Quibus Vrbanenſis concilij decretum vel in primis aſtipulatur. quo cautũ eſt, *vt quicunq; tantum neſas admiſiſſe cognoſcitur* (vtar enim verbis ipſius) *à Chriſtiano cœtu atque conuiuio & à communione Eccleſiæ protinus ſegregetur*. Quod ſic tamen accipi debet authore Auguſtino: ſi quis cũ Chriſtianus eſſet, externæ religionis aut ſectæ coniugem duxiſſet. nam qui erant ante Chriſtianiſmũ coniuges, horum alterutri accepto baptiſmo vxorẽ vel mariti ũ in priſtina ſecta perſeuerantẽ vel retinere licebat olim, ſi ſpes eſſet futu-

4. ſen. d. 39. 1. Eſd. ca. 9.

28. q. 1. ſi quis.

Aug. ad Polẽ

futuræ pietatis.authore Paulo:vel si secus,repellere. *1.ad Cor.7.*

Iam illud perspicuum est non licere cuiquam vxorem habenti alterã ducere,aut quæ vni marito est nupta alteri nubere.Quod si factum fuerit,adulterium vocari debet,non coniugium.Christi enim sunt illa verba in Euangelio: *Quicunq; dimiserit vxorem suam, nisi ob fornicationem, & aliam duxerit,mœchatur.* *Matt.19.* Nam si vxore repudiata aliam ducere non licet,profecto retenta multo etiam minus. neq; enim si vxorem repudiare peccatum est,protinus alteram ducere adulterium fuerit, si plures simul habere permittatur. & item Deus in constitutione huius sacramenti, *Propter hoc,* inquit, *relinquet homo patrem & matrem,& adhærebit vxori suæ.* *Gen 2.* Quo in loco quoniã vxori dixit,non vxorib. & addit, *& erunt duo in carne vna.* complurium vxorum connubia vetuisse videri potest. Itaque non opinione aut hominum instituto multarum simul vxorum cõiugium prohibetur,sed lege diuina & ea quadantenus naturali: vt viri doctissimi tradidere.qui si quid contrà à sanctis patribus factum traditur in veteri testamento, id eis quadã indulgentia Dei ac priuilegio contigisse, sed tamen tacito contendũt: quoniã vt lex ipsa publica de vxoris vnitate, nunquã apertè in veteri quidem testamento data esse reperitur,sed cordibus hominum naturaliter creditur impressa: ita nec priuilegium in eam seu dispensatio scripto aut verbo data esse legitur:sed(vt ipsorum verbis vtar)per inspirationẽ internã,quæ primũ facta sanctis patribus, per eorũ exemplum ad alios est deriuata. quo tempore oportebat hoc naturæ præceptum prætermitti, vt maior esset multiplicatio prolis ad Dei cultũ educandæ.Sed nequis putet hanc legẽ iuris esse naturæ quod proprie intelligatur,Augustini librum legat cui titulus est de bono cõiugali: in quo multa præclare, & illud in primis scriptum reperiet: *Tho.4.sen. di.33.art.1.* *Antiquis iustis non fuit peccatum quod pluribus fœminis vtebantur, neque contra naturam hoc faciebant:cum non lasciuiendi causa,sed gignendi hoc facerẽt.neq; contra morẽ: quoniã eo tempore ea fiebant. neq; contra præceptum: quia nulla lege erat prohibitum.*

Sunt præterea nonnulla crimina quæ perinde ac res supradictæ matrimonium impediunt. In primisq; si vxoris adulteræ flagitio maritus fuerit de medio sublatus, vt domum vacuam relinquat adultero, nefas esse sceleratæ mulieri post viri necẽ adultero nubere, decretũ est cõcilij Triburientis. Neq; verò solum in hunc modum patrato scelere, coniugium adulterorum sacra synodus detestatur: sed etiam si adulter marito viuente fidem nuptiarum vxori dederit, si marito ipsa superfuerit.licet enim maritus absq; adulterorũ culpa discesserit,quia tamẽ data est occasio vitæ coniugis insidiandi, merito est adulteris post pernicioſa pollicita matrimonium interdictũ. Ad hæc si quis viuæ vxoris pellicem solutam duxerit, non solum tunc nuptiæ non erunt, sed ne mortua quidem vxore si rursus pellicem ducere tentauerit: dummodo fuerit vtrique exploratum impedimentum.Nam si quæ facta est pellex hæc bona fide ignaraque doli consensit,matrimoniũ constabit, nisi ea-

De diuor. cap.gaudemus.

31.q.1.si quis viuente marito.

31.q.1.relatum.

De eo qui dux ca. cum haberet,& ca. ex literis & c si quis vxorem.

dem cognita fraude reclamauerit: quæ omnia retro agere licet. Eadem est enim ratio viri in vxorem, quæ vxoris in virum.

Cõsanguinitas definitur.

RElíquum est vt de consanguinitate & affinitate instituto nostro differamus. his enim rebus intercedentibus, partim naturali & diuino, partim pontificio iure impediuntur, nullaque sunt matrimonia. Est autem consanguinitas (vt de hac prius disputemus) hominum ab eadem stirpe propinqua genus suum repetentium societas naturalis. hic est enim intellectus vulgatæ theologorum definitionis: qui consanguinitatem vinculum esse aiunt personarum ab eodem stipite descendentium carnali propagatione contractum. Quo plus autem minusue quiq; ab ea quam diximus stirpe discedunt, hoc plus aut minus inter se consanguinitate contingunt. quæ interualla gradus solent à iuris interpretibus nuncupari: propterea quòd genus ab authore sui per quosdam velut gradus ad posteritatem descendat. Sed quoniam non omnes eodem inter se modo spectant, sed alij recta, vt pater filius & nepos: alij tanquam ex obliquo, vt fratres & consobrini vel patrueles, & qui sequuntur, idcirco alteri in recta linea descendere ascendereue, alteri ex latere venire dicuntur. Cæterũ quoto quiq; gradu inter se cõtingant aut distent, in descendentibus quidem aut ascendentibus non est dissensio. constat enim filium à patre primo gradu distare, nepotem secundo, pronepotem tertio, & cæteros eodem modo, nec refert ascendatne an descendat connumerandi ratio. quo enim gradu filius à patre, hoc pater à filio haud dubiè distat. Qui autem inter se velut obliqua consanguinitate ex latere coniunguntur, horum propinquitatis gradus aliter ab alijs computantur. nam iure ciuili fratres in secundo gradu collocantur, filij fratrum in quarto, & cæteri eodem modo. his enim computatio fit per lineam incuruam: quę verbi gratia à filio profecta ascendit ad patrem, & ab hoc rursus descendit ad alterũ filium. & sic tot gradus existunt quot sunt personæ hac ratione connumeratæ vna excepta. iure verò pontificio fratres habent primum gradum inter se, filij fratrum secundum: & pari ratione cæteri. Ita fit vt quot quique gradibus à communi principio distant, si pari interuallo descendant, tot inter se abesse dicantur. Nam si alter altero longius abierit, eius non propioris habendam esse rationem viri eruditissimi censuerunt, quorum veterem velut formulam Gregorius nonus lege sanciuit.

35. q. 5. ca. ad sedem.

35 quæst. 5. c. parentelæ.

De consang. & affin vir qui & ibi glos.

Quibus rebus constitutis, iam in quibus consanguinitatis gradibus & quo iure connubia sint prohibita dispiciamus. Iure igitur naturali non solum filijs atq; parentibus mutua connubia sunt interdicta (cæteris quoq; animantibus, nedum hominibus, tales coitus duce natura vitantibus vt de equo traditum est à veteribus) sed cunctis etiam qui recta li-

cta linea descendendo aut ascendendo collocantur. Naturalis enim reuerentia & obseruantia filiorum in parentes & maiores (quæ ipsorum connubia respuit, propterea quòd coniuges pares esse debent lege naturæ) maior est in auos: & quo altius ascenditur, hoc etiam magis augescit. Quamobrem Paulus prudentissimus iurisconsultus, iure inquit gentium incestum committit, qui ex gradu ascendentium vel descendentium vxorem duxerit: quod in infinitum procedere Gaius est author. Inter eos autem qui oliqua consanguinitate in quocunque gradu iunguntur, coniugia fieri non vetantur lege naturæ: nisi legem diuinam veterem, naturæ quoq; legem velis appellare, vt quidam abutentes vocabulo.

Ari. 1. poli.

ff. de ritu nup le. iure. gentium. lege nup.

Matrimonia igitur consanguineorum ex latere venientiũ non sunt natura prohibita (cõstat enim olim cum homines nullis nisi naturæ legibus tenebantur, fratres etiã; cũ sororibus in matrimoniũ conuenisse) sed partim priscis legib. diuinis vetita sunt, partim põtificijs: vt de iure ciuili taceam: quod multum in hac parte cum pontificio conuenire nõ poterit dubitare, qui titulum eius De ritu nuptiarum perlegere non grauabitur. Deus enim per Mosem populo Iudæorum (cui successerunt Christiani) legem dedit, ne quis ad proximam sui sanguinis accederet turpitudinem eius reuelaturus. sed in huius præcepti explicatione ex consanguineis à latere sorores tantum ex pari gradu venientibus excluſit à matrimonio: ex alijs materteram & amitam, præterea neminem. Iure verò pontificio, veteri lege Gregorij & Nicolai pontificum, & Lugdunensis concilij vsque ad septimum gradum pertinebat prohibitio. pòst autem ab Innocentio tertio in generali concilio ad quartum gradum est reuocata, non sine erudita præfatione, qua huius mutationis causa strictim prudenterq; redditur.

Leuit. 18.

35. q. 3. progeniem.

35. q. 3. ca. acco 26. c nulli De cõsan. cap. non debet.

Cur autem matrimonia consanguineis inter ipsos olim permissa, pòst fuerint iure diuino atq; pontificio prohibita, prudentissime (vt cætera) & accuratius explicat Augustinus in eo libro cui titulum fecit, de ciuitate Dei. Vt enim fratres cum sororibus connubio iungerentur, necessitatẽ feciſſe tradit & hominum paucitatem: quæ cum summa esset initio rerum & statim post diluuium, cui pauci admodum superfuere, genus humanum per connubia vtcunque dabatur tunc fas erat multiplicare. pòst verò tali necessitate causaq; sublata, habitam esse rationem dilatandæ charitatis: vt plura essent necessitudinis amorisq; vincula quibus homines astringerentur, si inter alios cognatio, inter alios affinitas beneuolentiam conciliaret.

li. 15 c. 16.

Diximus de consanguinitate, quæ non solum obstat contrahendo matrimonio, sed dirimit etiam contractum, iam de affinitate quæ huic finitima est, differamus.

Affinitas definitur.

AFfinitas est vinculum necessitudinis cum externis, quod ex coitu naturali consanguineorum existit. Licet enim aliquando per vetitum concubitum, aut per matrimonium pontificis indulgentia priuilegioq; contractum congruat, vt qui consanguineus erat idem affinis efficiatur, hoc tamen ex accidenti præterque rationem affinitatis contingit. Nam ex illicito etiam concubitu affinitatem contrahi, declarat id quod Innocentius tertius ad Archiepiscopum Strigonien sem rescripsit: *affinitas* inquit *post matrimonium inique contracta, illi nocere non debet, qui iniquitatis particeps non existit*. loquitur enim de affinitate ex turpissimo coitu cum vxoris sorore nata.

De eo qui cōsan. vxoris suæ cap. tuæ fraternita.

Affinitatis genera explicāturin glossa ca. nō debet. De cons & aff.

Affinitatis porrò genera veteres tria esse statuebant, quæ matrimonia infirmarent. Primi generis affinitas ex coitu siue matrimonio consanguinei cum externa nascebatur: vt inter leuirum & glotem, inter Esau (exempli gratia) & Rachel vxorem Iacob fratris eius. secūdi porrò ex primi generis affinis cū exteriore: qualis esset (ne à proposito exemplo discedamus) inter Esau & eū qui mortuo Iacob Rachel vxorem duxisset. porrò tertium genus eodem modo per matrimonium siue concubitum secundi generis affinis efficiebatur. Sed cum tam longe lateque pateret affinitas, & olim matrimonia in nullo non genere impediret,

Eodē tit. ca. non debet.

concilio tamen Lateranensi (cui prefuit Innocentius tertius) antiquatę sunt leges pontificiæ, in secundo & tertio genere matrimonia interdicentes: & affinitas quæ connubijs non secus ac consanguinitas obstaret, ad primū tantum genus iustissimis de causis reuocata contractaque est: atq; ita contracta, vt prohibitio, quæ veteri lege in omni genere ad septimum vsq; gradū vt in consanguinitate serpebat, deinceps quarti gradus primi generis angustijs intercluderetur.

35. q. 5. porro de.

Gradus autem in affinitate numerandi eadem propemodum, quæ in consanguinitate ratio est. Nam vt in recta linea pater & filius primū gradum efficiunt consanguinitatis, sic nouerca & priuignus, aut nurus & socer affinitatis primum gradum constituunt. Item vt ex obliquo fratres sunt in primo gradu consanguinei, sic leuir & glos affines maritus enim & vxor cū caro vna efficiantur, non gradum facere sed quasi stirps & caput esse statuūtur, vnde velut rami hinc inde affines enascātur. Ita quo quisq; propinquitatis gradu attingit eum, qui est tanquam caput affinitatis, hoc cum ipsius vxore per affinitatem coniungitur, quę ratio eadem est cum marito consanguineis vxoris. Cæterum licet affinitas, cognationis (cuius est quasi propago) rationem ad amussim prope dixerim æmuletur, atq; adeo à quibusdā cognationis nomine nuncupetur, interest tamen, quod cū propinquitas longe vlterius progrediatur, affinitas vna persona externæ cognationis est cōtenta: vt exēplo potest cōmodius explicari. cognatione non fratres solū, sed filij quoq; fratrū aut sororum, patrui, auunculi, patrueles, ac perinde cōsobrini inter se propin-

propinqui sunt. in affinitate verò omnibus mariti consanguineis cum ipsius vxore intercedit necessitudo: ijdem cũ eiusdem mulieris cognatis filijsve ex altero viro nullo tali vinculo constringuntur. Ac affinitas quidẽ quid sit, & quib. ex causis oriatur, eiusq; gradus exposuimus. quibus rebus explicatis supereſt, vt quo iure & quatenus matrimonia affinitatibus impediantur, differamus.

Inter affines igitur, qui in recta linea quibusuis interuallis collocẽtur matrimonia, iure naturæ quibusdam videntur esse nulla: velut insitum sit hominibus (qui modo naturam non corruptis moribus deprauauerint) vt patrum vxores proxima matribus ad quarum vicem propè videntur accedere obseruantia ac reuerentia prosequantur. auorum porrò atq; proauorum, & qui deinceps sequũtur, hoc etiam magis, quo in illorum quemq; maiorem reuerentiam coniugali æqualitati inimicam natura nobis ingenerauit. In obliqua verò linea matrimonia nullo gradu affinitatis per naturam excludi, declarant cum alia heroici tẽporis exempla, tum in primis Iacob: qui etiam Lia priore coniuge viuente Rachel sororem eius primo sibi affinitatis gradu cõiunctam vxorem duxit. vt in cæteris obliquæ affinitatis gradibus quam vim habeat natura, non possit dubitari: cum hanc ne in primo quidem gradu matrimonijs obstare constet. At iure veteri diuino non solum nouercæ & priuignæ atq; nurus (quæ in recta linea collocantur) matrimonia prohibebantur, sed etiam ex obliqua vxorem patrui sine vlla exceptione, fratris verò nisi absque liberis decessisset, matrimonio sibi collocare nefas erat.

Intelligendum est tamen de impedimentis nuptiarum, quæ à cõsanguinitate aut affinitate proficiscuntur confirmandis, nullam omnino mentionem à Christo vel apostolis factam in nouo testamento reperiri: quo factum est vt omnes huiusmodi leges euangelicis tẽporibus ad Ecclesiastica decreta, nõ ad ius diuinũ aut naturale referẽdas esse ab acutissimis theologis censeatur, prçterquã de cõsanguineis descendẽtibus aut ascendentibus: quibus inter se matrimonia iure naturæ interdici, tradit Scotus. Thomas enim patris duntaxat & matris cum liberis cõnubia lege naturæ vetita esse censet: cæterarum personarũ diuinis aut humanis legibus prohiberi. Cuius sententiam explicans Thomas Vius Caietanus, maximus hac memoria theologus, & Cardinalis religiosissimus, cum docuisset leges diuinas veteres cæterarum personarum connubia prohibentes iudiciales esse, nõ morales (nisi fortè ex accidenti) ac proinde euangelica lege abregatas, & ideo inquit hodie nõ ligant, nisi quatenus ab Ecclesia sunt assumptæ: ac propterea Papa dispensare potest cum omnibus personis, nisi cum matre & patre vt matrimonium contrahant. In affinitate enim nullam exceptionem faciunt, præter admodum paucos de quibus modo dicebamus: qui ascendentium descenden-

Scotus 4. sent di. 40. & 41.

Tho. 2. 2. q. 54. art 9.

dentiumq; in recta linea affinitatem excipiunt, prohibitionem eius ad ius naturæ ſpecioſa magis quã vera ratione referentes. Nam cum rariſſima ſint priuignorum in nouercas obſeruantiæ ac pietatis documenta, plena vita eſt tragicis exemplis, quibus nouercarum in priuignos mutuum odium infamat: vt appareat legibus potius quàm naturali neceſſitudine tales nuptias prohiberi. In affinitate igitur religioſorum hominum prudentia eam rationem ſecuta, quam ſupra de varijs legibus conſanguineorum nuptias vetantibus authore Auguſtino retulimus, ſtatuit iure põtificio, vt perinde ipſa matrimonium ac conſanguinitas totidemque gradibus excluderet. Itaque olim ad ſeptimum vſque neceſſitudinis vtriuſque gradum prohibitio patebat: Innocentio autem tertio pontifice, vt ſupra diximus in Lateranenſi concilio ad quartum gradum eſt reuocata.

35 q. 3 cap. nullum. De cõſ. & affi c nõ debet.

CONſanguinitatem & affinitatem duæ neceſſitudines æmulantur, quibus antecedentibus nihilo magis nuptiæ conſiſtunt: cognatio ſpiritalis, & quæ publicæ honeſtatis iuſtitia dicitur. Illius (quæ tũ ex baptiſmo tum ex confirmatione ſacramentis exiſtit) tria genera faciunt: vt primo contineatur ea, quæ renato velut filio cum patrinis matriniſque vocatis intercedit: hoc eſt cum eo, qui ipſum baptizauerit, confirmaueritue, vel in baptiſmo aut cõfirmatione tenuerit, & alterutrius cõiuge. Nec refert de viris, an de mulierib. loquamur. Altero quæ his cum renaſcentis naturalibus parentibus exiſtit. qui compatres inter ſe & cõmatres appellantur. Tertio qua renatus cum patrinorum matrinarumue liberis cõiungitur. Sed quocunque genere cognatio ſpiritalis habeatur, pari ratione iure pontificio matrimonium infirmat.

4 ſen. di. 30. q 1. de eo quid.

Per leg. titulũ de cognatione ſpirituali & 30. q 1. De ſponſ ad audientiam.

Atque illa eodem modo, quam publicæ honeſtatis iuſtitiam diximus appellari: inde ſumpto vocabulo quod in hoc impedimento ſanciẽdo maiores noſtri non vt in conſanguinitate & affinitate rationem ſecuti ſunt dilatandæ inter homines charitatis (quæ tenuis admodũ eſt in huiuſmodi neceſſitudine) ſed quod inter perſonas, quibus hæc intereſt, nuptiæ parum ex publica Chriſtianorum honeſtate conuenturæ videbantur. Oritur autem vt affinitas ex matrimonio, ſic & in eiſdem gradibus obſtans publicæ honeſtatis iuſtitia ex ſponſalibus etiam illegitime contractis, niſi ſi conſtet haud dubie cõſenſum abfuiſſe: vt in infantib. & furioſis ac mẽte captis intelligitur. Atq; hæc quidẽ ſunt res quib. præcedẽtib. nuptiæ (vt ſupra expoſuimus) impediuntur, quibuſq; neglectis ſi fuerint contractæ dirimuntur. Nam ſi ſemel legitimè conſtiterint, nulla ratio, qua diſtrahi poſſint incidere valet, niſi quòd adulteram cõiugem licet marito dimittere, Chriſto ipſo authore: qui rogatus à Phariſæis, num liceat homini vxorem ſuam quacunque ex cauſa dimittere, *quod Deus* inquit *coniunxit, homo non ſeparet: dico autem vobis quicunque dimiſerit vxorem*

27 q. 2. ca. ſi quis.

Matth. 19.

ſuam

suam nisi obfornicationem, & aliam duxerit, mœchatur: & qui dimissam duxerit, mœchatur. Quæ verba sic sunt cum aliorum sanctorum patrum consentienti sententia, tum in primis Hieron. & Augustini scriptis declarata, non vt propter adulterium cuiquam liceat coniugio dissoluto ad secundas nuptias migrare (hoc enim vt fiat nulla ratione potest contingere ijs, qui semel in Christo fuerint legitimo matrimonio coniuncti) sed vt casto marito permissũ esse intelligatur ab adultera vxore thoro & domo separari, & perinde vxori pudicæ à viro qui se tali crimine complicauerit, Nec enim vt testatur Hieronymus, adultera vxor dimittenda est & vir mœchus retinendus, sed apud nos inquit quod non licet fœminis, æque non licet viris, & eadem seruitus pari conditione censetur. Quam sententiam Augustinus quoque in opere de bono coniugali confirmauit, & itẽ in libro de adulterinis coniugijs. licet enim vxor adultera grauiori se crimine, quã mœchus maritus obstringat (quatenus hic ex matrimonij bonis appellatis thoro, & sacramento: illa etiá proli, quæ coniugij proprius est finis, iniuriam facit incertitudinem afferendo) tamen in vtroque satis magna causa est ad diuortium faciendum.

Neque verò semper maritus adulteræ vxori repudium dare legibus permittitur, sed dantur exceptiones, quibus maritus adulterij crimen in vxorem intendens repellitur, quibusque cogitur eandem vel inuitus retinere. quæ septem omnino à sanctis ac eruditissimis viris numerantur. quarũ vna est de qua modo differebam, si ipse quoq; vir adulterij teneatur. nihil est enim iniquius authore eodem Augustino, quam causa fornicationis vxorem dimittere, si & ipse conuincitur fornicari. Altera est, si vxor à viro fuerit cuipiam alteri prostituta. exceptio enim lenocinij accusantem maritum etiam iure ciuili repellit. quarum exceptionum vtrique ius facit mariti par vel etiam maius crimẽ. paria enim delicta mutua compensatione tolluntur. Tertia exceptio datur, si repudiata ante vtriusque baptismum suo iure nupserit alteri. post enim eandem recipere Innocentij tertij decreto tenetur: scilicet quia huius adulterij culpa non vxori pudicæ assignari debet, sed viro qui talem repudiando adulterio facit occasionem. Quarta si post diuturnam absentiam mortuum maritum probabili coniectura credens alteri nupserit: vt si captus ab hostibus quinquẽnium à tempore captiuitatis excessisset. tũc enim mulier ad alias transire nuptias iure ciuili permittebatur. Quinta si ab eo qui se maritum in tenebris simulauerit, per dolum fuerit violata, ignorantia enim excusatur. cui similis est ratio si fuerit violenter oppressa: quæ sexta exceptio est. vis enim allata non leuat modo, sed tollit etiam omnino peccatum, authore Augustino, qui eius dictum vehementer laudat, qui in crimine violatæ à Collatino Lucretiæ duos fuisse dixit, sed vnum adulterium commisisse. Septima exceptio datur indulgentia mariti, si post vxoris adulterium operam liberis dando cum ea

Hic de morte Fabiæ. & habetur 4. sen. di. 35. & cau 32. q. 5 præcepit, & proximo. Aug. super epistolã Pauli ad Cor & habetur 32. q 7. c. apostolus. Ex cõ. tole. 12 & habetur 32. q 5. cap. præceptũ dñi ad oceanũ habetur. 32. q. 7. interueniente & proximo Tho. lib. 4. sent. di. 35. Artic. pri. & alij do. in ea. di. In lib. de ser. domini, & vide. 32. q. 6. per totũ. De eo qui consan vxo. suæ discretionem ff. solu. matrimonio. l. cũ mulier. De diuor. gaudemus. 34. q. 1 cum per bellicam. ff. de diuor. l. vxoris 34 q. 2. in lectum. 32 q 5. propositio. De ciui. Dei li. 2.

redierit in gratiam.

4. sen. d. 39. Sed quamquam fornicatione, quæ adulterium appellatur, proprie adulterorum coitus significetur, sunt tamen alia crimina, vt hæresis, aut impius deorum cultus, quæ per translationem & similitudinem adulteria, spiritalia tamen, & vocentur & intelligantur: quæque diuertendi licentiam perinde præbeant atque ea quæ proprie adulteria intelliguntur. Itaque Augustinus *idololatria* (inquit) *quam sequuntur infideles, & quælibet noxia superstitio fornicatio est* Et alio in loco *non solum* (inquit) *mœchatio est illius qui carnem suam coinquinat, sed etiam qui simulachrum facit, mœchatur: quod si in his factis perseuerat, & pœnitentiam non agit, recede ab illa, & noli viuere cum illa.* Ad summã, fornicationis appellatio tam late patet authore Augustino, vt quodcũque flagitium coniugis alterutrius alteri vehementer ac pertinaciter obsit, quominus valeat religionem colere, eandem notionem & vim ac adulterium ad diuertendum habere intelligatur. Nam licet mariti crimina maxima turpissimaque sint, nisi tamen vxorem à religione, atque Dei cultu deterreant, non licebit vxori à marito facinoroso diuertere: nec è diuerso marito ob similes causas vxorem repudiare.

De ser. domini & habetur 18. q. 1. per idololatriam.

De adulte. cõiugijs li. 2. & habetur 28. q 1 nõ solũ.

Vbi supra de ser. domini.

Sed quod ratas nuptias adulterio tantum aut simili flagitio dirimi posse diximus, id sic accipi oportet, dum vtrique maneat ea vita, in qua fuerit matrimonium contractum. Nam morte alterutrius interueniente, soluta est vinculo iugali persona superstes: nec alias nuptias ascisce re authore Paulo vetatur. Mortem porrò duplicem esse, viri religiosi tradidere: naturalem, quæ est animæ atq; corporis discessus: spiritalem, cum religioni deuotus quispiam ex communi & mundana in spiritalem vitam migrat, & Deo quasi nascitur. ergo factum est vt professione quoque religionis matrimonium dissolui placuerit patribus sanctis. Vtautem post nuptias alterutri liceat religioni se deuouere, tribus omnino modis accidere potest primo, si coniux adulterij conuincatur. secundo, si consentiat idem, siue perinde se religioni mancipauerit, siue in vita quæ dicitur secularis, citra suspicionem tamen incontinentiæ perseueret. tertio, quamdiu virili opera non fuerit matrimonium consummatum. Atque hoc quidem vltimo modo licet in seculari vita perseueranti ad alias transire nuptias: secus nulla ratione datur.

De conuer. con. constitutus c. cum sis eodem tit.

ca. verũ post eodem tit.

LIBRI PRIMI FINIS.

IOANNIS

IOANNIS GENESII SEPVLVEDAE CORDVBENSIS,

De ritu nuptiarum & dispensatione, Liber Secundus.

ACTENVS de impedimentis nuptiarum, hoc est, de ijs reb. quibus antecedentib. matrimoniũ nõ consistit, & quo res quæq; iure impediret, explicauimus, deinceps quatenus in singulis locus sit pontificis maximi dispensationi differem°. priuilegia enim iuniores, ac indulgẽtias principũ, dispẽsationes: & ipsum indulgere dispensare dicunt: nouis quidem vocabulis, sed quæ necesse fuerit in hac quæstione passim à nobis vsurpari. Dispensatio igitur (vt à viris doctissimis definitur) est iuris communis ob necessariam aut vtilem causã prudens relaxatio. quam, si volumus eius considerare principium, à natura profectam, nec vtiliter modo ad rẽp. administrãdam, moderandam que religionem, sed etiam necessario summisque rationibus inductã esse intelligemus. Quanquã enim dispensatio legibus & institutis, aduersa esse videatur, si tamen eius vim perquisitius atque diligentius inquiras, nihil aliud eam esse reperias, quàm legẽ quandam non libris cõscriptã in æneisue aut marmoreis tabulis inciſã, sed quæ ab æterna lege deriuata, & in principum iustorum sapientumq; animis impressa, cum res poscit, ea singulis ciuibus pro cuiusque merito dispensat, hoc est distribuit, ac impartitur, quæ scriptarũ legũ seueritate negata esse videri possunt. hominũ siquidẽ, vt Plato tradit, ac humanarũ actionũ inęqualitates faciunt, vt nulla lex queat, q̃ cũctis simul cõmodissimũ sit atq; iustissimũ adamussim complecti, & quod semper optime cadat præcipere, nec rerũ humanarum ingens inconstantia permittit, simplicem quampiã artem de rebus omnibus, & in omne tempus constitui. Porrò legem similem esse ait homini pertinaci & imperito, præterq; suum præscriptum nihil fieri permittenti. qui ne interpellari quidem se patitur, etiam siqua incidat extra ordinem causa, in qua commodissimum sit, aliter fieri, quam pro ratione, quam ipse semel instituerit. Itaque licet leges condere munus sit regiæ facultatis, negat tamen oportere, vt leges magis, quam vir regius prudentia instructus in administranda republica valeant. nimirum vt siquid inciderit, vt incidere persæpe solet, quod secus fieri ac lege cauetur, honestũ ac iustũ esse pro sua sapiẽtia iudicauerit, nihil

Dispensatio definitur.

Plato in lib. qui ciuilis inscribitur.

rit,nihil veritus rigidam legis ſeueritatem,ipſe quod factu optimũ honeſtiſſimumq; fore putauerit,pro conditione temporum, negotiorum ac perſonarum ſtatuat. Vel abroganda penitus lege, quam temporũ viciſſitudo reip.inutilem reddiderit,alijſq;, ſi res poſcet ratioq; ſuaſerit, denuo condendis,vel quod longe ſæpius fieri oportet, aliquid in priuata quapiã cauſa præter legẽ publicã ſtatuendo,per eam, quã à veteribus diximus principis indulgentiam,à iunioribus diſpenſationem appellari,illis ad principis liberalitatẽ ſpectantibus, quã contra ſcriptas leges, aut mores pro cuiuſq; dignitate aut meritis,iuſtis denique de cauſis impartitur,his factum intuentibus,quo iura priuata ſingulis ob eaſdẽ cauſas præter communes leges quodam velut põdere ac menſura diſtribuũtur.Nam cum lege quod pleriſq;,magnaq; ex parte conducit,caueri poſſit:quod ſingulis exacte ac omni tempore,non poſſit:neceſſe eſt,non ſolum vtile,ad iuſtitiam colendam,& vitam hominũ moderandã, vt princeps rexq; prudens legibus dominetur,atq; ita dominetur,vt non valde ſollicitus,quid leges contra iubeant,id ſemper ſequatur in tanta rerum varietate,quod rectiſſimum, ac commodiſſimum ſit primum reip.deinde ſingulis ciuibus citra reip.detrimentum. Nam & illa Platonis, qui nobis erit propter ſummã eius ſapientiam,& authoritatem ſæpe citandus,præclara prudentiſſimaque oratio eſt, ſapientem bonumque principem debere,non ſecus ciuiũ, reipublicæq; ſalutẽ, quam gubernatorẽ nautarum,nauiſque incolumitatẽ ſpectare.vt enim ille non ſcripta quædam,ſed artem pro lege adhibens ſuos nautas conſeruat,ſic(inquit) eorum adminiſtratio quam optima fuerit,qui talem imperãdi facultatem nacti vim artis legibus multo potiorẽ ſequuntur. Nam quicquid agunt prudentes principes,peccatum abeſt,modo id,quod quidem permagnũ eſt,tanquam ſcopum quendam intueantur,vt ciuibus ſuis arte atque ratione iuſtiſſima quæque diſtribuant, eoſdemque in officio contineant, conſeruentque,aut meliores,quoad fieri poſſit efficiant,quæ ratio(vt ad ſummi philoſophi authoritatem, gentium quoque teſtimonium accedat)tanti fuit nõnullis nationibus, vt leges omnes præter pauca quædã inſtituta à ſuis ciuitatibus ſummouerint,eaſq; morib.principũq; & magiſtratuũ prudentia maluerint gubernari.quod in Africa & in Aſia pleriſq; populis accidit,&in orbe noſtro reip. Venetorũ.quid ita?nẽpe quia videbãt,ſi leges ſẽper eſſent ad amuſſim ſeruãdę,ſæpe in ſũmo iure ſummã iniuriam ineſſe: ſin temporũ ac perſonarum habita ratione,priuilegijs & indulgentia principum aut magiſtratuũ, hoc eſt diſpenſationib. remittẽdę,id toties eſſe in tanta rerũ inæqualitate ac varietate faciendũ, vt id ſatius eſſe videretur, cuncta iudicia fidei, atque prudentiæ magiſtratuum committere.quarum gentium conſilium quanquam non omni ex parte ſapientiſſimorũ iudicio probetur,declarat tamen, qui legibus vtuntur,ijs legum relaxationes ſæpe & multum eſſe non ſolũ vtiles, ſed

Tho.1.2.q. 97.ar.4.

etiam

etiam iuſtiſſimas & neceſſarias..

Quibus rebus expoſitis,quoniam leges condere, eaſdemque cum res poſcit,diſpenſationibus remittere,munus eſſe diximus, principum ac regum dignitatis, huius rei cauſam operæ precium fuerit paulò accuratius explicare.hæc enim facultas quanquam ſapiẽtium virorum prudentia contineri videatur,merito tamen principibus ac regibus, ſummiſque magiſtratibus iure gẽtium delata eſt,breuiter ijs,quorum ſumma authoritate reſp.adminiſtratur. Cuius mihi rei quoquo verſus intuenti quatuor omnino cauſæ fuiſſe videri ſolent. Vna,quia principis regiſve prudentia in bene inſtituta rep non vnius,aut paucorum, ſed multorum hominum vſu rerum,atque doctrina præſtantium conſilio, vt in condendis,ſic in interpretandis,ac temperandis legibus iuuari & debet,& ſolet,authore Platone,cuius ea verba ſunt:*Quoniam* (inquit) *non nascitur rex in ciuitatibus,qualis in apum examinibus,qui ab ipſo ſtatim principio corporis,animique habitu cæteros vnus antecellat,neceſſe eſt conueniant, qui leges inſtituta que conſcribant,veſtigia veriſſimæ reip vt par eſt obſeruantes.* Altera cauſa eſt, quoniam cum legum quo magis quæque bonum publicum attingit,hoc iuſtior habeatur, optima ratione ipſas condendi vel interpretandi, aut etiã abrogãdi poteſtas penes eũ collocatur, cuius omnium maximè intereſt,remp.cui præeſt, ſaluam eſſe, atq; dignitatẽ & cõmoda ſua retinere. q; cõdendis moderantiſq; legib. potiſſimũ efficitur. Tertia ratio eſt,atque haud ſcio,an omnium maxima, quod iuſtorum regum atque principum animos in omni rep.condenda vel adminiſtranda, diuino ſæpe impulſu magis, quam humano conſilio ferri, ac viciſſim reuocari, eorundemque Deum, quam priuatorum hominum, longe maiorem curam gerere prudentiſſimi homines omni memoria velut duce natura crediderunt.vt Homerici Neſtoris de ſomnio maximi regis oratio declarat. quam hominibus inſitam opinionem non ſolum magnorum philoſophorum authoritas auxit, ſed etiam oraculum illud diuinum confirmauit *cor regis in manu Dei*:& illud,*per me reges regnant, & legum conditores iuſta decernunt per me principes imperant, & potentes decernunt iuſtitiam.* vnde Auguſt.*rex* inquit *adoratur in terris tanquam vicarius Dei* qui alio quoque in loco,*rex* (inquit) *Dei habet imaginem ſicut Epiſcopus Chriſti*. Accedit quarta cauſa,quoniam iura legeſque dare, eorum potiſſimum dignitati conuenit,quorum imperio velis nolis parendum eſt.Cum ergo principes ac reges,ea poteſtate ſint, vt ſiue iuſta præcipiant, ſiue imperent iniuſta,nulli ſubiectorum ſit tutum recuſare:dubitari non debet, quin leges condere,eaſdemq; cum oportebit intendere,ac viciſſim remittere,ad ipſos maximè pertineat.

Quatuor cauſſæ quare diſpenſandi facultas,ijs quorũ ſumma authoritate reſp adminiſtratur, data ſit.

Prouerb. 21.

Prouerb.8.

Aug.vet. & no.teſt. q.91. & 35.

Quo intelligitur hæc facultas ad eam potiſſimum ſcientiam doctrinamque referri,quæ ab Ariſtotele atque Platone ciuilis ſcientia nuncupatur, cui cæteras omnes diſciplinas ſubiectas eſſe tradunt, à cuius

Ari.1. ethic. Pla.in ciuil.

dignitate tã procul abeſt, doctrina illa iudiciaria, qua prætores inſtructi populis iura dicũt, cauſasq; iuxta legum à regib. conditarũ præſcripta dijudicant, quàm prętores à regibus, vt obiter errorem multorũ refellamus, qui putantes iudiciariam facultatem, à ciuili non differre, legum ciuilium cognitionem cæteris cunctis artibus, & facultatib. ſummorum philoſophorum iudicio prælatã eſſe falſo contendũt. cum hæc in foro duntaxat iudiciorumq; anguſtijs contineatur, ciuilis illa in foro, in caſtris, in ſenatu, in ſcholis philoſophorũ, ad ſummam in nulla non parte reip. verſetur, vt enim eſt facultas quædã domũ & rem familiarem gubernandi, quæ Græco vocabulo dicitur œconomica, quędam belli gerendi, quæ res militaris, item rectè dicendi, quæ oratoria, ſic alia reip. adminiſtrandæ ac ciuitates optimis inſtitutis, ac legibus in pace & in bello conſeruandi, quæ cæteris omnibus facultatib. præeſt, atq; legibus ipſis dominatur, regia facultas, eademq; ciuilis nuncupata. cuius quaſi ancillam & miniſtram eſſe iudiciariam illam, cui hæc cuſtodiendarum legũ à ſe latarum curam delegauerit, Plato teſtatur. Quòd ſi regum atq; principum tantã eſſe ferendarum, atq; moderandarum legum poteſtatem non ſolũ homines eſſe voluerũt, ſed Deus etiã, qui per Apoſtolũ Paulũ ſubditos nos eſſe iubet magiſtratib. & dicto audientes: ac per Petrum regi parêre tanquã præexcellenti, ducib. tanquã à Deo miſis, qua tandem potentia eum eſſe credi par eſt, cui Chriſtus claues dedit regni cælorum, & ſummam contulit authoritatem verbis illis, *quicquid ſolueris ſuper terram, erit ſolutum & in cælis: & quicquid ligaueris, ligatum:* ad ſummã quem terris excedens Eccleſiæ ſuæ ac reip. Chriſtianæ cum ſumma poteſtate præfecit, ſuiq; loco inter homines eſſe voluit. Hanc igitur poteſtatem cum in Petro Apoſtolorum principe datã eſſe cõſtet, ſummis ſacerdotibus eius ſucceſſoribus, nefas eſt dubitare, quin pontifici maximo, quem Papam appellamus, ferendi, abrogandi, intendẽdi, remittendiq; leges, poteſtas longe maior, quàm cunctis regibus & principibus à Deo tributa ſit. quid eſt enim ligare & ſoluere, niſi leges condere eaſdemq; pro ſua prudentia & arbitratu moderari, vel etiam ſi res poſcet abrogare? Aut quid aliud verba illa ſignificant, *quicquid ligaueris ſuper terram*, niſi illud, quamcunq; legem hominibus dederis, hęc authoritate Dei confirmabitur, eritq; rata: quancunq; legem abrogaueris, vel ex parte remiſeris, in tribunali Dei relaxabitur, quidquid demum iuſta de cauſa ſiue in vniuerſos, ſiue in ſingulos ſtatueris, ratum erit. Sic enim loquuntur omnes, vt qui legi ſubiectus eſt, hunc lege teneri, lege conſtringi, lege obligari, aut è diuerſo lege ſolutum eſſe dicant: vt non temerè quibuſdam viris doctiſſimis à ligando lex dicta fuiſſe videatur.

Ad Rom. 13. 1. Pet. 2.

Matth. 16.

Tho. 1 2. q 90 ar. 1.

Cæterùm quia leges non vno genere continentur, ſed quædam eſt naturæ, quædam ciuilis, diuina alia, alia pontificia: cuiuſmodi harum quæque

quæq; sit,& quatenus in quoq; genere pontificia potestas progrediatur, deinceps differemus,vt cũ de matrimonij legib. ac ipsarũ dispẽsatione, cui⁹ rei gratia totã hãc suscepim⁹ disputationẽ,priuatim agetur,expeditior nobis sit ratio de singulis disceptandi. *Est igitur lex naturæ*(vt Cicero prudẽtissime definiuit)*quam non opinio,sed innata vis inseruit* porrò cũ ea vis partim vniuerso generi animantium sit innata, partim per species quibusdã insita,efficitur,vt lex siue ius naturæ (nihil enim refert vtro modo nominetur)bipartitum esse statuatur, quasdam enim leges hominibus natura tribuit, quæ nobis sunt cũ cæteris animantibus communes: vt propulsationem iniuriarum , filiorum & procreationem & educationem,quod genus definiens iureconsultus,*Ius*, inquit,*naturale est, quod natura omnia animalia docuit* alias peculiares, quæ idcirco sunt cæteris animantibus incognitæ,quoniam eas nõ sensus nobis, sed ratio potius duce sociaque natura ingenerauit,huius exempla sunt, seruare pacta , legatos non pulsare, religionem colere,patriam & parentes piè venerari,quibus legibus constat ius gentium appellatum , quod inde nomen inuenit,quoniam ipso gentes omnes vtantur,quæ modo non sint tã barbaræ & efferatæ,vt humanitatem prorsus exuisse videantur . A quo velut fonte singularum rectè institutarum ciuitatum seu regnorum iura, quæ ciuilia nuncupantur emanarunt.Est enim ius ciuile , quod singulæ ciuitates moribus ac legibus à iure natnrali atq; gentium aliquid addendo vel detrahendo deductis sibi constituunt,quoniam lex, quæ neque naturæ consentanea sit,neque rationi,fatua est,aut tyrannica, breuiter,indigna quæ nomine legis appelletur.

2.li de inuẽtione.

l.1.ff.de iure nat.gẽtium.

Ius porrò diuinum id potissimum intelligimus, quod præceptis sacrarum scripturarum continetur . Sed quoniam Deus idem est naturæ moderator & opifex,idem diuinarum scripturarum author , fit, vt diuina lex ius quoque naturæ à nonnullis appelletur. præter quàm, quod interdum congruit,vt aliquid sit natura iustum,quod Dei quoque præcepto sanciatur. quod quanquam vere,nec incommodè dici possit, nos tamen magis receptam , & inueteratam doctissimorum hominum loquendi sentiendiq; cõsuetudinẽ sequentes, in hac quæstione differenda discrimen mox expositum obseruabimus. Ius pontificium est,quod põtificum rescriptis,conciliorum sanctorumq; patrum decretis a iure diuino & naturali deriuatum,in ijs potissimum reb. versatur, quæ Sacramenta,cærimonias,reliquumque Dei cultum ac religionem attingunt. Sed iuris genera & varietatem explicuimus , iam in singulis quantum possit pontificia maiestas consideremus.

Isidor. lib.5. eth. & habetur d.1.ca.1

In qua disputatione vnũ quasi fundamentũ iustissimũ ac certissimũ, & ijs quæ natura duce ac religione authore , simulque sapientissimorum

rum virorum authoritate ſuprà conſtituimus,conſentaneum, iaciendũ eſt.In ijs omnibus non ſolum humanæ prudentiæ,ſed etiam naturæ vel diuinis legibus moderationi pontificiæ locum eſſe, quarum rectitudo ob hominum humanorumque actuum inæquabilitatem, inconſtantiam,ac temporum viciſſitudines , aut locorum diſcrimina huiuſmodi eſt,vt varietas,in eam vel omnino poſſit,vel ex parte cadere. Nam cum rerum ab hominibus agendarum inſtabilis ac varia natura nullam legem de ſe ferri patiatur,quæ omnibus hominibus conueniat, omni loco atque tempori ſeruiat:nec eſſe eſt in omni ſapienter inſtituta repub. aliquem(vt ſupra indicauimus)eſſe, qui huiuſmodi legibus imperet & pro naſcentium rerum diuerſitate, & ſingulorum hominum conditione ſanctè atque prudenter moderetur . Quòd ſi in alijs rebus publicis hominum ſapientia fundatis,diligentiſſimè cautum eſt à legiſlatorib. qui hanc poteſtatem in omnes leges,quibus vtitur reſpub. regibus ſiue ſummis magiſtratibus tribuerunt,nónne ſtultum eſſet, ne dicam nefarium & impium putare, id à Chriſto Deo optimo maximo, in ſua rep. & Eccleſia fuiſſe prætermiſſum ? aut ipſum parcius legum quaſi habenas,quàm cæteros legumlatores,auariuſque poteſtatem illam vicarijs ſuis reliquiſſe?Multo igitur aliter ſeſe res habet, nec vllus vnquam legiſlator,nulla ciuitas,aut regnum,plenam cuipiam legum moderationem & imperium tam large,ac liberaliter,vel dedit , vel dare potuit, quàm Chriſtus Petro Apoſtolorum principi,eiuſque ſucceſſoribus pontificibus, cum ſoluendi atque ligandi poteſtatem his dedit, & claues regni cælorum attribuit , quod alta mente proſpiciens Leo Papa: *Manet ergo* (inquit) *priuilegium Petri , vbicunque ex ipſius æquitate fertur iudicium.* Hoc igitur alte,vt quidem ſperamus,iacto fundamento, in promptu erit ad hunc velut ſcopum intuentibus, omnes dubitationes ac difficultates expedire. Quæris num ſummi ſacerdotis poteſtas non modo legibus humana prudentia conditis dominetur, ſed ad leges etiam naturæ ſerpat, & eas quæ diuino iure continentur. Primùm dico, quas leges neque natura,neque diuina ſapientia, ſed hominum voluntas ob aliquas commoditates prudenter ſanxerit,has pontificem poſſe pro ſuo arbitratu ex non ita magna cauſa, ac forſitan ſola voluntate relaxare. aut ſi res poſcet, abolita (vt in talibus fieri poteſt) rectitudinis cauſa, prorſus abrogare . deinde quod ad naturæ, diuinaſque leges attinet, nolo quicquam temerè adſeuerare : fieri enim poteſt vt fallar, homo cæteris nec oculatior,nec ingenioſior:tamen ſi vera ſunt,quæ ſuprà differuimus (vt eſſe omnino videntur) equidem non intelligo, cur de omnibus,quarum eſt eadem ratio,non ſit eodem modo ſtatuendum:putandumque nullam eſſe omninò legem, qua de rebus hominũ agendis, quidquam non communiſſimo ſeu primo principio ſanciatur , ſiue ea naturæ ſit,ſiue iuris diuini:de cæteris enim nihil, vt video, dubitatur,

Matth.16.

24.q.1. *manet.*

quin ca-

quin cadat aliquo modo in ſummi pontificis poteſtatem. Sed occurret aliquis vim ſcilicet rerum ignorans, ambitióſæve more hominum naturæ, Deoq; patrocinium parans exclamet, quam tu nobis immenſam, & incredibilem pontificis poteſtatem narras? An eſt homo quiſquã cui liceat, quod vix Deo immortali datum eſt, vt naturę vim afferat eius legibus inuertendis: vel ſi liceat, fas etiam ſit omniũ parentis ſagaciſſimæ iuſſis ac præceptis obmurmurare? Aut quis furor eſt, quæ tam impia temeritas, mortalem hominem, hoc vel ſibi arrogare, vel alteri tribuere, vt maiorem diuina ſapientia in ferendis legibus perſpicacitatẽ habere poſſit? Quaſi verò nos, cum licere aliquid pontifici in leges naturales, aut diuinas aſſerimus, bellum indicamus naturæ, aut cũ gigantib. vt eſt in fabulis, contra ſuperos conſpiremus, quod tantum abeſt à noſtris inſtitutis, vt ita demum leges iuſtiſſimas, & ad ſalutem hominum religioniſq; maieſtatem accõmodatiſsimas fore profiteamur, ſi eis vel condendis, vel temperandis, vt cæteri principes, ſic pontifex, integram naturam velut ducem optimam ſequatur, & magiſtram ſolertiſſimam, diuinaſq; leges intueatur, credendum eſt enim Auguſtino, qui negat in temporali lege quidquam eſſe iuſtum, quod non ex æterna homines ſibi deriuauerint. Sed quoniam (vt primum dignitati naturæ ſatisfaciamus) interdum efficitur, vt quidam corruptis moribus prauiſq; opinionibus obruentes naturę lumen, & quid ipſa ferat, non recta ratione, ſed ſua libidine metientes, legibus eius abutantur, ac ſuis deinde ſcelerib. falſam ſummæ honeſtatis ſpeciem prætendant: põtificiæ poteſtatis, regiæq; facultatis eſt, ad ſtultorum iudicia praua corrigenda, coercendãque improborum malitiã, ſi quid tale acciderit, vel accidere poſſe ſuſpicio ſit, huiuſmodi naturæ leges, non abrogare, aut inuertere (hoc enim furor eſſet experiri, vel ſaltem fieri poſſe putare) ſed prudẽti quapiam interpretatione temperando aliquid in eas, pro ſua prudẽtia publicè vel in ſingulorum cauſis conſtituere, hoc tamen non fuerit repugnare naturæ, ſed ipſam potiùs à cæcarum mentium ſtultitia, aut verſutarum calumnijs vindicare. Nam (vt fiat quod dicimus exemplo manifeſtius) quæ lex poteſt eſſe magis naturalis, quàm vt vi vis allata propulſetur, cùm ipſa natura mutas etiam animantes quaſdam cornibus, alias vnguibus, non nullas dentibus ad hoc munus armauerit? Sed quoniam pleriq; cum poſſent per leuiorem repugnantiam vim ſe impetentium depellere, tamen vel errantes opinione, vel vltionis libidini, ſeu forſitan odio inueterato indulgentes, ad magnas iniurias proceſſere, qui facti rei patrocinium ab hac lege naturali petebant: prudens legiſlator, vt malitiæ iſtorum occurreret, temperandam legem prudenti interpretatione pro ſua poteſtate putauit, ac adiecit, modo id fiat cum moderamine inculpatæ tutelæ: quòd ſi huiuſmodi additamento ſic perfici poſſet lex naturalis, vt æquè omnibus ſemper conueniret, multo profecto

Li. 1. de libero arbi.

minus negotij esset in legibus temperandis. Sed ecce aliæ non minores difficultates existunt: nam si licuit haud dubiè fuga tale periculum euitare, alia nimirum causa fuerit fortissimi & bello inclyti militis, si quis eum fuerit adortus, alia hominis ignaui & à bellica laude abhorrentis: interfecto enim aggressore longe secus de Thersite, quã de Aiace fuerit iudicandum non in foro tantum, sed etiam in scholis theologorum. Ille namque sine iactura sui nominis fugere poterat, huic vel pedẽ referre turpissimũ esset, ac mortis instar, quod exẽplũ in vna lege positum per plurimas potest facillimè transferri. Tãta est enim rerum humanarum varietas, vt verissime dictum sit, plura esse negotia, quàm non modo leges, sed etiam vocabula. Si ergo legem naturæ temperare iurisconsulto, aut ei cuius authoritate ipse leges ferebat, licuit cunctis hominibus approbantibus: quanto magis permissum esse debet pontifici, qui omnibus principibus, ac regibus dignitate authoritateque præstat?

Age verò ne temerè & indoctè blandiri naturæ videamur, num eius vim, eiusq; constantiam tantam esse putamus, vt nulla re cursus eius impediri possit, aut aliorsum, ac semel intenderit deflecti: nunquam demum eadem peccare valeat, vt ipsius leges semper ratas, firmas, constantes, atq; sempiternæ rectitudinis esse credamus? At cum sit maximè naturale, vt ex homine homo, ex equo generetur equus: interdum tamen videmus, ex ipsis monstra quædam nasci à figura humana & equi forma procul abhorrentia, & cum ex tritico triticum, ordeum èx ordeo procreari natura velit: multis tamen in locis, hoc in auenã, illud in typhã degenerare notatur, quæ merito à philosophis naturæ peccata nuncupantur: qui naturale non id duntaxat intelligi volunt, quod semper fit perpetua quadam constantia (hoc enim citra Deũ & cælestes substantias non ita multis natiuis est datum), sed quod efficitur magna ex parte, quod vsque adeo verum est in in ijs quę natura dicũtur esse iusta, vt ob hoc ipsum quidam veterum philosophorũ, nihil esse natura iustum putauerint, quoniam ex ijs, quæ talia esse dicuntur, nihil viderent, quod non aliquãdo iniustum esse reperiretur. Quorum
Eth. 5. sententiam Aristoteles rerum sagacissimus interpres ita refellit, vt natura iustum id esse doceat, non quod semper, sed quod vbiq; sua sponte, non autem opinione hominum eandem habet vim, magnaq; ex parte iustũ est: quod item aperta ratione declaratur. Reddere namque depositum natura iustum esse constat, tamen incidunt tempora, cum id facere contra officium maximè sit, vt si quis deposito gladio exire de potestate cœperit, depositumque repetat, iniustè profecto agat, qui arma furẽti ministrauerit: & pari ratione, qui thesaurum apud se depositum reddiderit paranti eo ad patriam oppugnandam abuti. quia tamen id efficere maxime ex parte iustum est, & hominibus vbiq; gentium insitũ

non

non lege voluntaria sancitum, idcirco depositum reddere, vt est, sic esse dicitur natura iustum. Cum igitur quarundam legum naturalium ea conditio sit, vt non omnibus temporibus hominibusq; conueniant, nihil mirum est, si eis quoq;, cum talia tempora incidunt, potestas pontificia dominetur. non vt agat in diuersum contrariam legem statuendo, aut illarum quampiam abrogando (hoc enim esset naturam, quod fieri non potest, inuertere) sed vt temporibus, qualia diximus, incidentibus quem oportuerit à lege naturæ publica, interpretatione, quam dispensationem vocamus excipiat. Ac vt mirari desinas, naturæ leges, quæ versatiles hominum mores attingunt, posse lima humanæ prudentiæ aliquatenus expoliri ac temperari. verte animum ad eas artes, quæ græcè à machinis, quas aduersus naturæ conatus adhibent, mechanicæ nuncupantur, & multis in rebus inuenies id, quod longe mirabilius est, naturam ingenio artibusq; hominum superari. quæ natura cum sæpe, vt testatur Aristoteles, contra quàm nobis est opus efficiat, arte tamen cogitur nostris commodis inseruire. *In mechanica.*

Sed intelligere oportet, id quod est à viris prudẽtissimis animaduersum, vt sunt in mathematis pronunciata quædam à græcis axiomata, hoc est communes ratæq; sententiæ nuncupata, quale illud: quæ sunt eidem æqualia, ea inter se quoque æqualia sunt. & item: si ab æqualib. æqualia demas, quæ supersunt, sunt æqualia: sic esse in rebus agẽdis quasdã naturæ certissimas notissimasq; leges, quæ nullã neq; dubitationem neq; correctionem admittant. cuiusmodi est illa, omne bonum est petendum, omne malum fugiendum: & quæ ad hãc proximè accedit, virtus colenda est, vitium contrà repudiandum. Vtq; axiomata principia reliquorum illius generis theorematum, hoc est præceptorum, sic leges huiusmodi quasi fontes & capita esse, vnde cæteræ naturæ leges deriuantur. Sed interest, quòd in mathematis vt principia, sic cætera quæ ab ipsis emanarunt, sempiterna sunt & necessaria, leges naturæ nõ omnes habent eã firmitatẽ. Illud tamẽ est persimile, quòd vtrobiq; principia certissima sunt & perspicua, & ob eã rẽ ponẽda in ratiocinationibus, non etiam confirmanda, cætera verò minus habent vel perspicuitatis, vel etiam certitudinis & constantiæ, quo fit, vt in has secundas naturæ leges aliquid pontificibus, quemadmodum exposuimus liceat, primas quæ ne mutari quidem possunt vllo modo, attingere nefas esse putetur. Sed de lege naturali satis, iam ad diuinam transeamus.

Diuinum ius esse diximus, quod legibus ac præceptis sacrarum scripturarum authore Deo continetur, quod licet verissimum sit (nam vt leges Solonis, leges Lycurgi dicuntur, quas hic Lacedæmonijs, ille dedit Athenienſibus, sic leges diuinæ, quæ à Deo latæ sunt: & vnaquæque nomen à suo latore mutuatur) tamen non omnes diuinæ leges vno ge-

nere continentur, quædam enim sunt, quæ licet non fuissent sacris literis traditæ, ab ipsa tamen natura dictarentur hominibus : aliæ quas ex his mortalium quoq; prudentia deduxisset ad reipublicæq; salutem excogitasset. homo enim natura ciuilis est, atq; hominum communio, quę ciuitas appellatur, non tam voluntate, quàm necessitate naturæ cõsistit. Necessitate enim homines, cum rebus plurimis indigeant, quas singuli sibi præstare nequeãt, in locũ vnũ cõueniunt, vt mutuis operis atq; officijs adiuti res ad vitam degẽdam & necessarias & commodas habeant, vt apes ad fauum conficiendum, & communi opera communem cibũ, qui singulis nulla ratione contingeret, comparandum. Quoniam igitur in tanta morum corruptela post peccatum primorum hominũ, nisi leges adsint vindices malorum, ciuitatem labefactari necesse sit, quæ tanquam equus habenis, nauis clauo, sic ipsa legibus gubernatur, idcirco hominum solertia, ad eam conseruandam iustas æquasq; leges inquirẽtes, plenasq; inuenerunt, quę in sacra scriptura traditę sunt, vt de furtis, de homicidijs, de adulterijs, de falsis testibus, de periurijs : nam hæc omnia crimina iure quoq; ciuili Romanorum vindicantur. quo itidem omnes ferè leges de ritu nuptiarum continentur, quæ iure diuino fuerant sancitæ. Hæ autem & supradictæ leges, quæ primum ciuile temporariumq; bonum, deinde æternam beatitudinem intuentur, partim naturales, partim ciuiles, aut põtificiæ vocari potius debẽt, quàm diuinæ. Sed aliæ leges atq; doctrinæ in libris sacris habentur, quæ non ad hominum inter ipsos societatem tuendam datæ sunt, sed ad humanas mẽtes religione imbuendas, & æternæ veritatis occultam lucem hominibus detegendam, oraculisq; reuelandam: cuiusmodi sunt, quæ mysteria fidei, atque Sacramentorum virtutum attingunt, quæ leges præceptáve idcirco iustius propriusq; cæteris diuinæ nuncupantur, quia non modo ad Deum authorem referuntur, sed etiam sola Dei sapientia & oraculis peruestigari & tradi poterant, & protinus æternum diuinumque bonum spectant. Quæris igitur quatenus leges diuinæ moderationem pontificis siue dispensationem admittant? Rursus ad illam quasi formulam, quam suprà exposuimus respondeo, quatenus cuiusque rectitudo loco, tempore, aut personis, aliáve ratione mutari potest. Cuiusmodi esse videntur omnes quæ res hominibus agendas attingunt: siue ad cærimonias, siue ad iudicia, siue ad mores hominum pertineant. Paucis quibusdam exceptis, ex earum genere, quæ in iure naturæ velut axiomata diximus esse. quæ licet versentur in rebus agendis, sunt tamen à singulis in tam latam vniuersitatem abstracta, vt nihil accidere posse videatur quod ipsarum honestatem variet. Itaq; præter eas, quibus de fide & Sacramentorum virtute, rebusq; diuinis aliquid sancitur, quæ res nullo modo in hominum inter ipsos actiones cadunt, paucæ admodum leges sũt in scriptura sacra, quæ vicarij Christi dispẽsationẽ nõ admissuræ videantur.

Sic

Sic enim accepimus à maioribus, quod pontifex maximus iustis ex causis prudenterque decernit, id non hominem, sed Deum potius definire. quas rationes, vt credibile est, secuti viri sapientissimi, & summæ in iure pontificio interpretando, authoritatis, Innocentius papa quart⁹, Henricus cardinalis Hostiensis, Vincentius. Io. Andreas, & Ancharranus, negarunt extra fidei articulos vllas esse leges diuinas, in quas pontificis (cuius idem ac Dei tribunal esse tradunt) dispensatio cadere non possit. in quorum sententiam manibus, vt aiunt, & pedibus iuit Nicolaus abbas Panhormitanus author ingenti & doctrina & grauitate. Sed vt cæteri, qui multi sunt in hac sententia, taceantur, non est tacẽdus vir memoria nostra doctissimus, & cognitione iuris pontificij clarus Philippus Decius, qui cum iudicio suo incorruptus, non ad alterius voluntatem commentaretur, sic scripsit quodam in loco: *Tu* (inquit) *adde, quòd Papa in omnibus dispensare potest præter quàm in articulis fidei.* Nec spernenda est iure ciuili consultorum authoritas, doctissimorũ videlicet, & Christianorum: qui vt à Principe ius diuinum abrogari posse negant, sic distingui, limitari, restringiq;, in aliquo casu valere aiunt. Nam quod quidam addendum putant, nisi immineat peccatum lege diuina mortale, hoc ita intelligere oportet, nisi causa tam leuis sit, vt id facere & permittere sit peccatum mortale. hoc est enim, quod ex iure cõsultis iuniorum doctissimus Bartholus tradidit. *Nam quando causa* (inquit) *legis peccatum excludit, valet etiam contra ius diuinum dispositio, secus autem minime.* nam si aliter additamentum accipias, quomodo contra legem Dei fieri aut permitti quidquam possit, in quo non immineat peccatum mortale? cum idipsum protinus sit peccatũ mortale, aliquid cõtra legẽ diuinã facere. Nõ erit igitur dispensatio in legib. Dei, sed ne naturæ quidẽ, nisi cũ res ipsa æquitasq; docet id facere, quanquã sit contra legis scriptum, nõ tamen esse contra mentem legislatoris cũ aũt legislatorem dico, nõ modo principem, qui eam tulerit, sed Deum etiam aut naturam intelligi volo. qui legislator quoniam quod factu iustum æquumque sit, hoc semper fieri voluit, sed de omnibus & singulis quæ in eo genere accidere possent, non potuit simplici lege cauere, idcirco hac deficiente, satius est per dispensationẽ contra, quàm secundum ipsam, licet sit naturalis, agere. qua de re Thomas Aquinas in hunc maxime modum edisserit: *Quoniam actiones humanas pro temporum ac personarum rerumque aliarum rationibus variare necesse est, ideo præcepta secunda, quæ sunt velut conclusiones primarum naturæ legum, ita procedunt, non vt semper, sed vt magna ex parte efficaciam obtineant, nam talis est* (inquit) *tota materia moralis. quare vbi ipsarum efficacia deficit, licite possunt præteriri.* Sed hæc cum prudentissime & sanctissime eisdem propemodum verbis disseruisset, quæ nostræ sententiæ punctis omnibus suffragantur, tamen quasi metuẽs ne, si paulò ipse largior in dispensationibus visus esset, licentiæ, qua cum

Inno. de i re iu. c. quanto Host. c. quanto. de transl. pr. el. Vincẽ. e pro posuit d. concus. præl. Abbas ibidẽ Io. ancha. cõ. 374. Super c. quæ in ecclesiarũ de constitutionibus. Leg. vl. co. si contra. ius. Leg. omnes populi. ff. de iureiurand. Tho. 4. sent. d. 33. ar. 1. Vide eũdem 12. q. 97. ar. 6.

non mediocri animarum periculo interdum quidam abutuntur, authoritatem facere videretur adiecit: *Sed quia non est facile huiusmodi varietates definire, idcirco Deo authori naturæ, ex cuius authoritate efficaciam habent reseruantur, vt legem præteriri permittat, in illis casibus, ad quos legis efficacia se non extendere debet:* & talis licentia, dispensatio nuncupatur.

Quam sententiam haud equidem aliter (pace magistri dixerim) probari posse crediderim, quàm si tunc Deum dispensare velit intelligi, cũ per rectam rationem piorum mentibus, eorum præsertim qui religioni Christianæ præsunt, iudicium fit ab æterna lege, quæ mutari nequit, proficiscens, sic tunc fieri cõmodius esse quam pro legis naturæ præscripto, cuius rectitudo, vt tolli prorsus nulla ratione potest, sic temporib. incidentibus nonnunquam interpellatur. quod rectum iudicium, aut fallor, aut non longe abhorret ab ea, quam ipse internam inspirationem appellat, & olim iustis hominibus pro dispensatione fuisse tradit, vt multis vxoribus sine crimine iungerentur. Nam licet raro fiat, vt singulæ naturę leges deficiant, in omnibus tamen ob ipsarum multitudinem defectus frequenter accidunt. quibus interuenientibus, si semper essent oracula diuina consulenda, nónne Christianos necesse esset inextricabilibus sępe difficultatibus implicari, cum nobis non datum sit, quod olim Mosi amico Dei, veras audiendo reddendoque voces ipsum scisciari? legum igitur siue naturalium, siue diuinarum defectus & moderamina solius Dei iudicio & potestati reseruari verissime dicas, si quod Christi vicarij iudicio & authoritate decernitur, id iudice authoreque Deo intelligas definiri. quam sententiam iampridem sanctorum patrum & ecclesiæ testimonio probatam esse declarat, id quod Innocentius tertius ecclesiæ Andeg. rescripsit, qui præfatus Deum suo tantum iudicio cõiugij vt carnalis, item spiritalis dissolutionem reseruasse, *non humana* inquit, *sed potius diuina potestate cõiugium spirituale dissoluitur, cum per translationẽ, depositionem, aut cessionem authoritate Romani pontificis, quem constat esse vicarium Iesu Christi, episcopus ab ecclesia remouetur* Sed alio in loco idem pontifex in eandem sententiam episcopo Maguntino hæc verba rescripsit: *Potestatem transferendi pontificis ita sibi retinuit dominus & magister, quòd soli beato Petro vicario suo, & per ipsum successoribus suis speciali priuilegio tribuit, & concessit, sicut testatur antiquitas, cui decreta patrum sanxerunt reuerentiam exhibendam. Non enim homo, sed Deus separat, quos Romanus pontifex, qui non puri hominis, sed veri Dei vicem gerit in terris ecclesiarum necessitate vel vtilitate pensata, non humana, sed diuina potius authoritate dissoluit.*

De transl. episcop. inter corporalia.

Eodem tit. ca. quanto.

Si res igitur quæ venerit in controuersiam talis sit, vt eam legislator si adsit permissurus fuisse sapienti pontifici videatur. hanc neque facere permissu pontificis, nec ipsum dispensatione permittere peccatum erit. neuter enim faciet contra legem æternam, hoc est contra rectam rationem. est enim lex æterna, vt testatur Augustinus, ratio diuina vel voluntas Dei ordinem naturalem conseruari iubens, perturbari vetãs. quæ nõ

Aug. de lib. arbitrio.

scripto

scripto,sed diuina sapientia continetur:quam ab eo potius violari, qui cum res poscit,non dispensat,docet scholium quoddam, siue glossa vocari debet,cuius verba subieci: *Patet* (inquit) *dispensationem quandoque esse debitam,& quod episcopus peccat si non dispensat, vbi est euidens ratio dispensandi*, hactenus glossa.nam cum res secus atque diximus habet, & facere, & dispensando permittere crimen est, nec dispensatio consistit. Nam vt testatur scholium alterum:*non est tutus apud Deum; is cum quo papa dispensat, nisi subsit causa dispensandi.* his igitur quos supra memorauimus authoritibus nihil est,quod ex iure pontificio consultis aliorum præterea,qui plurimi consentiunt,testimonium requiramus. Cum quibus theologi quãquam verbis nonnulli dissentiant, re tamen ferè omnes consentiunt: qui vbi ventum est in eam disputationem,num in præcepta decalogi, quæ constat Dei simul & naturæ leges esse,dispensatio cadere possit, duplicem faciunt dispensationem:vnam qua lex prorsus abrogatur, in quo dispẽsationis nomine abutuntur:alteram, quæ legem interpretatione moderatur.& cum priori locum esse negent in præceptis secundæ tabulę,posteriorem non excludunt. quod nihil est aliud quàm in legibus illis dispensationem,quæ propriè intelligitur admittere,abrogationem repudiare.antiquatio enim siue mutatio legis,abrogatio eiusdem est,non dispensatio,quæ dispensatio nihil aliud est, quam temporum, locorum personarumque ratione habita, cum necessitas vel vtilitas pro rei conditione poscit legis duritiem sic interpretatione mollire, vt aliquis tũc ea lege non teneri, cũ authoritate declaretur.Sed vt ad sapientũ virorũ authoritatem,ac testimonia,momenta quoque rationum accedant,quęro ab istis diuinarum legum patronis ambitiosis, si in leges diuinas dispensatio cadere non potest,quomodo licuit Dauid cum suis comitibus propositionis panibus famem depellere contra legem Dei Achimelech pontifice dispensante, & factum Christo tam longe post in euangelio comprobante?cur ab optimis pontificibus in sponsis votis est tam sæpe dispensatum *Illa enim vouete & reddite & vota tua non tardare*, vtrum in Scæuolæ aut Seruij Sulpitij responsis habentur,an in sacrarum scripturarum oraculis? Age verò quid turpius sponte sua, aut magis contra Dei præceptum,quàm fœnerari?crimen philosophis vt naturæ aduersum, magno consensu damnatum,& sacræ scripturæ multis locis interdictum:at cum pignoris fructus in sortem non computare, sit haud dubie peccatũ fœnerantis,tamen Innocentius tertius sic legem interpretatione mollitiuit,vt ea non tenere, si cui pro dotali pecunia fundus pignori datus esset,decreto publico declarauerit.

Glo in c. dñe sancto dist.

Glo in can. est deuoto.

3 sen di. 37.

1 reg. 21.

Marci. 2.

Videtit. de voto.

Psal. 75.

Eccle. 5.

Ari. 1 polit. Ca. salubriter de vsuris

Transeamus ad ipsa decalogi præcepta, si præceptum de iurisiurandi obseruatione remitti nullo pacto potest,quomodo pontificum decretis toties legimus esse relaxatum? si lex quæ furta vetat, non patitur dispensationem, cur in summa necessitate impune furari licet?aut quomodo

Videtit. de iureiu.

Exod. cap. 3. modo Deus Iudæis excedentibus Aegypto furari non permisit solum, sed etiam est adhortatus? si patres absque exceptione pie colendi sunt,

Luce. 19. eisque parendum præcepto Dei, cur ipse dixit, *si quis venit ad me & non odit patrem suum & matrem, non potest meus esse discipulus*? ac ne singula persequar, si præceptum homicidij dispensatione temperari non potest, cur Christianis licet cum hostibus legitimis pugnare? cur de facinorosis pœnas capitis sumere? quod Deus præcepit Mosi, *ne patiaris* (inquit) *maleficos viuere.*

Exo. 22. Cur Sansoni permisit Deus, vt se tẽpli ruina cũ tot hominib. inuolueret? sed isti de votis minus solliciti, in illis aiunt nõ sine iusta causa dispensari, vel eadem in meliora cõmutari, cũ videlicet secus fieri honestius, ac commodi⁹ esse videtur: in præceptis decalogi, quæ simul naturæ simul diuinæ leges sunt, haud satis illi quidem fortassis acute, sed quoquo modo possunt, tergiuersantur. &*præcepta* (inquiunt) *decalogi non simpliciter indispensabilia sunt*, vtar enim ipsorum verbis, *sed ad mentem præcipientis accepta. Nam qui furta i vetat, nolebat præceptum suum in summa necessitate (quæ alioquin res facit communes) obseruari neque cum ab impotentibus debitoribus aliter debita exigi non possunt, nam id factum ne debet quidem furtum appellari, præsertim cum fiat non inuito rerũ omnium domino. Et pari ratione Deus* (inquiunt) *cum prohibuit homicidium, non iustorum hostium, aut flagitiosorum hominum neces vetare volebat: idcirco enim Samsoni permisit, vt improbos homines occideret. Nam quòd ei licuerit sibi mortem consciscere, non defuit causa, quidem (vt credi par est) iusta, sed nobis non explorata. Atque eodem modo parentes coli iussos esse* respondent, *sed nisi filios à vera religione atque Dei cultu conentur seducere.* cuius orationis summa (si verum quærimus) nõ alia est, quàm ea præcepta semper esse obseruanda, nisi cum accidit, vt id quod præcipitur, contrà fieri necessitas cogat, aut magna commoditas adhortetur, id nimirum quod in votorum quoque dispensationibus obseruatur. At isto quidem modo nulla lex naturæ consentanea dispensationem pati queat, ne illa quidem quę reddere iubet depositum, de qua supra diximus. Mens enim præcipientis, hoc est ratio naturalis, quæ legem illam mentibus hominum impressit, semper voluit obseruari, præterquam cũ ipsum reddere constet in magna repetentis aut etiam reip. iacturam recidere, aut quiddam huic simile accidat, ac eodem modo licet de cæteris statuere.

Responsio ad superiora, quomodo dispensatio fiat in Decalogo.

Istorum igitur ratio quanquam sit (vt est) verissima, tamen tantum abest, vt omnia præcepta decalogi vendicet à dispensatione, vt maxime confirmet, eorum quædam dispensationibus esse opportuna. quoniam hoc ipsum est genus quoddam, & quidem maxime omnium necessarium dispensandi, quæ fuerit mens præcipientis seu legislatoris in causis contingentibus cum authoritate, vt sæpe diximus, declarare. neq; enim cuiuisuis est legem interpretari, sed cuius est condere, aut cui data sit ab illo plena legum moderandarum potestas. nam qui præcepta secundæ tabulæ ab interpretatione quoq; vendicare conantur, tanquam satis fue-

rint

rint ab ipso legislatore declarata, hi mihi videntur in quo legibus huiusmodi fauere maxime cupiunt, in hoc maxime easdem oppugnare. æquitatem tollentes legum omnium velut animam & moderatricem. quod eis accidit, dum parum animaduerterent præcepta secundæ tabulæ in hominum societate mutuisque officijs & contrarijs rebus versari: aut obliti essent versatilem rerum agendarum inæquabilemque naturam, nullam cuiusuis generis constantem stabilemque normam admittere.

Simile namque videtur esse, à Deo vel natura legem aliquam de rebus hominibus inter ipsos agendis sempiternę rectitudinis poscere: atque ab artifice solertissimo, vt securim adamantinæ duritiæ ex plumbo aut auro conficiat postulare. Nam vt hic securim absoluta forma (quod positum est in ipsius artificio) fabricare potest, quæ scindenda duriore materia non retundatur, non potest (hoc enim ne Deus ipse quidem præstare valeat salua illorum metallorum natura) sic Deus atque natura dabit quidem de rebus agendis rectissimas leges, & quoad licet per materiam stabilissimas, sed vt cunctis temporibus causisque nunquam interpellata rectitudine seruiant, non patitur rerum agendarum varietas & inconstantia.

Sed vrgent isti argumento nõ tam recto, quàm specioso, quod in hũc modum concludunt: *quod ex antecedente necessario in bona & necessaria argumentatione colligitur, id quoque necessarium est: decalogi autem præcepta sunt huiusmodi, deducuntur enim ex illis principijs ratisque sententijs, quæ in rebus agendis fallere non possunt sunt igitur necessariæ, & sempiternæ rectitudinis. ex illa enim rata sententia, omne malum est fugiendum, concluditur oportere homicidia vitare in hunc modum: omne malum est fugiendum, homicidium autem malum est, fugiendum igitur. argumentatio est necessaria, propositio illa, malum est fugiendum, quæ antecedit, est principium indubitatum, & perinde necessarium, lex igitur quæ vetat homicidia, necessaria est, hoc est sempiternæ rectitudinis, ac proinde non magis interpretationem dispensationemque admittẽs quàm illud vnde ipsa deducitur axioma:* & pari ratione de adulterijs, & furtis, periurijs, cæterisque id genus ediserunt, cuius argumentationis progressus quam vim habeat, est etiam atque etiam considerandum. tam fucatus est enim specie quadam veritatis, vt nullos egregie doctos viros fefellerit. Et primum nolo procax aut litigiosus esse videri, poteram enim dicere id quod quidam verissimum esse putauerunt, nullum esse tam ratum, tamq; perpetuę rectitudinis axioma in rebus agendis, quod propter harum incertitudinem ac varietatem ex parte non deficiat aliquando, nã quæ lex naturæ potest in hoc genere magis esse rata, quàm hæc ipsa quæ in argumentatione posita est, omne malum est fugiendũ? at incidunt tempora, cum in eas angustias coniecti sumus, vt leuius aliquod malum grauia vitantes, iustissima ratione sequamur: quod facere & ratio cogit, & magni philosophi cẽsuerunt. nisi fortè putamus, quod

Argumentũ quo probare volunt, cum decalogo nõ deberi dispẽsari.

Responsio.

Arist. eth. 2.

leuius est malum, id protinus malum non esse. At malum (inquis) leuius in tantis angustijs boni rationem habet. at istúd patrocinium tam infirmum est, vt causam prodere videatur. hoc est enim quod nostra oratio efficere conatur, quod natura malum est, id temporibus effici tale. vt tanquam bonum eligatur. sed non est opus litibus. dabo tibi legem illam, per quam ratam esse, & sempiternæ veritatis, ac rectitudinis: non tamen protinus quod petis assequeris. argumentatio (inquis) recta est, ac necessaria. hoc ego non ibo inficias, antecedens autem propositio, omne malum est fugiendum, certissima est & sempiternæ veritatis: hoc quoque tibi largimur. quid igitur obstat, quo minus res tota confecta sit? nihil profecto, si hac sola propositione constaret antecedens. nunc illa quoque pars est antecedentis, homicidium est malum, quæ neque tam certa est, nec tam necessaria, quàm prior: quippe cuius rectitudo cum magna ex parte adsit, quandoque tamen desideratur. & illa certissima est dialecticorum regula, ex antecedente, quod vna propositione necessaria, altera contingente consistit, in argumentatione etiam necessaria, contingens concludi, non necessarium. vt in rebus naturalibus ex causis necessaria & contingente, qui affectus existit, causam infirmiorem æmulatur. Nam hominem occidere quandoque non esse malum, docent non modo leges ciuiles, quibus capitalia crimina iustissime vindicantur, sed etiam historia sacra, qua constat iussu Dei populos esse armis Iudæorum ad internecionem occisos.

Quid (vt cætera prætream, quorum est eadem ratio) in præcepto de cultu & pietate in parentes, negabimúsne posse dubitationes existere, quæ nequeant absque interpretatione præcepti huius explicari? qualis illa esset, agátne contra præceptum filius, qui patris rempublicã prodere molientis flagitium cum certo periculo capitis eius indicauerit, si summo patriæ discrimini nulla alia ratione possit occurere. nam si salus reipublicæ patris etiam vitæ præferenda est lege naturæ, quæ bonum publicum cuicunque priuato bono iubet præuerti: qui tali tempore patrem deserit, vt reipublicæ subueniat, is faciet profecto contra scriptum præcepti huius, fortassis tamen legem æternam rectamque rationem non violabit. quod verum esse non potest, si nullam id patiatur interpretationem, quæ dispensatio à theologis nuncupatur, quorum alioqui complures, & in primis vir accerrimo ingenio Scotus, negant, præcepta secundæ tabulæ leges esse naturæ, quæ propriè intelligantur: cadit igitur in ea dispensatio. sed vrgent etiam nũc speciosius: vt lex aliqua feratur, quæ non omnibus personis & temporibus conueniat, non potest nisi legislatoris vel imprudentia vel malitia contingere, has autem dicere in Deum & naturam cadere nefas est. nulla est igitur lex naturalis, & diuina, quæ excep-

3 sen. di. 37

ptionem

ptionem, ac proinde dispensationem patiatur. hoc argumentum in eo fallit, quod pro vero sumit id quod est haud dubie falsum, accidere non posse, nisi culpa legislatoris, ne lex cūctis personis & tēporib. seruiat. nā licet interdū culpa legislatoris fiat, vt in lege iniquitas aliqua notetur, cōplures tamē leges sunt, & iustissimæ & summa legislatoris sapiētia conditæ, quarum rectitudo interdum desideratur, ob rerum, in quibus versatur conditionem variam & inconstantem. quo in loco Aristoteles est magister adhibendus, cuius verba ex quinto Ethicorum libro non grauabor apponere, sunt enim ad hanc quæstionem accommodatissima.

Nam cum lex (inquit) *omnis vniuersalis sit, tamen fieri non potest, vt de quibusdam recte in vniuersum statuatur. quibus igitur in rebus in vniuersum statuere necesse est, nec fieri potest, vt recte sic statuatur. in ijs quod plerunque fit, lege cauetur, peccatum non ignorate, & nihilo secius recta est. nam peccatum nec in lege est, nec in legislatore, sed in ipsa rei natura: protinus enim talis est rerum agendarum materia.* quæ cum summus philosophus dixisset, ac diuinitus disseruisset, ne quid in hac quæstione dubitationis relinqueret, quomodo & quando dispensatio fieri debeat edocens, ait: *Cum igitur lex vniuersaliter loquitur in rebus agendis, & aliquid in eis accidit præter vniuersale tunc recte fit, si qua parte legislator vniuersaliter loquendo defecit, defectus emendetur quod ipse quoque legislator dicat, si adsit: & si sciat, lege constituat. Atque hæc* (inquit) *est boni & æqui natura, emendatio nimirum legis, qua parte deficit ob vniuersale.* potuitne summus philosophus dispensationis tempora, rectitudinem, necessitatem, & ipsam quasi naturam apertius explicare? Dispensatio enim nihil aliud est, quàm boni & æqui cum authoritate declaratio. quod bonum & æquum necessarium esse tradit, ad temperandas leges etiam naturæ quæ in rebus agendis versantur, ob earum incertitudinem. *Itaque decreto,* inquit, *est opus* (hoc est dispensatione, sic enim necesse est interpretari) *quoniam indefinitæ rei indefinitæ ea mest.* quæ Christus non (vt arbitror) ignorans, nec immemor, complures esse leges hominibus à se de rebus agendis, hoc est incertis & indefinitis datas: quæ nisi prudentia cuiuspiam, qui præsto sit temperentur, necesse fuerit ecclesiam suam sæpe difficultates inextricabiles incurrere, summum sacerdotem in terris loco sui cum summa ligandi & absoluendi potestate reliquit: qui reipublicæ Christianæ eiusque legibus præesset, ac de rebus singulis extra ordinem incidentibus præsens pro bonitate & æquitate, quod in tanta rerum huiusmodi varietate iustius, hominibusque commodius censeret, etiam præter legem decerneret, quod in legibus dispensare dicimus. leges namq; etiã diuinas commodis salutiq; hominū seruire debere, nō hæc esse propter leges deferenda, Christus haud dubie author est in euangelio, vbi sabbatum factum (hoc est legem de obseruatione sabbati datã esse) propter hominem, non hominem propter sabbatum clara voce profitetur.

Dispensatio quid.

Marc. 2.

quo in loco Dauid consilium, qui cum suis necessitate famis adhortante propositionis panes solis sacerdotibus in cibum lege diuina permissos, dispensante pontifice comedit, tantũ abest, vt dãnaret, vt tanquam recta ratione initum in discipulorum suorum excusationẽ allegauerit.

Ad hæc (inquis) *interpretatio legum est, quam à præceptis secundæ tabulæ pleriq; theologi & in his Scotus non excludunt, nos autem de dispensationibus disputamus: leges porrò interpretari prudentiæ atq; doctrinæ sapientium virorum munus est, non pontificiæ maiestatis officium.* scio quòd supra testatus sum nonnullos esse theologos qui cum re dispensationem naturalium diuinarumque legum admittant, verbis excludant, & inuidiam verbi fugientes in eas interpretationem cadere posse dicant, dispensationem negent: quasi vero dispensare quidquam aliud sit, quam legem prudenti interpretatione pro nascentium rerum necessitate commoditateq;, in vnius pluriumve causa mollire & relaxare. quæ interpretatio quanquam interdum scripto legis aliquatenus aduersetur, tamen quoniam hoc iustius esse commodiusque recta ratio & res ipsa docet, legem huic non obstare decreto quodam declaratur. quod siue interpretationem seu legis exceptionẽ, aut priuilegium, siue indulgentiam principis appelles, haud equidem admodum repugnabo, modo constet id esse quam summis theologis Thoma Scotoq; authoribus dispensationem nuncupamus. neq; enim ea vis dispensationis, vt quæ mala per se sunt, hoc est natura iniusta, hæc ipsa bona efficiat, atque iusta. hoc enim in legitimis duntaxat iustis vsu venit, sed vt declaret cum authoritate, sic fieri tunc iustius esse, quàm vt scripto legis naturalis est præceptum. ad quod munus obeundum quam quam viros bonos ac sapientes pontifex adhibere & debeat & soleat. ipsorum tamen officij est. quod rectum esse videatur consulere, pontificis decernere, & decreto authoritatem suam interponere, cum ob eas causas, quas supra communes ipsi cùm cæteris principibus memorauimus, tum quia cum locum Dei teneat in terris, & pro Christo rempub. Christianam moderetur, fas est credere sæpe consilia iudiciaque eius, quam cæterorum hominum ac principum, proprius & efficacius Dei sapientia gubernari: cuius rei magnum habemus in euangelio & præclarum documentum, quo pontifex Caiphas homo neque probus, nec bonis artibus (Iosepho authore) sacerdotium indeptus prophetasse traditur à Ioanne, qui hoc (vt Augustinus ait) diuino sacramento propterea quòd pontifex, id est summus sacerdos esset attribuens adiecit, hoc autem à semetipso non dixit, sed cum esset põtifex anni illius, prophetauit. quem locum exponens Chrysostomus, *vide* (inquit) *quanta sit pontificiæ potestatis virtus: pontifex enim effectus, quanquam indignus esset, prophetauit tamẽ nesciens quid diceret.*

Tho. 1. 2. q. 97. ar. 4.
Sco. 4. sentẽ. di. 33. q. 1.
Io. 11.
Tho. quodlibet 10. ar. 15.
De præcepto et dispẽsatio.

Itaque optima ratione viri sanctitate & doctrina clari scriptum reliquerunt, maiorem fidem adhibendam esse vni pontifici aliquid in ecclesia

clesia decernenti, aut interpretanti, quàm multis simul sapientibus. *à quo enim potius* (vt Bernardus ait) *diuina consilia requiruntur, quàm ab illo cui credita est dispensatio mysteriorum Dei*: ipsum proinde, quem pro Deo habemus, tanquam Deum, in ijs quæ apertè non sunt contra Deum audire debemus.

At huic sententiæ nonnulla quoque decreta sanctorum patrum videntur aduersari. In primis illud Vrbani papæ: *Nam vbi apertè* (inquit) *dominus vel eius apostoli, & eos sequentes sancti patres sententialiter aliquid definierunt, ibi non nouam legem Rom. pont. dare potest.* & item illud Zosimi papæ: *Contra statuta* (inquit) *patrũ condere aliquid vel mutare, ne huius quidem sedis potest authoritas.* ne singula decreta referamus, si quę in eandem sententiam reperiuntur quid igitur ad talia decreta, ad horum sententias quid respõdebimus? Illud nimirum quod in promptu est, si decreta hæc simpliciter accipiantur, non solum à diuinis omnibus legibus, sed à pontificijs etiam, papæ dispensationem excludent. quomodo igitur intelligenda sint hæc, & his similia, apposita his summæ authoritatis scholia seu glossæ vocari debent, exponunt, quorum summa est, ea dicta esse de ijs quæ pertinent ad fidem intelligenda. Nam Papam non modo contra apostolum dispensare, vt Martinum cum bigamo, sed etiam contra ipsius Christi præceptum, vt in iuramento Vrbanum cum quibusdam militibus, ac in voto Innocentium tertium cum clericis quibusdam, & item in euangelio dispensare interpretando ipsum, vt Alexandrum in numero testiũ. itaque verbum illud non potest, glossa interpretatur de facto, id est sine iusta causa: vt dubium non sit, illud quoq; Innocentij tertij negantis in in gradibus consanguinitatis diuina lege prohibitis dispensare posse, eodem modo esse accipiendum. nam & ipse sic est locutus, non potest nec solet, quasi exponens verbum potest. si enim simpliciter non potest quid oportuit addere non solet? ergo non potest sine iusta videlicet causa, sine qua in huiusmodi rebus dispensare non solet. Ac ne quis miretur, illud non potest, dictum esse pro eo, non facile potest, nec sine magna & periusta causa, nolo hic Aristotelem citare, qui non fieri posse ea quoque interdum dici tradit, quæ fieri quidem possunt, non tamen recte. Sed qui glossematis, quæ modo citauimus parum habet fidei, legat Hieronymi epistolam ad Eustochium, in qua sic scriptum est: *Audacter dicam, cum omnia possit Deus, suscitare virginem non potest post ruinam: valet quidem liberare de pœna, sed non valet coronare corruptam.* quo in loco, qui illud *non valet* simpliciter accipit, aut Hieronymum falsum facit, aut diuinam minuit potestatem. licet enim corruptis coronam virginum ne post pœnitentiam quidem tribuat Deus, quid tamen obstat, quominus si velit tribuere præter ipsarum merita possit? Quamobrem aliud glossema, non valere, id est non congruere potentiæ eius interpretatur. In supradictis ergo locis, & si quibus in alijs Papa in rerum agendarum legibus dispẽ-

25. q. 1 *sunt quidam.*

25. q. 1. *cõtra*

di. 24. I. q. 6. iuratos.

De vot. & vo. rede. non est & deinceps de tes. licet.

De restitutione spoliatorum. c. literas.

Meta. l. 5.

32. q. 5. *si Paulus.*

sare posse negatur, intelligendum est, nisi necessitas aut maxima commoditas adhortetur: talis deniq; subsit causa, vt sic fieri, quàm ex prescripto legis æquius esse recta ratio iudicaret. quod quia perquam raro accidit, raro licet in talibus legibus dispensare. siquidem pro conditione rerum & legis authoritate maior minorve causa subesse debet ad dispensandum. Quæ quanquam vera sint ac (vt spero) magnis rationibus à nobis confirmata, mihi tamen subuenerit in mentem venit, ne tetricorũ theologorum aliquis à nobis consilij nostri rationem paulò seuerius poscens, officium etiam requirat. quasi parum officiose agere videamur si cum grauissimi theologi hanc quæstionem sic tractauerint, vt quidã rem acutius perspicientes, suum iudicium dissimulasse, nec planè quid sentirent enunciandum duxisse videantur, ne si ad leges diuinas & naturales pontificijs dispensationibus aditum quamlibet angustum patefacerent, easdem prodere, ac licentiæ, quæ nonnunquam cum non paruo detrimento religionis vsurpatur, indulgere viderentur, nos eas quoq; sacrosanctas leges pontificiæ dispensationi obnoxias esse profiteamur, sed vtina tam facile esset, eos qui paruis occasionibus inuitati diligenter errãt, ab ea culpa per veram doctrinam reuocare, quam recte potest institutum nostrum, à tali criminatione & calumnia vendicari. Nos enim leges à natura profectas à Deoque latas, quæ res modo attingant hominibus agendas, pontificis dispensationem admittere posse docemus, sed ita docemus, vt clara voce profiteamur, dispensationem non esse, cui non suppetat ea causa, quæ faciat recta ratione dijudicante, vt commodius æquiusq; sit tali tempore, aut tali casu sic statui, quàm proscripto publicæ legis, quæ venerit in controuersiam, dispensationem nihil aliud appellantes, quàm prudentem ac religiosam & grauissimo consilio faciendam in causis extra ordinem incidentibus interpretationem. non in his tantum legibus, quæ ad sempiternas illas rataſq; naturę leges, de quibus suprà memorauimus, proximè accedunt (quanquam hæ quo sanctiores constantioresq; sunt, hoc rarius constantiusque sunt interpretandæ) sed in eis etiam, quæ longius ab eo velut fonte deriuatæ discessere, & sanctorum patrum conciliorumq; decretis sancitæ & confirmatæ sunt, nam quæ precibus, aut (quod longe turpius est) precio, breuiter alia ratione quàm exposuimus impetrata quæsitaue sit, hæc si verum quærimus quiduis potius aliud, quam dispensatio rectè nuncupabitur. nisi fortè ludere putamus Bernardum, à quo in eo libro, quem de cõsideratione ad Eugenium Papam misit, & alia præclare, & illud in primis scriptum est: *vbi necessitas vrget, excusabilis est dispensatio. vbi vtilitas prouocat, dispensatio laudabilis: vtilitas dico communis, non propria, nam cum nihil horum est, non planè fidelis dispensatio, sed crudelis dissipatio est. qui paulò ante dixerat præsis vt prosis præsis vt fidelis seruus, & prudens, quem constituit Deus super familiam suam, ad quid? vt des illis escam in tempore, hoc est, vt dispenses, non vt imperes.* quæ ne quis putet

Vide petr. de pal. l. 3. d. 40 Io de Turr. in summa de eccle. c. 107

de le-

de legibus tantum naturæ vel diuinis esse dicta, Damasi Papæ decretũ mente perpendat, cuius illa verba sunt: *Blasphemare* (inquit) *spiritum sanctum non incongruè videntur, qui sacros canones non necessitate compulsi, sed libenter aliquid, aut proterue agunt, aut lequi præsumunt, aut facere volentibus sponte consentiunt. talis enim præsumptio manifeste vnum genus est blasphemiarum in spiritum sanctum. Hæc igitur scelera vitare qui volet, velle autem cum omnes Christiani, tum ij maxime debebunt, quibus est commissa religionis moderatio, hic nobis authoribus nunquam arguetur, in eam licentiam, quæ iure vituperatur deflexisse, & munus sibi iniunctum à Deo, traditamq; potestatem sanctè ac religiosè moderabitur. At si quis non quod optimum factu sit quærat, sed studiosè captet occasiones errãdi, cuius erit æquitatis non potius eius perniciosam malitiam insectari, quàm nobis succensere, si quod verum credimus, non dissimulãter explicamus?* Sed quanquam ad omnem dispensationem necessitas vel vtilitas desideretur, vt ipsius definitio, quam explicuimus suprà declarat, non tamen vbique paria necessitatis commoditatisve momenta requiruntur: sed quo lex quæque plus habet rectitudinis & authoritatis, hoc maiorem causam in dispensatione requirit. quæ igitur leges neque natura iustæ sunt, nec instituto diuino, sed legislatoris voluntate, cuiusmodi est, ne fœminæ aliquod sacellum ingrediantur, & quæ huius generis sunt, has parua causa suppetente, aut etiam sola pontificis voluntate licebit dispensando relaxare, cum possint etiam sine mediocri vel morum vel religionis discrimine penitus abrogari. leges verò diuinæ longe his maiorem causam poscunt, naturales porrò his etiam vehementiorem, & quo propius ab illis primis principijs, de quibus suprà diximus absunt, hoc etiam efficaciorem. omnis enim lex naturæ est etiam diuina, non item omnis diuina naturalis est. quæ igitur simul naturæ lex est, simul authoritate diuina firmata, in hac sine summa & manifesta necessitatis aut commoditatis causa dispensatio non erit. quo enim pluribus maioribusque vinculis res quæq; constringitur, hoc plures maioresq; vires ad sui relaxationem requirit. Ac dispensatio quidẽ quid sit, & quam necessaria ad leges, quibus humana societas & religio conseruatur moderandas exposuimus. legum quoque genera, quæ & qualia habeantur, & quibus datum sit eas vel condere vel interpretari, aut in ipsis quoquo modo dispensare docuimus. ad hæc in legum quocunque genere dispensationem boni & æqui interpretationem esse declarauimus, quibus rebus in hunc modum constitutis constituta sunt omnia, in promptuque fuerit, omnes in hac quæstione difficultates expedire. redeamus igitur ad impedimenta matrimonij, & quatenus in singulis dispensationi locus sit consideremus.

25. q. 1. vide latores.

IOANNIS

IOANNIS GENESII SEPVLVEDAE CORDVBENSIS,

De ritu nuptiarum & dispensatione,

Liber Tertius.

PRIMVM impedimentū matrimonij vim & metum esse diximus, quibus libertas cōsentiendi submouetur, in quo dispēsationi pōtificis idcirco nullus est locꝰ, quia quod sua natura nullū est, id consistere nullius hominis decreto potest. liberū aūt consensum velut formam esse, atq; substantiam in contrahendo matrimonio, suo loco declarauimus. quæ ratio eadem est, eodemq; modo valet in secundo impedimento, quod in errore consistit personarum, quæ sunt quasi materia matrimonij, in qua qui errat, hūc nuptijs cōsensisse nemo prudēs affirmauerit. quòd si error in conditione fuerit, pro ingenua serua summissa vel existimata, matrimoniū quidē nō constabit, vt indicauimus: sed quia error est extra substantiā matrimonij, & hoc impedimentū iure pontificio dūtaxat est sancitū, idcirco potestatem pontificiā non excludit. Sacri ordinis initiatio vt obstaret matrimonio, iure pontificio inductū est. nam sacerdotib. nō erat negatū in pristino connubio permanere, vt ne nūc qui dē in Græcorū regionibus. Nec nunc quidquam magis obest nostris, quàm quæ ab ipsis in sui initiatione vtcunq; vouetur castitas. Nā votis stare lege diuina iubemur, & castitas pugnat cum liberorū procreatione, quæ summa cōmoditas est, & tanquā finis matrimonij. Ita neq; sacerdotib. neq; monachis, qui castitatē solēni voto sunt professi, absq; permagna causa dispensare licet. qualis ea fuit, quā quisquis ille fuit Papa secutus Ramiro regi Aragonū quinto, de quo est in ipsorū historia, qui monasticā sancti Benedicti religionē fuerat professus dispensatione permisit, vt regnū capesseret à fratre Petro sine legitimo successore relictū, vxoremq; sacerdos etiā ad liberos in successionē regni procreandos duceret, ne regnū ambitione principū nouis imperijs studentiū in magnas belli calamitates, ciuilesq; discordias incurreret. qualis itē causa fuit, vt Cælestinus tertius Constantiā Rogerij Neapolitani regis filiā à monasterio Pāhormitano post solēne votū eductā, Henrico sexto imperatori matrimonio collocaret. nec aliter statuere oportet de impedimēto religionis diuersę. nā & hoc iure diuino vetere, nō naturali olim nitebatur, nūc pon-

pontificio duntaxat quæ verò impedimenta in publicæ honestatis iustitia & consanguinitate spiritali, & ijs criminibus consistunt, quæ suprà memorauimus, ea quoniam iure pontificio inducta sunt, minus causæ requirere certum est.

Complures eodem tempore vxores habere, quanquam nullo vetere diuinarum legum scripto aperte prohibeatur, sed contrà constet ex historia sacra multis hoc viris sanctissimis quondã fuisse permissũ, nec vetetur iure naturali, quod proprie intelligitur, cum apud multas nationes id nunc passim vsurpetur: tamen quoniam lege euangelica interdictum est à Christo, idcirco in hac dispensatio non esset, quæ sine summa & vehementi causa fieret. denique quanta erat illa, propter quam Deus in magna fidelium aut omnino hominum paucitate binas, & ternas aut eo amplius vxores viris sanctis permittebat? Nam si bello, si quoúe alio malo necessitas eadem, aut similis rediret, *credo* (inquit Scotus) *Deus ecclesiæ reuelaret, vt hoc rursus dispẽsando permitteret.* rem scilicet videbat vir perspicacissimus, nec huic sententiæ refragabatur, sed quoniam res illi erat, cũ harum rerum auaris, parcius quidem est locutus. sed ita, vt aperte quid sentiret innueret. cuius enim prudentiæ fuerit negare, tali tempore ad permittendum id, quod in eisdem aut similibus rerum augustijs, Deum vt permississe constat, sic permissurum esse credi oportet vicario Dei potestatem abesse, cui ligandi & soluendi plenissima potestas data est, claueśque regni cælorum concesse? Neque enim si Innocentius tertius papa quibusdam à paganismo ad Christianam religionem conuersis cum quędam iure pontificio prohibita permisisset, complures vxores, quoniam iure diuino vetantur, non suppetente satis magna causa negauit, protinº ne in vrgentissima necessitate permittere posset, potestate priuatus videri debuit.

4 Sen. di. 33.

De diuor. ca. gaudemus.

Leges diuinæ consanguineorum inter se, vel affinium inter ipsos matrimonia prohibentes, cum res agendas atque hominum societatem attingant, non prorsus illæ quidem pontificis moderationem respuere vidẽtur, sed quoniam haud dubie iure diuino vetere cõtinentur, & sunt partim ipsi naturæ consentaneæ, sine summa causa dispensationem non paterentur, paterentur tamen fortassis, si summa necessitas postularet, qualis cum à Deo est in ipsis dispensatum. fac enim alluuione maxima, qualis Noe temporibus accidit, genus humanum præter fratres & sorores pontificis perijsse, negabisne tunc licere pontifici, vt matrimonium fratribus cum sororib. dispensando permitteret? ego verò haud scio an tũc vel patri cũ filia, vel quod grauius est filio cũ matre matrimoniũ permitti posset, si non aliter posset genus humanum reparari. At hoc malũ esset, & humanæ naturæ contrarium. malum quidem, si non esset illud multo peius, & naturæ perniciosius, totam ipsam naturam humanam perire pati, inciuiliores in eo rebus etiam inanimatis: ex quibus gra-

Huius sententiæ fuit Martinus de magistris, in que. de incestu.

ues, quarum est propria natura descendere ad vacuum replendum, a-scendere notamus, & suam obliuisci, vt communi naturæ seruiant. quod magno argumento est, bonum in rebus cunctis, quo magis pertinet ad summam Reipub. hoc longius vnius aut paucorum commoditatibus esse præferendum lege naturæ. Nam qui factum damnant filiarum Loth, quæ generis humani, quod perijsse putabant, reparandi gratia patris cõcubitus per eius ebrietatem quæsiuerunt, hi credulitatem primum leuitatemque ipsarum accusant, quòd paruæ regionis gente deleta, omnes homines se exceptis absumptos putauerint. deinde quia licet verum esset, quod putabant, tamen non inconsulto patre ipsoque Deo procedere debebant, quo naturæ simul & diuina lege vetabantur. cæterum quis neget Loth virum sanctissimum & prudentissimum in tantis angustijs generi humano pereunti, vtcunque dabatur consulturum, & vt liberos citra peccatum ex filiabus procrearet secum dispensaturum, id est non id contra, sed ad naturæ Deique legem fore interpretaturum? præsertim cum Ambrosium authorem habeamus, cuius ea verba sunt in libro de patriarchis. *denique & Loth sancti filiæ hanc causam quærendæ posteritatis habuerũt, ne genus deficeret humanum, & ideo publici muneris gratia priuatã culpã prætexuit.* Ita quod in hoc statu rerum vel appetere flagitiosissimum est, & contra naturam, id in tantis rerum difficultatibus honestum esset & naturale, si non propria priuataque, certe publica natura: vt grauia contra suam, sed ad communem naturam, quæ pluris est, ascendunt, vt mox diximus, nequid existat inane, quod respuit vniuersa natura.

Porrò si consanguinitatis impedimenta, quo minus obstent matrimonijs pontificia dispensatione remitti possunt, quanto magis huic locus erit in affinitate? quæ cum ex illa pariatur laxioribus haud dubie necessitudinis vinculis homines constringit. sed vt sunt consanguinitatis & affinitatis gradus lege olim diuina nunc pontificia matrimonium impedientes, quorũ alius alio maioribus viribus eidem obsistit, sic ad dispensandum alius alio maiorem causam requirit. sed primum illud cõstat, difficilius pari gradu in consanguinitate, quàm in affinitate dispensari: ob causam statim explicatam, deinde in recta linea, quam in obliqua. & in hac quo quisque gradus ad principiũ propius accedit. causarum porrò dispensandi, quæ maxima potest contingere, est humani generis in summa hominum paucitate reparatio, proximum locũ tenet religionis in magnis eius angustijs dilatatio, tum prout quæq; bonũ reip. magis attingit. primi generis causa fecit, vt fratribus suas sorores ducere licuerit: secũdi, vt singuli complures haberent vxores Iudaicis temporibus & ante. quæ duæ siue necessitates vrgentissimæ, quoniã post Christianorum memoriam nunquam aut ipsæ aut aliæ similes contigêre, ac ne vnquam contingant, faxit Deus optimus maximus, idcirco hactenus

Hæc est S. Th. sentẽ. li. 4. senten. di. 41. ar. 2.

nec in

nec in talibus consanguinitatis gradibus, nec in vxorum multitudine à pontificibus dispensatũ est, sed ne dispensari quidẽ potuit, nulla tali tãtaque causa suppetente. quo factum est, vt quidam pontificem nulla omnino ex causa in his posse dispensare falso putauerint. posset enim, si (quod abominor) in similes angustias genus humanum aut Christiani conijcerentur. hic enim non quid factum sit, fiatúe quærimus, sed omnino quid fieri possit in tam varia, tamque incõstante rerum humanarum natura, & tam plena vicarij Dei potestate. In affinitate vero, quæ non tã vehementem causam poscit, præsertim eorum, qui ex obliquo pari descensus gradu coniunguntur, dispensari potest etiam in primo gradu contra legis veteris diuinum præceptum, reip. causa poscente.

Nam cum de legibus complures vxores & consanguineorum matrimonia vetantibus inter iuris pontificij consultos sit nonnulla controuersia, de affinitatis, præsertim obliquæ, legibus magnus est omniũ propemodum consensus. qui enim seueriſſime põtificiæ potestati resistunt, quorum princeps est Speculator, cum omnia colligant, in quibus pontificiæ dispensationi locum esse negent, de affinitate nullam omnino mẽtionem faciunt. Sed theologus (inquis) eorum potissimum rationem authoritatemque sequeris, qui in studio iuris pontificij versantur: metui ne eorum diceres, qui argentariam faciunt. quasi verò non optime illi de sacramentis edisserant, aut de his theologus recte possit disputare, qui sanctorum patrum conciliorumq; decreta ex intima quidem theologia deprõpta, sed iam à iure pontificio petenda ignorauerit. nam doctrina quæ theologia dicitur, iurisque pontificij cognitio hanc inter se societatem habent, vt non natura seiunctæ, sed vi potius per hominum negligentiam diuulsæ videantur. quanquam ego hac in parte complures theologorum fautores habeo, in primisque totam Scoti familiam, quæ huic sententiæ suffragatur. sed licet apud me non tam illorum, horumúe, aut cuisque hominis authoritas, quàm (vt par est) rationum momenta à sacris literis, ipsaque natura ducta valent, tamen cum ad hæc doctissimorum quoque virorum authoritas accedit, liberius audeo sententiam meam explicare: in legibus ergo cuiusuis gradus affinium matrimonia prohibentibus, locum esse pontificiæ dispensationi, si modo adsit nec leuis, nec iniusta causa, hoc minus est dubitandum, quo magis congruunt non modo virorum doctissimorum testimonia, sed etiã exẽpla maiorum cum naturali eademq; legitima ratione supra à nobis accuratissime multisq; verbis explicata: quæ si vlla in alia veteris iuris diuini lege, in hac plurimum valere debet. cum affinitas saltem obliqua, lege tantum, non etiam natura impediat matrimonium, vt Iacob & duarum sororum, quas eodem tempore vxores habuit exemplo declarauimus.

Nam quæ fuerit abſque ſobole vidua relicta, hanc vxorẽ à fratre duci demortui mariti, tantum abeſt vt fuerit vnquã lege diuina vetitum, vt præceptũ etiã fuerit in vetere teſtamento, magna infamia propoſita, ſi quis minus huic præcepto diuino paruiſſet, quanquã enim in Leuitico fratris vxor duci diuinis illis verbis prohiberi videatur, *turpitudinem vxoris fratris tui non reuelabis*, lex tamen in hãc ſententiã eſt accipienda, vt viuente fratre nuptias eius, quæ ab ipſo Iudęorum more diuerterit, prohibitas eſſe intelligamus: vel etiã mortuo, eius ex qua liberos procreauerit. Alio enim loco quæ abſq; liberis vidua fuerit relicta, duci iubetur, & hoc lege poſterius ſcripta, ne quis forte calũnietur, præceptũ hoc lege illa fuiſſe reuocatũ, cũ longe aliter ſeſe res habeat, & lex illa hoc præcepto fuerit per exceptionẽ declarata. poſteriorib. n. legib. priores vel abrogari ſolẽt, vel declarari, nõ e contrario. hoc aũt præceptũ cũ habeatur in Deuteronomio, poſterius eſſe certũ eſt, niſi forte vim græci vocabuli neſcimus, & Deuteronomio ſignificari ſecundã legẽ ignoramus. Quanquã hoc ipſum præceptũ, ſi temporũ memoriã replicare libeat, multo etiam ante datã illã legẽ obſeruatum à pijs atq; ſanctis viris fuiſſe reperiemus. legimus enim in ſacrarũ literarũ monumẽtis mortuo Her primogenito Iudæ, præcepiſſe hunc Onæ filio alteri, vt Thamar, quam ille ſine liberis reliquerat aſſociaret ſibi, ſemenq; fratri ex ea ſuſcitaret. Vt credere fas ſit, inſtitutum hoc quod è longiſſima vetuſtate ante legem Leuiticã repetitũ, poſtea fuit in Deuteronomio ſcriptura confirmatũ, nullo non tẽpore ante legem euangelicã viguiſſe. Sed neque illum quem paulò antè expoſui Leuiticæ legis intellectum maxime proprium eſſe, ac interpretationem conuenientiſſimam volo nobis fidem adhiberi quantacunque ratione aſſeuerantib. niſi Auguſtinum, cui nemo poteſt cum pudore (ne dicam, ſine crimine) refragari, authorem habeamus, vtramq; legem his verbis, quæ ex ipſius ſuper Leuiticum commentarijs deſcripſimus interpretantem: *Si fratre* (inquit) *mortuo intellexerimus prohibitum eſſe ducere fratris vxorem, occurrit illud quod excitandi ſeminis cauſa, ſi ille ſine filijs defunctus eſſet, iubet ſcriptura eſſe faciendum, ac per hoc collata iſta prohibitione cum illa iuſſione, ne adinuicẽ aduerſẽtur intelligenda eſt exceptio: id eſt nõ licere cuiquam defuncti fratris ducere vxorẽ, ſi defunctus poſteros reliquit aut etiam illud eſſe prohibitum, ne liceret ducere fratris vxorem etiam ſi à fratre viuo per repudium receſſiſſet.* quo in loco quãquã ſuperuacaneũ fortaſſe videatur in re aperta teſtib. vti nõ neceſſarijs, citare tamẽ poſsẽ ſynagogæ Iudęorum teſtimonium, quæ præceptum illud hactenus obſeruat religioſe, vt nuper Romæ à Iudæorũ legis peritiſſimis perquirendo didicimus. qui hoc ipſo anno in eadẽ vrbe, teſtati ſunt vſu veniſſe, vt ipſorũ quidã dimiſſam à fratre ſine ſobole vxorem duceret, quod vtique ab ipſis non vſurparetur, ſi lex illa inter ipſos fuiſſet vnquam abrogata. nam qui legibus euangelicis, hanc dixerit eſſe ſublatã, is de ceteris omni-

Deut. 25. cap. 18.

Gen. 38.

461.

omnibus matrimonij legibus idem ſtatuat neceſſe eſt, de quibus vel abrogandis vel confirmandis nulla omninò mentio eſt in nouo teſtamento facta. Sed quamobrem (dicet aliquis) cùm cæteræ matrimonij leges hoc quoque tempore ſuam habeant vim, præceptum de vxore fratris, qui liberis orbus deceſſerit, ducenda Chriſtianis non obſeruatur? Ad hoc theologi alij aliter reſpondent. Scotus enim, vir acerrimo ingenio & idem doctiſſimus, eiuſque familia videntes has leges neque naturales eſſe, nec vnquam (vt prædiximus) à Chriſto aut Apoſtolis apertè cõfirmatas, eas nunc Eccleſiæ decreto vim habere, iureque pontificio initi aſſerunt, eoque referunt omnes leges conſanguineorum affinium matrimonia prohibentes, præterquam conſanguineorum deſcendentiũ duntaxat vel aſcendentiũ in linea: quippe qui iure naturę matrimonio coniungi nequeunt. Thomas autem non doctrina ſolum, ſed etiam ſanctitate vir clarus, quod pertinet ad præceptum de viduam à fratre ſine ſobole dimiſſam ducendo reſpondens ait: *Tunc* (inquit) *illud requirebatur, cum per carnis propagationem cultus religionis multiplicabatur, quod nunc locũ non habet.* quæ ſententia ſi vera eſt, Deique præceptum idcirco eſt ſeruari deſitum, quoniam ipſius potiſſima ratio iampridem abeſt: ſi qua nunc magna cauſa incidat, vt id ab aliquo ſeruari, melius commodiuſque ſit, quam ſecus, quis furor eſt per Deum immortalem, id permiſſum eſſe negare Dei vicario diſpenſante. nam ſi Scotum eiuſque familiares audiamus, res eſt in expedito, quoniã quæ leges iure pontificio nituntur, in his pontificis diſpenſationi locum eſſe non eſt controuerſia. Ad hæc accedit iure pontificio conſultorum ſententia ſupra nobis explicata, quorum quidam, qui nimis alioqui parcè de pontificia poteſtate iudicant, vt eam inquiunt vxorem quis ducat, quam eius frater abſque ſobole dimiſerit, pontifex diſpẽſare poteſt: nam tale matrimonium permiſſum erat iure diuino, ſed quid opus eſt, iuris interpretum teſtimonia colligere, cùm id ipſo iure pontificio & fieri poſſe & factum eſſe apertiſſimè doceamur? in quo pro lege receptum eſt Innocentij 3. decretum, qui Liuonienſibus quibuſdam, vt quas vxores ſine liberis à mortuis fratribus dimiſſas pagani duxerant, eas facti Chriſtiani retinerent diſpenſatione permiſit, ne tamen deinceps tales nuptiæ fierent, interdixit, quo intelligitur hoc, quod iure diuino licebat olim temporis cauſa, Chriſtianis temporibus vetitum eſſe, præterquam pontifice iuſta ex cauſa diſpenſante. Quo magis eſt conſilium eorum improbandum, qui nuper in hæc diſſerere cœperunt, vt Henrico Britannorum regi optimo & religioſiſſimo, ſcrupulum inijcerent, ne contra religionem facere videretur, ſi Catharinam reginam pudicitiæ rarum, ac omnis virtutis exemplum, quã à fratre arcturo dimiſſam duxit, retineret. quãquam ille moriens non modo ſine liberis ipſam, ſed etiam inuiolatam reliquiſſet. quod regina ſemper eſt profeſſa, & rex ipſe Henricus qui

4. ſen d. 40 & 41.

4. ſen. d. 41. ar. 2.

Antonius Roſſellus in lib. de poteſtate Papæ & imperatoris.

De diuor. ca. vltimo.

verum non potest ignorare, vt audio, non inficiatur. isti enim contendunt & iactãt, non fuisse pontificiæ potestatis in illis nuptijs dispẽsare. quasi verò quod Innocentio licuit, tota Ecclesia cõprobante, id fuerit Iulio põtificij negatũ, vtriq; iusta causa, & huic forsitan maiore suppetente. Ille nanq; vt Liuonienſiũ quidam, pauci videlicet (vt est probabile, rara est enim talium nuptiarũ occasio) ijdemq; obscuri homines, in Christianismo, ad quẽ conuersi fuerant, hac indulgentia confirmarentur, legem ad id temporis relaxauit, quo Christiana religio lõgè lateq; diffusa erat: hic autem, vt inter reges maximos & præpotentes beneuolentia confirmaretur, repetito affinitatis vinculo, quod vel sublatũ omninò, vel certe nimis erat remissum, nullis liberis ex priore affinitate quæsitis qui pignora essent communia firmioris necessitudinis, vtq; tolerẽtur causæ, quæ inter ipsorum Christiana regna mari terraq; aliquãdo magna bella concitarant. Quid igitur obfuit huc disputationi, quod si affuisset, merito erat approbandũ? in his licet citra controuersiam dispensare, quæ rõ sunt iure diuino, neq; naturali sancita, hic neutrum istorum obest. facilius in affinitatis, quã in consanguinitatis impedimẽto dispensatur: horum affinitas est, non consanguinitas: In causa principum clarorumq; virorum, quam si priuati sint aut obscuri: hi reges sunt magnorum regnorum, & regum filij, quiq; genus suum à regibus & imperatoribus, serie non interpellata longissimè repetunt. Iustæ causæ subesse debent & ad reip. bonum pertinentes: quę iustior esse potest, aut magis è rep. quam principum Christianorum concordia, & pax inter magna regna? si enim vt consanguineorum, sic affinium matrimonia, beneuolentiæ inter homines conciliandæ ac dilatandæ gratia (quemadmodum testatur Augustinus) legibus prohibentur, qua iustius quã amicitiæ & necessitudinis causa præter leges rep. poscente dispensando permitti possunt, cum vtroq; modo eadem commoditas contingat?

De diuor. ca. vltimo.

De ciuit. Dei lib. 15. c. 16.

Quòd si quis pertinaciter contendat legem fuisse diuinã, quæ in causa regia fuerit relaxata (quod tamẽ perperã dici suprà docuimus) haud equidem ponam in magno discrimine, modo constet id, quod est haud dubiè verum, non item esse naturalem. leges enim diuinas, quæ non etiam iure naturali nituntur, cerimoniales esse vel iudiciales, easdemq; à Christo per sacerdotij mutationẽ antiquatas abrogatasq; esse, cõsensus est theologorũ, ac iure pontificio peritorũ cõmunis, Hieronymo Augustinoq; authoribus, quo in genere leges omnes affinium, præsertim ex obliquo, matrimonia vetãtes haberi certum est. nec eis alio iure Christianos, quam pontificio cõstringi, vt dubitari nõ debeat, quin eas, qui relaxat, is Ecclesiæ decretum remittat, non legem diuinam, vel naturæ. quod si verũ est in cæteris, quanto in ea lege magis ita esse putari debet, quæ prohibet à fratre sine sobole relictam ducere? cuius nó modo nulla mentio facta est in Euangelio, sed oppositum in veteri iubebatur. nã si non

Hie. 2. li. cõtra Pelagi. Aug. vet. & no. test. q. 44

si non tantũ absq; sobole sit relicta, sed etiam incorrupta, iam hic quis neget, non tam affinitatem, quàm publicæ honestatis iustitiam iure dũtaxat pontificio inductam obesse videri? Qui eã igitur legitimam atque iustissimam, & nulla non parte probandam dispensationem infirmare, ac labefactare quærunt, hi si verum fateri licet, quid aliud dicẽdi sunt, quàm Christianis principibus concordiam, ipsi regi summam etiam gloriam inuidere, quam sibi nuper pepererat suscepta, & prudẽtissimè defensa publica religionis causa aduersus hæreticorum impietatẽ. Neque enim ignoramus, quas isti machinas admouerint, quod tempus obseruauerint, ad animum optimi & clarissimi regis oppugnandum: cui hoc vnum obijci posse videtur, quod istorum dolis ac pernicios is conatibus non satis pro maiestate regia, cæteraq; sua prudẽtia restiterit. quasi religionem ac pietatẽ, & non potius malitiam publicè Christianorũ quieti pernicios am sequebantur, cur inter initia nemo ipsorum acclamauit? cur tot annos passi sunt, mutua charitate, summa concordia religiosissimos coniuges permanere? & liberos ad regni succession ẽ & spẽ posteritatis quærere? An inter ignobiles obscuras que personas res acta illa est? aut ignorare quisquam potuit, Catharinam reginam clarissimorum Hispaniæ regum Fernandi ac Isabellæ filiam, quam rex Britannorũm Henricus duceret, nuptam fuisse earundem gentium regi Arcturo, qui sine liberis decessisset? præsertim cum eam causam, siquid habuit ambiguitatis frequentissimo doctissimorum virorum theologiæ iuris que pontificij cognitione præstantium conuentu Romę iussu pontificis agitatam, & accuratissime disputatam fuisse necesse sit. quibus consultoribus, vt in cæteris vel mediocribus causis, si quid modo dubitetur, facere solet, sic in hac regia causa pontifex maximus authore spiritu Sancto dispensauit. qui vbicunq; homines duo vel tres, nedũm complures in nomine eius cõgregantur, præsto adest. Sed cur isti monita sua tãdiu distulerint, modo quærebam: nunc illud mihi responderi velim, cur tempus obseruauerint, cum subortis quibusdam simultatum causis, regis animus in principes reginæ consanguineos esset exacerbatus. Ego igitur neminẽ damno, difficile est enim hominem mortalem de occultis hominũ consilijs iudicare: si quid tamen cõiectura valet; ista magna sunt argumenta animorũ, quos non ea cura sollicitat, ne quid contra religionem Christianam vel fiat, vel factũ inualescat, sed qui aliud nimirum agant, longè aliud moliantur: cuius si facti fuerint coimpotes, vix audeo dicere, quas turbas, quos tumultus inter principes Christianos sint concitaturi, quæ semina odij sempiterni inter magnos Christianorũ populos sparsuri. Ego verò, vt huic quæstioni finem aliquando faciam, cũ ad hæc maxima mala, si quid nouatum fuerit impendentia, temporis diuturnitatẽ, quo regina in matrimonio regis bona vtriusq; fide fuit, & liberos in eo quæsitos accedere videam, quæ ratio apud sapientes

Matth. 18.

Ex le. in prouincia de ritu nuptiarũ ff.

tes principes vel plurimum valere solet, illud ausim fortiter asseuerare, etiam si initio non satis magna causa fuisset pontifici, quam vel maximam fuisse probauimus, in hac regia causa dispensandi, nunc summam esse non solum ad matrimonium confirmandum, sed etim pœnis Ecclesiasticis, quæ maxime proponi solent, interdicendum, nequis amplius huius causæ agitatione, aut hac quæstione differenda publicam Christianorum pacem sollicitaret.

IOANNIS GENESII SEPVLVEDAE CORDVBENSIS,

De fato & libero arbitrio,

Libri tres.

AD REVERENDISSIMVM ET ILlustrissimum Principem Ioannem Toletum Episcopum Cordubensem.

LIBER PRIMVS.

QVANQVAM plena est mortalium vita plurimarum rerum ignorantia, ipsaq; philosophia complures habet quæstiones nondum satis explicatas, nullam tamen esse puto, quæ tum veterum, tum recentiorum ingenia æquè torserit, & tam miserabiliter exercuerit, ac quæstio de fato, & eo, quod est in nostra potestate, quod græci Τὸ ἐφ' ἡμῖν, nostrorum iuniores liberum arbitrium appellant. Nam licet nullam reperias aliam, quæ plus ad morum institutionem pertineat, quæve ad moderandam religionem sit magis necessaria, difficile tamẽ dictu est, quanta de ipsa fuerit tum doctorum, tum etiam indoctorum dissensio. Itaque non modo physici, qui dogmata sua rationibus à natura ductis, & consentienti sensu confirmant dignissimam putauerunt in qua vel in primis elaborarent, sed hi multo etiam magis, qui diuinas literas tractant, & ob eam rem theologi nuncupãtur. Sed cum multæ veterum philosophorum controuersiæ diuinis oraculis & Christianæ religionis beneficio

beneficio diremptæ fuissent, quid in quaque verissimum sit constituto, abunde doctissimorum & egregia pietate virorum consentiente decreto effectum esse videbatur, vt nemo iam magis posset de voluntate & arbitrij libertate, quàm de mundi primordio vel animorum immortalitate dubitare, nisi hoc temporis, *author omnis impietatis, & infamia nostri sæculi* Martinus Lutherus extitisset, qui dum è mentibus hominum religionem Christianam omnemq; Dei cultum nititur cunctis rationibus abolere, certissimam rem & principium tum philosophorum, tũ theologorum authoritate confirmatam in dubium reuocare tentaret, tanto studio & cõtentione, vt de seruo arbitrio librum, qui ipsa statim inscriptionis insolentia simul authoris temeritatem præferat, simul impiam arrogantiam, in Erasmum Roterodamum ediderit, cum hic de libero arbitrio librum docte & eleganter, ac perinde religiose conscripsisset, quo Lutheranum hunc errorem, ac potius fraudem & malitiolam impietatem scienter ille quidem & peracutè, sed iusto tamen modestius, ne dicam parcius & timidius insectatur. Qui si totam causam fuisset complexus, nec bonam partem intactam reliquisset, consuluisset vir eloquens & eruditus labori meo, meq; graui hoc scribendi munere liberasset. Nunc cum sententiam suam testimonio duntaxat sacrarum literarum confirmare contentus, dum satis religioni sic factum iri putaret, quid natura rerum humanaq; ratio poscat omiserit, officij esse duxi, quæ veniem cuius discrimine maxima & morum & religionis momenta versantur, paulò altius repetitam, latius etiam explicare, vt Lutherano furori, qui noua monstra nullo non tempore comminiscitur, nec cessat religioni pernitiosiores insidias machinari, hac in quæstione, quæ non minus philosophos, quam theologos attingit, cunctis rationibus, quantum studio & labore consequi possimus occurramus. Simul ne cum cætera eius impia & nefaria dogmata viri singulari tum doctrina, tum etiam grauitate multi singula libris editis cohibuerint, hoc quod non solum Christianæ religioni, sed omni diuino cultui, libertati hominum, cunctis legibus humanis iuxta & diuinis latenter insidiatur, campo liberiore debacchetur, si minus multorum testimonio, & scriptis refellatur. Quod opus, vt ad te Ioannes Tolete mitterem, me complures eædemq; iustissimæ causæ compulerunt: primum quia fas est me Cordubæ vrbis alumnum tibi pontifici Cordubensi, vt cæterarum frugum, sic huius generis lucubrationum primitias libare, deinde quoniam cum tu philosophiæ ac theologiæ studio non sine tua magna laude fueris à pueritia deditus, tibi potissimum, qui hanc quæstionem sumptam ex media vtraque philosophia optimè valebis dijudicare, huiusmodi munusculum conuenire videbatur. tum quia idem in priuatarum publicarumq; rerum administratione, perinde ac in omni virtute, pietateque, & religione colenda te ita geris, vt more tuæ clarissimæ

familiæ non vi fati, sed prudentia, industria, studioque rerum honestarum, sic videlicet Deo naturaque volente res humanas rectè & pulchrè administrari & putes, & doceas, magnumque testimonium dicas aduersus fatalem necessitatem. Sed antequam de ijs rebus dico, quæ propriæ causæ huius esse videntur, non erit alienum, qui fons tantorum malorum, & quasi caput extiterit aperire, & de moribus & flagitiosis artibus Lutheri pauca breuiter commemorare. vt à quibus initijs profecta nefaria sceleratissimi hominis molitio vires paulatim sumendo processerit, intelligatur. Quo in loco illud pro comperto dicere audeo & constanter affirmare, quod mirum cuipiam fortasse videbitur, studium eloquentiæ humaniorumque literarum Germanis hanc perniciosissimam pestem inuexisse. Quod ipsum Alberto Pio principi Carpensi placere in primis animaduerti, cui viro, si mihi credes, neminem huius ætatis non dico principum, sed hominum, vel diuinæ & humanæ philosophiæ cognitione, vel omnis humanitatis prudentia, & vsu plurimarum rerum antepones. Quamdiu enim Germania more patrio grauioribus disciplinis intenta, rebus rerumq; solidæ cognitioni, non verborum inani garrulitati, ac sermonis lenocinijs studebat, proueniebant in ea acutissimi mathematici, perspicaces philosophi, theologi grauissimi, honestissimi, religiosissimi. vt non modo vana doctrina, sed etiam optimis morib. ac exẽplis ad homines instituendos, & vera religione imbuendos essent instructi. Postea verò quam his optimis disciplinis relictis ceptum est à leuiculis quibusdam hominibus Latini Græcique sermonis cognitioni, ac dicendi facultati accuratius indulgeri, prouenere malo prauoque ingenio quidam, qui maledicorum impiorumque scriptorum commercio facile omnem impietatem caninamque maledicentiam imbiberent, seque ad morum pessima quæque vitia multo etiam magis, quàm ad eloquentiæ virtutes dociles exhiberent. Itaq; nõ hominum tantum, sed etiam Dei contemptores effecti, quantulamcunque dicendi facultatem comparauerant, hac ad omnem religionem tollendam abuti cœperunt, quorum partim iactatæ voces, partim scripta sic Germaniæ iuuentuti latitans venenum infundebant, vt paulatim corruptos animos, ad scelus impietatis concipiendum commodissimè præparauerint. Atque hoc quidem caput fuit, hæc origo cæterorum malorum: scelus videlicet & arrogantia impiorum quorundam, & audacissimorum hominum, quos non mediocris eloquentiæ ac eruditionis opinio Germanæ iuuentuti cõmendarat. Hinc enim Luthero nouarum rerum occasiones studiosè, ac cupidissime captanti, data facultas est ad omnes dolos fraudesque secundo successu connectendas. Vt merito fuerit à prudentissimis viris dubitatum, boni ne, an mali plus hominibus attulerit vis eloquentiæ. Vt enim animali testẽ Aristotele pernicioſissimus est homo, si iustitia vacet, propterea quòd ratione omnibus armis, si

armis,si fuerit hac virtute destituta, ad nocendum accommodatiore, solus est præditus:sic hominum eos constat, esse nocentissimos, quibus data est eloquentia,si hac in peiorem partem abutantur.Nimirum quoniam facultatum,quæ à ratione proficiscuntur, hæc ad hominum animos tractandos, & quocunque libeat vt in optimam, sic in pessimam partem impellendos plurimum potest.At cum florentes Respub. maximasque ciuitates sæpè eloquentium, sed improborum hominum facundia corruisse constet,& harum rerum exempla passim, si quis memoriam temporum replicauerit,occurrant,nescio tamen, an vllum sit quod cum hac pernicie, & Germanica calamitate comparatum non leuissimum esse videatur.Illud est igitur etiam atque etiam dolendum, Germanis eloquentiam post longum tempus in suam regionem per tam importuna atque leuia ingenia penetrasse, quibus longe optabilius,commodiusque fuisset,ingenuas artes more maiorum, rudi ac simplici sermone tractare, quàm sibi cum tanta pernicie omnia omnium Latinorum Græcorumq; ornamenta operisse. Ab his enim velut malorum satoribus venenata semina partim scelere, partim leuitate,ac imprudentia iactata,cum ea Lutheranus animus, quasi pestilens ager excepisset,tam mortiferas herbas, tamque venenosos serpentes,quàm videmus procrearũt.Martinus enim Lutherus homo natus ad seditionẽ, naturaq; impius & factiosus,cum videret Germanam iuuentutem sic ad impietatem imbuendam præparatam, nõ putauit tam præsentẽ occasionem sibi esse prætermittẽdam. Hanc vnam viam commodissimam esse ratus,qua se ex arctiore, & monastica vita, cui se initio nullo sano consilio,nulla religione ductus,sed partim leuitate,partim dum vitam sequitur otiosam & rebus fultam necessarijs addixerat, velut ex molestissima seruitute in laxiorem nequitiæ campum, & omnis luxuriæ licentiam vendicaret. si qua ratione posset per falsam religionis speciem,veram religionem euertere, & prætextu pietatis sanctissima quæque Christianorum instituta labefactare. Itaque homo versutus,& callidus,& ad dolos connectendos mirus artifex, non putauit è re fore,primo congressu ipsam velut arcem religionis inuadere. Sed ex quibusdam rebus,quæ tenuiores esse,minusque præsidij habere viderẽtur,paulatim ad summa procedere.

Sumpta igitur occasione ex quorundam circulatorum sordibus, qui tunc forte indulgentias nuncupatas, à pontifice maximo iustissimis de causis concedi solitas,velut merces quasdam importunè venditantes, magnam in se plebis inuidiam concitarant, cepit in potestatem Papæ impudentissimè disputare, affirmans Papæ nullam esse potestatem, nullum ius in eorum animas,qui cum morte iam vitam commutassent. qua re cum indulgẽtiarum illarum authoritas plurimum imminueretur,

tur, facile fuit concitato vulgo, & miniſtrorum auaritiam pertæſo mẽdacium falsa veritatis ſpecie prætextum probare. Tali porrò artificio illius populi patientia tentata, cum res ad votum ſucceſſiſſet, timidi eſſe putauit, tam fœlices ſucceſſus non vrgere, & ad omnem Pontificis maximi anthoritatem infringendam nõ gnauiter procedere. Ergo quaſi ſumma pontificia poteſtas abſque ſumma ſanctitate, perfectiſſimiſq; moribus nullo tempore poſſit conſiſtere, huc cœpit omnes loquacitatis neruos contendere, vt in maximorum pontificum & cardinalium vitam, quàm maxime poſſet inuidiam concitaret. Neq; enim abhorret ab artificioſa dicendi procacitate: qua fretus ſæpe bonorum alioquin hominum eorundemque doctiſſimorum rudiorem orationem contempſit, ſæpe imperitorum mentes eluſit, atque doloſis mendacijs faſcinauit. Pergit igitur ſummi pontificis & antiſtitum Romanorum mores iam ſcommatis, & dicterijs ex intima comicorum, epigrammatariorumq; officina depromptis vellicare, modo tetricis verbis, & grauibus ſententijs acrius inceſſere: luxum ipſorum, inuidioſas opes, habendi regnandique cupiditatem per callidum artificium exaggerans. Qua in re facile fuit homini maledico, & dicendi artibus inſtructo ſibi audientiam facere. Non ſolum quia primores vulgo & tenuioribus odio eſſe ſolent, ſed etiam quia fit neſcio quo pacto, vt homines cum bonorum laudationes iniquis auribus accipiant, aliorum vituperijs maximè delectentur. Credo quoniam multi aliorum virtutibus laudandis ſua ſibi vitia exprobrari putant. qui ſi de vitijs commemores gaudent, quaſi eis quos vituperas, ipſi iudicio tuo præferantur. Quam criminationem hoc ſuſcepit audacius, quia multos applauſores præſto fore ſciebat ex grege illo ſtudioſorum eloquentiæ, de quo ſupra mentionem feci. Eos præſertim, qui cum Romam aliquando non religionis cauſa, ſed ſacerdotiorum cupiditate confluxiſſent, re parum fœliciter geſta, in Germaniam remigrarant, ignauiæ ineptitudiniſque ſuæ culpam ad pontificum cardinaliumque ſiniſtros mores transferentes, iactanteſque Romæ, neque honeſtis artibus locum eſſe, neque ingenuis diſciplinis. quos non pudet apertiſſimo mendacio ſui ſibique ſimilium exemplo fidem facere tentare. Vbi enim virtutis omnis, atque doctrinæ plebiorem mercedem maioraque præmia, quàm Romæ licet ſperare? Vti quotidie probitas, atque egregia doctrina plures, quàm in reliquo terrarum orbe, ex infimo gradu ad magna faſtigia rerum extollit? Neque enim ſi Romæ fortunæ temeritate & diuerſis artibus magis, quàm virtutum meritis quidam interdum efferuntur, protinus frigere virtus, & ſuis præmijs fraudari cenſenda eſt: cui maior ibi, certiorque merces prope ſemper parata fuit. Cæterùm Roma doctrinam egregiam recto iudicio metitur, non vana quorundam perſuaſione, qui cũ paulò vltra primas literas proceſſere, ſibi (ſed ſolis plerunque)

runque)magnopere placent, ac doctissimi esse videntur, & in magnis viris numerandi. cum ipsis vel doctiorum ignota turba nullus propemodum in vrbe vicus non scateat. Adde quòd doctrina per se quamlibet excellens, nullis aliarum virtutum adminiculis fulta, infirma res est, nec digna vllis sæculis magno aliquo honore existimata. In quibusdã enim partim prauis moribus, partim imprudentia, & ineptitudine, tam funditus obruitur, vt lumen eius nusquam appareat. Isti tamẽ cum se digna patiantur, pontificum, & cardinalium iniquitatem, & non suam (vt par esset) ignauiam, & turpitudinem accusant. Nam qui ad non vulgarem eruditionem prudentiam, & mores humaniores, atque vitæ honestatem adiunxerint, hos si non cunctos, certe multos Romana liberalitas sine nationum discrimine complectitur, fouet, & exornat. In illorum igitur hominum importunitate cum magnum sibi præsidium paratũ esse Martinus intelligeret, criminationem vrgebat confidentius. Quam causam cum homo scilicet innocentissimus, & ab omni suspicione criminis alienus cum magno vulgi ac imperitorum assensu, & istorum applausu peroraſſet, parũ negotij sibi supereſſe putauit ad potestatẽ authoritatẽque Papæ funditus euertendam. qua sublata, ius pontificium, & ab ipso profectas leges sanctissimaque instituta corruere intelligebat. quibus dissolutis necesse esset, non solum vincula relaxari, quibus monachorum cuiusque ordinis, vota atque vitæ institutiones astringuntur, quod ipse primum petebat, sed omnium Christianorum mentes in magnis multisque religionis erroribus versari. Quod si opera ipsius accidisset, in tanta rerum perturbatione sibi ad maiora molienda neque authoritatem, neque occasiones defuturum.

Quo in loco nollem quisquam sic orationem meam interpretetur, quasi studiose nitar istius reprehensionibus, si quæ à vero non prorsus abhorrent obsistere, vt à quopiam per talem indulgentiam, maiorem aliquam gratiam incamus. Quid enim magis ab institutis meis abhorret, quàm vt vitiorũ pati ocinio cuiuspiam gratiam turpiter captare sustineam? Non sum tam paruo, tamque deiecto animo, per me verò qui Romanæ ecclesiæ (vt fas est) maiestatem semper sum religiose veneratus, non modo cõniuentem, sed etiam approbantem satyras quamlibet longas conficiat, & prauos sacerdotum Romanorum mores insectetur licebit. Quis enim me vel liberius, vel libentius solet hoc munus vsurpare? Sed illud maledici est, & aliud quàm peccatorum correctionem molientis, quorundam criminibus vitam omniũ condemnare. Multos enim habet, semperque habuit ecclesia Romana Cardinales Pontificesq; Maxi. religiosissimos, sapientissimos, ac omnis virtutis colentissimos, quos enumerare longum esset: ac præsentes nominatim referre, partim inuidiosum, partim nomine captatæ gratiæ suspectum. Sunt & alij probabiles quidem, nec ab officijs cultuque virtutum auersi, sed qui rerum

humanarum cupiditatibus minus interdum reluctentur. Quorum mediocritatem si Martinus Lutherus, vir summus, ferre non potest, reddat nobis aurea sæcula, quæ (si poetis credimus) innocentissimos mortales, ad summam vsque senectam, ac ipsam mortem perducebat, nullis huiusmodi cupiditatibus sollicitatos, aut aliud genus hominum è lapidibus instar Deucalionis exsuscitet, qui talibus affectibus non tangantur. Nunc enim ea tempora successerunt, vt præclare iampridem cum hominibus actum esse videatur, qui paruis criminibus vrgeantur.

Nam cum ex hominibus Pontifices Maximi atque Cardinales cooptentur, hominum mores prius emendare debet, qui paratus est in his perfectissimos mores postulare. Nisi forte velit (vt est apud Matthæum) vel de spinis vuas, vel ficus de tribulis colligere. Quæ ne tacitus meam constantiam requiras, à me non idcirco dicuntur, vt dissolutorum, si qui sint, turpitudo oratione mea subleuetur. Tales enim sanctissimo illo collegio indignissimos esse dico, nec verbis solum castigandos, verum acrius etiam puniendos. Sed vt desinat Martinus aliquando omnes Romanos sacerdotes ad veterem disciplinam, quæ multum iampridem ex mortalium mentibus aboleuit, atque Petri sanctitatem innocentiamque tam imperioso supercilio tamque seuere reuocare. Quod quanquam optimum esset, cunctisque votis expetendum, boni tamen consulendum est, si in tanta hominum peruersitate sacerdotes quosdam probos sanctosque, nonnullos nec impios nec ab honestate, & virtutib. abhorrentes habeamus. Sed Martinus Lutherus, vir scilicet integerrimus, sanctissimus, & ab omni etiam suspicione criminis alienus, sacerdotem, qui non sit omnibus virtutum numeris absolutus, ferre non potest, morositate planè Rosciana. Roscium enim pantomimum dicere solitum accepimus, nunquam se discipulum, quem quidem probaret inuenisse, non quod non essent quidam probabiles, sed quoniam si quid modo vitij esset, ferre ipse non posset. Quanquam proh Dei atque hominum fidem, quæ est ista tam insignis impudentia, & peruersa hominis inconstantia, vt qui tam morosus est in Romanorum moribus castigandis, vt ne mediocritatem quidem ferat, & minimis quibusque labibus offendatur, idem perditorum hominum commercio maxime delectetur, & horum consuetudine gaudeat? Quis enim Martino familiaris est, quis dogmata eius amplectitur, fouet, voce ac stylo dilatat, præter homines dissolutos, factiosos, & scelerum conscientia profligatos? Vt enim quondam Catilina patriæ tyrannidem affectante, scelerati omnes, & qui republica, legibusque stantibus saluti suæ diffidebant, ad illius amicitiam cupidissime conuolabant, & ad Mahumetem peccandi licentia homines allicientem cuncti eius ætatis hæretici, cuncti ecclesiæ catholicæ hostes, cuncti luxuriosi & dissoluti confugiebant,

bant, sic nunc quo quisque salua ecclesia catholica, & præsenti rerum statu, vel pœnam criminum effugere, vel suarum libidinũ cupiditatumque compos fieri minus sperat, hoc cupidius iurat in verba fraudesque Lutheranas, eiusque partibus non præsentia solum, & applausu, sed oratione, & scriptis opitulatur. De ijs enim loquor qui in studio literarum versati, sibi & vulgo imperitorum aliquid esse videntur & ea opinione intumescentes indignatique (vt dixi) quòd vltro à pontificibus ad magna sacerdotia non vocentur inanem garrulitatem, quam solam studijs compararunt, arrogantissime in ecclesiæ contumeliam effutiunt, seque in Lutheranis non è grege quosdam, sed anteſignanos, signiferosque, & esse & haberi percupiunt, sperantes si coniuratio Lutherana processerit, magnum aliquid se in noua & præclara republica futuros. Quorum principatum affectasse constat Vlricum Huttenum audacia furentem hominem, & alendis factionibus accommodatissimum: qui cum cæteris flagitijs homicidium ad thermas Viterbien. addidisset, Italicis finibus excedere, ac in Germaniam confugere coactus quasi non scelerum suorum pœnam euitans, sed mores sacerdotum Romanorum pertæsus aufugisset, ad partes Martini Lutheri, cum primum licuit aduolauit, à quo summa cum lætitia exceptus, (neque enim turbulentissimi hominis ingenium Martinus ignorabat) & cepti facinoris curam habere iussus, se tam gnauiter ac strenue gerebat, vt nemo vehementius in Pontifices Maximos, & Cardinales inueheretur, nemo in ecclesiam Romanam furiosius debaccharetur, nemo Lutheranas partes tueretur pertinacius. Prorsus vt quorundam inconstantiam scripto etiam lacessiuerit, quòd à Lutheranis dogmatis, quibus antefauisse viderentur, desciuissent.

Quod si Martinus in omnes pariter sacerdotes præsulesque Hispanos, Gallos, Germanos, atque Italos inueheretur, qui omnes sunt propemodum in eadem causa, cunctorumque communiter vitam acrius etiam & vehementius, quàm pro merito laceraret, concedendum esset hominis indignationi, qui turpitudinis, ac peccatorum odio paulò liberius indulsisse videri posset. Nunc cum Romanorum duntaxat moribus offendatur, hos ferre nequeat, hos minime ferendos appellitet, quid captet, quid moliatur, cui rei tendat insidias, ne patitur quidẽ nos dubitare. Non odit prauos mores Lutherus, qui ipse mortalium omniũ est flagitiosissimus, non ducitur religione, quẽ sanctissime iurarẽ, non magis Deum esse credere, aut non aliter, quàm Diagoram vel Epicurũ, quẽ debeat extimescere, ne vindex adsit aliquando, tanti sui sceleris ac impietatis, sed opibus, auctoritati, imperioq; potentiorum inuidet. His vt par fiat, vel superior, si fieri possit, elaborat, hoc agit, hoc machinatur. Quo vna duntaxat via ingredi sibi posse videtur, si auctoritas ecclesiæ Ro-

manæ

manæ ſuis fraudibus fuerit abrogata. Ad quod facinus perficiendum, cũ omnium in florentiſſima quaque repub. turbulentorum ciuium artes, ac inſidias, ex veterum monumentis conquiſiſſet, & multis ſæpe ſeruitia ſpe libertatis, atque prædę concitata magno fuiſſe vſui ad ſeditiones cõcitandas reperiſſet, vtiliſſimum videlicet exemplum, quatenus licuit imitatus, vt illi ſeruos, ſic ipſe plebem, operaſque Germaniæ cœpit ſpecie religionis ad libertatẽ vocare, aduerſus antiſtites, & principes: quorum opes, conatibus ſuis, & quam moliebatur tyrannidi, obeſſe poſſe intelligebat, atque eos in primis afferere, quibus, monachorum religio, cui ſe aliquando conſecraſſent grauis eſſet atque moleſta, ſanctiorẽ vitam, turpem ſeruitutem appellans, ipſaque monaſteria, hoc eſt ſacra, & ſanctiſſima loca, non aliter, quàm proſtibula, & lupanaria vocans. Non ſolum vt multorum ſcelere ſuæ apoſtaſis ac defectionis flagitium vt leuius videretur efficeret, neque enim ignorabat, eam conditionem peſſimum quenque monachorum accepturum, ſed etiam vt ex tam egregia futura Phalãge facultas eſſet Primipilos, & Anteſignanos educere: quos cæteris tardioris, ineptioriſque turbæ cohortibus, legionibuſque præficeret. Quę vox cum latius per Germaniam emanaſſet, ſcelerati omnes, omnes damnati legibus, ſeditioſi, turbulenti, nouarum rerũ ſtudio ſi vndique certatim accurrerunt. Qui hominem cupidiſſime complectentes, & adorantes, vt pergeret audãter, currentem adhortarentur, ac religioſum eius animum, ſanctimoniamque apud vulgus miris laudibus efferẽtes, à cœlo demiſſum eſſe Lutherum clamitarent vindicem tenuiorum aduerſus grauem Pontificum Romanorum, atque principum tyrannidem, & impotentiam. Omnes enim principes vno excepto (quem maxime videlicet metuebant) tyrannos eſſe confirmabant. Vnde quanta ſeditio exorta ſit in Germania, quanta calamitas, quot vrbium direptiones, quot cædes, quot ſtrages conſecutæ, quis valeat ſine magno dolore commemorare?

Ad hunc ergo modum, ſumptis ſpiritibus, & maiore auctoritate Lutherus, cum nouam tyrannidem, quam ſibi prætextu religionis pepererat, eo fore firmiorem exiſtimaret, quo plurium ipſe rerum auctor fuiſſe videretur, & ſtatim religionem Chriſtianam aperto conflictu totam demoliri difficile factu reputaret, nouam rationem commentus eſt ad eam paulatim, ſed funditus euertendam, vt omnes Eccleſiaſticas cerimonias è medio tolleret, omnia ſacrificia commutaret, peccatorum cõfeſſionem aboleret, omnes maiorum mores atque inſtituta conciliorũ ſanctorumque patrum antiquaret. Itaque tot ſceleribus patratis tot fabricatis dolis, cum præclaræ tyrannidi ſuæ fundamenta ieciſſe arbitraretur, omnia monachorum monacharumque cœnobia demoliri, nullum ia[illegible] imperium recuſantibus imperat. Et cum vtrumque ſexum ab omni votorum, & ſanctarum inſtitutionum vinculo ſolutum eſſe iuſſiſſet, con-

set, contrahendi matrimonium facultate permissa. nec enim dubitauit, nefarium incestum sancto nomine, vt cætera flagitia solet appellare: ipse sibi pulcherrimam adolescentulam ex sacris virginibus, si tamen virgo erat, & non ab ipso iã ante quatuor annos, vt quosdam Germanos dicere audio, polluta, sanctissimo cõnubio copulauit. Et miror si non est vsus Christi verbis ex euangelio, quod toties impio ore contaminat, exemplũ meũ do vobis, & quæ sequuntur. Quo in loco profiteor me Martini imprudentiã etiã atq; etiã demirari, & in Luthero Lutherũ magnopere requirere: de cuius moribus, & animo quid sentirẽ satis supra, nec aliter, quã res habet explicaui. hominẽ esse factiosum, audacissimũ, rerũ nouarum cupidissimum, natura impiũ, & intemperantem: sic tamen sẽper de ipsius ingenio existimaueram, vt ei magnum acumen, astutiam singularem, calliditatem egregiam attribuerem. Ita cum eius insidias, atque fraudes probe nouissem, subuerebar tamen, ne versutus homo, vt dolos, sic mores turpissimos diligenter occultans, honestatis specie, nõ modo religionis, parũ perspicacibus imponeret. Nunc ipsum video nõ solum esse sceleratum & impiũ, sed plane bardũ, ac stultissimũ. Nã te hoc in loco, te inquã interrogo Martine, es ne adeo mentis inops, tanta scabie libidinis obcæcatus, vt te non videas, vel hoc vno facto, tuas artes, tuasque insidias prodidisse? & quod nihil aliud, nisi peccandi licentiam, & luxuriosam tyrannidem, per tot fraudes affectaueris declarasse? Salax vetule & cunctis scortatoribus impurior. Qui si omnes bonarum sectarum auctores nõ dissimulanter odisti, ipsum saltem Epicurum, cuius dogmata incertũ doctrina, an moribus magis referre gaudes, fuisses imitatus. Qui cũ voluptatem cunctis rebus anteferret, ipse tamen à voluptatibus abstinebat. Aut si fructu, quem tantis laboribus petieras, æquo animo carere non poteras, secretis saltẽ, & domesticis libidinib. fuisses cõtentus, & quas posses verbotenus inficiari. Neque vero solum mores, & instituta maiorum Lutherus arrogantissime contemnit, sed præter vet⁹ & nouum testamentum, quicquid viri sanctissimi, doctrina, & auctoritate præstantes, quod literas sacras seu religionẽ attingat, conscripserint, meras nugas, atq; ineptias esse cõtendit. Nõ ignarus, videlicet, salua horũ auctoritate, dogmata sua nefaria, grauissimis testimonijs, scriptisque prudentissimis in prõptu esse refutari. Sed cũ voce diuinas literas se tueri profiteatur, tã falsis interpretationib. ipsas contaminat, vt si fidẽ illis simpliciter derogasset, multo minus fuerit pijs mortalib. nociturus. Nũc enim sacrarũ literarũ peruerse interpretata verba, nouis monstris, quæ nullo tẽpore cessat parturire prætendens, facilius animos imperitorum eludit, & securos interdũ ad omnis impietatis præcipitiũ inducit, quod mea quidẽ sententia, nulla re alia manifestius apertiusq; tentauit efficere, qua illo impudentissimo libello & omniũ maxime pernicioso, quem proxime de seruo arbitrio inscriptum emisit. Nam cum cæteris dogma-

tis Christianam religionem per partes adortus, velut machinis impugnauerit, hoc vno de arbitrij seruitute, & omnium rerum, atque actionum necessitate, omni prorsus religioni diuinoque cultui bellum mihi videtur indixisse; vt iam quoniam Lutheranas insidias satis quodam velut præludio videmur aperuisse, in quo me partim miseratio quorundam cæcitatis, partim iustissima tanti sceleris indignatio longius prouexit, quàm putaram, ad propositam, de fato & libero arbitrio quæstionem veniamus. Quam sic ego tractare constitui, vt non solum quid ratio Christianæ religionis poscat explicetur, sed etiam vt remota religione, veterum philosophorum argumenta quantum valeãt intelligatur. Quod neque ab re, nec preter causæ necessitatem mihi videor esse facturus, tum quoniam qui fati necessitatem inducunt, ijs consentaneum est, vt tollant omnem religionem: tum etiam, quia nonnullos videas tam præposterè in studio literarum ambitiosos, vt in philosophia, mathematicisque disciplinis eo se doctiores esse intelligi velint, quo minus scripturæ sacræ testimonijs moueantur. Quorum cum quidam hoc Lutheri mendacium, quasi naturæ, astrorumque rationi consentaneum per summam stultitiam tueantur, sic cum vtrisque agendum esse videtur, vt etiam si religionis auctoritatem aspernentur, manifestis tamen, & à natura ductis argumentis, ipsorum error conuincatur, & hos appareat qua in re philosophiæ doctiores haberi cupiunt, in ea maxime prodere suam ignorantiam, & quantum à philosophiæ institutis abhorreant demonstrare. Neq; enim hæc proprie in Lutherum scribimus, cuius furor, & pertinacia eò processit, vt sit sanitas desperanda: sed cõmuniter in omnes, qui volũt quacũq; ratione, sententiam olim damnatam reuocare.

Arist. sequitur et Alex. Aphro.

Qua in parte, Aristotelem sequemur, eiusq; diligentissimum, & grauissimũ interpretẽ Aphrodisiensem Alexandrum, Græcos philosophos, & in eruenda ex naturæ abditis veritate, & arcanis eius perscrutãdis, vt est captus hominũ, perspicaciſſimos. Nõ quidẽ vt interpretes, sed vt illorum ex fontibus haurientes, nostrum & iudicium, & ordinem, exemplo doctissimorum hominum adhibeamus. Sic enim fiet vt Lutherimenti impietate ac flagitijs obcæcatæ nihilominus, quam verborum captionibus occurratur. Errat enim si quis Luthẽrum sacrarum literarum testimonijs perperam intellectis, in hunc errorem putat incidisse qui, moriar, si non tacitus eodem loco habet vtrumque testamentum, quo decreta conciliorum, sanctorumque patrum, quæ meras esse nugas profitetur. Sed cum priscorum quorundam philosophorum auctoritatem, & momenta rationum secutus, ratum haberet quicquid ab illis de rerum necessitate fuisset iudicatum, ne tamen à specie religionis prætenta suis fraudibus discederet, artificiosum consilium iniuit, vt ad tollendã religionem, religionis potissimũ scripturis abuteretur. Qui certũ habet, futiles & cõmentitias eorum esse opiniones, qui prouidentia

Qua ratione ductus Luth. fati necessit. asserit.

dentia,& consilio,& non potius fatali necessitate res humanas administrari existimarent, nec vllam vim diuinã prẽter legem naturalẽ agnoscit. Non ignarus videlicet, si hoc semel hominibus persuaserit, omnem religionem, quam pio Dei cultu contineri certum est, funditus esse perituram. Quis enim votis, quis precibus, quis sacrificijs locus relinquitur, si homines cuncta ineuitabili necessitate, nihilo secius futura esse crediderint? vt accuratius suo loco differemus.

Neq; vero mirũ, aut præter hominũ cõsuetudinẽ cuipiã videri debet, Martinũ Lutherũ, tot patratis sceleribus, in hanc sententiã sibi & humano generi pernicioſissimã processisse. Hoc enim ferè ab hominibus scelerum conscientia profligatis videmus factitari, vt postquam in profundũ peccatorũ deiecti, ceperint saluti suæ desperare: & regressum ad sanitatem, sine ingentibus laboribus sibi negatum viderint: in solatium tantæ calamitatis prauis opinionibus pernicioſa remedia quærant. Videas igitur alios cum luxu atque turpitudine, viribus corporis, & iudicio animi corruptis viã honestatis arduam, & difficillimam intelligãt, virtutes, vana nomina commentaq; philosophorum esse, ad summam nihil aliud quàm venditationẽ & ostentationẽ quandam esse iactare, dum fælicitatem summumque bonum, sola voluptate metiuntur: alios ne scelerum pœna sibi sit post mortem extimescenda, animorum ætatem eisdem, atque corporum angustijs definire. Quosdam vt Martinum Lutherum suorum flagitiorũ culpam, quam neq; sibi, neque cæteris hominib. paulo modo oculatioribus excusare queunt, ad fati necessitatem transferre. Sed profecto opiniones huiusmodi hoc sunt reipublicæ nocentiores, quo maior est eius in quem inciderit audacia dicendi viribus nõ destituta. Quo magis est Lutheri audaciſſimi & loquaciſſimi hominis temeritati vijs cũctis occurrendum, sententiam iampridem mortalium consensu damnatam, atque explosam reuocanti.

Dogma fatalis necesit. conscientiæ Luth. conueniens.

Primum igitur in hac quæstione, tum philosophorum, tũ theologorum rationibus causam nostram confirmabimus. Deinde aduersariorũ philosophorum argumenta secũdo libro proponemus, eademq; vt philosophi refutabimus, tum in tertio incõmodis, quæ eiusmodi errorẽ cõmuniter consequuntur explicatis, Martini captiones priuatim, vt ratio poscit Christianæ religionis, refellemus. Quãquã profecto si hac in causa dijudicanda auctoritas quoq; prudẽtiũ, & eruditiſſimorũ virorũ spectari debet, cũ fati necessitas ex philosophis, Democritum, & Heraclitum atq; Empedoclem, & si Plutarcho credimus, Parmenidẽ, priscorum atque rudium temporum homines auctores habere feratur, nos Socratem habemus, qui habitus est mortalium sapientiſſimus, Platonem, Aristotelem, Xenocratem, Speusippum. Et (ne singulos persequar) vniuersam Academicorum, Peripateticorumque familiam, qui omnes libertati mortalium patrocinati, cunctos animorum motus, qui quidem

Distributio totius operis.

Qui philosophi fatalem necessitatem asseruerunt, qui secus.

à ratione proficiſcantur, à fatali neceſſitate conſtantiſſimè vendicarunt. Iam vero (vt ad eos veniamus, qui ſacrarum literarum teſtimonia ſecuti, ſententiam ſuam hac in cauſa pronunciarunt) ſtant pro libertate voluntatis omnes Theologi Græci Latiniq́ue, quicunque poſt Chriſtianorũ memoriam, hanc quæſtionem attigere, præter Manichæum, Ioannem Vviclefum hęreticos, & his longe deteſtabiliorem Lutherum, qui hoc ſolo cauſam ſuam probabilem efficere poſſe videtur, quòd homo ſemiſſis, flagitioſus, atque nugator, & nulla ex parte cum aliquo memoratorum comparandus, ſic quorundam hominũ mentes potuerit infatuare, cęcaſq́ue reddere, vt apertas ipſius tecinas, nec admodum latẽtes inſidias nõ percipiant, & meritis pœnis proſequantur. Sed cum tot tantorumq́ue virorum ſententijs damnatum errorem argumentis perſequi ſuperuacaneum eſſe videatur, nolo tamen cuiuſpiam auctoritas nobis quidquã in hac cauſa proſit, niſi rationum momentis ſimus ſuperiores, & apertis argumentis errorem iſtius hæretici, & quos ſequitur, philoſophorum conuincamus.

Confirmatio auctoris ſententiæ.

Illud igitur ante oĩa poſitum ſit in huiuſmodi rationũ examine, quod eſt ſine controuerſia verũ, omniũ prudentiũ, ac eruditiſſimorũ hominũ conſenſu, & auctoritate confirmatũ, quidquid homines in omni ætate in omni regione, in omni ciuitate, docti pariter, & indocti communiter opinantur, id legem eſſe naturæ. Vtitur Ariſtoteles idẽtidem hoc principio, vtuntur oẽs qui ratione, atque via philoſophantur. Eſt enim hominib. multarum rerum inſita cognitio, quam nullo præceptore, nullo humano inſtituto, ſed ipſa natura duce, atque magiſtra didicere. Nihil eſt autẽ maiore conſenſu omniũ mortalium iudicatũ, quã eſſe multa in poteſtate hominum, quæ vt agendi, ſic omittendi liberam atque integram habeant facultatem, vt leges & inſtituta declarant: quibus quãquam alijs alios, omnes tamen cœtus hominum, omnes nationes, omnes ciuitates, cunctos denique mortales ſemper vſos fuiſſe conſtat. Quæ profecto nunquam tam ſolerti hominũ diligentia conditæ fuiſſent, ſi actiones noſtras, non humano cõſilio atque voluntate libera, ſed fatali quadã neceſſitate geri, atq; adminiſtrari mortales credidiſſent. Quod ſi ita eſt, vt eſſe palàm eſt atque res ipſa demonſtrat, liberã eſſe noſtram voluntatem, multaq; hominũ arbitratu, ſine vlla neceſſitate fieri teſte ipſa natura concluditur & cõfirmatur. Præterea ſi quæ ſenſibus atque vſu rerũ nobis cognita ſunt, ea vera eſſe ſtatuendũ eſt, quid eſt vſu frequentiore nobis exploratum, quã quòd multa quotidie pro noſtro arbitrio facim⁹, omittimus, reuocamus, nulla prorſus externa neceſſitate noſtrã impellente voluntatem, aut viciſſim retrahente. Sed quoniam ad fatalis neceſſitatis cõſtitutionẽ, eadem ab iſtis via procedi poſſe videtur, qua nos mortalium conſenſu arbitrij voluntatiſq; libertatem confirmauimus, quãdoquidem in omni ſæculo multorum hominũ ſermone, fati nomen

vſurpa-

vſurpatum fuiſſe conſtat, vt eam vocem vanam omninò dicere conſtãter à nobis dici non poſſe videatur, occurrendum eſt huic loco & hæc fati vulgaris vſurpatio, quam vim habeat explicandum. Neq; enim ibo inficias res pleraſq; fato fieri, multaq; fato hominibus euenire, & rectè quoſdam fato peremptos eſſe dici, fato diuitias conſecutos, fato in miſeria, & omnium rerũ inopia verſari: modo fatum quid ſit, & quibus in rebus verſetur, intelligatur: quod factu vel facillimum fuerit, ſi quis ipſam hominum loquẽdi conſuetudinem, qua fato quidpiã fieri dicunt, paulò diligentius animaduertat. Nam cum fato aliquis in aqua periſſe dicatur, alius ferro ſublatus eſſe, quidã laqueo ſtrãgulatus, nemo tamẽ ſic vnquam loquitur, vt fato ſe dicat lyram temperare, fato librũ ſcribere, fato ſcabellum fabricare, iã illud multo etiam minùs, fato ſe virtutes colere, & officijs fungi boni viri. Niſi ſi quis prædictã ſententiã tãpertinaciter tuendã ſuſceperit, vt non ſit reculaturus, quominus vel his abſurdiora confiteatur. Ex quo intelligitur, fatum conſenſu hominum in rebus, quæ naturam conſequũtur verſari, non in artificioſis, & in ijs, quę à ratione proficiſcuntur. Prorſus vt fatum, nihil aliud ſit, quàm ipſa natura, & quod natura ſit, id fato fieri dicatur. Neq; enim homo ex homine, elephantus ex elephanto natura procreatur, fato nõ item, ſed cũ re fatum, & natura conſentiant, ſolo vocabulo diſtrahuntur, quæ nihil aliud ſunt, quàm primæ cauſæ generationis naturalis ſingulorum efficientes: hoc eſt, corpora cæleſtia, & ipſorum rata, cõſtanſq; vertigo. Omnis enim generationis initium eſt habitudo quædam diuinorum corporum per motum ad hæc noſtratia mundi circumterranei. Quæ ſi effectus habeat in rebus caducis neceſſarios, dubitari non debet, quin fatalis quoq; neceſſitas in rebus etiam mortalibus verſetur, ſin opera naturalia nõ ex neceſſitate procedunt, ſed interdum quo minus fiant impediuntur, ſimili modo de fato, rebuſq; fatalibus ſtatuendũ eſt: non procedunt autẽ ex neceſſitate, quanquam fiant magna ex parte, cum interdum naturæ, cauſa quępiam externa, quominus opus ſuum perficere valeat, obſiſtat. vt cum ex homine non homo, ſed monſtrum aliquod generatur: quæ igitur fato fiunt, non fiunt neceſſitate. Itaq; vt in quib. rebꝰ natura verſatur, in his aliquid efficitur præter naturam: ſic in quib. fatum, cuius eadẽ eſt vis aliquid præter fatum exiſtit, vt merito dicas ſuã cuiq; naturam, ſuumq; fatum principium & cauſam eſſe ordinis earum rerum, quæ in ipſo natura fiunt. Cũ videre liceat homines pro ſua quẽque natura & viuere, & interire. Sed vt hæc magna ex parte fieri notantur, ſic nõ ex neceſſitate fieri certum eſt. Huic enim naturali ordini, cura ſæpe, aëriſq; mutatione, occurritur, & præceptis medicorum. De voluntarijs autem animorum motibus atque actionibus longè aliter ſtatuendum eſt. Neq; enim animi voluntas, vllo vinculo, cœleſtibus corporibus, ac ipſorum motibus alligata tenetur, ſed libera eſt & abſoluta contra

Quid fatum ſit, et quibus in rebus verſetur.

Fatum idem quod natura.

Voluntas nõ eſt cæleſtibꝰ motibus obnoxia.

contra omnem pronitatem. Cum tamen homo ex corpore & animo consistat,& corpus,quemadmodum diximus,naturam suam affectetur, plerunq; animum allicit ad suas appetentias: qui propter societatem, quam habet cum corpore,raro naturalibus affectibus reluctatur.Ita fit vt qui natura pron⁹ est ad luxuriã,is vitã in libidinib.& ganeis traducere gaudeat,& talibus vitijs consentientem mortẽ occumbat,ex magna parte.Hoc enim genus hominum cruditate cum qua bellum continens gerunt,ad extremum solet aboleri, cum calor naturalis libidinib. exhaustus facilè copia ciborũ, qui neq; famem, neq; sitim expectauerint obruatur.Iam qui natura iracundus est,& animosus,is ita ferè viuit, vt iniuria quamplurimos afficiat, vulneret aliquos, nonnullos interficiat,quæ perraro quisquam commisit,vt non vi allata fuerit è medio sublatus.Sic quos natura pronos ad rapacitatem effinxit,horum vita in latrocinijs plurimũ,atq; rapinis versatur,postremò gulã strangulante laqueo,sic legib.crimẽ vindicantib.finitur.Ad eundẽ modũ de cęteris viuẽdi moriẽdiq; generib. differẽdũ est. Quas vitas & mortes merito fatales nũcupam⁹,quod affectus naturales cõsequãtur,& cõsentaneæ sint pnitati naturali.Nõ igitur quòd ita necessario eueniat,sed quia sic efficitur magna ex parte.Vitijs.n.naturalib. si procliuitas ad vitiũ debet vitiũ appellari,ratio sic interdũ occurrit, vt cura & consuetudine,mutet ea in contrarios habitus. In cuius rei testimoniũ Stylpo & Socrates nobilissimi philosophi commodissimè citãtur.de quibus notum est, quid Cicero memoriæ mandauerit,sic enim scripsit lib.de fato: *Stylponẽ Megaricum philosophum,acutum sanè hominem,& probatum, temporibus illis accepimus, hunc scribum illius familiares,& ebriosum & mulierosum fuisse,neque hoc scribunt vituperantes sed potius ad laudem.Vitiosam enim naturam ab eo sic edomitam, & cõpressam esse doctrina, vt nemo vnquam vinolentum illum,nemo in eo libidinis vestigium viderit. Quid? Socratem nónne legimus quemadmodum notarit Zopyrus physiognomus, qui se profitebatur hominum mores,naturasq; ex corpore,oculis,vultu,fronte pernoscere, stupidum dixit esse Socratem & bardum, quòd iugula concaua non haberet, obstructas eas partes,& obtu. atas esse dicebat? Addidit etiam mulierosum, in quo Alcibiades cachinnum sustulisse dicitur.Sed hæc ex naturalibus causis vitia nasci possunt,extirpari autem,& funditus tolli,vt is ipse qui ad ea propensus fuerit à tantis vitijs auocetur, non est id positum in naturalibus causis,sed in voluntate,studio,disciplina*. Nam & illud quoque traditur,cum Zopyrus risum astantibus excussisset, quòd de Socrate tam aliena vitę ipsius instituto iudicaret,affirmasse Socratem,nihil esse mentitum Zopyrum.Nam Socratem talem esse natura, sed philosophiæ consuetudine meliorem fuisse factum. Sed quid veterum exempla repetimus,cum vti liceat quotidianis, & hoc ipsum ferè vsu veniat in hominibus liberaliter educatis? Quos à vitijs in quæ procliuis erat ipsorum natura,sæpè curã parẽtum & magistrorum disciplina reuocauit,atq; ita reuocauit, vt oppositis virtutibus præditos effecerit. Atq; hæc quidem est præstantissimorum philosophorum de fato & libero

Socratis & Stylponis exemplum.

bero arbitrio paucis collecta sententia: quam, quia Lutherus auctoritatem nobis opponit veterum poêtarum, quos fatum necessitatem rebus afferre sensisse contendit (in quo viderit ipse quam constanter faciat, vt qui philosophos reijcit velut profanos, idem poêtarum cõmenta cũ mysterijs sacrarum literarũ cõmiscat) ne pigeat nos cum ipso differentes, poetarum testimonijs confirmare, simul vt veteres mortales multa præter fatum fieri credidisse demonstremus, simul vt Martinum suos poetas intelligere aliquando doceamus. Erimus autẽ duorum Homeri, atq; Vergilij, Græcorum, Latinorumq; facile principũ auctoritate contenti: quorũ Homerus omnium poetarum antiquissimus, & idem sapientissimus, in Odysseæ libro primo Iouem hominum, atq; Deorum patrem cæteros superos sic alloquentem facit, dicam enim si potero latinè.

Quàm temere incusant mortales numina, nosq;
Auctores faciunt si quid sensere malorum:
Cum præter fatum his pariat mens stulta dolores. *Homerus Odysseæ 1.*

Poterat ne apertius Homerus fati tollere necessitatem? Qui non homunculorum quempiam, qui sæpè solent de fato sententiam cum fortuna commutare, nõ aliquem vulgarium Deorum, qui fortè posset quid sit verum ignorare, sed Iouem ipsum optimum & maximum Deorum, cui par sit in propatulo esse quicquid alijs arcanum esse videri possit, inducit, qui sic de fato sententiam pronunciet, vt immunes prorsus ab omni fatali necessitate, mentes humanas constituat. Virgilius autem non ex alicuius infirmioris Dei, aut laborantis hominis persona, cui dum seruiunt poetæ, sæpe aliter loquuntur, quam sentiant, sed ex animi sui iudicio totam de fato sententiam vno illo versiculo, de Didonis morte locutus complexus est:

Nam quia nec fato, merita nec morte peribat. Manifestissime docẽs & fatũ nihil esse aliud quã naturã, & quędã præter fatum pręterq; naturã fieri. Quid .n. aliud est non fato perire, nisi quod ipse exponens ait, nõ merita morte. i. non ea quæ naturæ præsertim muliebri debebatur, sed accersita & præter naturã. nõ peribat aũt fato, aliquid ergo præter fatũ efficitur, nõ igitur omnia fatali necessitate fiũt. Atq; hę quidẽ ferè sunt rationes, hęc argumenta certissima ab vsu rerum ipsaq; natura profecta, quib. apertissimè fatalis necessitas refellitur. Quib. cum sacrarum literarũ testimonia quadrãt ex amussim, ac plenissime consentiant, efficitur, vt vna sit. eademq; constantissima sententia in hac causa dijudicanda philosophorum, & theologorũ, quotquot hactenus, siue sub lege, siue sub gratia recte senserunt de vera religione. Loquor autem de rebus, quæ moraliter, vt ipsi loquuntur, vel bonæ vel malæ sunt. Nam de ijs, in quibus gratia desideratur dicã in argumentorum Lutheri cõfutatione. Sunt .n. testimonia sacrarum literarum, non ancipitia, non dubia, non obscura, sed

Verg. Aen. 4.

Eadẽ sententia theo. & philo.

sed quæ luce clarius humanę voluntatis liberam esse facultatem contestantur,& quidem tam multa,vt ea molestum sit annumerare.Cuiusmodi est illud Ecclesiastici: *Deus ab initio constituit hominem, & reliquit illum in manu consilij sui, adiecit mandata & præcepta: Si volueris mandata conseruare, conseruabunt te, & in perpetuum fidem placitam seruare. Apposuit tibi aquam & ignem, ad quod volueris porrige manum tuam. Ante hominem vita & mors, bonum & malum,* quod *placuerit ei dabitur illi.* Eccl. 15. Qui locus tam aperte,tam sine circuitione,tam simpliciter,arbitrij libertatem explicat,constituit,atque tuetur,vt si quis nostrum sibi velit testimonium ex industria confingere, non tamen apertiº aliud excogitare posse videatur.Simile huic est illud Deuteronom. *Considera,quòd hodie posuerim in conspectu tuo vitam & bonum, & è contrario mortem & malum,vt diligas Dominum Deum tuum,& ambules in vijs eius, & custodias mandata,illius,& cæremonias,atque iudicia: & viuas atque multiplicet te, benedicatque tibi in terra ad quam ingredieris possidendam. Si autem auersum fuerit cor tuum,& audire nolueris,atque deceptus adoraueris Deos alienos, & seruieris eis, prædico tibi quòd pereas,& paruo tempore morieris in terra,ad quam Iordane transmisso ingredieris possidendam. Testes inuoco hodie cœlum & terrā, quod proposuerim vobis vitam & & mortem,benedictionem & maledictionem. Elige ergo vitam vt & tu viuas, & semen tuum.* Deut. 30. Quæ verba, si motus animorum in alteram partem ferrentur necessario,non solum essent superuacanea,sed etiam ridicula, & indigna prorsus homine sano, nedum eo in quo spiritus Dei eloqueretur. Sed ne singula referamus, quæ sunt propemodum infinita, his adde præcepta & exhortationes,quibus refertum est vetus & nouum testamentum. Quæ proculdubio si nihil sit in nostra potestate, omnia non dico essent inutilia,sed stultissimè traderentur. Ac altissima quidem (vt spero)fundamenta iecimus causæ nostræ, eandemque grauissimorum testium auctoritate,& magnis argumentis confirmauimus. Nunc quia satis huius libri creuisse videtur magnitudo, ne continens lectio possit intentionem tui animi longitudinis tædio defatigare, reliqua in alterovolumine persequemur.

DE FATO ET LIBERO ARBITRIO,

LIBER SECVNDVS.

De Aristo. sententia

ATALIS necessitas præsul grauissime,quantopere non solum cum religione Christiana, sed etiam cum sensibus, atque vsu rerum, omnique ratione naturali pugnet, abunde, vt videmur,superiore libro demonstrauimus. Sed quoniam veritas in quæstione quaque tunc maximè dignoscitur,si argumenta cum argumētis conferantur, in hoc volumine explicabimus primum,deinde refellemus rationes,quibus ducti prisci quidam philoso-

phi,

phi, omnium euentorum necessitatem induxerunt, Nam qui Aristotelem in hac sententia fuisse tradunt, maximo ij quidem in errore versantur: nihil enim magis à dogmatis Aristotelicis, quam fatalis necessitas abhorret. Cum ipse libro περὶ ἑρμηνείας de futuris contingentibus accuratissime disputet, funditus tollens ipsorum certitudinem, & in locis propè dixerim infinitis de possibili & contingente, mentionem faciat, vbique constantissimè naturam ipsorum asserẽs, quæ funditus tollitur omnium actionum necessitate. Ad summam cum ipse in sexto libro eius operis, quod est de prima philosophia, non obscure, aut paucis verbis, sed palàm & accuratè testimonium dicat in talem agendarum efficiendarumque rerum necessitatem, atque eam pronunciet sententiam, quam nos in hac quæstione, vt verissimam, & tum sensibus, atque vsu rerum, tum cum religione Christiana, ex amussim congruentem latius explicantes tuebimur, vt facile appareat, qui de Aristotele talia memoriæ prodidere, hos Aristotelica prorsus ignorasse, aut certe perquã leuiter attigisse. Veteres igitur isti philosophi, vt ipsorum opinionem, quatenus ad hanc quæstionem pertinet, explicemus, velut certum, & indubitatum assumunt, mundum hunc, qui vnus esse intelligitur, & cuncta in se à natura, ratione, ac intellectu vigente gubernatus complectitur, omnium rerum dispositionem, & gubernationem sempiternã obtinere, consensu quodam certoque ordine ita procedentem, vt priora sequentibus, vt efficiantur, sint causæ. cunctis rebus tam arcte mutuo cõnexu colligatis, vt nulla effici queat, quam velut causam non alia statim consequatur, atque eidem adhærescat, nec rursus aliqua dissolui, vt non secum quampiam ex posterioribus trahat, velut sibi colligatam, ad summam vt fit necesse, quicquid fiat, post hoc aliud, quod ab ipso velut à causa pendeat, consequatur. Nihil enim eorum quæ in mundo sunt nec esse, nec effici sine causa posse, vtpote in quo nihil à cunctis prioribus absolutum, & seiunctum habeatur. Fore namque vt mundus distrahatur, nec in vnitate, quam propter vnum ordinem, vnamque gubernationem habet, persistat, si quis motus citra causam inducatur. Induci autem nisi omnia quæ sunt, quæque fiunt, causam habeant antecedentem, quam necessario consequantur. Itaque non magis fieri posse, vt quicquã sine causa, quàm vt ex nihilo efficiatur. Deinde omnia quæ in mundo extra intraque lunarem globum fiunt, virtute quadam cœlesti gubernari: multarum rerum, atque ipsorum sensuum argumento nituntur confirmare. Conflat enim æstus maris reciprocantis constanti vicissitudine lunarem motum affectari. solis verò accessu arbores frondescere, campos floribus, herbisq; vestiri, eodem regrediente, cuncta in diuersum cõmuni, notaque causa commutari: cũ alia sint, quæ peculiari, & ignotiore sed procul dubio cælesti moueantur: vt pulegium, quod ipso die brumæ florescere grauissimi auctores prodidere. Quod ipsum in animalibus

Ciceronem designat.

Veterum philosophorũ opinio de fati necessitate.

nihilo ſecius exploratum eſſe contendunt. cum pleraque omnia ad venerem, ad pugnam garritus, locorum mutationes, tempora cauſis præſcripta cœleſtibus obſeruent. Iam homines quoſdam iracundos naſci, alios ingenio mitiore, nonnullos in libidinem pronos: & alios ad alia natura procliniores, ſed oēs ea conditione vel felici, vel aduerſa procreari, quam cuique aſtra, ipſaq; natura vel mater, vel nouerca naſcenti tribuerit. Quæ cum ſint haud dubiè vera, & vſu rerum explorata, ad eundē modū de cæteris rebus eſſe ſtatuendū, quarū cauſæ ſunt nobis occultiores. Cuncta enim velut catenatis cauſis, à cœleſtibus proficiſci, atque inde velut à fonte perenni latenti fluxu dimanare. Ita cum cauſæ primæ ſint neceſſariæ, (ſunt .n. cæleſtia quæq; neceſſaria) fieri vt quæcūque opera, quæcūq; actiones, etiā in caducis reb. edantur, ineuitabili neceſſitate procedant. Prorſus vt ipſe quoq; rationis ſiue expers, ſiue cōpos appetitus quicquid velit, huc impulſu quodam, neceſſario feratur. Nam appetitum ab intellectu verbi cauſa moueri, hunc à viſo, ſiue imaginatione, viſum à ſenſu, porrò ſenſum à rebus quibuſdam externis, ipſas ab alijs, donec ſit ad cœleſtes cauſas peruentum: quæ cū neceſſariæ ſint, & æternæ, vt cæteris rebus, ſic & appetitui neceſſitatem impartiātur. Eadē ratio eſt ſi appetitū ab ipſo protinus ſenſu, vel à viſo moueri facias, cū ſemper initiū à cęleſti quaſi capite repetatur. Nec .n. fieri poſſe, vt cauſa omni ex parte eodē modo ſeſe habente, res iā ſic, iā aliter euēniat, futuro alioquin motu quopiā ſine cauſa. Item fatū ipſum naturāq;, & rationē qua vniuerſum gubernatur, Deū eſſe aiūt, qui cūctis in rebus inſit, quæ ſunt, quæq; efficiuntur. Ita res ſingulas ad normā, gubernationemq; vniuerſi propria natura, ſuoq; fato fungi: ex huiuſmodi enim rerū obſeruatione natam eſſe aiūt Chaldæorū doctrinā, quæ aſtronomia nuncupatur, qui ex cuiuſq; genitura mores hominū, ingeniumq; mirabiliter identidem prædicant. Quòd ſi Chaldæorū prædictiones contrario rerum euentu nonnunquā refelluntur, tribuendū id eſſe partim ipſorū, qui prædixerint, artis ignorantiæ, partim cōmuni hominū imbecillitati, cui non datur ad rerum cœleſtium cognitionem præterquā tenuiſſimā, quālibet magno ſtudio, atque diligentia peruenire. quę ſi mortalium cuipiam perfecta contingeret, dubiū non eſſe, quin is omnia, quæ ſint cuique hominum euentura, prædictione certiſſima eſſet vaticinaturus: cum omnia conſerta contextaq; ſint naturali cauſarum colligatione. Quam ſententiam deorum oraculis atque vaticinijs vel in primis cōfirmant. Nam ne deos quidem quorum ſint certiſſimæ prædictiones, futura poſſe cognoſcere, niſi ad ea ſpectarēt, quorum ſic cauſæ natura contineantur, vt ipſa fieri ſit neceſſe. Itaque vidiſſe Apollinē neceſſarijs cauſis contineri, vt ab Oedipo Laius pater necaretnr, & Iocaſta mater duceretur vxor, ac idcirco futurum id multo antè prædixiſſe: quod ſi poſſet aliter euenire, certum eſſe Deos ſæpe mentituros, &

Argumentū ab aſtrologorum prædictionibus.

Arg. à deorū oraculis.

falſa

falsa fore ipsorum vaticinia. Atque hæ quidem sunt rationes quib. nonnulli philosophorum, vt fati necessitatem assererent, ducti esse videntur, & quas Lutherum secutum fuisse certum habeo. Ipse tamen ne parum religiosus appareat, ac vt lupus rapacissimus, vestimento ouis indutus, securiores christianorum animas inuadat, nulla philosophorũ facta mentione, simulat se sacrarũ literarũ auctoritarem, ac testimonia sequi, quas suis dolis & portentis vt seruire cogat, cunctis rationibus elaborat. Sed cum hoc in tertio libro, quo eius argumenta, ipsorũq; refutationem reseruamus, cõplura. Nunc ad Stoicos venio, quos nihil nisi paradoxon & præter hominum fidem loqui solitos esse, testãtur veterũ scriptorum monumenta, Plutarchi in primis, cuius extat opusculum, cui titulum fecit, quòd incredibiliora Stoici tradunt, quam poetæ. Quorum Stoicorum rationibus dum sic plane & aperte respondeo, vt nihil dissimulatum, nihil inexcussum relinquatur, te pater amplissime, & in te omnes prudentes, atq; pios, quibus hæc nostra legere libuerit attento animo (neque enim opus est dicere non repugnante) adesse peruelim. Quanquam profecto falsa istorũ & incredibilis opinio eiusmodi est, vt ad refellendũ nullis rationib. extrinsecus allatis indigere videatur, cum ipsa se proculdubio conficiat, secũ pugnet, ab omni rerum vsu dissentiat: *Nam* quod primo loco aiunt, *res omnes posteri ribus esse causas, quæ mutuis quasi vinculis sic inter se connexæ sint, vt à primis pendeãt secundæ, & proximæ quæq; cũ præcedentibus cohæresçant, atque id fati tanquam substantiam esse interpretantur*, hoc quis non videat, quam longe ab vsu rerum & sensibus nostris abhorreat? Nam cum patres filiorum causæ sint (oportet enim vt causæ per proprietatem repetantur, vt hominis homo, equus equi sit in causa) qui liberis nunquã operã dedere, sunt tamẽ cuiuspiã filij, aut anteprocreãdi ætatem decessere, eos quorum tãdem posteriorum causas esse dici conuenit? Multi enim debilitantur, aut penitus abolentur, antequam vires indepti fuerint procreandi, quos profecto non video cuius rei causas esse dici oporteat. Age verò excrementa, quæ per nonnullas corporis partes egeruntur, item monstra quæ præter naturam eueniunt, & sæpe adolescere nequeunt, sed protinus abolentur, quarum tandem rerum causas esse putamus? quòd si cortex in amygdalis, exempli causa, testæ gratia generatur, testa rursus propter nucleum, & stirpes idcirco irrigantur, vt crescant, & fructum ferant, plurima tamen in eisdem inuenias, quæ nullam huiusmodi rationem habeant, vt corrupti fructus, siue nuclei, vel qui prorsus exaruerunt. quos profecto nullius rei posterioris causas esse dici potest. vt si verum quærimus, facile appareat, quemadmodum non omnia possunt efficere, sic non quidquid fit, causam habere, nisi forte ex accidenti, neque esse vel fore rei cuiuspiam alterius causam. Nam quod isti talibus victi rationibus ad causarum effectuumque ignorationem confugiunt, quid aliud agunt, quam rebus difficillimis

Refellitur primũ fundamẽtũ Sto.

mis facilitatem prętendunt, latebram mendacio fabricantes? Hac enim ratione, vel absurdissima quæque liceat defendere, & specie commentitia prætexere, velut causas quasdam, easque probabiles, sed nobis ignotas obtineant. Quæ si vera sunt, multa nimirum citra causam effi iẽtur. quanquam ne oratio quidem illa, vel si maxime veram esse condonemus, magnopere vrget, alienum videri quidquam effici, quin causam habeat antegressam, nec id sententiam nostram labefactat. Nam & nobis omissa huiusmodi resolutione, & consequentium causarum necessitate, constanter tamen hoc ipsum tueri licet. Atque adeo si proprie rerum efficiendarum causas libeat inuestigare, nihil vnquam sine causa effici reperiatur. At non protinus quicquid futurum est, id omnino fatali necessitate procedet. Neq; enim si Philippus sit, statim vt Carolũ aut Fernandum, aliumve filium generet, sitq; posterorum causa necesse est. At si Carolus fuerit genitus, vt à patre tanquã à causa genitus sit oportebit. Nam vt iacto fundamento, dum fieri non est necessitas, sed domo ędificata, iactum fuisse fundamentum, est necessarium: sic de causarum necessitate in operibus naturalibus opinari conuenit, vt non prioribus posteriora necessario succedant, sed posterius effecta, aliquam ex necessitate causam antecedentem obtineant. tametsi quædam huiusmodi sunt, vt habeant illa quidem causam, non tamen propriam, atque huc dum ageret spectantem, sed quam accidentariam nuncupamus. Thesaurus enim si cui serendi gratia fodienti repertus est, causam, vt reperiretur, fossionem habuit, non tamen propriam, nec hoc ipsum agentem, vt thesaurum inueniret. Nam causæ quæ propriæ intelliguntur, necessario, & semper, vel certe magna ex parte, quod petunt assequuntur: accidentariæ vicissim raro. Atque hac quidem ratione simul absque causa nihil fieri confirmare licet, simul casum, & fortunam, possibile itẽ, atq; contingens tueri, quarum rerum istis solum vocabulum retinetur. Iam quod esse potest apertius mendaciũ, quam quicquid aliud sequitur, hoc ab illo existendi causam mutuari: & quicquid antecedit, causam esse consequenti? cũ in pleriſq; rebus, etiam quæ nullo temporis interuallo inter se consequuntur, constet prius non esse causam posterioris. Nisi forte putamus, incessus statum esse causam, noctis diem auctorẽ, quod profecto non magis verum est, quã si quis tempestatem causam esse malaciæ dicat, aut æstatis effectricem hyemem. Vt merito demiremur istorum seu insitiam, seu pertinaciam oportet appellare, qui vt de tempestate, & malacia diximus, sic rerum naturalium causas efficiendi tradũt nimirum vt prius semper posterioris causam esse contendant: ad hunc enim modũ quandam velut catenam, & perpetuum causarum ordinem connectunt, quominus quidquã sine causa efficiatur, non intelligentes videlicet cõpluribus in reb. priora, vt statim dicebamus, nihilo magis esse causas posteriorũ, quàm statũ incedẽdi. Cõstat. n. nec statũ incessui, neque

Nihil fieri sine causa, nõ est argumentum necessitatis.

neq; hunc illi viciſſim eſſe cauſam, ſed vtriq; ſtantis, ac incedentis voluntatem. Dierum autem atq; noctium quibus ſtatus eſt ordo, atq; conſtans viciſſitudo, vnam eandemq; cauſam eſſe, cui poteſt eſſe dubitabile? Exploratum eſt enim ipſarum, & ſuccedentiũ anni tẽporum cauſam eſſe ſolis circumactum, qui per obliquum circulũ, quem ſigniferũ nuncupamus, accedendo & recedendo vagatur, & auctor eſt plurimarum rerum viciſſitudinũ. Non igitur nox & dies, hyems & æſtas, inter ſe catenatæ, conſertæq; ſunt, vt alterum alterius cauſam eſſe concludatur. Nec ob eam rem periculum eſt, ne mundus, & rerũ quæ in mundo ſunt vel efficiuntur, vnitas dehiſcat, & in partes diducatur, cum ſatis valeat ſolis huiuſmodi motus, continuitatem harum rerum conſeruare. Neq; niſi incedendi, ſtatus fuerit in cauſa, protinus temere, & citra cauſam fuerit inceſſus. Ex quo licet intelligere huiuſmodi cauſarum cõnexionem ab iſtis excogitatam, non rectè cauſam eſſe redditam, cur nihil temere efficiatur. Nam vt motus, & tempora à quibuſdam cauſis proficiſcũtur, non tamen motus à motu, neq; tempus à proximè antecedenti tempore velut à cauſa dicitur emanare, ſic de rebus ſtatuendum eſt, quæ in tempore & per motum efficiuntur. *At eſt* (inquiunt) *rerum efficiendarum aliqua cauſa, propter quã mundus vnus eſt, atq; ſempiternus, & ſemper eodẽ modo gubernatur.* Eſt omnino, & hanc quærere, & quænam ſit ſtatuere philoſophi vel in primis partes ſunt, non tamen ſic eſt accipienda, vt recentius à ſeniore generetur more naſcentium animalium. Adde quod non quiuis ordinis exceſſus diſſipat ordinem vniuerſum, nec res ordinatas labefactat. Sed quemadmodum non quæcunq; principis imperij trãſgreſſio regnũ affligit ſtatúmve ipſius euertit, ita ſi quid tale in ipſo mundo committatur, perſtat tamen vniuerſi fœlicitas, neque idcirco machina eius diſſoluitur. Nam ſi res haberet quemadmodum iſti arbitrantur, quid eſſet mortalium vita, niſi ludus quidam naturæ tragicorum aut comicorum fabulis ſimillimus? perſonas ſingulis hominibus quas naſcẽtes induiſſent, ſic agentibus ad naturæ præſcriptum in vita, vt hiſtriones in ſcena ſolent ad dictata poẽtarum. Et profecto non aliam cauſam fuiſſe puto, cur ſemper vel Democritus cachinnaretur, vel Heraclitus ploraret, niſi quia cũ vterq; verſaretur (vt diximus) in hoc errore, vitã noſtrã ludum eſſe putabant, quod alteri ridiculũ, alteri videbatur miſerandũ: cum eſſet magis ſtultitia ipſorum ridenda & miſerabilis, qui putarent hominem tam perfectum animal, & diuinitatis particeps, ad ludibriũ, & iocum Deo naturæq; fuiſſe procreatum.

Quid Democritus ſtulte rideret. Heraclitus ploraret.

Quod verò aiunt *de cæleſtibus corporibus, ipſorum virtute res natiuas, atq; mortales gubernari*, id in noſtræ ſententiæ confirmatione ſatis, quã vim habeat, arbitror eſſe declaratum, gubernari quidem mortalia corpora vel plurimum cæleſtib. motibus, non tamen idcirco fieri cuncta neceſſario. At ſunt cauſæ cœleſtes neceſſariæ. ſunt nimirum, nec iſtud nos inficiamur, ſi

mur,si tamẽ hoc dicis,corpora cœlestia ipsorumq; motus,quæ sunt nostratib.causæ,sempiternæ ac immortalis esse naturæ,sed hinc nõ efficitur,vt ipsorum cuncta opera necessario procedant.tunc fieret ,si necessarias diceres,quasi suum opus necessario perficientes. Sed quod sumitur falsũ est in eo sensu,corpora cœlestia causas esse necessarias,prętérquam in quibusdam rebus, certe in caducarum rerum indiuiduis nihil habet veritatis . Etsi enim sol & Sophroniscus causæ fuerunt Socratis procreandi,tamẽ sole atq; Sophroniſco existentib. fieri poterat,ne Socrates generaretur. Nã quòd causa eodem omninò sede habente modo fieri posse negant,vt res tum sic,iam secus efficiatur,hoc quoniã de causa duntaxat efficiẽte(qualis est cœlestis) loquũtur,probari minimè potest,cũ sit in ipsa materia momentũ vel maximũ,atq; ꝑ eius discrimine magna plerũq; varietas operũ ab eodẽ efficiente sine vlla ipsius mutatione manet.Quando ignis eodem tempore ceram laquefaciat, quo lutum concernit,aridum lignũ comburat, quo virens & madidũ ne calefacit quidẽ.Cui similis est astrorũ atq; motuũ cœlestium ratio in res nostrates atq; caducas.Neq; enim semper Arcturus exoriens tempestatem facit.quid ita?quia tempestatis materia non semper, aut in omni tractu est quanto,vel quali ad vim cœlestem excipiendam accõmodata.Quòd si à rebus naturalibus fatalis necessitas manifestis rationibus excluditur,quid tandem existimare conuenit de humanis actionibus & motibus animi voluntarijs?Quanquam mirum est profectò,quę isti portenta confingant,dum humanis actibus eandem , quam rebus naturalibus necessitatem imponere machinantur.Sic enim differunt, *cum plurimæ rerum atq; eædem inter se distantissimæ naturæ habeantur, si quidem non solum inter animata & animæ expertia naturæ discrimen existit, verùm etiam animantium, inter ipsa, pro sua rem quamque natura officio sibi delegato fungi atque proprium munus obire, vt quæ fiunt à terræ,natura terræ efficiantur,ignis quæ ab igni,animalium, quæ ab animalibus. Quod autem pro sua natura cuique rei efficiatur,id vt aliter fiat, fieri nullo modo posse contendunt,fieri igitur necessitate.Nam hoc esse fieri necessitate, non vi allata fieri, sed aliter effici non posse,vt lapis si demittatur nulla incussa vi descendit , sed sponte sua & pronitate naturali:simili modo ignis nullius violentia conscendit, ne tamen sua sponte efferatur,fieri nequaquam potest.* quod cum argumento(vt ipsis videtur)inuicto, collegerunt,se nescire profitẽtur,cur in animalib. quisquã his animaduersis aliter putet euenire.quippe quibus suus proprius; motus sit ab ipsa natura tributus, quem naturalem impetũ siue appetitũ esse tradũt, Quandoquidem omne animal,in eo quòd est animal,per appetitũ moueri aiunt,sic fato per animal illũ motum obeunte.Ita cũ motus oẽs,& omnia mundi opera partim per terram exempli causa , partim per aerem,quædam per ignem,alia denique aliorum ministerio à fato perficiantur,quædam effici per animalia, quæ tamen nihilo minus, quàm cætera fatali necessitate fiant,quanquam quæ per animalia fiunt hæc in animalibus esse ac ipsorum potestate dicantur, cum hoc solo discrepẽt ab alijs

Quomodo cœlestes causæ sint necessariæ.

Magnum momentum in materia.

Stoicorum argumentum quid concludat.

ab alijs motibus, quòd hi per impetũ siuè appetitũ, cæteri per grauitatẽ leuitatẽ, frigus, calorem, aliáſve cauſas edantur. Ex qua ſentẽtia iam error ille manifeſtiſſimus cõſequitur, nulla ratione tolerandus, vt neq; inanimatis animalia bruta, neq; his homines vlla ex parte perfectiores habeantur. Quid enim refert, grauitate an appetitu ſeu voluntate res moueantur, ſi tam hæc quã illa miniſtra duntaxat eſt, & merum inſtrumentum fati? Niſi fortè (quod nemo ſanus diceret) inter fabrorum inſtrumenta malleum incude, vel hanc forcipibus nobiliorem, aut perfectiorem eſſe putamus. At ſentiũt animalia, cũ cætera ſint huius facultatis expertia, intelligit homo, quod alijs animantibus non datur. Et quid tandem hoc eſt prærogatiuæ? ſi cum multa & varia intellexeris, in oppoſitum fati conari nihilo magis queas, quàm lapis in ſublime conſcendere. Atq; adeo noſtra conditio hoc eſſet, quam non intelligentium deterior, quo ſumus in rebus dignoſcendis perſpicaciores. Cum cætera ea tãtum via ingrediantur, quæ ab ipſis ſola cognoſcitur, nos cũ multas & diuerſas cognoſcamus. vna tamen, & ea peſſima plerũq; ingredi fatali neceſſitate compellamur. Neq; enim refert, qua nos ratione fatũ cogat, volentes an inuitos, cogit certe, vt nihil intereſt blanditijs imperioſis quiſquam, an minis ad præcipitium deducatur. Cõſtat autem hoc eſſe falſum, & animalia muta inanimatis eſſe potiora, hominẽ vtriſq; non igitur fiunt omnia neceſſitate, ſcilicet quoniã multa ſunt in poteſtate animalium, non hominum tantum, ſed etiam brutorum, quanquã nõ proprie nec ita, vt in ipſis liberum arbitrium intelligamus. Errat .n. ſiquis putat canem verbi cauſa, cum ad biuiũ peruenerit neceſſitate naturali, qualis eſt in motibus inanimatorũ alterutra via procedere, quin ſit quodammodo in ipſius poteſtate, conſiſtat an pergat, hanc an illam viam ingrediatur, niſi quòd quemadmodum homo rationis, ſic propemodum ille iudicio ſenſus obſequitur, vt indicat ſæpe ipſius in talibus locis cunctatio, & vagi nonnunquã diſcurſus recurſuſq; inueſtigantis. Atq; hoc quidem mihi potiſſimũ animalia à non animatis differre, & ipſis præſtantiora eſſe videtur. Quandoquidẽ lapidẽ ita ſemper moueri notamus, vt niſi re quapiam externa cum deſcendit excludatur, curſum teneat ad perpendiculum, nec ante conſiſtat, quàm ſit nactus locum ſibi naturalem, cui ſimilis eſt ratio cæterorũ inanimatorũ, humana verò voluntas hoc plus habet, quam impetus animalium, libertatis: quòd licet voluntas ab intellectu, ſenſu, aut viſo, bonum vel boni ſpeciem oſtentante moueatur, nihil tamen horum eſt cauſa, quæ ipſam cogere ſic valeat, ne integrum ipſi reſeruetur, rem propoſitam reijciat, an amplectatur. Nam etſi voluntas ſemper ſpectet ad bonum, identidem tamen intellectus in eadem re duplex & diuerſum bonum oſtendit: exẽpli cauſa vtile ſi petatur, ſi fugiatur honeſtum, quod cum accidit, in poteſtate voluntatis eſt, vtrum bonum proſequi malit, vtile aſciſcendo, an honeſtum

Sequitur hominem nihilo præſtare brutis.

Deterior eſſet hominis, quã brutorũ conditio.

Voluntas cogi nõ poteſt.

ſtum reijciendo: vt dubium eſſe non poſſit, quin facultatem habeat oppoſitorum. Ad ſummam tam vaga eſt atque libera volũtas (ne quis eam trahi ſemper maiore bono, aut ipſius ſpecie cauilletur) vt in re quam vtilem ſimul & honeſtam, adde etiam, ſi placet, iocundam intellectus iudicauerit, poſſit, vt edere volendo, ſic actionem ſuam non volendo continere. Si non valet rem etiam auerſari, omni bono faſtidito, vt dicat iuxta poetam, *video meliora proboque deteriora ſequor.* cuius rei, ſiquis confirmationem requirit, experiatur in ſe ipſo, nullum argumentum præterea deſiderabit.

Prudẽtiores Stoici, quàm Lutherus.

Sed iſti cum rerum omnium fatalem neceſſitatem inducerent, tamẽ velut metuentes inuidiam, ne ſi incredibilia & cum hominum conſenſu pugnantia præciperent, in eam impudentiam inciderent, quam Martinus, vt eſt mortalium impudentiſſimus, neminimum quidem reformidauit, liberum arbitrium tueri quacunque poterant ratione conabantur. In quo illud conſtanter in primis adijciebant (eſt enim huic opinioni maxime conſentaneum) liberum arbitrium nõ magis hominum, quã cæterorum animalium naturam attingere. Eos igitur motus in poteſtate animalium eſſe dicebant, quibus fatum per animalia fungeretur. & cum ab ipſis quæritur, qui fieri poſſit, ne ſit liberum arbitrium ſublatum, ſi res omnes fatali neceſſitate fiant, tergiuerſantur, & incommoda, vt cunque poſſunt, effugere tentant. Sed nihil proficiunt, nam præter nomen arbitrij nihil animalibus præcipui relinquitur. Aiunt enim liberum arbitrium poſitum eſſe in appetitu & aſſenſione, atque id demum eſſe animalia libero arbitrio fungi, non citra ſenſum in ſublime vel deorſum ferri pronitate naturali, vt ignem aut terram, ſed appetitũ & aſſenſum, quocunque is vel ducat, vel reuocet aſſectari. quod eſt haud dubie falſum. Neque enim libero arbitrio tunc animal vtitur, cum ſpeciem ſeu viſum obiectum inſequitur, & in id quod videtur impetit, ſed hoc eſſet fortaſſe munus libenter obire. At non ſi quid eſt libens, id protinus à libero arbitrio proficiſcitur: Eſt enim libens quod ex aſſenſione non violenta procedit, in nobis autem noſtroque arbitrio id eſſe dicitur, quod cum ratione & conſilio adminiſtratur. Ita quanquam ſit libens quicquid eſt in poteſtate noſtra, non tamen licet reciprocare, vt viciſſim omne libens ſit in noſtra poteſtate. Nam quicquid animalia rationis expertia impetu & aſſenſione faciunt, libenter faciunt: liberum verò arbitrium homini peculiariter eſt à natura tributum. Quid eſt enim hominem eſſe rationis participem, niſi rationem in ſe obtinere iudicem, & obiectas rerum agendarum, fugiendarumque ſpecies diſcernentem atque eligentem? Ita cum animalia rationis expertia, qualiſcunque rerum facies objicitur, his obſequantur, & eaſdem cauſas aſſenſionum, atque impetus habeant, homo ratione præditus eſt, qua rerum agendarum viſa extrinſecus

Nõ eſt idem libenter. quod libere agere.

Quid ſit hominem eſſe rationis participem.

secus allata dijudicat, talia ne sint, qualia esse videntur, vt falsis imaginibus reiectis veritatem rerum complectatur: quo fit, vt sæpe à reb. iocundã speciem præferẽtib. cohibens, quo in ipsas agitur, appetitũ abstineat, ratione videlicet huiusmodi viso refragãte, & multa perinde, quæ videntur vtilia reijciat. Vt planè intelligatur, liberũ arbitrium in assensione rationabili consistere, quæ à consultatione proficiscitur, magno istorum errore, quib. esse placet in assensione atq; impetu animali. Nam quid alud est esse rationis particeps, quàm esse principium suarũ actionum? Quemadmodũ ergo esse animalis in eo consistit, vt impetum habeat animalẽ, ignis vt calidus sit & calefaciat (si recte hoc à quibusdã traditur.) Sic hominis esse in hoc, vt rationabilis sit, id est, in eo quòd tã agendi, quàm non agendi principium obtineat, prorsus vt qui liberum arbitrium ex nobis tollunt, eos hominem ex homine tollere, non possit dubitari.

Hominẽ tollit, qui libẽrum arbitriũ tollit.

Nam quod aiunt quæ per hominẽ fiunt, ea nõ posse aliter quã per cõsultationẽ fieri, propterea quòd homo cõsultandi facultate cẽseatur, id quidẽ probari non potest, quia non quæ facimus, omnia consulto facimus. Sed plerumq; instante gerendæ rei occasione, consultationem omittentes ad munus obeundum properamus. Sepe etiam negligentia aliáve causa quapiam consultare prætermittimus. quòd si quædam consulto, alia secus per homines fiunt, perabsurdum dictu est, hæc esse in hominum potestate, quæ cõsulto efficiuntur, propterea quod nihil per ipsum aliter fieri, quàm per consultationem possit. Porrò si quædã consulto facimus, quædam inconsulto, nimirum quæ per nos fiunt, ea falsũ est (quod isti tradunt) sic fieri simpliciter, vt quæ per alias naturas efficiuntur, quòd si nobis per naturam licet quidpiã inconsulto facere, eisdẽ haud dubiè aliud per consultationem efficere licebit, non id tantum quod citra consultationem facimus. Sed neq; illud verum est, idcirco ab hominibus obiri diuersa munera, quòd externæ causæ eadẽ genere tum sic, iã aliter impellant, vt homo nequeat oppositum eius, quod agit efficere. Neq; enim quæ per causam fiunt, ea semper ab externa efficiente causa proficiscũtur, cum aliquid in nobis nostraq; potestate ob eam rem esse dicatur, quia nos ipsi in hæc, quæ sic efficiuntur liberam facultatem habemus, atq; eorũ velut arbitri & domini sumus, nõ causa quæpiam quæ necessitatẽ extrinsecus afferat. Quapropter tales motus absque causa facti esse dici solent, scilicet quia præter nostrum arbitriũ à nulla externa causa proficiscuntur, homo enim principium est & causa suarum actionum. Et profecto esse hominem, nihil est aliud, quàm agẽdi principium in se ad hunc modum obtinere, vt globus causam in se continet, vt per decliue volutando deferatur. Quare cum cætera externis causis obsequantur, homo vnus animalium immunis est ab hac obediendi necessitate, quoniam hoc est ipsius esse, vt principium in se at-

Homo principiũ est & causa suarũ actionum.

que cauſam obtineat ſuarum actionum, & ne prorſus cauſas extrinſec' præſcribentes affectetur. quod ni ita eſſet, profecto ſemper in vnũ ſcopum intuentes ferremur, & ſemper eodẽ modo iudicaremus. quod falſum in primis eſſe magno argumento eſt, quòd rem iam propter ſui honeſtatem petimus, tum propter iocunditatem, nonnũquã quia commoda nobis eſt & fructuoſa, vt nõ relinquatur dubitatio, nullas cauſas externas eſſe huiuſmodi actionũ auctores & effectrices. Quare vt qui nouit terram pondere ſuo deſcendere, animalia per impetum agere, quod talis ſit ipſorũ natura, is nullam cauſam prætera requirit; ſic nulla cauſa inueſtiganda eſt cur quæ fiunt in hominis poteſtate, varijs modis efficiantur, animaduertentibus id demum intelligi hominem eſſe, principiũ eſſe & cauſam liberã ſuarũ actionum. Sed neq; illud verũ eſt, homines inito cõſilio, ei quod ipſis videtur aſſentire, ac perinde rerũ viſum non ſecus atq; cæteras animantes conſectari. Neq; enim quicquid videtur, eſt viſum, cum viſum ſimpliciter & citra rationem à rebus externis ſuggeratur. quo fit vt in animalibus rationis expertibus plurimum dominetur, *At quædam* (inquiunt) *per rationem eſſe talia videntur*: certè ſed cum cauſam, vt huiuſmodi eſſe videantur à ratione mutuentur, nemo rectè viſa hæc, faciéſque rerum nuncupauerit. Nam qui perpenſa examinataque re per conſultationem, ipſi aſtipulatur, is ſibi cauſa exiſtit aſſentiendi. Ac liberum quidem arbitrium rerum neceſſitate deleri, & qui liberum arbitrium tollit, hunc hominem omnino tollere, ſatis eſt à nobis explicatum.

Fundamentum 2. Stoicorum de deorum vaticinijs.

Venio ad illud argumentum de deorum vaticinijs & præcognitione rerũ futurarum, quo iſti philoſophi, putabant cauſam ſuã vel in primis confirmari, & cui confidit maximè omniũ Lutherus. Sed hic locus aliter tractãdus erit, cũ huius hæretici captiones ſeparatim refellemus, aliter nunc, dũ phyſicos ratione naturali deorũ præſciẽtiã, & Chaldæorũ prædictiones, quibus ſimiliter occurritur, allegantes refutamus. *Deos enim futura præſcire non ſolũ eſſe probabile confirmant, ſed dictu etiam nefas ab ipſis horum quidquã ignorari, hoc ſi verum ſit, effici procul dubio, vt cuncta fiant neceſſitate, & fato quodam ineuitabili procedant. Quicquid enim futurum eſſe præcognoſcant, niſi neceſſario vi ipſi præcognouerint eueniat, ſed fieri aliter poſſit, conſequens eſſe, vt ſua ſæpe dij opinione fallantur, vanaq; ſit ipſorum præcognitio, rebus in diuerſum atque ipſi præuiderint recidentibus, huius porrò præcognitionis caput ad cognitionem referunt fatalis cauſarum connexionis. Neque enim potuiſſe Apollinem Laium ab Oedipo filio obtruncandum, & matrem Iocaſtam vxorem ducendam eſſe præuidere, niſi proſpexiſſet connexione cauſarum neceſſaria contineri, vt Laius Oedipum procrearet primùm, deinde ſeruo exponendum daret. tum hic alteri paſtori, & ſic regi Corinthiorum Polybo traditus apud ipſum ignoratis parentibus ad multam ætatem educaretur*, & cætera quæ poëtæ tradiderunt, nota eſt enim fabula quam Sophocles in Oedipo tyranno accuratius exequitur, vt rediens ille ab oraculo Pythio ignotum patrem iratus in via conficeret, & poſtremo Thebis Iocaſtam duceret.

duceret. Sed hac difficultate, quæ maxime omnium quibuſdam videtur inexplicabilis, ſe Alexander Aphrodiſienſis ſuperſtitioſe minime patitur implicari, ſed negans talem Deorum præcognitionem, inextricabilem nodum abſcindit magis, quam diſſoluat, vt Macedo illum Gordianum. Nam ſi hoc (inquit) rerum natura patiatur, & fieri poſſe permittat, vtique futura à dijs potiſſimum pręcognoſci dictu fas eſt, & maxime rationi conſentaneum. Sin autem huiuſmodi præcognitio, vt impoſſibilis à natura renuitur, profecto ne dijs quidem futura præſcire datum eſſe putare conuenit. Nam quæ ſua natura fieri nequeunt, ea nihilo ſecius apud Deos ſuam naturam retinere, cum diameter lateri fieri commenſurabilis, ne à dijs quidem immortalibus poſſit, nec vt bis duo ſint quinque, aut præteritorum quidquam non ſit elapſum. Sed ne velle quidem Deos, quæ natura fieri nequeunt efficere. Itaque res, quarum eſt ea natura, vt fieri perinde, atq; non fieri poſſint, Deos omnino futuras, aut viciſſim non futuras præſcire non poſſe. quoniam talis facultas huiuſmodi præcognitione tolleretur. quare qui velit (inquit) eã poteſtatem retinere, is deorum certam præcognitionem negabit, quod ipſum aduerſariorum ſermone confirmat, qui Deos idcirco futura proſpicere dicunt, quòd ita ſint futura neceſſario, non præcognituros, ſi res ſeſe aliter haberet, vt appareat dijs eandem imbecillitatem ipſorũ ſententia conferri, ſi facere impoſſibilia non poſſe, debet imbecillitas, ac impotentia nuncupari, per hanc enim prædictionem nihilo maiorem vim numinibus attribuunt, ſed hoc præſumpto, talem rerum naturam inducunt, neque ſenſibus conſentanea dicentes, neque vſui rerum conſentientia. Siquidem eadem via liceret, multa impoſſibilia fieri poſſe concludere, vt ſi quis ad hũc modum colligeret. Abſurdum eſt dictu deos ignorare, quot menſuras, exempli gratia quot vlnas pateat infinitũ, infinitũ igitur certis, atq; definitis vlnis abſoluitur, dijs aliter ignoraturis, quot vlnis illud mẽſuretur. ſed quoniam futura præcognoſcere datur, & talia qualia ſint præcognoſcere, dubiũ eſſe nõ debet, quin contingentia qui præcognoſcit, hic ea vt contingentia præcognoſcat. Neq; n. præcognitio facit vt contingẽs neceſſario ſit euẽturũ, quod ipsũ licet ex diuinis prædictionib. intelligere. Nã qui ita prædicũt, vt ſimul conſulãt, & exhortentur ad electionem actionemq; rerum opportunarũ, ij profecto res nõ quaſi futuras neceſſario prædicunt. Ad ſummam (inquit) ſi dijs iſti cuncta poſſibilia eſſe dicant, ſintq; etiam impoſſibilia dijs poſſibilia, nunquã tamẽ demõſtrabitur, propter futurorum præcognitionẽ, vt quæcũq; fiũt, neceſſitate efficiãtur: ſin aũt impoſſibilia dijs quoq; talia eſſe conceſſerint, primũ eorũ partes ſunt, huiuſmodi præcognitionẽ haberi poſſe docere, deinde cõpotes deos illius eſſe demõſtrare. quoniã neq; manifeſtum eſt, neq; rerũ vſui conſentaneũ, deos ad hũc modum res futuras præuidere. Neque enim ſe diuinationem tollere,

Reſponſio Alex. Aph. ad deorum præcognitionem.

neq; futura à dijs præcognoſci inficiari, ſed ita præcognoſci contendere, atq; hominibus per vaticinia prædici, vt ſeſe habet rerũ ipſa natura, ne mortales ea commoditate fraudentur, quæ maxima ex diuinatione contingit, vt aliqua incõmoda caueamus, in quæ niſi Deus conſuluiſſet, incidiſſemus. Sed Alexandrũ cum ſua de præcognitione Deorum ſentẽtia dimittamus. Cæterum de veri Dei præcognitione, cum priuati Martinum refellemus, accuratius diſputabimus.

Qualia erant deorum reſponſa.

Nunc ad Apollinis & cæterorũ dæmonũ, qui falſo dij eſſe putabãtur, vaticinia, quib. mentes mortaliũ eludebant, id quod veriſſimum eſt reſpondeamus: ignoraſſe illos res futuras, & vt vera quædã, ſic multa falſa prædixiſſe, ſed partim ipſorum dolis, partim hominum leuitate, factum eſſe ne illorum mendacia contrarijs rerum euentis apertiſſimè deprehenderentur. Illi enim reſponſis flexiloquis, ambiguis, obſcuris, oracula reddebant: homines verò quicquid eueniſſent, ſic interpretabantur, vt ipſum oraculo prædictũ eſſe videretur. At nonnulla vere, atque adeò multa Pythius Apollo, quæ rei certiſſimus euentus confirmaret prædicebat, niſi libeat mendacij omnes propemodũ veterũ hiſtoriarũ ſcriptores cõdẽnare. Certè multa, ſed quæ tum caſu euenirent, tũ ordine naturali quidẽ, minimè tamẽ neceſſario. Dæmones enim quid cauſæ cœleſtes ipſaq; natura vel efficiant, vel moliantur, multo exactius, quã ſapientiſſimus quiſq; Chaldæorũ cognoſcunt. Cum igitur conſtet naturæ conatus magna ex parte procedere, quod ſigna naturalia portẽdere intelligerẽt, id fore prædicebãt. Sed (quod eſt noſtræ ſentẽtiæ ſanè magnũ argumentum) non ignari cepta naturæ nonnunquam cauſis externis, atq; caſibus impediri, præſertim vbi locus ſit humanæ voluntati, omnib. reſponſis noctem quã maxime poterant offundentes, latebrã obſcuritatis adhibebant.

De aſtrologorũ reſponſis.

Eadem ferè cadunt in Chaldæorũ prædictiones. Neq; enim dubium eſt, quin Mathematici non dico caſu (quanquã id ſæpius efficiatur) ſed ex arte quæ plurimorum & hominũ & annorũ obſeruatione confecta eſt, quid natura moliatur cognoſcẽtes, vera prædicãt, ſed plerumq; falſa, non ſolũ ob artis ignorantiam, qua ipſi cæcutiunt, aut eiuſdẽ imperfectionem, quam iſti cauſantur, verum quia non ſemper naturę molimina, neq; pariter vbiq; procedunt. Vnde fit, vt ſæpe cũ pluuiam fore certiſſimis ſignis portendentib. ex arte ſua prædixerint, tamen pro ratione materiæ, hoc eſt vaporum exhalantiũ, qui ſolent in aquam concreſcere hîc abunde pluat, vbi copioſi ſunt & idonei; illic materia parce ſuppetente guttæ cadant rariores. Alio in loco vbi hæc penitus defecerit, ne nubila quidem appareant, quod profectò Mathematicis non deberet eſſe fraudi, qui pluuiam non quaſi neceſſario in illo tractu futuram eſſe prædixerint, ſed ita demum, niſi cauſis cœleſtibus obſtiterint impedimenta, quominus quod petunt aſſequantur. Porrò vt in huiuſmodi rebus materia & aliæ quædam externæ cauſæ naturæ

sæ naturæ fatique conatibus interdum obsistunt, sic in rebus agendis hominis vaga & libera voluntas pronitati naturali, quam solam Mathematicus ex motibus astrorum potest prædicere. Hanc enim si quis natus parum fœlicibus astris, velit euincere, potest rebus oppositis assuescendo in tantum superare, vt in oppositum confirmatum habitum, hoc est alteram naturam illi, qua fuit in lucem editus contrariam nanciscatur.

Nam quemadmodum aleatori, vt diuinus Plato dicebat, optimus quisque iactus exoptandus est, sed quicquid ceciderit, eo quam commodissime fieri possit vtendum: quorum alterum, hoc est fœliciter iacere, non est in lusore positum, alterum est in ipsius industria, vt dexter iactus aptissime ad vincendum accommodetur, sinister vt quam minime possit officere: sic expetendum cuique homini est, vt optimam habitudinem à natura sortiatur, quod est supra ipsius facultatem. vt autem rectam cõfirmet ac augeat, vel prauam vicissim emendet, & corrigat, non est votis aliunde petendum, sed à prudentia cuique sua (modo velit) per consuetudinem & studium suppeditabitur, quod Socrati & Stilponi accidisse supra memorauimus. Quos si Martinus Lutherus fuisset imitatus, profecto nunquam eò malorum processisset, neque se tot tantisque flagitijs sibi, & Germaniæ pernicioſissimis obligasset. Nunc cũ pronitati naturali, quæ pessima huic monstro nascenti contigerat, non modo non restiterit, sed etiam sacrilego, & deprauato animo per summum studium indulserit, quali sua ruina multos homines inuoluerit, difficile est sine magno dolore meminisse. Natus est enim Martinus (vt ab hominibus fide dignis accepimus) astris tam incommodis & importunis, vt ex ipsius genitura natalitijsque sideribus, siquid veri ratio habet mathematicorum, facile appareat, ipsum ad talia scelera patranda maxime fore propensum, & accommodatum. Habuit enim Horoscopum capricornum, qui nisi aliorum astrorum benigniore aspectu temperetur, falsa religione solet nascentium animos imbuere, & homines facit simulatores, mendaces, inconstantes, loquaces, infidos, libidinosos. Oppositio Martis & Mercurij vanitatem rursus, & mendacitatem Martini confirmat, quatuor planetæ in nona cœli regione magnas eum turbas falsa specie religionis concitaturum esse portendebant. quam vitioſissimam proclinitatem ratione corrigere, vsque adeo nunquam tentauit, vt omni studio & opera alere, & augere contenderit, & cunctis animi viribus fouere perseueret. *Genitura Lutheri.*

Sed redeamus ad fati patronos Stoicos, & eorum pertinaciam quia cepimus, proprijs suisque dictis refellamus. Nam licet res in fabulis, quas illi sequuntur more veterum agatur, ratio tamen nihilo minus valebit in Martinianos. Illi enim cum multi sint in laudanda diuinatione,

quam se solis auctoribus stare profitentur, & hanc in fidē adducant fatalis necessitatis, non solum à vero longissime abhorrent, sed prodigia quædam, & prorsus aliena de dijs comminiscuntur. Rogati enim cur si necessitate fatali res omnes eueniunt, responsa deorum sciscitantibus oracula in consilij exhortationisq; morem reddantur, quasi accepto responso, quædam homines & cauere valeant, & efficere: vt responsum, quod in testimonium adduci solet Laio Pythium consulenti redditum declarat. Cui Apollo *ne commitas*, inquit, *vt filium quempiā progeneres: si procreaueris obtruncaberis ab ipso, & tota domus tua cruentabitur.* ad hunc igitur modum interrogati respondent, idcirco Deum sic respondisse Laio, vt quæ fato futura erant adimplerentur. Nam quæ de Laio atque Oedipo cōmemorantur, nō fuisse euentura, nisi Apollo eo modo respōdisset. Neq; enim Laius filiū quem ebrius genuerat exposuisset, nec ille à pastore traditus Polybo Corinthio adulta ætate patrē cui ignoto ignotus obuiam factus est, interemisset, neq; parentes domi educat⁹ ignorasset, vt propter ignorationē alterū in via occideret, alteram vxorem duceret. Vt hæc igitur adimplerentur, totaq; fatalis fabula perageretur, Deū tradunt per huiusmodi responsū speciem Laio præbuisse, quasi quę portenderentur effugere, atque euitare posset. Ita procreatū per ebrietatē filiū exposuisse, dū putat se venientibus malis ad hunc modū occurrere, quidē expositio Oedipi, caput fuit & fons, vnde scelera omnia, oēs impietates, & incest⁹ tragici manarunt. Quæ qui ad hunc modū edisserunt, quo pacto diuinationem eiusq; cōmoditates, ac deorū in homines pietatem tueantur, ipsi viderint: mihi certe tali sententia cuncta hæc euerti, atque corruere videntur. Nam diuinatio quid esse aliud intelligitur quam futurorum prænunciatio? At isti non præmonitorem Apollinē, sed eorum quæ prędicit, causam & auctorem faciunt. Nam quæ non aliter futura erant, quā si Deus eo modo respondisset, imò quæ vt perficerentur Deus ita respondit, ea profecto à Deo non prænunciata prædictaque fuisse, sed confecta ab eodem peractaque fateri conuenit. Quòd si deos cæteris vatibus aliquo præstare par est, vt certe est, in eo profecto præstant vel in primis, quod mortalib. vt fiant etiam votorum compotes opitulētur, non quòd eos in ærumnas & calamitates inducant. Cum istorum interim sermone tantum absit, vt Pythius Laio fuerit opitulatus, vt omne studium omnēque conatum eò contulerit, vt nullum esset scelus, nulla tanta impietas, qua ipse ipsiusque domus non polluereturQuæ si vera sint, haud equidē video, quomodo sententia Epicuri, qui deorū tollit prouidentiā, nō plus habeat pietatis, aut cur omnis temeritas tali prouidentiæ non lōge debeat anteferri. Sed istos iam cum suis figmentis omissos faciamus, quorum studio vincendi eò processit pertinacia, vt si quam aliam fabulam nacti fuerint ex tragicis portentis poetarū, nihil sint recusaturi, quominus & fidē adhibeant, & inde fatalē necessitatē confirmare conētur. Nō

vel si

vel si Medea narretur alienis filijs consuluisse, suos propter pellicatum obtruncasse. aut Thyestes quidã pro cibo, filiorum carnib. vsus, tã lautas epulas fratrẽ Atreo ministrante. Quos æquius erat, & philosophi grauitate dignius, hæc fabularum argumenta vt commentitia propter incommoditates, quæ consequuntur refellere, quam propter argumenta tot difficultatib. atq; incõmodis implicari. quò fit magis istorum peruersitas insignis, qui nõ modo absurdissimis quibusq; fidem habent, sed causas etiã, cur ratione fiant reddere conantur. Sed de his hactenus, satis est enim sententiæ absurditatem, in quæstione quaque demonstrare.

Fundamẽtũ tertium Stoicorũ refutat.

Restat vt aliud argumentum, quod isti ad tollendam liberam hominis facultatem excogitarunt, quam vim habeat explicemus, & quàm nihil procedat exponamus. *Nam si ea* (inquiunt) *in nobis sunt, quorum perinde opposita efficere positum est in nostra potestate, & hæc sunt laudationum, vituperationumq; materia, in quæ homines adhortari solemus, & à quibus deterrere, deniq;, pro quibus mortales tum supplicijs, tum vicissim honoribus afficiuntur, nimirum neque prudentia valere, neque cæteris virtutibus præditos esse, situm erit in hominum potestate: quoniã qui virtutem habet, non valet idem simul oppositum vitium excipere, non magis quam virtutem contrariam admittere, qui iam vitio aliquo teneatur, nec qui vitiosus est, huic iam licet nõ esse vitioso. Atqui absurdum dictu est, neque virtutes neque vitia esse in nostra potestate, ac proinde nec in ipsis laudationes, & vituperationes versari. Non igitur liberum arbitrium eiusmodi esse, vt vulgo homines opinantur, sed virtutes & vitia aliter esse in hominum potestate, scilicet quia quamus effugi vel declinari nequeãt, per ipsos tamẽ obeũtur,* Quod argumentum refellere atque eius imbecillitatem aperire in prõptu est paruiq; negotij, si habitus huiusmodi, quomodo sint in nostra potestate explicuerimus. Habitus enim non ob id dicuntur esse in nobis postquam fuerint ingenerati, quia & non habere æque sit in nostra potestate. Sed quoniam antequam ingenerentur virtutum aut vitiorum habitus, optio nostra est, hunc an oppositum habitum induamur. quæ ratio perinde valet in artibus & disciplinis, quibus cum fuerint artifices instructi, non est iam in ipsorum potestate earum habitibus non esse præditos, ante tamen quam edocerentur haberent ipsos, an non haberent, integrum eis erat, atque permissum, vt intelligatur, longe dissimilem in futuris, atque in præsentibus & præteritis esse rationem. Nã quæ sunt, quæq; fuerunt, hæc non esse vel non fuisse minime licet, quod verò futurum est, non esse idem potest. Quoniam igitur ante virtutem obtinendam verum fuit dictu posse hunc, qui obtinuit, non obtinere, idcirco virtutem obtinere in potestate ipsius esse dicitur: quod si prudẽti virtus, qua censetur, in ipso protinus ortu natura contigisset, neque eius opera fuisset diligentiaq; parta, nimirum prudentem esse, non esset positum in prudentis potestate non magis quã bipedẽ esse, rationisue participem, nec vllam laudem, quòd talis esset mereretur. Sed homines fortasse in admirationẽ sui cõuerteret, quod à natura fuisset tã præstanti munere donatus. Eos enim laudib. prosequi cõsueuimus, qui cũ essent

quomodo habitus sint in nostra potestate.

tenui

tenui valetudine & imbecilli natura, vt valentes ac firmi essent cura & exercitatione fuerunt consecuti, studium videlicet, ac prouidentiã cõmendantes. Nam si, quos nullo suo labore, ac sollicitudine, sed sponte naturæ firma & robusta valetudine conspexerimus, fœlices eos & fortunatos appellamus, quod sponte his citraque laborem suppetat, quod alij boni consulunt, si per magnos labores, atque curas consequantur. Hoc enim tantum abest, vt materia sit legitimæ laudis, vt sæpe ad imminuendam gloriam vsurpetur, si quo excellere quispiam existimatur. hoc ei beneficio naturæ contigisse, non cura industriaque ipsius comparatum fuisse dici possit, quemadmodum carmen illud Homericum docet, quo Agamemnon Achillis insolentiam superbiamque coercet.

Quod natura contingit, nõ est materia laudis.

Iliad. 1. *Robore si præstas, dedit indulgentia diuûm.* Quod perinde, ac multo etiã magis in virtutibus, si cui natura contigissent eueniret. Vt Deum immortalem nõ laudamus propter partas virtutes, quæ in eo nullæ sunt, sed propter insitas & coæuas ac (vt theologi loquuntur) consubstantiales ipsiusque præstantem naturam, admiratione prosequimur. quod cum neque at hominibus suppetere, ne postulandum quidem est à natura. At cum virtus propriæ cuiusque naturæ perfectio sit, nec fieri possit, vt quod imperfectum est, ad perfectionem peruenerit, ne fieri quidem valet, vt homines qui (vt cætera) nascentes imperfecti sunt, cum virtutibus procreentur. Neque tamen inficias eo, naturam hominibus ad virtutem obtinendam opitulari. quibus constat quædam velut semina virtutum cum mente ipsarum capaci naturæ beneficio suppeditari, quæ si studiose curentur, & accuratius excolantur, more frugum adolescunt, & fructum vberrimum ferunt: eadem neglecta iacent, interdum etiam funditus extirpantur. Quæ vis cæteris animantibus negata facit, vt homo licet corporis viribus à pleriſque animalibus superetur, natura tamen præstantior cæteris omnibus habeatur. Nam si homines cum virtutibus nascerentur, aut virtutum illa semina crescentibus hominibus, & ad perfectionem tendentibus vltro augescerent, suaque sponte prouenirent, vt ingrediendi robur, vt dentes, vt barba, & cætera, quæ nulla nostra cura, suo tempore per naturam contingunt, profecto virtutes non magis in nobis essent, quam singula quæ modo memorauimus. ita prudentia, fortitudine, cæterisque id genus virtutibus mortales omnes omnino, vel certe magna ex parte præditi essent: nec laudibus, vituperijs, præceptis adhortationibus locus relinqueretur: nec superesset aliud, quam vt virtutum diuinitatem admiraremur, & has sortitos fœlices esse diceremus. Sed quia res longe aliter habet, neque mortales cuncti, vel magna ex parte (quod signum esse solet rerum per naturam supperentium) virtutibus instructos esse cernimus, sed boni consulimus, si vnum aliquem nacti simus, qui præsidium à meditatione disciplinaque petens, dum ferret, de-

ret deficienti naturæ ſuppetias, id conſecutus fuerit, vt quantum belluis homines antecellant, poſſit eſſe documento, ſatis intelligitur virtutes comparare, ſitum eſſe in noſtra poteſtate, nec immerito laudari bonos, aut vitioſos iniuſte vituperari, nec exhortationes eſſe ſuperuacaneas, aut nequicquã leges adhiberi, quas ad recte beateq́ue viuendũ duces habeamus. Neque vero virtutes & vitia ob id tantum ſunt in noſtra poteſtate, quòd antequam nobis ingenerarẽtur, hoc ipſum erat optionis ſtudijq́ue noſtri, verum etiam quia huiuſmodi habitibus ingeneratis, ſuper eſt etiãnum facultas in nobis eoſdem abijciendi, & in oppoſitos per oppoſitam conſuetudinem cõmutandi. Quamuis enim qui fortis eſt, is timidus ſimul eſſe non poſſit, poteſt tamen fortitudinem, quã ſibi ſubeundis periculis aſſueſcendo pepererat, conſuetudine rerũ oppoſitarũ amittere. Eadem ratio liberalitatis & auaritiæ, cæterarumq́; virtutũ, & vitiorum, quæ mores attingunt reperietur. Nam quod natura cuipiam adeſt, id nulla cura nulla conſuetudine in diuerſum agas: vt ſaxum quod naturali atq; inſita grauitate defertur, nemo quãlibet ſæpe in ſublime iacendo ſic afficiat, vt aſſuetum aliquãdo ipſum ſua ſpõte ſuperiora capeſſat, cum interim mores hominũ alij & alij pro diſcrimine conſuetudinis efficiantur. Ad hæc in rebus naturalibus primum habitus à natura mutuamur, deinde officijs per ipſos muneribusq́; fungimur, vt videndi habitum non nobis ipſi peperimus, ſed cum nobis ſponte naturæ ſuppetat, videndi fungimur officio. In ijs aũt quæ non natura proueniũt, ex operibus, & actionibus habitus nobis comparamus, neq; enim ſecus artifex quiſquam efficitur, quã ſi artis munera ſæpe ad præſcriptum docentis obierit. cum igitur virtutes per curam nobis ac meditationẽ contingant, ſæpe enim à voluptatibus temperando tẽperantes efficimur, vt fortes, pericula identidem ſubeũtes, dubitari non poteſt, quin virtutes nobis ſtudio curaq́ue noſtra, non ſponte naturæ contingant.

Age verò qui virtutes vitiaq́; mortalium referunt ad fatalem neceſſitatem, nec libertati noſtræ permittunt, virtutum ne via, an vitiorũ ingredi malimus, quomodo ij ſibi cõſtare velint, hominem propter quem cæteræ animantes gignũtur, & ad cuius ſalutẽ conſeruationemq́; pertinent, ab eo vt queant vendicare, ne omnium animalium peſſimus fuerit à natura productus? Quoniam excepta virtute iſtorum ſententia nihil eſt in bonis, in malis nihil, ſi vitium excludas. At cum in cæterorum animantium nullum neq; virtus cadat neq; vitium, homines pleriq; omnes mali ſunt, atque adeo poſt hominum memoriam vnus aut alter bonus fuiſſe ab iſtis commemoratur, vt admirandũ quoddã ac inuſitatum animal, ipſaq́; phœnice rarius. Quòd ſi peccata cuncta paria ſunt, nec malus alter altero peior eſt, vt iſtorum dogmate conſtituitur, & qui non ſunt ſapientes, omnes pariter inſaniunt, qui fieri poteſt, vt homo non ſit miſerrimus animantium, cui vitium eſt inſitum, & inſania hæreditaria? Sed

Homo peſſimus eſſet animantium per Stoicos.

quia veterum philosophorum fundamenta nec alte, nec constanter iacta esse, satis (vt quidem videmur) ostendimus ac ipsorum rationes refutauimus, quæ sequuntur in tertio libro differemus.

DE FATO ET LIBERO ARBITRIO,

LIBER TERTIVS.

IN libro superiore, præsul illustrissime, ad argumenta Stoicorum qui se fati necessitatis pertinacissimos patronos exhibuerunt respondimus, ipsorumque decreta mutua pugna concidere, aperte (nisi nos opinio fallit) exposuimus. Deinceps incommoda persequemur quæ cõmuniter omnes consequuntur, qui fatalem necessitatẽ tueri quacunq; ratione conantur, siue fatũ appellent connexarum cõsertarumq; causarũ ordinẽ, vt Stoicis placet: siue Dei voluntatẽ aut præcognitionẽ, quemadmodum Lutherus dicere videtur. Illud enim quærere omitto (quãquàm id bonorum omnium, atq; prudentium vel plurimi debet interesse.) Siquis vtramque partem ex æquo dubiam, atq; incertam esse statuat, nec esse magis exploratum multa in arbitratu hominis esse posita, vt ipsi censemus, & rerum natura testatur, quàm omnia fatali necessitate fieri, vtri opinioni assentiri suffragariq;, tutius, honestius, commodiusque debeat existimari. constat enim ad religionem moderandam, ad cœtus hominum conseruãdos, & resp. administrandas, ac (vt semel dicam) ad omnia officia, omnesque virtutes colendas longe tutiorem esse sententiam, multoque opportuniorem, quæ pleraque hominibus ac ipsorum arbitratui permittit. Nam si cuncta necessitate fieri hominibus fuerit persuasum, cuius animus vel ad Deum colendum, vel ad homines virtute demerendos, & officiũ suũ reip. præstandum erectus esse poterit? aut cuius conatus ad res præclaras gerendas non frigebunt, ac debilitabũtur? reputãtis, nihilo secius quiescente se, quàm cunctis viribus, & operibus adnitente, rem pro fati necessitate processuram, vt facile appareat, si neutra sententia altera esset exploratior, indignum esse tamen eorum grauitate, qui se magistros morum esse profitentur, sententiam de necessitate tueri, & alios in eam inducere conari, quæ plena periculi est, peccandiq; affert auctoritatem, & in omnium virtutum, ac totius humanæ vitæ perniciem cum maximis incõmodis, quæ iam explicabimus spectat. Quorum illud est absurdissimum & procul dubio falsum, sed necessitati fatali maxime consentaneum, homines frustra de rebus agendis consultare. Nam si consilia frustra nobis ineuntur, nimirũ superuacanea est ipsa cõsultãdi facultas,

Sequuntur incõmoda, quæ ex fatali necessitate eueniunt. Superuacanea esset consultatio.

qua

qua homines natura præditos effecit, quod verum non esse, quis potest dubitare? cum vt Deum, sic naturam ex rebus quas sibi proposuerit, frustra nullam efficere & superuacaneam, cõsensus sit philosophorũ, theologorumq; communis, simulq; constet, tali facultate hominẽ à Deo ipsa que natura nõ fortuito, vel ex accidenti, sed consulto & ex industria donatum & instructum esse. Cunctis autem rebus necessario euenientibus superuacaneam esse consultationem, perspicuum fuerit, deliberandi vsus, quis demum sit considerantibus. constat enim inter omnes mortales, hoc homini præcipui præter cæteras animantes à Deo & natura esse tributum, ne rerum visa temere bestiarum more consectetur, sed ratione præditus sit, qua visa, hoc est rerum species oblatas dijudicet, atq; discernat, vt facto iudicio, si res qualem speciem præbuerint, tales esse comprobentur, visis si bona sint assentiatur, & sic ad obeunda munera procedat: sin aliter, cæteris reiectis, eligat, sequaturq; quod omniũ maxime visum fuerit expetendum. Sæpe namq; & plurimis in rebus consilia cõmutamus, ratione priorem opinionem redarguente, & quæ incõsulto feciſſemus, hæc efficere propter consultationem omittimus: quid ita? nempe quia nos ipsi deliberationis, ac electionis, in quibus reb. consultatio versatur, domini sumus. Cur enim neq; de sempiternis consultamus, neq; de ijs quæ sunt haud dubie necessaria? nisi quia talem cõsultationem superuacaneam nobis & inutilem esse natura demonstrat. Sed neque de rebus agendis, quæ non sunt in nostra potestate, consilium capimus, deliberationem eiusmodi nullum nobis fructum allaturam esse intelligentes. Qui enim de re aliqua consilium capit, is vtrum agenda sibi ea sit an secus consultat, & simili modo siquis ad propositum bonũ & quasi finem pertinentia conquirat. Qui si forte in rem inciderit, quã vel fieri omnino, vel à se fieri non posse cognoscat, ab ea protinus desistit, sed alia inquirit, hactenusq; consultare perseuerat, donec id inuenerit, quod efficere positũ sit in ipsius potestate. hoc enim simulatque nactus fuerit, finem facit consultandi, velut inquisitionem ad initiũ rei gerẽdę deduxerit, & rem propositam, atq; deliberatã exorditur. Sic aũt inquirit, quasi edoctus à natura sit, esse in ipsius arbitrio, hæc an opposita persequatur. Quæ causa facit, vt prudentes amicos adhibeamus, ne opinionis errore labamur, & post factum male initi consilij pœnitẽtia subeat, quæ & ipsa magno argumento est, fuisse nobis facultatem oppositum atque fecimus efficiendi. Ad summam, ne de ijs quidem consilium capimus, quæ à nobis aguntur; si præterita sint, quoniã inutilis esset huiusmodi deliberatio, sed in hoc genere de ijs duntaxat, quæ futura sunt cõsultamus. Sperantes videlicet ad electionem, & actionem ipsorũ, fructũ nobis quempiã huiusmodi consultationem allaturam. Nam si de ijs reb. consilium capere omittimus, ex quorum deliberatione nullũ cõmodũ præter ipsam consultationẽ capimus, dubiũ esse non debet, quin de quibus

Quib. in reb. versatur consultatio.

bus consultamus, ex ijs aliquod præterea nobis emolumentum pariamus. Quod quid aliud esse censemus, quàm vt pro ea facultate, quam nobis Deus & natura tribuit, quicquid velimus in huiusmodi rebus eligẽdi, ea consectemur, quæ ratio nobis commodiora esse demonstrarit, & res ipsas, veritatemque falsis rerum visis præferamus. Quod citra consultationem non contingit. At si quæcunque agimus, hæc ne agamus, nõ est in nostra potestate, sed agimus omnia ad superioris causæ præscriptum, qua necessitate ignis calore afficit, lapis descendit, si fuerit è sublimi demissus, globus per decliue volutatur, quæ tandem est vtilitas, quod emolumentum, cur tam solicite de rebus agendis consultemus? Si quod inconsulto egissemus, hoc inito cõsilio agamus est necesse, ac præter deliberandi solicitudinem nullum est operæ pretium deliberandi. Superuacanea est igitur, & prorsus inutilis consultatio, ex quo cum fiat, (quemadmodum diximus) vt frustra Deus ipsaque natura vim tribuerit hominibus consultandi, quod dictu nefas est, & magnum in vtraq; philosophia peccatum, furor est, profecto furor, non solum impietas, facultatem oppositorum hominibus in rebus agendis abrogare, & necessitatem rebus omnibus inducere. Quid enim dictu absurdius esse potest, quàm à Deo naturaque mortales cunctos eludi studio inani, ac inutili opera consultandi?

Omnes leges essent inutiles.

Sequitur præterea ex hoc admirando decreto, id quod omnem societatem hominum peruertit, omnem ciuitatem labefactat, leges tum diuinas, tum humanas esse prorsus inutiles, nedum minime necessarias. Quoniam si res omnes ad præscriptum causæ superioris, quam isti fatũ appellant, necessario fiunt, nec hominis appetitus siue voluntas niti potest in oppositũ, non magis quàm lapis demissus se à descensu cõtinere, quid tandem causæ fuerit, cur leges desideremus? aut quem fructum possumus ex ipsis expectare? Nam quemadmodum lapidem, si deferri non debere dicas, nulla tamen lege, nulla dehortatione descensum eius cohibeas, naturã suã necessario consequentis, sic conditores ciuitatum nihil omnino ferendis legibus profecerint, si homines in sui quemque fati oppositum inducere, aut ab ipso reuocare tentauerint. Nulla est igitur legum, ac institutorum vtilitas, cum leges agenda præcipiant, rursusque vetent non agenda, & nos sæpe in diuersum fatali necessitate reuocemur, aut trahamur eodem, nihilo seciꝰ effecturi, si nihil lege caueretur. Sublata porrò legum vtilitate, leges stare qui possunt? his autem sublatis, perit nimirum omne officium, nec debet quidpiam vel dici vel haberi peccatum, vt neque laudibus præmijsque, neq; vituperijs, ac pœnis locus vllus relinquatur. Nam qui probari potest, vt si quis ignorantia, aut vi aliqua coactus deliquerit, hunc venia dignum esse dicamus, eos negemus, qui scienter quidem peccauerint, causis tamen se cogentib. obsistere non potuerint, cum sic nati, & ab ipsa natura affecti sint, vt nõ magis

gis queant, quæ agunt non efficere, quàm saxum ex alto demissum per se in descensu cõsistere. Quos si quis eo nomine reos faciat, haud equidem video, cur asino exprobrare non inducant animum, quod non sit elephãtus, aut porco quod animam, quæ illi propter inertiam pro sale data esse dicitur, potiorem non fuerit sortitus, obijcere. Quis autẽ Dionysius aut Phalaris huc furoris, ac immanitatis processit, vt propter huiusmodi facta in quempiã animaduerteret? Longe igitur aliter sese res habet. Et cum alij plectantur iuste, quidã iniuria puniantur, in eos modo iuste putant mortales omnes animaduerti, qui consulto nulla cogẽte necessitate, sed suo scelere atq; nequitia sese criminibus obstrinxere. Quib. à Deo naturaq; optione data, factaq; copia, vtra via mallent, virtutis, an vitiorum ingrediẽdi, commoda & voluptates, officio atq; honesto prætulerũt: cæteris, qui è recta via propter alias causas deflexere, facile veniã per leges, & homines impetrãtibus. At isti morum pergraues magistri, & præclarus religionis auctor Lutherus, quid aliud egregio suo dogmate, quam peccatorum omnium & occasionem præbent, & latebram. Quo in loco eos philosophos admiror, quorum sunt nec turpes, nec improbandi mores, sed virtutis studio ac honestatis amore ducũtur, quòd nõ videãt, tali suo decreto flagitiosis, & sceleratis hominibus magnam scelerum excusationem suppeditari. Qui profecto sibi veniam nihilo minus deberi, possunt magistros conuincere, quã ijs, qui nolentes & inuiti in re quapiã deliquẽre. Nam si suã causam, huiusmodi necessitatem allegãtes, ne ipsis quidẽ pręceptoribus assertoribusq; fati probare valent, dubium esse non potest, quin & ipsis & cæteris omnibus mortalib. insitum sit, ac persuasum, nobis esse rerum agendarum, & secus, liberũ arbitriũ à deo ipsaq; natura tributum, quos tamẽ minus miraremur, si saltem ipsorum vita, factaq;, cum dictis & præceptis aliqua ex parte consentirent. Nam qui persuasum habeant, hominibus diuersa quã agunt, agere per fatũ non licere, his consentaneum erat neminem accusare, laudare neminem, nemini consulere, ad summã nullum officium obire, quod indiciũ sit liberæ in rebus agendis facultatis. Nũc cum cæteros ad quædam peragenda nõ modo præceptis, sed etiam obiurgationibus adhortentur, nónne taciti cõsitentur, posse illos, nisi admoniti fuerint, opposita atq; ipsis pręcipiuntur, efficere? Quin & libros conscribunt ad animos adolescentum institutis atq; doctrina informãdos, quod opus non à fati necessitate, sed ab humanitate & beneuolentia profectum esse intelligi volentes, sic gloriam pro mercede laboris petunt, quasi dum scriberent officium lubentes, & liberi secuti sint, nõ coacti fatalem necessitatem. Martino Luthero nihil sanè est, quòd hanc imprudentiam, aut inconstantiam obijciamus. qui hoc ipsum agit, hoc elaborat, vt homines à religione, à virtute in omnem impietatem, sceluſq; traducat, quo multorum in flagitijs societate, ipsius scelera minus

Nemo iuste plecteretur.

Factis suis redarguuntur Stoici.

Constantior in crimine Lutherus.

turpitudinis habere videantur, nec per ſummum ſtudium aliam viam commodiorem hac, nec magis compendiariam excogitare potuit, ad excuſandum ſacrilegia,& inceſtus,vel ſuos,vel eorum, quos habet ſatellites impietatis,& quos legitimè ſolet fratres ſuos nuncupare. Vt enim Paulus ſui ſimiles,hoc eſt viros ſanctiſſimos,& qui pro Chriſto,& Euangelica veritate occumbentes,honeſtiſſimum pulcherrimumq; teſtimonium præbuerunt,& miraculis claruere,ſic Martinus ſuos vt grecè dicam συναποσάτας,compotores,collenones, ſacrarum virginũ conſtupratores,breuiter quos fraudum, inceſtus, ſacrilegij, ac omnis ſceleris ſocios habet,fratres ſuos,dum Paulum imitatur appellat. Quibus cum Paulinis hęc eſt præclara ſimilitudo,quòd illi continentia,caſtitate,humilitate,ſanctimonia,cæteros ad Chriſti Dei religionem adhortabantur,& auctores non ſolum doctrina, ſed etiam exemplo ſui fuerunt,vt multi bona cuncta diſtraherent,& pijs pauperibus impartirentur, poſtremo oppetita morte pro fide idem, quod vita, teſtificati ſunt,Lutherus autem cum ſuis fratribus homines,libidine,inceſtu, ſuperbia,ſacrilegijs ad omnem impietatem inuitant,ſeq; ad vrbes, oppida, fana, obſidendum, vaſtandum, diripiendum duces, & anteſignanos præbent.Nequis interim miracula à ſicarijs & ſacrilegis expectet, aut miretur,quod nemo ipſorum vel claudum equum(quod pulchrè teſtatur teſtis locupletiſſimus Eraſmus)ſanare potuerit.

Quos fratres vocat Lutherus.

Sed redeo ad abſurda & incommoda, quæ tam dura neceſſitas cogit homines,ſi fides errori huic habeatur incurrere,quorũ & illud eſſe conſtat,quòd hominum prudentia fatali tyrannide funditus excluditur,& pereunt omnes fructus,quos maximos ab ea nos capere putamus. Eſt enim prudentia rerum hominibus agendarum fugendarumq; cognitio, Et hoc à ſcientia differre dicitur,quod ſcientia eſt de rebus neceſſarijs, & quæ aliter habere nequeunt:prudentia de ijs,quæ aliter & aliter effici,aut viciſſim non effici poſſunt.quæ ſi nulla ſunt,vt certè non ſunt, ſi cuncta neceſſitate fiant, prudentia nimirum non poteſt non eſſe ſublata. Ad hæc ſi iniuſſu fati,hoc eſt pręter eius præſcriptum,nihil neq; agere neq; omittere poſſum°, quid obſecro talis cognitio poteſt habere vtilitatis? Ad ſummam(ne ſingula perſequar) qua ratione leges cum neceſſitate fati ſtare non poſſe docuimus,hac tollitur prudentia, & quicquid à prudentia proficiſcitur,hoc eſt virtutes omnes pereunt, omnia officia,laudes,præmia,gloria,& his oppoſita tolluntur : religio item & pietas,& quicquid cœtus hominum conſeruat,& ſolet ciuitates, regna,reſque publicas in cultu Dei,atque officio continere.

Prudentia perit fatali neceſſitate.

Nunc ad te venio Luthere,hoc eſt ad nefarias tuas calumnias, & ſophiſticas ineptias propalandũ.Sed illud prius videam° (quod eſt morũ ac ingenij tui clariſſimum ſpeculũ) quid ad ſacrarum literarũ teſtimonia com-

Incipit in Lutherum priuatim diſputare.

nia commemorata, quæ tibi obijciuntur respondeas, quomodo cum apertissime libertatem arbitrij constituant, possint cum necessitate omnium rerum agendarum cohærere, quomodo non pugnantissime dissetire, hoc fac vt doceas, & præter eos, qui in tua verba iurarunt, cuipiam paulo modo doctiori, & cordato persuadeas, iam manus dabimus. Iam te plus effeciſſe fatebimur, quã si nõ dico claudũ equũ sanasses, quod tetuosq; negat (vt modo dicebã) Erasmus facere vnquã potuisse, sed mortuum hominem ad vitam post quatriduũ restituisses. Quo in loco Martine memento causæ nobis susceptæ in quo versetur status, ne mihi respondeas, quasi hoc in præsentia quæratur (quod tamen obiter perstringere erit fortasse necessarium) vtrũ homo per liberum arbitrium absq; propriore Dei gratia præstare possit officia, quibus dignũ, aut congruum sit, vt pro præmio sempiterna, beataq; vita tribuatur, aut saltem ad eá conari quod tu dum pernegas Erasmo, omnem prorsus volũtatis humanæ tollis facultatem, hæc enim ciuilis quæstio esset, & quæ sine discrimine totius religionis inter pios, & catholicæ fidei asiertores posset agitari, mihi autem est tecum Luthere, id est, cum homine impio & sacrilego (quid enim dicam hæreticorum & Christianæ religionis hostẽ?) non pro fortunis (vt aiunt) & leuibus præmijs certamen, sed pro aris & focis, pro summa religionis, deniq; pro cunctorum mortaliũ libertate, quos ab indignissima seruitute, quam generi humano imponere moliris, asserere constitui, & ope diuina me asserturum esse confido. Respondebis igitur mihi, prout ratio causæ nobis susceptæ postulat, vt actionum cunctarum necessitatem, quã tuo de seruo arbitrio toto fermè libello inducere laboras, tuearis. Et primum ad illud, quomodo Deus reliquit hominem in manu consilij sui, hoc est in libera sua facultate, si nulla est hominis libera facultas, sed quicquid facit necessario facit: *Per manum* inquit *consilij intelligitur non liberum arbitrium, sed id quod habetur* Genes. 1. & 2. *homo constitutus est dominus rerum, vt libere illis dominaretur. Ibi enim homo potuit in rebus suo arbitratu agere.* Rogo te Luthere intelligis quæ dicis? aut tam cæcus es, ac furens, vt tuorum verborum non videas repugnantiam? qui simul negas, arbitrij hominis libertatem, simul affirmas, datum esse homini, vt libere reb. dominetur, & in ipsis agat arbitrio suo: Quid est enim aliud rebus libere dominari, quam eisdem pro suo arbitratu vti, non vti, ascisere, dimittere, & posse vtcumque, in quamlibet partem vocare, & vicissim reuocare? quod ipse paulò post vel apertius confiteris, cum duo regna diuersa facis: vnum quo fertur homo suo arbitrio, & consilio, alterum in quo nõ relinquitur in manu consilij sui, sed arbitrio, & consilio Dei fertur. Quo priore regno quid magis potest cũ rerum omniũ agendarum necessitate pugnare? At illa parua sunt dices, & in quibus non admodum versetur summa rerum. Parua quidem, sed eiusmodi, vt sint maximorum certissimum argumentum.

Verborum Lutheri repugnantia.

mentum. Qua enim ratione positum est in hominis potestate, atque optione, equo inuectus rus inuisat, an non: hac vt pauperi amico munuscula summittat, & laboranti opituletur, an non. At hoc officio nisi adsit gratia, non proficitur ad vitam æternam. Neque id ego nunc laboro, quantum hoc valeat ad fœlicitatem, satis est ad susceptā causam, vtrūq; esse in hominis potestate, quod tu hoc in loco cōcedis, dum homini datum esse dicis, vt in rebus suo agat arbitratu. Nam vt tibi largiamur, ex se arbitrium sine gratia, præterquā ad peccādum, nullam habere facultatem, non protinus effeceris, vt ipsius non sit oppositorum æqua potestas. Si enim quicquid efficitur sine gratia, peccatū est, haud dubiè multa peccata sunt ex diametro inter sese oppositā, vt in Iudæo nunc vel Sarraceno suggerere, non suggerere necessaria pauperi: temperare, nō temperare à libidine, est autem arbitrij æqua ad peccatum omne potestas. nam cur hoc magis, quàm illud vetetur efficere, cum vtrumq; malum sit? est igitur arbitrio par facultas oppositorum. Sed videamus, si placet, perpetuam Ecclesiastici orationem, quam apte & cōmode Martinus interpretetur, verba sunt hæc: *Deus ab initio constituit hominem & reliquit illum in manu consilij sui, adiecit mandata & præcepta, si volueris mandata conseruare, conseruabunt te,* quorum intellectus simplex est & apertissimus, sic hominem à Deo relictum in arbitrio suo fuisse, vt si mandata seruare vellet, hoc præmium reciperet, vt ab ipsis conseruaretur, hæc est enim Augustini aptissima verissimaq; expositio. Martinus autem more suo inuertens & sensum, & cohærentia verba dilacerans ad hunc modum exponit: *Reliquit hominem in manu consilij sui,* id est, *fecit ipsum rerum dominum.* O pulcherrima & quadrantissima interpretatio. *Adiecit* (inquit) *mandata, non ea, in quibus consilium, & voluntas humana versatur, sed ea in quibus homo absque suo arbitrio alterius præscriptum, & voluntatem sequitur. Si hæc expositio proba est* (inquit) & clara, *euicimus.* Ista expositio si proba est Martine atque clara, nox est illustrior meridie: *sin minus* (inquit) *clara, locus redditur ambiguus, vt in neutram partem magis valere debeat.* specta perditissimam hominis impudentiam, cuiusmodi expositionibus velit soli tenebras offundere, ne ignorare possis, qua mente, qua rectitudine cætera sacrarum literarum loca aduersus receptam doctissimorum, & sanctissimorum virorum sententiam interpretetur. Sed ad proxima verba procedamus, peiora, & longe turpiora reperiemus. Cum à Martino quæritur, si seruare mandata, non est in hominis potestate, qui possint non esse superuacanea illa verba, si volueris mandata seruare, quæ apertè potestatem seruandi in eo, cui dicuntur significant, respondet: *Si volueris verbum est subiunctiui modi, quod nihil asserit, sicut dialectici dicunt, conditionalem indicatiui nihil asserere: vt si diabolus est Deus, merito adoratur: si asinus volat, asinus habet alas:* Aspice rursus quo veterator æstuans confugiat, & quibus tricis implicetur.

Eccl. 15.

Ridicula Lutheri responsio.

Puerilis responsio Martini.

cetur. Ergo ne Martinus in rebus grauissimis, vbi vertitur summa religionis, à sophistarum captiunculis præsidium petit, & sustinet homo vanissimus, theologos & philosophos, graues & sapientes viros, sophistas passim in contumeliam appellare. Hoccine est spiritu Dei sacras literas interpretari, fallentium sophistarum præstigijs, aut ludentium hominum iocis similes efficere? *Nam huiusmodi* (ait) *sermone vtuntur parentes quando cum suis filiolis ludunt. Ergo simile est* (inquit) *si volueris conseruare mandata, conseruabunt te: & si asinus volat, asinus habet alas.* quàm feriatus esse debebat spiritus sanctus, cum ad hos iocos, ad has nugas descendebat, quam oblitus diuinæ maiestatis. Nam quis vnquam sic est serio locutus ad cæcũ (ne ab exemplo conuenientissimo discedamus) si volueris videre, rem tibi gratissimam indicabo? Ad summam constat in illo sensu nunquam eiusmodi orationem extra ludum, nisi in rebus, quæ fieri nequeunt, temere ad illum modum vsurpari. vt cum ita loquimur, si probatum fuerit, meridie non lucere, quanquam ne hæc quidem oratio à ioco prorsus abhorret. Nisi stulte Solon Athenienſis à viris prudentissimis laudatur, qui cum suis ciuibus per summam sapientiam leges condidisset, interrogatus cur non lege cauisset, qua pœna mulctandus esset, si quis patrem occidisset? respondisse fertur, quia neminem eò sceleris putasset processurum. Cuius vel facti vel dicti, quæ potest alia esse causa laudandi, nisi quia quod lege cauetur, id fieri homines non solum posse putãt, sed etiam solere. Valeant igitur aliquid istæ nugæ in ludo literario, & quæstiunculis, & progymnasmatis, quibus ingenia puerorum exercentur, ab scriptis non dico sacris, in quibus inest summa dignitas & grauitas, sed omnino serijs faceſſant, quæ non ad laqueos, & decipulas sophistarum reuocanda sunt, sed ita interpretanda, vt postulat non improborum hominum malitia, aut insipientium stultitia, sed sanorum ac prudentium communis intellectus. A quo cum istius interpretationes tantopere dissentiant, nonne stultum videri potest, contra insanientis hominis furorem longiore sermone disserere? cum sit satis insana ipsius verba, adhibita quantulacunque explicatione, commemorare. Sed audi portenta superioribus etiamnum absurdiora. Cum obijciuntur Luthero tot præcepta, tot exhortationes, consilia, exprobrationes, quibus scatet vetus & nouum testamentum, quæ inutilia prorsus sint & superuacanea, si nihil potestati hominis permittatur, vna est ipsius & ea breuis ad omnia responsio *talibus dictis ostendi homini, quid facere debeat, non præcipi quæ possit efficere, vt videat* (inquit) *quàm nulla sit sua lux, & nulla voluntatis virtus, vt cognoscat peccatum, non vt credat sibi inesse aliquam vim efficiendi, breuiter vt tali cognitione nostræ imbecillitatis humiliemur. Minas autem & promissiones huc pertinere, vt homines erudiantur, moueantur, excitentur, atque terreantur.* Hic ego quid dicam? aut quid insecter tam profligatam hominis impudentiam? qui iniuriam profecto mihi videor esse facturus prudentibus hominibus, si tam cunctis a-

Solonis dictum,

Lutheri ineptа respõsio quare tot sint adhortationes in S.S.

ctis aperta mendacia ſtultiſſimæ interpretationis nitar ipſis accuratius
ad Rom. c. 3. explicare. *At Paulus per legem dicit cognoſci peccatum.* Quid ni dicat? cum ſit hoc legis maximè proprium, nõ ſolum diuinæ, ſed etiam humanæ, vt agenda ſimul doceat, ſimul agere præcipiat. per legem igitur cognoſcitur peccatum, quoniam niſi lex ſit, ignorari neceſſe eſt, quid ſit peccatum, quid virtus, quid officium, quod in eadem epiſtola docet Paulus his verbis, *Cap. 7.* *concupiſcentiam neſciebam eſſe peccatum, niſi lex diceret, non concupiſces.* Imò verò niſi lex ſit, peccatum eſſe non poteſt. eſt enim peccatum legis tranſgreſſio, in quo eundem Paulum habemus auctorem *Eadẽ epiſtola cap. 4.* *qui vbi non eſt lex* (inquit) *ne prævaricatio quidem.* Sed quoniam iſti tuo Luthere tam impudenti mendacio ſumis occaſionem ex verbis illis Pauli, *per legem cognitio peccati*, quæ reuera pugnantiſſimè diſſident à tua ſententia, non grauabor hoc in loco verba illa Pauli, quam breuiſſime potero, quo pertineant, plane & apertè, & quam vim habeãt explicare, vt te Pauli ſenſum vel ignorantem doceam intelligere, vel ex induſtria (quod magis credo) peruertentem, manifeſta veritate redarguam. Dico igitur Paulum illic longiore orationis, perpetuoq; tractu id agere, vt Chriſti aduentus quam fuerit ad cunctorum hominum ſalutem neceſſarius edoceat: hoc autem oſtendit, dum pluribus verbis peccata hominum acerrime, neglectumq; Dei cultum inſectatur. *Cap. 1.* Homines enim clamat *repletos eſſe omni iniquitate, malitia, fornicatione, auaritia, nequitia,* & cæteris omnibus peccatis, quæ nominatim perſequitur. Ne quis autem verba ſua ſic acciperet, quaſi ingentes duntaxat dicta, & eos qui legem ignorarẽt, non etiam in Iudæos, quibus per Moſem & prophetas lex data eſſet, & voluntas Dei manifeſtata, prorſus vt illis Chriſti aduentus eſſet neceſſarius, Iudæi cum legem haberent, tali beneficio nihil indigerent, teſtatur Iudæos pluribus etiamnum, & maioribus flagitijs obligari, qui cum legem haberent, quid rectum, & viciſſim peccatum ſit oſtendentem, & recte agere præcipientem, inutiliter tamen eam atq; adeo cum ſuo detrimento retinerent. Nimirum quia lex tum demum eſt hominibus fructuoſa, cum quæ lege facere iubentur, exequuntur. Contra verò qui per legem peccatum cognoſcit, & quæ in cæteris accuſat, hæc ipſe patrat non inſcienter, is eo grauius delinquit, quo minus poteſt ignorantiam excuſare, hoc eſt enim quod ipſe ait: *Cap. 2.* *Propter quod inexcuſabilis es ô homo omnis, qui iudicas. in quo enim alterũ iudicas, te ipſum condemnas* Et illud, *Cap. 5.* *Lex ſubintrauit vt abundaret delictum.* lex igitur (inquit Paulus) Iudæis inutilis eſt, quoniam lege abutuntur, & ſcienter ea facere omittunt, quæ per legem iubentur efficere. cognitio enim legis rectum à peccato diſcernẽtis prorſus eſt non recte agentibus inutilis, quod eiuſdem proxima verba declarant, dicentis *Gloria, honor, & pax omni operanti bonum, Iudæo primum & Græco;* *Cap. 2.* *nõ n. eſt acceptio perſonarum apud Deum. quicunq; enim ſine lege peccauerunt, ſine lege peribunt: & quicunque in lege peccauerunt per legem iudicabuntur. Non enim audito-*

res

res legis iuſti ſunt apud Deum, ſed factores legis iuſtificabuntur. Potuit ne apertius ſuam mentem Paulus explicare? Non, inquit, auditores legis iuſti ſunt, ſed factores legis iuſtificabuntur, hoc eſt cognitio legis abſque operibus nullius eſt prorſus emolumenti, ſed hic eſt legis fructus, vt ipſam edocti legitima faciamus. Vt ſit multo ſatius qui legem ignorat, hunc rectè agere ſponte naturæ, quã ſi quis cum legis cognitione à recte agẽdo ceſſaret, quod Iudæis accidebat, in quos ad hunc modum inuehitur: *Si autem tu Iudæus cognominaris, & requieſcis in lege, & gloriaris in Deo, & noſti voluntatem eius, & probas vtiliora, inſtructus per legem, confidis te ipſum eſſe ducem cæcorum, lumen eorum, qui in tenebris ſunt, eruditorem inſipientium, magiſtrum infantiũ habentem formam ſcientiæ, & veritatis in lege. qui ergo alium doces, te ipſum nõ doces: qui prædicas non furandum furaris: qui dicis non mœchandum, mœcharis: qui abominaris idola, ſacrilegium facis.* Quæ omnia huc ſpectare, vt lex inutilis & ſuperuacanea eſſe intelligatur ſine operibus, nec ad cognitionem, ſed actionem legem pertinere, vel apertius ſubiectis ſtatim verbis declarat. *Circumciſio quidem prodeſt* (inquit) *ſi legem obſerues, ſi autem præuaricator legis ſis, circũciſio tua præputium facta eſt.* quorum eſt ſenſus apertiſſimus, lex prodeſt legis præcepta ſeruantibus, præuaricatoribus autem perinde eſt inutilis, ac ſi nulla ſit. Iudæorum igitur peccata multis verbis inſectatus, teſtatuſq; omnes homines in peccato verſari, non quod nunquã recte agerent, ſed quia perquàm raro: non quod non poſſent recte agere, & præcepta legis ſeruare, aſſiſtente videlicet gratia Dei, quam fruſtra nemo vnquam implorauit (hoc enim pugnaret, cum eo quod dixerat: *Gloria & honor omni operãti bonũ, Iudæo primũ & Græco, & factores legis iuſtificabũtur,*) ſed quia ſeruare negligerent. Partim ob pronitatem ad malum quã per peccatum primi parentis læſo & imminuto, non ſublato libero arbitrio contraxerãt, partim ſua ipſorum nequitia. hoc igitur teſtatus, vt cõcluderet, nihilo minus Iudæis, quã gentib. opus eſſe reparatore Chriſto, ait: *Ex operib. legis non iuſtificabitur omnis caro corã illo, per legẽ. n. cognitio peccati* Cap. 3. Quaſi dicat, præcepta legis prauis hominibus nihil proſunt, quia quæ facere iubentur non exequuntur: ſi enim facerent iuſtificarentur, & ſi qui faciunt, iuſtificantur: dixerat enim paulo ante, factores legis iuſtificabuntur: cum autem prępoſtere agant, & ſola cognitione peccati quę inutilis eſt, contenti legem fruſtrentur, legis præcepta obſeruare negligentes, non iuſtificabuntur ex operibus legis, quippe quibus non funguntur. concludit igitur, dicens. *Nunc autem ſine lege iuſtitia Dei manifeſtata eſt, teſtificata à lege, & prophetis. iuſtitia autem Dei per fidem Ieſu Chriſti in omnes & ſuper omnes, qui credunt in eum. non enim eſt diſtinctio, omnes enim peccauerunt & egent gloria Dei.* Atque hic quidem intellectus eſt verborum Pauli facilis, apertus, dilucidus, quem ſi quis paulo intentiore animo perpendere non grauabitur, malitioſam Lutheri ſimul, & ſtultam interpretationem luce clarius deprehendet.

Cur Christi aduentus necessarius.

Sed clamitat hoc in loco versutia Lutheri, Christo, quem corde & opere crucifigit, verbo tenus patrocinantis, si possunt homines præcepta legis obseruare, quid est opus Christo crucifixo? hoc opus est Luthere, vt ipsa facilius seruare possimus, quod prius sine magna difficultate nō dabatur, vt ipsius meritorum magnitudine genus humanum, quod peccatis obrutum erat, subleuetur: vt qui recte egerint, sempiterna fœlicitate fruantur. prius enim iusti etiam sanctique patres in lymbo quasi in custodia Christum expectantes tenebantur, ante quem obtrusa erat ianua vitæ beatæ, quam ipse omnibus iustis etiam superioris temporis reserauit, hoc est, cunctis hominibus qui virtutes & præcepta legis ante ipsum coluissent, vel in posterum essent obseruaturi. legem autem appello vel naturalem vel Mosaicam vel euangelicam. Opus est Christo, vt eius beneficio non solum ratio minus à concupiscentia superetur, sed etiam homines præceptis seruandis magis proficiant, & præsentius præmium assequantur. Vt quæ prius data erant in ænigmate, iam clara luce teneamus, & pleraq; alia compleantur, quæ generi humano deus fuerat per prophetas pollicitus.

Sed redeamus ad præclaram Lutheri responsionem. *Præcepta* (inquit) *& exhortationes non ad actionem pertinent eorum, quæ præcipiuntur, sed ad peccati cognitionem.* Stultus es Martine, an stultos putas summos philosophos, qui præcepta virtutum esse prorsus inutilia clamant, si propter cognitionē petantur, non ob actionem: dementes omnes mortales, qui ne præceptū quidem este putant, quod nō pertineat ad actionem: & tu solus extitisti post hominū memoriā, q̄ sapias qui recte sacras literas interpreteris? Nōne vides tali tua interpretatione pro veris affirmari, quæ respuit hominū intellectus, quæ nō solū natura, sed ne deus quidē ipse potest efficere, vt præcepta non sint præcepta, exhortationes non sint exhortationes. Quid enim aliud est præceptum, nisi oratio, qua quid sit agendum aut secus præcipitur, & imperatur? quid exhortatio, nisi sermo, qui aliquid agere suadeat? quæ cum Martinus abesse dicat præceptis & exhortationibus, perinde facit, ac si neget hominem animal esse rationis particeps, hoc est dicat hominem non esse hominem. *Sed hæc* (inquit) *rationis humanæ sunt argumenta, & hæc hominibus videntur absurda, spiritui autem diuino longe aliter videtur.* Macte virtute Luthere ista, ista ratio commoda est, & cōueniens soluendorum argumentorum, non quam mortalium tarditas excogitauit. Perge cū isto tam præclaro admirandoque inuento securus ad exploratam victoriam in omni disputatione, siue res fuerit cum doctissimis theologis vel philosophis, siue cum acutissimis mathematicis: nec verearis ratas illas sententias, si ab æqualib. æqualia demas: quę sunt vni & eidem, nosti cætera. Sed cum tibi hæc axiomata obijcientur, respondē, sic homines arbitrantur, sed longe aliter videtur spiritui sancto. Quis enim cum hæc audierit, non obmutescet? quis non succumbet?

Ari. eth. 2.

Per Luth. efficitur vt præceptū nō sit præceptū

bet? quis non manus dabit? nisi si quis eò furoris processerit, vt cum Deo pugnare audeat more gigantum, & spiritus sancti decretis obmurmurare. Sed tamen quia nos homunculi sumus Martine, & pro intellectus humani tarditate, quę audimus quęq; legimus interpretamur, permitte nos in nostra cæcitate spiritum istum, qui talia tibi oracula siue ex cado, siue ex œnophoro sumministrat, quod scire cupimus scisciari, si humiliatio nec est in hominis potestate, nec si sit, quidquam faciat ad virtutem colendam, vel peccatum fugiendum, quid prodest cognitio, quæ sola præceptis ac exhortationibus suppeditatur, & sola per legem petitur? Si commonendo, erudiendo, excitando, deterrendo nihilo magis homines vel capessunt virtutes & officia, vel ab oppositis vitijs continentur, quid iuuant minæ, ac exprobrationes, quibus hæc tantum præstari dicis? Nónne satius erat, hæc tacite ab ipso Deo perfici, quam tot in ania verba profundi, & surdo tam longam fabulam, vt aiunt, narrari? Audite responsum admirandum, oraculum diuinum auscultate. *Deus* (inquit) *præceptis, exhortationibus, exprobrationib. minis repleuit sacras scripturas, nō quòd excepta cognitione peccati, ac humanæ imbecillitatis, quidpiam ad pietatem, & virtutes fungendas, peccataq; vicissim euitāda hæc hominibus opitulentur, sed quoniam sic placitū est Deo, satis est* (inquit) *nosse, quòd Deus ita velit*. O nefariā impudentiā Lutheri, ò cæcas quorundam Germanorum mentes. Hæc quisquā legit, & dubitat, qua mente, quo animo, quo spiritu detestanda ista bestia sacras literas contaminet? aut se patitur tam fatuis mendacijs tam turpiter eludi, apertisque dolis & manifestis insidijs ab homine furioso circumueniri? Nam qui tam monstrosis orationibus adquiescit, quo modo is Luthero refragabitur, si forte dixerit, quosdam homines asinorum animis informari, porcorum elephantos, sic enim videri spiritui sancto, licet aliter humana ratione iudicetur. Rogato enim cur tali figura mētiatur hominem, qui reuera sit asinus, in promptu erit illa responsio, sic Deo placitū esse, satis esse scire sic Deum voluisse: satis aūt scire, qui sic audiat Lutherum affirmare. Sed huius perditissimi nebulonis arrogantia cum nullo non loco sese prodat stultissime, nescio tamē, an nusquā fiat manifestior, quam vbi nō tam exponere, quam peruertere molitur illud ex Deuter. cap. 30. *Mandatum quod præcipio tibi hodie, non supra te est, nec procul positū. nec in cælo sitū, vt possis dicere, quis nostrū valet in cælū ascēdere, vt deferat illud ad nos, vt audiamus & opere cōpleamus sed iuxta te est valde sermo in ore tuo, et corde tuo, vt facias illū* quorum verborum hic est sensus simplex & lucidissimus: Mandatum quod tibi præcipio non est supra te, id est, supra vires tuas, sed iuxta, id est in tua potestate, in ore videlicet tuo, & corde tuo, si tuam in Deum pietatem profiteberis, eundemque psalmis & hymnis prosequeris, & item toto corde dilexeris, & adoraueris. Sed Lutherus locum in hunc modum peruertit. *Quid* (inquit) *Moses vult istis verbis apertissimis & clarissimis, nisi se suo officio ceu fidelem legislatorem esse perfunctum*

Confutatur Luth. respō. sio.

Quomodo exponit Lutherus locū Deu. 30

ctum egregie, vt per quem non ſtet, quominus omnia ſciant, & habeant coram poſita præcepta, nec locum eis relictum excuſandi, quòd ignorent, vel non habeant præcepta, aut aliunde petenda eis ſint, vt ſi non ſeruauerint ea, culpa nec ſit legis, nec legiſlatoris, ſed ipſorum, cum lex adſit, legislator docuerit, vt nulla ignorantiæ excuſatio reliqua ſit, ſed ſola accuſatio negligentiæ, & inobedientiæ. Non eſt (inquit) *neceſſe leges è cælo aut è finibus vltramarinis, aut procul afferre, nec potes prætexere, te illas nec audiuiſſe, nec habere: propè habes eas, vt quas præcipiente Deo, & me authore audiuiſti, corde percepiſti, & ore aſsiduo per Leuitas in medio tui tractandas accepiſti, teſte hoc ipſo meo verbo & libro hoc tantum reliquum eſt, vt facias illas.* Hactenus Martinus qui hoc loco exponendo tantum ſibi placet, vt vel hoc vnum ſatis eſſe iactet argumenti, plurima priores ignoraſſe, quæ ipſe vnus patefecerit & elucubrauerit. Atq; in hac controuerſia ſe contra omnes diſſentientes vel puero iudice certiſſimam victoriam expectare. *Nam quid eſt* (inquit) *ſupra te, quid procul: grammatica. n. noſtra iſtis vocabulis nõ qualitatẽ aut quantitatẽ virium humanarum, ſed diſtantiam locorum ſignificat.* O præceptum nouum & admirabile, & nos ſcilicet rudes grãmaticam neſciebamus, & vim vocabulorum ignorabamus. Putas ne vulpecula nugatrix, quemquã fuiſſe vel eſſe, tam obtuſum & tardum, qui modo literas Latinas attigerit, vt neſciat, au dubitet, quin ſupra, & procul notæ ſint locorum diſcriminis, vt vbique, ſic in hoc ipſo loco? Sed cum hoc omnes ſciãt, ne illud quidẽ quiſquam ignorat, paſſim huiuſmodi particulas ad vires & facultatem transferri. vt cum dicimus, ſupra captum eſt humani intellectus, ſupra conditionem humanam. Et Cicero qui credo non peſſime Latine ſciebat, quæ sũt in noſtra poteſtate, ea in nobis eſſe dicit: quæ vires noſtras excellunt, ea ſupra nos. vt cum ait: *Quæ ſupra hominem putanda eſt. Deoque tribuenda.* loquitur autem de recta & conſtanti ratione. Age verò qui ſic eſt Cain allocutus, *ſub te erit appetitus eius, & tu dominaberis illius,* is vtrum ſciebat illud ſub, notam eſſe loci, an Deus, quod pueris eſt notiſſimum ignorabat? verba tamen ſua ſic intelligi voluit, non vt ſub pedibus ſtantis, aut ſedentis cathedra, cubantiſve lecto interpretemur, ſed ſub volentis imperio & poteſtate. Ita cũ Moſes dicit, non eſt ſupra te, nõ eſt in cœlo, locorum ipſum interualla loqui, nemo vnquam dubitauit, ſed cum loci diſcrimina dicit, more loquendi in omni ſermone frequẽtiſſimo, virium & facultatis exceſſum procul dubio ſignificare, omnes qui ſani ſunt arbitrantur. vt cum aliquis longo interuallo alteri præſtare dicitur, nõ is intelligitur, vt verba ſimpliciter ſonant, ante alterum eſſe multorũ ſtadiorũ interuallo, ſed eſſe multo excellentior. Sed quid verbis opus eſt, aut quid agimus rationib. humanis cum teſtimoniũ producere poſſim ſpiritus ſancti, qui hunc locum ore Pauli ſcribentis ad Romanos apertiſſime interpretatur, his verbis: *Prope* (inquit) *verbum eſt in ore tuo, & in corde tuo, quia ſi confitearis in ore tuo dominum Ieſum, & credideris in corde tuo, quòd Deus ipſum ſuſcitauit à mortuis, ſaluus eris. Corde enim creditur ad iuſtitiam, ore verò confeſsio fit ad ſalutem.* Etſi enim Paulus verba Moſis ad Chriſtum relata interpre-

Lib. 2. de nat. Deor.

Gen. 4.

ad Rom. c. 10.

terpretatur,ita tamẽ interpretatur,vt apertiſſime doceat,ſupra & iuxta quæ locorum alioquin præpoſitiones ſunt,facultatem ſignificare, quæ in ore hominis atq; corde conſiſtit. Quam expoſitionem Pauli ſi Lutherus aſpernatur, nihil eſt quòd miremur cæterorum doctrinam ab eodẽ contemni,aut Hieronymum & Originem tam nihil ſcire videri, vt nihil aliud eos facere dicat, quã ore ſacrilego ſcripturas deprauare, qui nugis totum orbem repleuerint. *Nam nemo eſt* (inquit) *qui ineptius & abſurdius diuinas literas tractauerit, quàm Origines & Hieronymus.* O luciferi profligatam impudentiam,ò nebulonis audaciam inauditam,tu ne de viris eloquentiſſimis,omnis diſciplinæ doctiſſimis,ſanctimonia præſtantiſsimis,quę vix in ſophiſtam aliquem ſemiſſem conuenirent,tam fricata fronte iactare ſuſtines?qua fretus facultate?homo vt de libidine perditiſſimiſq; moribus,& impietate taceam,ſola ineptâ loquacitate potens,& præter nonnullam ſacrarum literarum corruptã, & præpoſterã cognitionem, qua vel maior,cuiuis paulo modo diligentiori, nec tardo trib. aut quatuor annis facile contingat,omnis philoſophiæ ac bonarũ artiũ expers niſi nugas dialectorum imputes, quæ nihil graue, nihil Ariſtotelicum ſapiãt, qua tantum ſupellectile te inſtructum, ſed cũ maiore quã cæteros arrogantia & loquacitate ad ſacras literas contaminãdas acceſſiſſe conſtat. In quem illud epigrammatarij cõmodiſſime transferri poſſet:

Iudicium Luthe. de Hieron. & Origine.

Diſpeream ſi tu Origini præſtare matellam
Dignus es, aut porcos paſcere Hieronymi,

Sed quanquam nefarium dogma Lutheri de cunctarum actionũ neceſſitate,in quo ſtatus cauſæ noſtræ verſatur vel hoc ipſo ſtatim corruit,ſi ad oppoſitas actiones,etiã malas,& vitioſas homo habeat ex æquo poteſtatẽ,quod ipſe in reb.homini ſubiectis immemor ſui,ſecũq; pugnans cõfitetur,tamẽ antequã eius argumẽta refello, de libero arbitrio quid affirmare ſacrarũ literarum teſtimonijs cõſentaneum mihi eſſe videatur, iam paucis explicabo. ſimul ne noſtra in incerto vagetur oratio, ſi quo feratur,& ſpectet hac in parte nõ habeat, ſimul ne Lutherus putet,quid quã ſe tã ſtulta garrulitate profeciſſe. Neq; enim dubitabo multo plus etiam libero arbitrio,quã Eraſmus,quem ipſe ferre non poteſt,attribuere. Dico igitur liberum arbitrium abſq; Dei peculiari gratia non ſolum conari in bonum poſſe,ſed etiam efficere bonum. Ne tu interim Martine illud nobis opponas,quo toties Eraſmũ eludere,ipſiuſq; argumenta fruſtrari malitioſa in primis cauillatione conaris, dũ loca ſacrarũ literarũ,quæ ille citauerit,vt conari in bonum,poſitũ eſſe concludat in noſtra poteſtate, aut nihil arbitrio noſtro tribuere calumniaris, aut plus etiã quã conatũ. Quaſi verò qui plus effecerit, is non minus etiã effeciſſe cenſeatur. Illa igitur ſacrarum literarum loca libero arbitrio nõ conandi ſolum,ſed etiam faciendi poteſtatem largiũtur. Illud.n. furor eſt af-

est affirmare, precepta, adhortationes, præmiũ, pœnã, cuipiam proponi cui facultas absit efficiẽdi. Quid ergo? volumus ne Pelagianis suffragari qui liberum arbitrium per se quicquid velit efficere posse cõtendebãt? Nihil profecto minus, neq; enim ipsum per se absq; Dei peculiari gratia valeat hominem ad fœlicitatem perducere. sed eam sententiã probamus, in qua plerique fuerunt viri ingeniosissimi, & in sacris literis perspicacissimi, posse homines per liberum arbitrium non solum velle & nolle, sed etiã efficere & nõ efficere, quæ diuinis præceptis imperantur, licet vt perficiant, & sic præmio æternæ vitæ potiãtur ipsis à se non suppetat, sed à diuina liberalitate, quã gratiã peculiarẽ nũcupam⁹: posse deniq; fortiter, liberaliter, temperanter agere & secus, hoc est muneribus fungi, quæ moraliter bona vel mala nuncupãtur. Nunquã ego cõmittam vt Socratẽ vel Aristidem Athenienses, Curium aut Catonẽ Romanos, Senecamve Cordubensem, cũ vitia hominũ insectabantur, cum à voluptatibus abstinebant, cũ iustitiam, & cæteras virtutes studiose colebãt, non rectè feciſſe iactem, qui tamen neq; Iudæi fuerunt, neq; Christiani, sed naturæ legem sequebantur. Cum autem homines dico per liberum arbitrium quidquã vel posse, vel efficere, non excludo vniuersalem Dei efficientiam, qua cum singulis posterioribus causis velut prima causa concurrit: hac enim cessante, homo ne aget quidem omnino, nedũ rectè aget. Sed ne momento quidẽ temporis conseruabitur, nec ignis calefaciet, nec refrigerabit glacies. Cum igitur de singularum rerum natura deq; secundarũ causarum efficientia dicimus, vniuersales, & priores nõ excludimus. Nã si solis actiones sustuleris, nunquã homo valeat ex se hominem generare, nec arbor terre suum fructũ, ne ex Elephanto procreabitur elephantus. Illud addo, quoties homo per liberũ arbitrium efficit quod est in ipso, toties suffundi ea gratia, cum qua valeat Dei mandata perficere, & ad fœlicitatem peruenire, hoc est enim quod testantur tot loca sacrarum literarũ, ex quibus tu Luthere aut nihil concludi iactas, aut plus effici, quam petat Erasmus, qui conatum asserit. Quale est illud *Si quis audierit vocẽ meã & aperuerit mihi ianuã, intrabo ad illũ & cœnabo cum illo, & ipse mecum* Quid est enim aperire domino ianuam nisi hominem facere, quod est in ipso, ad Deum & Dei gratiam admittendam? Et *Conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos*, Et, *Appropinquate Deo, & appropinquabit vobis*, quorum intellectus simplex, & clarus hic est: facite quod est in vestra potestate erga me, & ego vicissim vobis meam gratiam condonabo. quibus dictis tot alia scripturæ sacræ loca consentiunt, vt ea molestum sit annumerare. Quoties igitur homo per Christi aduentum reparatus, etiam cum peccauerit, velit præcepta seruare, toties seruare potest. Nam velle, quod ipsa præstat voluntas, cum sit per se remissum & tenue, vires acquirit ex gratia, quam vocat Augustinus operantem: & quod homo viribus naturalibus

Liberũ arbitriũ potest sine gratia percepta efficere, sed nõ mereri.

Apoc. 4.

Zacha. 1.
Iacob. 4.

libus imperfecte,& fruſtra ad potiundum ſummo bono efficeret, hoc per gratiã cooperantem perfecte facit,& cũ lucro fœlicitatis. ſed quia in vtroq; longe maior eſt gratiæ diuinę quã virium noſtrarum efficientia,& vires præterea naturales donum quoq; Dei ſunt, idcirco ſcriptura ſacra,quæ nonnullis in locis,certe quoties præcepta dat vel exhortatur,facultatem liberi arbitrij,qualis & quantulacunq; ea eſt, haud dubie teſtatur,in alijs cuncta diuinæ gratiæ refert accepta, & ipſius opera facit,& merito facit.quoniam vt homo ſit, vt liberum arbitriũ habeat, vt aliquid poſſit efficere,beneficiũ eſt à diuina liberalitate proficiſcẽs. *Nam ſiue viuimus,ſiue morimur,domini ſumus*, vt ſcribit Paulus ad Rom.& ad Corinth. *Nemo glorietur in hominibus,omnia veſtra ſunt,vos Chriſti,Chriſtus Dei* Item *quid habes quod non accepiſti?* Et,*omnia poſſum in eo qui me roborat.* Si ad hunc enim modum talia ſcripturæ loca interpretabimur,omnia inter ſe cohærentia,& ex amuſſim quadrantia reperiemus, & communem prudentium hominum intellectum,ipſamq; rerũ vſum retinebimus:ſin aliter,diſſidium neceſſe fuerit in diuinis literis excitare, & contra ſenſuum argumenta,& cunctorum hominũ iudicium multa paradoxa confiteri. Quibus explicatis in promptu eſt & expedito ad argumenta Lutheri reſpõdere, eademq; refutare,quæ omnia ferè ab Auguſtino, & Hieronymo, vbi errorem Pelagij nimium arbitrio tribuentis refellerunt,eſt mutuatus.Nequis forte putet Lutherum vel ingenio vel doctrina priores philoſophos aut theologos ſuperaſſe.Non eſt ingenioſior Martinus, ſed furioſior:non doctior,ſed impudentior,qui dubia pro certis citra cũctationem aſſeuerat,falſa pro veris fricatiſſima fronte pronuntiat,tenuiſſimam eis,& adumbratã ſpeciem veritatis prætendens.Fit enim neſcio quo pacto,vt nihil propemodum tã falſum ſit, quod nequeant importuna ingenia malitioſis interpretationib. inficere falſo colore veritatis. Quid enim hactenus excogitauit Lutherus, quod ante ipſum à pleriſq; non fuerit animaduerſum primũ,deinde magno conſenſu damnatum? Vergilium ferũt cũ Ennij carmina lectitaret, interrogatus quid ageret, reſpondiſſe,aurum ſeſe ex ſtercore Ennij colligere. Martinus Lutherus è diuerſo cum Auguſtini,vel Hieronymi aut cæterorũ doctrina & ſanctitate præſtantiũ virorum ſcripta legit,ſi quid agat rogatus verum reſpondeat,commodiſſimè dicat,ſtercus ſe colligere ex auro Hieronymi vel Auguſt.Qui prauo animo,peruerſoq; ingenio maiorum ſcripta verſat, vt dãnatas opiniones excitet,& quæ alij excogitata velut veris obſtrepentia,vt fieri ſolet,ſibi obiecerint ac deinde refutauerint,hæc ipſe cogat in diuerſum,eiſdemq; ad impia dogmata,quaſi nouis inuentis aſſerendum impudenter abutatur.Non igitur ignorabãt ea loca Hieronymus & Auguſtinus,non legerant oſcitanter, non negligenter diſpexerant:ſed omni cura & diligentia accuratiſſimè trutinarant : viri tamen ſanctiſſimi, ingenioſiſſimi, in ſacris literis eruditiſſimi etiam in eo lo-

Rom.14. *Cor.3.* *Cor.4.* *Phil.4.*

Quidquid Martinus dicit vetus eſt et à veterib.damnatum.

co loco, vbi vel ſtudiosè in liberum arbitrium diſputarẽt, nefas eſſe putauerunt, & contra omnem tum religionem, tum philoſophiã arbitrio in totum, libertatem abrogare. Qui mihi ad liberum arbitrium, etiam in ijs rebus, quæ ſummum bonum attingunt, aſſerendum huiuſmodi rationem ſecuti eſſe videntur. Homo per vim ſuæ volũtatis, cum eſt effuſus gratia, recte & viciſſim praue agere poteſt, habet igitur liberum arbitrium, quæ argumentatio quam probe concludat, tunc magis intelligemus, ſi hoc idem in mortalib. virtutibus velut philoſophi cõſiderabimus. Nam quemadmodũ noſtrum animum gratia, quæ qualitas eſt ſupernaturalis, informare, non eſt in noſtra poteſtate ſitũ, ſed in Dei munificentia: ſic ne illud quidẽ vt virtute, exempli cauſa, temperantia quandocunq; libuerit afficiamur, nimirum quia repente nemo fit temperans, nec ſine longa conſuetudine temperandi. fac igitur neminem, cui abſit hæc virtus, poſſe agere temperanter: quod fortaſſe verum eſt, ſi exactũ officiũ requiras, tũc igitur à te petam, vtrũ temperantẽ hominẽ priuatũ eſſe putes temperãdi poteſtate & viciſſim nõ temperãdi, & certe negabis. Nã poſſe temperanter agere, certũ eſt & poſitũ: intemperanter autem, & ſenſus, & ratio teſtificatur. Neq; enim aliter quiſquã ex tẽperante intemperans efficeretur. Si tũc ergo in petendis & fugiẽdis voluptatibus liberum arbitriũ habere dicitur, cur negetur in cæteris reb. ſi gratia affectus rectè agere poteſt & ſecus? Nam licet homo gratia ſuffultus, nequeat tunc peccare, & in gratia ſimul perſiſtere, tamẽ eſt in eius poteſtate peccet, & gratiã amittat, & ſic animæ mortem incurrat: an retenta gratia, recte agat, & ſummũ bonum commereatur. Quæ ratio tã efficax mihi eſſe videtur, vt nõ ſatis intelligã, qua poſſit calumnia Martinus eam ludificari, vt liberum arbitriũ inane nomen, atq; nullã vim, nullam naturam eſſe tueatur.

Efficaciſſima liberi arbitrij confirmatio.

Sententia noſtra ad hunc modum explicata, ſupereſt, vt argumenta captionesque Lutheri, quas homo leuiſſimus & idem glorioſus inuictas copias, & inexpugnabiles phalanges appellat, refellamus, ac inſidias, & eas nec admodum occultas & infirmas eſſe doceamus. Nõ quod ipſas putem parum acutè ab Eraſino, vel non ſatis eleganter in libro, quem de libero arbitrio ſcripſit, fuiſſe refutatas. aut quas poſtea Lutherus edidit, poſſe paruo negotio refutari: ſed quia ſic ratio ſuſcepti nobis operis depoſcit, nec eſt præter morem veterum, aut recentiorum conſuetudinem, vt eandem cauſam complures interdum patroni aduerſus vnius accuſatoris calumnias tueantur. Sed huiuſmodi argumenta & ſacrarum literarum teſtimonia, quanquam homo loquaciſſimus Lutherus per inanem garrulitatem ſine fine multiplicet, atque dilatet, omnia tamen in pauca velut capita referuntur. Quorum eſt vnum eorum, quæ omnes homines in tenebris & peccatis verſari concludunt, omnes iniuſtos, omnes eſſe malos, ſed

Primum caput argu. Luth. ſoluitur.

per

per gratiam Dei iuſtificari. huc enim pertinet illud Pauli ad Romanos: *Reuelatur ira Dei ſuper omnem impietatem & iniuſtitiam hominum.* & illud: *Non eſt iuſtus quiſquam, non eſt intelligens.* & paulò pòſt, *Iuſtificati gratis per gratiam ipſius,* & cætera, quæ in hanc ſententiam à Luthero congeruntur. In quod caput illud, quod in promptu eſt, & apertum reſpondebimus, omnes homines ignaros eſſe, & cæcos; niſi doctrina & luce Euangelica doceantur, & illuſtrentur: ſed edoctos & illuminatos ad cognita bona niti, eademq; per liberum arbitrium, quemadmodum expoſuimus, poſſe capeſſere. Nam quid ſtultius dici poteſt, quam quòd affirmat Lutherus, qui rem quampiam ignorat, hunc ipſam efficiendi priuatum eſſe facultate: & quia voluntas nihil appetit incognitum, idcirco ad appetẽdum nullam vim eſſe voluntatis. Quaſi vero milites, qui ſæpe ſuã cõſilia imperatore illis occultante, num ſibi ſit cum hoſtibus cõfligendum ignorant, vires amiſerint cũ hoſte dimicandi. Non colit quiſquã Deum, qui Deum prorſus ignorat, at cum cognouerit colet, ſi velit & adorabit. Iuxta illud Dauidicum: *Docebo iniquos vias tuas, & impij ad te conuertentur.* Non eſt quiſquam malus, & rectè agit: at fiet bonus, ſi velit, & recta operabitur, *declinabit* (vt pſalmo præcipitur) *à malo, & faciet bonum.* Dabimus igitur omnes homines eſſe malos, quia ſunt omnes ad malum procliues, quia diuina gratia deſtituti, nihil ex ſe perfectioris officij præſtare poſsũt, vt vitam æternam promereantur: quia bona hominis, vt hominis, tam imperfecta ſunt, vt peccata eſſe videantur, & ſic interdum appellentur, nec quidquam ad ſalutem ſine gratia proficiant. Ita cum in gratia multo maius momẽtum ſit, quàm in noſtro vel conatu, vel opere, fit vt qui rectè operando conſeruantur, hos quoque gratis Paulus dicat iuſtificari, cum ait: *Iuſtificati gratis per gratiam ipſius,* non quòd opera noſtra nihil faciant ad ſummum bonum aſſequendum, ſed quoniam hoc ipſum vt faciant, Dei eſt liberalitatis, qui volentes adiuuat, recte agentes præmio meritis infinito maiore proſequitur, quæ ne merita quidem forent, niſi Dei munificentia præmium eis propoſuiſſet. Ad ſummam quia nemo viuit ſine crimine. *Nam ſi dixerimus quòd peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus, & veritas non eſt in nobis* Sed qui dicit omnem hominem eſſe malum, is non affirmat omnem hominem eſſe omnis bonitatis expertem, ſicut nec omnis improbitatis, qui bonum. Sed quia nemo eſt vndiq; perfectus, bonum appellamus, qui licet paucis interdum aut paruis criminibus obligetur, cætera tamen ſtudioſus eſt, atque probus. Malum, qui vt recte nonnunquam agat, magna tamen ex parte verſatur in peccatis: & hoc eſt, ne videar ſine auctore loqui, quod Hieronymus ait in libro cõtra Pelag. hæreſim, cuius hæc verba ſunt: *Poſſibilia præcipit Deus, ſed hæc poſſibilia cuncti ſimul habere non poſſumus, non imbecillitate naturæ, ſed animi laſſitudine, qui cunctas ſimul & ſemper non poſsit habere virtutes.* Sed redibit ad ineptias Martinus, & hanc loquendi conſuetudinem hominum eſſe dictabit,

Cap. 1. *Cap 3.* *Ibidem.* *Pſal. 50.* *Pſal. 36.* *1. Ioan. cap. 1.* *Lib. 1.*

dictabit, in sacris literis qui loquitur, Deum esse, nõ hominem. Scimus Luthere diuinas scripturas non esse hominum voces, aut mortalium inuenta: at illud quoq; scimus, quod tu non debes ignorare, licet impudentissime soleas tergiuersari, Deum mortales, vt mortales, non vt Deos, alloqui solitum: & cum hominibus nõ nisi humano more differere, qui cum mundum posset solo verbo conseruare, non est tamẽ dedignatus sibi hominem induere, vt homines, qui Deum Diuina forma, ne intelligere quidem satis possunt, nedum corpore sentire, non solum verbis & more hominum, sed etiam factus homo ipse doceret Euangeliũ & præcepta daret, quod prius per Mosem & prophetas, hoc est per homines effecerat. Vt pudeat aliquando Martinum suis nos præstigijs eludere tentare, vetantem sacras scripturas siue præcepta dent, siue adhortentur homines, seu minis & exprobrationibus cõterreant, pro sanctorum & prudentium hominum sensu ac intellectu interpretari, & nos ad sua somnia, quæ Bacchus suggerit vigilãti reuocare. Cum igitur homines docti pariter & indocti sic loquantur, vt malos & impios dicant eos, non qui nunquam, sed qui raro virtutes colunt, & pietatem, & frequentes in peccatis, impietate, sceleribusq; versantur, nimirum sacrarum literarum verba, non sunt aliter interpretanda. Qui autem bene raro agit, sed agit, hunc nemo recte agendi facultate priuatum esse dixerit.

Deus homines humano more alloquitur.

Secundum caput argumentorum Lu. soluitur. Ioan. 15.

Alterum caput est testimoniorum, quibus homo sine Deo quasi ex se nihil efficere posse cõcluditur quale illud est Ioan. 1. *Sine ipso factum est nihil*. apud quem alio in loco Christus *sine me* (inquit) *nihil potestis facere*. Sed huiusmodi dictis, quibus est scriptura diuina referta, abunde puto explicando nostram sententiam respondimus, & quid valeant exposuimus. Est autem summa, quia sine Deo (qui rerum omnium est auctor, primaq; causa) nullus, ne minimus quidem motus existit. At non si causa inferior nihil efficit absq; superiore, statim nulla est inferioris facultas, aut hæc agit necessario. Neq; enim quia Philippus sine sole non genuit, nec potuit Carolum, idcirco Philippus nihil effecit, aut necessario Carolum procreauit. Ad hæc quia perfectum officium nullum esse potest, quin ab animo suffuso gratia Dei peculiari proficiscatur, postremo quoniam homines Dei beneficio & sunt & viuũt, idcirco quicquid agunt suis viribus, id totum tribuitur virtuti eius, à quo vires, & esse ipsum acceperunt. Huc enim spectabat Paulus, cum diceret: *Non sumus sufficientes cogitare aliquid à nobis, quasi ex nobis, sed omnis nostra sufficientia ex Deo est.* quasi dicat, si quid efficimus, aut possumus efficere, non est quod nobis magnopere tribuamus, cuncta enim referre accepta debemus munificentiæ diuinæ, quæ nobis eam facultatem liberaliter impartitur.

2. Cor. 3.

Tertium caput argumenti Luth. soluitur.

Tertium caput versatur in Pharaonis obstinatione & Esau seruitute, & eo q̃ regis cor in manu domini scripturis diuinis esse traditur.

Si Deus

Si Deus (inquit) *cor Pharaonis indurauit, quis locus est libero arbitrio relictus? aut quid est in nostra voluntate, si cor Regis, ac proinde cuiusuis hominis est in manu domini? si Iacob Esau nullo alterutrius merito præfertur?* Respõdeo: Deus cor Pharaonis indurauit, vt Moses ostenta omnia perficeret coram Pharaone, quæ dominus posuerat in manu eius, & pœnas darent Aegyptij, & populus crederet, *quòd visitasset dominus Israel, & respexisset afflictionem illorum, & proni adorarent,* Exod. 4. Mosemq; ducem à Deo missum sequerentur. Potest enim deus hominis non solum cogitationi, sed quod multo maius est, vim afferre voluntati, & eam quocunq; velit impellere, ac vicissim reuocare: quod in ijs potissimum vsurpat, quorum imperio, & auctoritati parent regna & ciuitates. Hoc est enim quod testatur scriptura, *sicut diuisiones aquarum, ita cor Regis in manu domini, quocunque voluerit inclinabit illud.* Prouerb. c. 21 Nimirum quoniam his ministris, & tanquam instrumẽtis vtitur prouidentia diuina ad hominum cœtus, & ciuitates gubernandas. Sed qui Regis voluntatem aliquando cogit, dum grande aliquid parat, & res maximas molitur, is non protinus videri debet liberum arbitrium in reliquum tempus, aut cæteris in rebus huic, & in vniuersum hominibus sustulisse. Age verò si vnius aut paucorum exemplum, si Pharaonis induratio debet ad cæteros omnes mortales transferri, cur Mosis itidem miracula ad cæteros omnes homines non transferantur? Cur non Ioannis in vtero sanctificatio? Non est acceptor personarum Deus, vt quod in hoc afficit præmio, id in illo vindicet atrociore pœna: sed neque est vlla lege tam arcte constrictus, vt nequeat suam benignitatem quibus visum fuerit largius impartiri, cum hominibus nihil, nisi ex pacto voluntario debere possit, quod quasi æs alienum persoluat, sed omnia gratis, vt exposuimus, largiatur. Pharaonis igitur cor superiora peccata grauiore crimine (vt interdum solet) vlciscens indurauerit, fateor, Mosem scientiæ, & miraculorum claritate voluit esse commendatum, Mariam virginem antequam in lucem ederetur gratia imbutam, ne peccare posset confirmauit, Ioannem baptistam sanctificauit in vtero matris, Paulum tunc cum Christi discipulos grauissime, ac seueriss ime infectaretur, spiritu sancto perculit, ac illustrauit. Ad Rom. 9. Ad summam, vt idẽ Paulus testatur, *cuius vult miseretur, quem vult indurat,* quia nihil ex debito agit, nec ad alterius præscriptum, & quasi coactus. At priuilegium vel quorundam prærogatiua non tollit legem vniuersalem, quæ officia cuiusque præmijs remuneratur, scelera pœnis vlciscitur, & animaduersione. Nisi forte, quod regibus, ac principibus permittimus, vt quosdam sola sua beneuolentia sine ipsorum merito liberaliter habeant, & honoris auctos esse velint, nonnullorum interdum crimina ad cæteros exemplo deterrendos acrius etiam puniant, quàm lege vniuersali caueatur, id Deo optimo maximo tam seuere negatum volumus, vt faciendi priuilegium, nullam ei prorsus facultatem relinquamus. Indignaturi eodem modo si pater familias operas, quæ serius ad

vineam colendam peruenerint, liberaliter tractet, nec eas ad legem falcidiam reuocet horarum calculis. At ipse respondet in euangelio maledicorum calumnijs, se suo id iure, & sine cuiuspiam iniuria facere, qui cum neminem fraudet mercede pacta, quos velit liberalitate prosequatur. De Iacob & Esau post paulo respondebimus.

Luth. Argumentum de præcognitione Dei.

Nunc ad argumentum venio ductum à Dei futurorum præcognitione, quod propius nostram de fato & libero arbitrio causam attingit. Neque enim iam huc spectat, vt opem Dei, peculiaremque gratiam recte agendo necessariam esse demonstret, quod pudoris nimirum plus haberet, plus etiã pietatis, sed vt rerũ omniũ necessitatẽ inducat, cũcta vi quadam ineuitabili fieri concludens, ac fatali necessitate. quod quia Lutherus opere toto id maxime, &(si mihi creditur) solum petit, vt artificio machinæ huius omnem religionem euertat, idcirco idem argumentum opportunis in locis, in principio, & medio, calceq; libelli disponit, dum sibi tam occultas insidias in eo collocasse, tam inextricabiles plagas tetendisse videtur, vt nemo non possit incidere, nemo cum inciderit sine magno negotio sese valeat explicare. In quo argumento tanta se leuitate iactat, quasi à nemine prius id fuisset vnquam animaduersum, sed cœlitus ipsi diuino quodam oraculo demissum. Cum tamen in ludo literario inter prima dialecticorum exercitamenta, hoc vel in primis puerorum auribus inculcetur. *Ergo si Deus* (inquit) *futura præcognoscit, nimirum futura necessario eueniunt, alioquin Deus sua præcognitione,* (quod nefas est dictu) *falleretur, Deus autem præcognoscit futura: igitur, ex necessitate res omnes eueniunt.* Respondeo, Luthere mendose colligis. Nam & Deus futura præcognoscit, & pleraque futura, contingenter eueniunt, nec protinus error sequitur in cognitione Dei. Vt autem intelligas, quam recte conclusio ista procedat iam aperte docebo meram esse decipulam, & captionem ex intimo sophistarum artificio depromptam, dum manifesto sophismate idem eodem modo, ac per Dei præcognitionem concludo. Non minus mihi certum est post factum, rem fuisse futuram, quàm ipsi Deo, antequam fieret: talis autem mea cognitio neque probat, neq; inducit necessitatem, ergo ne præcognitio quidem Dei. Fac enim nullam esse Dei præcognitionẽ, vt vis argumentationis intelligatur, nunc cũ certo scimus exempli causa regem Fernandum Granatam à Mauris recepisse, quæro à te, vtrũ antequam reciperet, hæc enunciatio, recipiet Fernandus Granatam, fuerit contingens, an necessaria? Si quoniam sic futurum erat, etiam Deo nesciente erat necessaria, perinde vtiq; fuerit ad futurũ necessitatem, præcognoscat Deus, an non præcognoscat: si contingens, potest nimirum aliter euenire. fac ita esse, nunquã igitur recipiet, & tamẽ recipiet: alioquin nos, qui nunc recepturum fuisse certo scimus fallemur, recipiet igitur & non recipiet, quod fieri nõ potest: erat ergo necessaria. Hũc qui est haud dubie Paralogismus, & eadem via eademque ratione idem quod ille de

Eodem argu to contrar. probatur.

præco

præcognitione Dei concludit, fac Luthere, quod tibi erit & cuiuis dialectico perfacile, vt mihi refellas, & tuis ego verbis, istud quod in præscientia Dei initur sophisma refutabo, vt dubium esse non possit, quin vterque manifestus sit paralogismus, & præcognitio futurorum diuina, nullam in rebus nec inducat, neq; arguat necessitatem. Nã profecto nihilo coactiº cõcluditur illo modo, Deº rẽ fore prẽcognoscit, res ergo necessario erit, quam sic, res erit, ergo necessario erit. quare si nescis Martine, prẽcognitio Dei nõ magis est causa, vt res cõtingens eueniat, quã mathematicorum, vt luna verbi causa deficiat. Nã quẽadmodũ nullius vel affirmatio vel negatio rebus affert mutationem, sic nulla cuiuspiã cognitio vel ignoratio rerũ peruertit ipsarum naturam, vt eas reddat ex contingentibus necessarias, aut ediuerso. Res enim præcognitẽ eodem prorsus modo, quo si nõ præcognoscãtur, eueniũt, siue contingenter fiant, vt nostrates: siue necessario, vt motus cœlestes. Nec potest esse necessitatis futurorũ, aliter præcognitio Dei argumentum, quã si Deus idcirco futura præcognoscat, quòd sic ordine constanti, & necessaria connexarũ causarum consecutione, ita contineri, ac præfinitũ esse cognoscat vt Stoici disserebant, quorum auctoritatem & doctrinam apud te longe plus valere certum habeo Luthere, quàm sacrarum literarum decreta. Sed istius & cæterorum Stoicorum error superiore libro palàm & aperte est à nobis refutatus. Itaque propter Dei præcognitionem velle futurorum necessitatem inducere, quasi Deus aliter ea scire non possit, quam si necessario sint futura, hominum est vim diuinã ignorantium: & intellectui diuino paulo plus, quàm magno cuidam astrologo tribuentium. Nobis autem, qui Christiani sumus non Stoici, Dei optimi maximi cognitionẽ non placet ex consertarum causarum necessaria consecutione pendêre, sed Deum futura præcognoscere fatemur, quia immensa est diuina potentia, infinita vis eius intellectus, vt nihil apud ipsum sit præteritum, nihil futurum, sed cuncta in æternitate præsentia, sitq; ipsius præcognitio, quædã velut prẽsentiũ rerũ cõsideratio, qua res quæq; pro sua natura contingẽter vel necessario propriũ munus obire, nisi forte cũ vis extrinsecus affertur, vt multis in rebus interdũ fieri notamus, tanquã oculo diuino perspiciatur, quæ cõsideratio (nisi Deus, cuius nutui vniuersus mũdus, & eius singulæ partes obtẽperant, quicquã priuatim in naturã, seu rẽ aliquã statuat) nõ magis motibus siue naturalibus, siue voluntarijs vim facit, quã gestib. histrionũ spectatorũ in theatro contemplatio. Quo fit, vt Deus neminẽ absq; sua culpa damnare, neminẽ sine aliquo suo merito (qualecumq; id esse potest) conseruare exemplo Esau & Iacob argui possit, excepto quorundã gratuito priuilegio, de quo suprà memorauimus. Qui vt Esau Iacob minori natu seruiret ob eam rem statuisse videri potest, quoniam Esau peccata, & officia Iacob tam præsentia erant ipsi Deo ex æternitate post factum, quàm antequã vterq; nasceretur. Nã Gen. 27.

cum homo pro libera ſua voluntate hoc velit, illud nolit, hoc efficiat, illud omittat, Deus motibus eius cunctis ſimul in æternitate ſpectator, adeſt, & pro ſuis quemque operibus vel damnat in ſupplicia ſempiterna vel pacta & promiſſa fœlicitate liberaliter proſequitur: quanquam male agere totum ſit improbitatis noſtræ, honeſta perficere gratiæ Dei peculiari plurima ex parte tribuatur, nonnihil ſtudio noſtro, quod & ipſũ tamen Deo referimus acceptum, qui nobis eſt vt ad vicium, ſic ad virtutem liberam largitus voluntatem. Atque ad hunc quidem modum paralogiſmum, cui præcognitio Dei occaſionem ſuppeditauit, abunde & aperte arbitror eſſe refutatum. Quanquam Deus immortalis, eſt ne quiſquam tam ſtupidus, à communi hominum intellectu tam alienus, vt etiam ſi captiones huiuſmodi confutare neſciat, ob eas tamen manifeſtiſſimo rerum vſui inducat animum refragari? & maiorem fidem ſophiſtarum præſtigijs, quam communi ſenſui hominum adhibere? quorundam, de quibus eſt apud Ariſtotelem, ſtultitiam imitatus: qui cum argumenta Zenonis accerrime in motum diſputantis ſoluere neſcirent, motũ, quẽ cunctis ferẽ ſenſibus percipiebant rationibus victi nullum eſſe confitebantur. In quo Diogenis philoſophi factum à prudentiſſimis viris merita laude vehementer commendatur, qui cum in frequenti conſeſſu talia Zenone diſputante, ſe multi victos eſſe confiterentur, aſſurgens cœpit coram cunctis imambulare, & quid ageret à Zénone interrogatus reſpondiſſe fertur, an non intelligis Zeno, me argumenta tua deambulando refutare? hoc enim vno reſponſo ſimul Zenoni impudentiam, ſimul cæteris ſtultitiam ſapienter exprobrauit: illi quòd ſuſtineret captioſis ratiunculis quicquam in vſu manifeſtiſſima conſtituere, his quod ingenioſorum hominum commentis temere ſe in eam opinionem induci paterentur, cui ſenſus omnis repugnaret. Quod Diogenis prudentiſſime factum omnes homines diligenter in primis imitari cenſeo. Qui modo veritatis non adumbratam imaginem, ſed ſolidam, & expreſſam effigiẽ in omni quæſtione naturali ſiue mores vel religionem attingente conquirunt, ne vafrorum hominum captionibus, & præſtigatorum fraudibus imprudenter capiantur. Sed hæc prudentia cum ſedulo ſit nobis cũctis in rebus adhibenda, neſcio tamen, an nuſquã vtilior eſſe poſſit, aut magis neceſſaria, quam vbi de fato & libero arbitrio diſſeritur, ſiue res inter Philoſophos agatur, ſiue inter Chriſtianos Theologos, qui ſimul ſolent de vocata prædeſtinatione diſputare. Quamobrem Martine huc & illuc te verſa, tende omnes verſutiæ calliditatisque neruos, necte dolos, fraudes para, congere Pauli vel Ioannis quamlibet acute, ſed malitioſe interpretata loca, vt hominis neque operam, nec ſtudium quidquã facere concludas ad conſequendam fœlicitatem, vt hoc perſuaſione lentos pigroſque nos reddas ad virtutes capeſſendas, & ab honeſtis ſtudioſisque laboribus ad ſocordiam voluptatesque traducas, & ſic quàm plurimos

Diogenis prudentiſſime factum.

Concludit libros de libero arbitrio.

rimos habeas socios tuorum flagitiorum, efficies fortasse, vt tardiores & minus eruditi nesciant laqueos & decipulas tui sermonis explicare, nec pari orationis acumine refellere, nunquam tamen homini cuipiam prudenti, & cauto persuadebis, vt magis credat tuis dolis, quàm simplicibus, planis, apertisque sacrarum literarum testimonijs, quę homini libertatem opinionemque tribuunt recte ne, an secus agere velit, vitam an mortem, præmium an pœnam malit, qualia multa supra memorauimus, vt illud Ecclesiastici (neque enim me quędam repetere pigebit) capite 15. *Deus ab initio constituit hominem & reliquit illum in manu consilij sui, adiecit mandata*, & cætera. Et Deuter. cap. 30. *Testes inuoco hodie cœlum & terram, quod proposuerim vobis vitam & mortem, benedictionem & maledictionem. Elige ergo vitam vt viuas.* Et Zach. 1. *Conuertimini ad me ait dominus exercituum, & cōuertar ad vos.* Et illa ex nouo testamento, *Si vis ad vitam ingredi serua mandata.* Et alibi: *dedit eis potestatem filios Dei fieri*, vt cætera non minus aperta loca prætream quibus est scriptura diuina referta. Adde tot præcepta, tot adhortationes dehortationesque, quibus, vt docuimus, nunquam Deus sacras literas (quas ad hominum institutionem constat esse à spiritu sancto exaratas) repleuisset, nisi recte, an secus homines agant, in ipsorum esset potestate. Pari ratione si sophisma, quod à Dei præcognitione cunctarum rerum necessitatem colligere molitur, refellere, quanquam supra est à nobis planè & aperte refutatum, & iam pridem consensu doctissimorum hominum reiectum, si tamen ignorantia forte, aut ingenij tarditate huic verbis occurrere, & oratione refutare nescirem, sic tibi Martine responderem: Quomodo Deus futura præcognoscat nescio, ipsius præcognitio quam vim habeat ignoro, hoc certo scio, pleraque fieri contingenter, liberam esse hominum voluntatem, & in quibuscumque rebus versatur, æque sese in vtramque partem flectere posse. Rerum videlicet vsu, ac indubitatis experimentis edoctus, cunctorum sensuum adductus argumento, omnium hominum doctorum & indoctorum iudicio, hoc est lege naturæ in eadem sententia confirmatus, quia video, si non sit vaga liberaque nostra voluntas, esse cunctas leges superuacaneas, quæ petenda, iustaque præscribunt, ab oppositis deterrent, ac dehortantur: ludum esse mortalium vitam, & perfectissimum animalium hominem ad ludibrium esse natum, prudentiæ nullum locum relinqui, perire virtutes omnes, & secum laudes interimere, nullum quàm libet turpe facinus crimen esse, nihil quod iure valeat vituperari, consultationem hominum esse prorsus inutilem. Postremo Deum & naturam à quibus frustra nihil effici constat, nequicquam hominibus tribuisse vim consultandi, quam si quis à natura mortalium auferat, is ego non video, quomodo possit humanitatem in hominibus relinquere. Hæc ferè mihi pater grauissime in mentem venerunt, quę de fato & libero arbitrio conscriberē. In qua quæstione differenda si tibi forte vel longior aliquanto, vel taxando

Matth. 19. Ioan. 3.

Naturalis caussa libe. xi arbitrij.

xando Luthero concitatior visus fuero, illud tribues difficultati, quæ cum maxima sit, iudicio omnium in vtraque philosophia, sermonis angustias non patitur, hoc intolerabili procacitati Lutheri, quo nemo vnquam hæreticus furiosius contumelioſiusque in catholicos Christianos est debacchatus, nemo sacras literas æque imprudenter peruertere, nec tam aperte Christianam religionem labefactare tentauit.

IOANNIS GENESII SEPVLVEDAE CORDVBENSIS,

in ANTAPOLOGIAM

Pro Alberto Pio principe Carpensi, in Erasmum Roterodamum.

Ad Grauissimum Præsulem Rodulfum Pium, Episcopum Fauentinum

PRAEFATIO.

NVnquam putaram Rodulfe Pie præsul grauissime, post alberti Pij principis Carpensis patrui tui, meiq; patroni obitum, qui nuper nobis, id est suis, iustissimũ maximumq; dolorem atulit, illi verò ingentium laborum, & molestiarum finem impæsuisse videbatur, quidquam euenire posse, quod vel nostrum mœrorem augeret, vel eius quoquo modo quietem, & tranquillitatem sollicitaret. vir enim vt sapientia & doctrina, omni denique humanitate præditus, & animi magnitudine, cæterisq; virtutibus præstans, sic rebus gestis præclarus, obijt procul à patria, paterna ditione, atque opibus, iniquitate fortunæ deiectus, quæ plerunque solet inuidere summæ virtuti, & viris optimis ac sapientibus bellum indicere, eosdemq; velut studiosè & pertinaciter insectari, quam calamitatem vehementer augebat diuturnus morbus articularis, quo atrociter idem, & frequentissime vexabatur. Tantis igitur molestijs, & calamitatibus exhaustus, quis non putasset, illum sæuitiæ suæ fortunæ, dum ex hac vita, suo quidem optabili, sed suorum

rum incommodißimo tempore migraret ſatisfeciſſe? At ecce iterum fortunæ eadem renouat bella priſtina poſt mortem, nec illius manes ſinit in optata pace, hoc eſt nomen eius in mentibus hominum cum dignitate quieſcere, quaſi volens claro documento docere, verum eſſe quod Ariſtoteles tradidit, etiam in mortuos licere quidquam fortunæ temeritati. Neque enim defuerunt importuno, prauoq́, homines ingenio, qui technis, & calumnijs eius famæ inſidiantes, Eraſmum virum alioquin (vt de egregia eius eloquentia, doctrinaq́ taceam) & probum, & moderatum eò compulerint falſis & calumnioſis delationibus, vt librum ediderit in Albertum Pium vtroque ipſorum indigniſimum, quo virum præſtantiſſimum, quantum quidem in ipſo fuit, infamaret, & ſui oblitus, maledictis, atque conuicijs præter omne decorum inceſſeret. Quorum conatibus vt occurrerem, officij mei, ac pietatis potius erga illum eſſe multis iuſtiſq́ de cauſis exiſtimaui. Iſtorum igitur calumnijs reſpondere, ac Eraſmi querimonis ſatisfacere conſtitui, hoc libello, quem ad te mitto, qui patrui gloriam atque praſtantiam, honeſtiſſimis ſed fœlicioribus (vt ſpero & precor) ſtudijs, ingentibuſq́ virtutibus æmularis, & es ipſius, vt cæterarum rerum, ſic familiaritatum, & clientelarum legitimus hæres. ne cum eius in me meritorum, & benevolentiæ optimus ipſe ſis teſtis, ingrati animi vitium, à quo ſemper abhorrui, iure mihi poſſes obiectare, ſi minus aduerſus iſtorum, à quibus ſumma iniuria fama illius in diſcrimen vocatur, criminationes patrono cliens (quando ſic tulit præpoſtera fortuna) quantum ingenio & induſtria conſequi poſſem patrocinarer, in cauſa præſertim ipſius tam honeſta & expedita, vt commoda oratio neminem quamlibet indiſertum deficere poſſe videatur.

IOANNIS GENESII SEPVLVEDAE CORDVBENSIS,

Pro Alberto Pio principe Carpensi

ANTAPOLOGIA

In Erasmum Roterodamum.

APologeticum librum Erasme proxime editũ à te in Albertũ Piũ principem Carpensẽ, inuitissimus perlegi, ac certamẽ, quod cũ ipsius manib. instituisti, cũ meo magno dolore spectaui. dolui enim, & quidẽ vehemẽter, vtriusq; vestrũ nomine: tuo, cuius sẽper fui studiosus, propter elegans ingeniũ, & prestantẽ doctrinã tuã, quòd oblitus theologici decori, non satis è tua modestia, & quæ tibi frequens in ore est, Christiana charitate, acerbitatẽ animi tui vtcunq; illatã temperaueris: Illius, quod princeps singulari pietate, grauissim°, & doctissimus, ijs cõuicijs, & contumelijs incessitur, quæ vix cadant in semisẽ, ac dissolutum hominẽ, leuiculũ & ab omni literatura abhorrentem. Histrio enim à te fit, & quidẽ ineptus, dũ ipsum facis aliena persona indutũ fabulã frigide saltare: extrema leuitate notatur, dum alieno nõ labore tantũ, sed etiam ingenio inanẽ, ac puerilẽ gloriã eundẽ captare iactas. Iam verò literarũ quid ei relinquis, cui theologiæ, ac philosophiæ cognitionem demis, & politioris literaturę, omnemq; ingenuarũ artiũ notitiã detrahis, cũ constet ipsum cæteris studijs non inseruisse? Quæ conuiciorum importuna iactatio, quanquam apud eos, qui huius summi viri ingentes virtutes, ac omnis doctrinæ præstantiam perspexerunt, non plus habeat ponderis, nec minore cachinno excipiatur, quàm vana quondã pronunciatio Zopyri in Socratem virum diuinum, multa vitia ex eius forma colligentis, apud Alcibiadem, & cæteros Socratis familiares, talium in eo vitiorum ne vestigium quidem agnoscentes: tamen apud cæteros, quantus esset Albertus Pius ignorantes, ipsamque posteritatem, tam dirum habet sponte sua venenum, tam gloriæ, & existimationi illius perniciosum, vt ab ijs quibus Alberti nomen debet esse curæ, memoriaque chara, sine scelere & impietate negligi non posse videatur. Scio igitur multos fore, qui velint, & possint maledicta tua refellendo, famæ eius patrocinari, hoc tamen officium magis à me video, & potiore quodam iure, quàm à cæteris expectari. Primum, quia nemo me familiarius Albertũ Pium coluit, nemini maior fuit occasio, mores illius, & doctrinã cognoscendi,

scendi. Deinde, quoniam cum illi Principi multi multa debeant, ego nihil me non debere profiteor, qui me Bononia ex collegio Hispanorum, propter nonnullam fortasse, quam de studijs meis habebat opinionem ad se sponte sua vocatum (vt vir doctissimus hominum non indoctorum familiari cõsuetudine delectabatur) tã humanè semper, tamq; amanter multos annos tractauit, vt nihil vel honoris, vel benignitatis, nil denique fauoris cuiquam suorum tribuerit, quod mihi non fuerit sanè lubens impartitus. quorum beneficiorum immemorem agere: hominis esset non solum ingrati, sed etiam inhumani. Postremo, quod caput est, quoniam vbi tu conaris ingenij eius, atque doctrinæ laudem ad alios detorquere, aliquot te nomihare posse nimis artificiosè dixisti, sed me vnum nominasti, cuius ille abuteretur opera, ad fabulam istam peragẽdam, quam tu, vel (quod magis credo) homines aliqui calumniosi, qui ad te tam impudens mendacium detulerunt, vt à te gratiam aliquam inirent, stultè admodum commenti sunt. Quam de me prædicationem falsam inprimis si dissimulanter, & silentio præterijssem: an nõ merito argui possem, arrogare mihi alienam gloriã, & per summũ flagitium istorum artificum technis obsecundare? Prouinciam igitur, quam recusare sine scelere non poteram, sponte suscepi, sed eo animo, nõ vt Erasmi famã læderõ, cuius ingenio faueo acuto inprimis & eleganti, & doctrinã magni facio, sed vt me istorum conatib. opponerem, qui mei dum viueret amantem patronum, & optime de me meritum infamare tentarũt: nec paterer ab importunis ingenijs, viro optimo, illustri, atque doctissimo turpissimã notam inuri, & eius nominis splendorem tenebris commenticijs obfuscari. quod si absque animi tui offensione aliqua præstari non poterit, tibi assignabis Erasme, qui nos libello tuo in tam iniquas angustias coniecisti, vt inde aliter exire non liceat, nisi facta eruptione per eas copias, quas acie infesta, sed parum firma in Albertum collocasti, dum partim indulgeres stomacho tuo, partim vanissimorum hominum figmentis acquiesceres Neque enim adduci possum (vt paulo ante dicebam) Erasmum virum probum, & pium, eò cæci furoris processisse, vt quæ falso iactat de Alberto Pio, ipse sit per malitiosam calumniam commentus: sed ab alijs ad se vanissime, & flagitiose delata referre. In quo tamen ea culpa tua est. Primùm, quòd delatione, non dico vera, sed ne probabili quidem omnino, temerè credita animum induxeris, ea literis mandare, quę vt vanissima esse omnes sciunt, qui Albertum Pium noueruint, sic nec probare valeas vllo modo, nec cordato cuiquam homini de tanto viro persuadere. Deinde, quòd tuo malueris stomacho indulgere, quàm iudicio obtemperare: qui cum scires turpe, atque impium haberi, veteri etiam prouerbio vetante, mortuis maledicere, leuissima tamẽ excusatione vsus, quòd mortui in te scribant, Alberti Pij manes improperijs & conuicijs exagitare

decreueris. Non est turpe Erasme in mortuos scribere, si parcas famæ, falso dicta vel acriter, si libeat, insecteris. Hoc enim non veteres tãtum philosophi, verum etiam Christiani, & egregia pietate viri (quod ipse non ignoras) factitarunt. Sed mortuos incessere maledictis, & nomini ipsorum insidiari, turpe habetur & nefarium. At respondurũ te carptim citra Alberti nominis cõtumeliam, in ipsa libri præfatione polliceris, idque tum in epistola, tum in responsione abunde àte præstitum profiteris. Quid promissum, verbaq; audiam, cum facta videam? rudẽ theologiæ illum fuisse cõtendis, Philosophastrum vocas nugatorẽ, mendacẽ, surdam aspidem, senem delirum, impudentem, calumniatorem appellas, & dicis te à cõtumelijs temperare? An postulas haberi, agiq; modestiæ tuæ gratias, quod virum innocentissimum, re nõ minus quã cognomine pium, sicariũ, parricidam, proditorem patriæ, aut hæreticũ, & impium non appellaueris? Nam quod ais te in epistola & responsione citra contumeliam egisse cum Alberto, nihilo meliorem facis causam tuam. videri enim potes, authoritate viuentis deterritus, nõ voluntate & consilio tunc à maledictis abstinuisse, qui vix elatum tãtis improperijs laceraueris. Sed percussus inquis referio, & factum (si Deo placet) excusas exemplo Christi, qui non tacite passus est eorum malitiam, à quibus habere dæmonium, & rursus in Beelzebub eijcere dæmonia insimulabatur. Ita credo par scelus est, aut simile flagitium affirmantium Erasmum quidquam perperam vel locutũ esse vel sensisse, & eorũ qui Christum habere dæmonium calumniabantur, & tam vere tamq; moderate obtrectauit Erasmus, maledixitq; Pio, quã Christus castigauit Iudæorũ calumniatores. Facile est, & dicta, & facta Christi commemorare, at imitari longe difficillimum. Quanquam igitur qui Christũ audit, is malum pro malo non reddit, sed tolerando vincit aduersarium, non tamẽ à te requirimus Erasme eam patientiam, quę à Christo in Euangelio cõmendatur, vt percussus vna maxilla præbeas alteram feriendam : sed

Matth. 12.

Matth. 5.

maxime vellemus, ne leuiter ictus, mortiferã (quantum in te fuit) plagam incussisses, nec te ad conuicia iactanda, sed ad prudenter respondẽdum, & quæ obijciebantur modeste refutandum comparasses. Sed clamabis, sat scio, te non leuiter ictum à Pio, sed grauissimè, quantum quidem in ipso fuerit, vulneratum: qui si te non mendacem dixerit, non nugatorem, non calumnioſum, non hæreticum, ea tamen de te scripserit, quæ si vera sint, vix huiusmodi criminum turpem notam effugere valeas. Quàm vera sint, quæ in te Pius scripserit, postea videro, neque enim ab re fuerit, aliqua summatim, & strictim attingere, vt probata in parte viris prudentibus Alberti causa, qualis in toto fuerit, non possit dubitari. Illud certe confirmare possum, te perhumaniter ab ipso fuisse tractatum, & nullis apertis conuicijs, nisi perquam leuibus lacessitum. notare autem quædam in tuis scriptis, quæ falso, aut non satis vel grauiter,

vel

vel cõstanter, quæve minus catholicè dicta esse videantur, non est conuicia in te iactare, nec famam tuam studiosè lædere, sed inseruire veritati, maiestatiq; Christianæ religionis adesse. Iam verò quanti refert, quibus verbis res quæque significetur? Ablatum à te quidquam audias, an furto surreptum? parum religiosè dictum, an impiè? mentiris respõdeas, an non feci? erras, an calumniaris? Sed quoniã ipse, quòd acriore, quam velles censura scripta tua vexarentur, semel dolore incitatus cohiberi non potuisti, quo minus sæue in Albertum Pium inuehereris, iã (si placet) qualia sint, quæ illi obijcis consideremus.

Obiectiones in Albertum Pium. Prima.

Initio præfaris, *ipsum non suo iudicio, sed quorundam hortatu operam in te scribendi suscepisse*. Hoc si tuum est inuentum, iniustè facis, & parum Euangelicè, qui viro, quo nihil grauius fingi potest, summam leuitatis notam inurere moliris: Si ab alijs ad te delatum, temere admodum credidisti. Quid enim habet probabilitatis, hominem afflicta valetudine, & mole atque cura rerum maximarum pressum, non reip. vel religionis causa, sed vt libidini nescio quorum inseruiret, rem suscepisse difficilem atque laborioſam, & parum laudis habituram? Aut quis esset tam impudenter audax, vt viro principi, ac (vt dixi) impeditissimo, ab articulariq; morbo vix pauca interualla quietis impetranti, tantum molesti oneris tentaret imponere? ad summã, quo præmio veræ laudis adduci poterat vir eo splendore, doctrina & grauitate? *Glorioſum* inquis *fortasse putauit in Erasmum scribere*. Quàm vanè tibi blandiebatur Erasme, quisquis te in istam persuasionem detrudere curauit. Quàm longe abhorrent ista ab ijs, quæ in Epistola tua Albertum Pium de te prædicare solitum esse conquestus es, Erasmum nec philosophum esse, nec theologum, nec vllius solidæ doctrinæ. Quisquámne talia sentit de Erasmo, & glorioſum putat in Erasmum scribere? *At falsa fuit* inquies *delatio*, vt idẽ affirmat in Epistola sua, *talia vnquam ipsum iactasse de Erasmo*. Ita equidem existimo, tanta enim erat illius viri modestia, tanta humanitas, in eos præsertim, quos vel mediocris eruditio commendaret, vt eorum lapsus, si qui essent, excusare ingeniosè, & quidquid esset laudabile, in maius etiam extollere libenter soleret: tantum abest, vt de viris egregijs, male præter meritum loqueretur. At ipse vrges in tua responsione & libello testesq; producere paratus es, quibus eum, quæ dixisse negat, iactare solitum esse conuincas. Sed credamus Albertum de tua doctrina bene & loqui solitum, & sentire, statímne glorioſum putáret in te scribere vir tantus, tam illustris, tam non ambitioſus, & quod in primis meminisse debebas, in Italia natus, nec ignarus, qualis esset cæterorum Italorum de te opinio? Quos non perinde solitos esse demirari scripta tua, ac Germanos tuos, & meorum Hispanorum pleroſque, miror si tibi non est abunde exploratum. Nam quod ad te de Alberti vocibus

vanè

vanè(vt opinor)delatum eſt,id de multis Italorum non parui nominis, nec vulgaris doctrinæ,citra mendacium deferri potuiſſe,certo 1cio.cũ quibus profecto mihi,vt poſſem magnos viros citare teſtes,ingens pro te ſæpe concertatio fuit,cum ferre non poſſem,quorundam faſtum,tuique contemptum,qui te philoſophiæ expertem eſſe dicerent, Luciani magis,quàm Ariſtotelis familiarem,duplici vtentes argumento . Primùm,quòd homo Græca interpretandi ſtudio deditus, Luciani fabellas,quarum cognitione Latini,& theologi,& philoſophi, ſine vlla religionis aut morum iactura carere poterant,Latine expreſſeris diligenter:Ariſtotelis ne verbũ quid ẽcõuerteris,cũ eſſent nõ pauca illius viri diuini opera de philoſophia, quæ partim perperam , partim barbare conuerſa,latiram orationem deſiderabant . Deinde, quòd cum innumeros propemodum libellos edere nunquam deſiſtas, nullum tamen vnquam phyſicum argumentum tractaueris . In theologicis porrò ita te verſatum eſſe dicunt,vt multa in tuis libris ſint , quæ doctiſſimorum theologorum conſenſu reijciantur.Cum verò ad humaniores literas ventum eſt,quod demere non poſſunt,magnam tibi lectionẽ concedunt, ingenij promptitudinem,& argutias , orationiſque copiam tribuunt:ſed dicendi characterem,licet interdum exſurgas,humilem eſſe contendunt,& parum habentem grauitatis : ad ſummam, minimè Ciceronianum.ita te fœcundum eſſe magis,quàm facundum: dicterijs potius,& argutijs quàm ſententijs,orationiſque virtutibus lectorem allicientem.*Sed iſta* inquis *maleuolorum figmenta ſunt* . Quis negat?leuique fundamento fabricata,non eo inficias:nec ex iudicio,ſed à quorundam Italorum inuidia profecta , qui volentes ſuos in omni genere literarum excellere, indignari videntur, ſi quis vltra montes(vt ipſi loquuntur)natus,ad rerum doctrinam , orationis quoque ornamenta adieciſſe putetur.Hoc quoq; tibi facilè aſſẽtiar,qui ſimili oratione vti ſoleo, ad conatus te ſic impetentium reprimendos , atque equidem vellem id quamplurimis eſſet perſuaſum,vtſi quid in meis ſcriptis,quæ non pauca,partim ex Ariſtotele , alijſque Græcis philoſophis in Latinum conuerſa, partim meo labore lucubrata,in manus hominum exierunt, naſuti homines improbarent , poſſem cum aliquorum fide culpam à mea tarditate,ad illorum inuidentiam transferre.nam & ego, licet iam ſextumdecimum annum agam in Italia , trans alpes tamen natus ſum:in Betica,non in Luſitania,vt ipſe cum iterum Ciceronianum ſcriberes, putaſti:deceptus fortaſſe prouinciarum confinio, quæ in Hiſpania vlteriore,fluuio duntaxat Ana interfluente dirimuntur,licet Bętis,qui prouinciæ nomen dedit,Cordubam alluat , vnde nos eſſe legeras videlicet in meo de fato & libero arbitrio aduerſus Lutherum libello. Hunc enim à te deſignatum puto,cum me edito Romæ libello,præclaram ſpem de me præbuiſſe,in eodem Ciceroniano ſcriberes, quem cum anno ſuperiore

riore legiſſem,te per literas huius perleuis lapſus admonui,& egi gratias pro tam honorifico teſtimonio. Nam licet non ignorarem, quam vim habeat oratio, ſpem duntaxat in homine iam propemodum quadragenario laudantis, vt ſolet adoleſcentium indoles, cum facta nequeunt commendari. Illud tamen me tibi debere intelligebam, quòd feciſſes perhumaniter, vt malles de ſpe futuræ virtutis, quam de præſentibus vitijs, quæ illi ætati condonare videbaris, meminiſſe. Sed ad Italorum de te iudicium, vel inuidum potius (vt ipſi interpretamur) ſermonem redeo. Quî probari poteſt, qui talia de te (licet falſa ſint) prędicare ſolent, horum quempiam doctrina non vulgari in te ſcribere glorioſum putare? Nedum Albertum Pium, virum illa doctrina, & authoritate, cui hoc ipſum à pleriſque Italorum obijcitur, quod oblitus ſuæ dignitatis, in certamen deſcendere ſuſtinuerit, cuius etiam victoria parum eſſe habitura laudis.

Cauſſæ propter quas Albertus Pius in Eraſmum ſcripſerit.

Quid igitur cauſæ fuit, cur Albertus Pius in Eraſmũ ſcriberet? quid? niſi quod ipſe in ſuis libris teſtatum reliquit? Primùm quia prouocatũ ipſum epiſtola tua, nec vrbanitas tacere, nec ſuæ dignitatis ratio permittebat: ne vel ſuperbi, ſi tè reſponſo non dignari: vel indoctæ tarditatis conſcij notam incurreret, ſi tibi ad obiecta reſpondere non auſus fuiſſe videretur. Quanquam igitur epiſtolæ tuæ multo pauciorib⁹ reſponderi potuit, tamen quia tu conqueſtus eras in ea, quòd ille ſcripta tua ſeminaria faceret Lutherani furoris, hac admonitione ſemel emiſſus, cohiberi non potuit, quo minus in eo campo paulo latius diuagaretur. Deinde emiſſo epiſtolari libello, cum tu paulo concitatius reſpondiſſes, & pleraq;, quę ille affirmabat, magna voce negaſſes, cõmentitia eſſe iactans multa, quæ à te dicta citabat, non putauit ſibi iam integrum eſſe, ſalua dignitate tacere, qui ſilentio cauſam optimam proditurus videbatur. Scripſit igitur opus illud elegans, & doctiſſimum, tibi tamen ſummopere ingratum, magno ſuo & labore, & ingenio: tum vt quæ prius dixerat, confirmaret: tum vt quæ in Epiſtolari libro ſtrictim perſtrinxerat, dilataret.

Secunda obiectio.

Obijcis deinde Alberto Pio, *quod libros in te nullo ſuo ingenio, nulla ſua doctrina, ſed quorundam neſcio quorum opera confectos parum prudenter ediderit. quoſdam enim contendis teſtimonia ſcripturarum ei ſuppeditaſſe, alios loca, quæ carperet ex tuis libris perperam magna ex parte decerpta ſuggeſſiſſe, alios expoliuiſſe dictionem, & verba latina ſubminiſtraſſe, ad ſummam in libris Alberti Pij, nihil ipſius eſſe, præter nomẽ, & carpendi libidinem, ac gloriolæ cuiuſdam cupiditatem.* Quo in loco, crede mihi Eraſme, acumen ingenij tui magnopere deſideraui, qui cum talem criminationem à falſis delatoribus deceptus adornares, nõ videris, te rem moliri, non dico falſam, ſed incredibilem prorſus, & omniũ qui legiſſent iudicio, ſtatim reijciendam. Nam cum duo potiſſimum ſint, quæ falſis criminationibus locum faciunt, & ſtruendæ calumniæ præbent occaſionem: alterum, ſi quod obijcitur, ab eius, qui accuſatur facultate, natura, &

tura,& moribus non abhorrere conſtet: alterum ſi eadem qualia in eo-dem ſint,ob eius obſcuritatem ignorentur: vtrumque profecto magnopere defuit iſtorum calumniæ. Quis eſt enim aliquo numero & honore? quis paulo modo doctior, non ſolum in Italia, ſed etiam in Gallia, Germaniaq; omni,& Hiſpania, qui Albertum Pium ignoret? Quis porro Albertum Pium nouit, cui non ſit audita, notaque ſapientia eius, doctrina, & eloquentia? qui ab ineunte ætate literarum ſtudio deditus, hortante ad id Ioanne Pico Mirandula ipſius auunculo, qui eius indolem florentiſſimam non ignorauit, tantum aſſidua cura, & ingenij fœlicitate profecit, vt iam inde ab adoleſcentia, inter philoſophiæ, ac ingenuarum artium eruditos excellere putaretur, quod Aldus Manutius, quo præceptore humaniorum literarum fuerat vſus, in multis librorum, quos ei nuncupauit præfationibus, teſtatus eſt. Aggreſſus deinde ſacrarum literarum, theologiæq; ſtudium (vt erat ille vir natura perquam pius) non ſe ita comparauit, vt ſtudiorum amœnitates, quemadmodum pigri, tardiq; ſolent, ſequeretur: ſed quanto ſpinoſius quodque eſſe, ac plus habere difficultatis intelligebat, tanto cupidius, in hoc ſtudioſiuſque incumbebat, itaq; in ſcholaſtica theologia, cum cæterorum quoq; theologorum doctrinam perdiſcendam ſibi ſtatuiſſet, Scoti tamen ænigmata ante omnia perueſtiganda ſibi propoſuit: putans videlicet id, quod euenit, hac velut Sphinge ſuperata, nihil tam difficile fore, quod non ſuo ingenio, ac diligentiæ conceſſurum eſſe videretur, cuius victoriæ compos factus, quem non ille legit ſcholaſticorum theologorum? quam non quæſtionem, vel publicè vel priuatim cum viris doctiſſimis diſputauit? quod munus & libentiſſimè, & cum admiratione omnium vſurpabat, nihil enim illius ingenio acrius, nihil præſentius, nil denique perſpicacius, vt ſermonis lepôrem, ac vocis moderationem omittam, quibus dici non poteſt, quantum ſibi audientium animos conciliaret.

Nec mirum ingenioſum, & diligentem hominem in eam doctrinæ magnitudinem euaſiſſe, qui ſemper habuit domi viros Italiæ in omni genere literarum doctiſſimos, quibus partim præceptoribus, partim ſocijs ſtudiorum ad literarias exercitationes vteretur, quorum fuêre Aldus Manutius, Tryphon Bizantius, Marcus Muſurus, viri vtriuſque linguæ cognitione præſtantes. Petrus Pomponatius præceptor meus, Ioannes Monldocus Hiſpalenſis, ſummi viri in doctrina peripatetica: quorum ille Bononiæ, hic theologiæ quoque cognitione præſtans, Piſis atque Patauij maximis præmijs propoſitis, philoſophiam docuerunt: Andreas Barrus magnus item philoſophus, adhęc Gratianus Brixienſis, cuius extant in Scotum commentaria, monachus Franciſcanus; Valerius heremita, viri theologiæ ſacrarumque literarum peritiſſimi, vt multos alios præteream egregia doctrina viros, cum quibus, quicquid otij ac tem-

actemporis à publicis negotijs dabatur, disputando, ac de studio literarum, rebusque honestissimis colloquendo, libentissimè consumebat, vir non institutione tantum, sed natura quoque ab omni voluptate, libidineque alienissimus, quod enim otium adolescentes ea fortuna iuuenesque alij ludo, canibus, aut veneri dare solent, id Albertus Pius literis, ac honestissimarum rerum cognitioni tribuebat, & erat forma, orisque dignitate, ac reliqua proceri corporis habitudine, & suauiloquentia, cum quo vel nullus posset in Italia, vel pauci admodum comparari. Ne quis fortè putet præter opes, & generis claritatem, reliquas illi voluptatum occasiones defuisse. Sed cum robustiores annos in studiorum quasi palęstra & scholasticis disceptationibus consumpsisset, ætate ingraueścente, studium transfert ad mitiorem, magisque & iocundam, & fructuosam Augustini, Hieronymiq; & aliorum veterum, & grauissimorum theologorum lectionē. quos cum eorum monumenta noctu, dieq; versaret, sic admirabatur, vt Thomam tamen, ac Scotum spernendos non putaret, reliquosque scholasticos theologos, qui theologiam munire armis philosophiæ, quibus oppugnari solebat docuerunt. Iam verò sacras literas tam familiares sibi fecerat lectitando, vt nemini magis domus sua nota esset (vt inquit ille poëta) quàm ipsi historia vtriusque testamenti. Quanquam igitur Albertus Pius reip. administrationi multorum annorum præcipuam curam impenderit legationibus à maximis principibus, apud Iulium, Leonem, & Clementem Pontifices maximos functus, qui & ipsi prudentia eius, & consilio in summis rebus vtebantur: quidquid tamen temporis reipublicæ supererat in ea, de quibus modo dixi literarum studia conferebat. His itaque puer delectatus est, in his adolescens, & florentibus annis, summo ingenio, ac diligentia versatus, in his deniq; consenuit. Quæ cum notissima sint nō pontifici solum, & cunctis cardinalibus, quos mendacij testes citare nefas sit, verùm etiā omni propè dixerim orbi terrarum, miror cuius pudoris, aut prudentiæ fuerit in virum, cuius facundia, summaq; eruditio, cunctis hominibus erat perspecta, istam struere calumniam, quæ nisi in hominem infantissimum, & omnis doctrinæ rudem, probari cuiquā nō poterat. Quis enim dictionis adhibet expolitorem, nisi qui barbarus ipse est, & à politiore literatura alienus? Quis suggestores, cōmonstratoresq; scripturarum, argumentorū, dogmatumq; theologorū, nisi qui sacras literas, vel nunquā, vel perquā leuiter attigerit, ac theologiā prorsus ignorat? in quibus studijs Albertum Piū à puero suam, quæ iam ingraueścebat ætatē consumpsisse, ignorare nemo potest. Quam igitur ansam, quā demum occasionem calumniatores nacti sunt, tam insigne mendacium, quod deferrēt ad Erasmum comminiscendi? Accidit enim ferè per malitiam delatoribus, mente, animoq; ægrotis hominibus, quod per errorem febrientibus vsu

bus vſu venire Ariſtoteles teſtatur, vt enim hi perexigua quadã linearum in pariete deſcriptarum ſimilitudine decepti, animalia quædã videre videntur, & affirmant: ſic calũniatores & malitioſi homines quidquid vident, quod pati poſſit quoquo modo ſiniſtri cuiuſpiã vel leuiſſimam ſuſpicionẽ, maligna interpretatione ad calumniã rapiũt: & quod temere, leuiterq; ſuſpicantur, ac ne ſuſpicantur quidem, ſed propter ſuſpicandi tenuiſſimã anſam cõfingunt, pro vero affirmant, & ad alios flagitioſiſſimè deferunt. Mihi ergo quoquo verſus ſpectanti, & omnes huius impudentiſſimi mẽdacij anſas animo perluſtrãti, hæc vna potuit in mentẽ venire, q calũniæ qualẽcunq; locũ facere potuiſſe videretur. Albertus Pius (vt ſupra dixi) tã ſæue, tã pertinaciter articulari morbo, in quem annũ agens circiter quadrageſimum inciderat vexabatur, vt ſæpe totos tres, quatuorq; menſes in lecto iaceret, tã proſtratus, vt neq; pes, neq; manus officio ſuo fungi poſſent. In ea igitur calamitate, ſi quãdo à morbi ſęuitia dierũ aliquot inducias impetraſſet, vna illi requies erat, qua ægrum animum ſolaretur, audire aliquem legentem, aut cũ aliquo viro docto diſputare, vel cum ſolus eſſet, commentari aliquid in ſtudio literarum. Sed cum nec ipſe ſcribere poſſet, nec libros euoluere, opus illi erat librario, opus lectore: ac ſi cuius authoris ſententiã dictúmve, aut etiam verbum recognoſcere oportebat, & illi locus (vt nemini nõ identidem vſu venire ſolet) excidiſſet, cum inueſtigare per ſe nõ poſſet, vt per alterum faceret neceſſe erat. quib. in rebus cũ aliorum vteretur opera, non induſtria: manibus, & lingua, non ingenio: labore, non doctrina: video tamen non defuiſſe peruerſos homines, ſed tui ſtudioſos, qui hoc animaduerſo, dum Albertus Pius ægrotãs in te ſcriberet, vana, & maligna interpretatione, dum tali mendacio tibi nõ ingrato futuro, aliquam tuam gratiam promereri poſſe ſperarent, amanuenſium operam in calumniam detorquerent, ad nomen Alberti Pij, & quã te maxime grauaturam eſſe conſtabat authoritatem, ſummæq; eruditionis opinionem imminuendam. Si quos ægrotans Albertus Pius oculorum, manuumq; vicarios, ad opus lucubrandum habuiſſet, horum ingenio atque doctrina opus confectum eſſe, aliquibus poſſet conficto mendacio perſuaderi. Cæterum nihil aliud (crede mihi) tali conſilio profecerunt, quã vt te falſis delationibus nimis credulum eſſe, magno argumento declararent. Tu tamen plurimos nouiſſe affirmas, quibus copijs vſus ſit Albertus Pius, aliquot te poſſe, ſi res poſtulet nominare. An tibi, cum virum grauiſſimum ſummæ leuitatis reum faceres, & quem omnes ſciunt doctiſſimum fuiſſe, & elegãtem, ipſe rudem literarum & infantiſſimum contenderes, non videbatur res poſcere, vt teſtes vel quãplurimos produceres, conſcioſq; proderes omnes, ne non apertè calumniari, ſed verũ crimen obijcere credereris? Sed quis tam rudis eſt, vt non agnoſcat artificiũ cum neminem vere poſſes, aliquot te nominare

nare posse, si res poscat scripsisti, me vnum nominasti. si res poscebat, cur cæteros tacuisti? Si non poscebat, cur me nominasti? Subijcis enim, *Sepuluedam nemo non nouit, virum eruditum, & bene latinum.* quod cum legissem, tibi equidem Erasme magnam habui gratiam, quòd vir tantus me aliquid didicisse testat⁹ sis, & latine nõ ignorare, sed multo maiorẽ habiturus, si testimonium istud minus alieno loco mihi contigisset, nec me in eius inuidiam laudasses, cui ego, quanquam in eisdem, atque ille studijs multos annos non negligenter fuerim versatus, semper tamen longe maiorem eruditionem, & Latinæ linguæ peritiam concessi. vel me igitur tacere debebas cum reliquis, vel omnes mecum nominare. Nam cur me potissimum nominandum putasti? An quia de me magis constare, & me quam cæteros notiorem esse credidisti? negas enim me à quoquam ignorari. Non equidem inficior, nomen meum ob aliquos meos labores in studio literarum, non quidem tam multis, quàm tu ais, sed certe non admodum paucis innotuisse. Cæterum quo me plures nouerunt, hoc plurimum testimonio, vanitas istius criminationis haud dubie conuincitur, nemo enim me nouit, qui nesciat toto eo tempore, quo Lutetiæ in te scribebat Albertus, me Romæ, aut certe in Italia fuisse. quod te magnopere miror non animaduertisse, cum talia prodere inducebas animum, nam non ignorasse certum habeo. Memini enim Placentiæ, cum eò peruenissem Franciscus Quignonius sanctæ crucis Cardinalis, quem literarum, ac omnis virtutis fautorem egregium, Stunica, & ego sequebamur, in legatione illa, qua cum duobus collegis ex more, à Clemente pontifice Maximo obuiam Carolo Cæsari mittebatur, literas quasdam tuas vidisse, quib. viro erudito, tuique studiosissimo Alfonso Valdesio Cæsaris à secretis, ad eam epistolam respondebas, in qua ipse ad te paulo antè scripserat in mentione doctorum hominum, Stunicam, & Genesium se Placentiæ conueniisse. quibus literis iam tunc vanum istum rumorem spargere incipiebas, nam tale quiddam in eis me legere commemini, *Albertum Pium nescio quid in Erasmum parare, domique habere conductitium hominem, qui pro se scriberet.* de quõ cum me Valdesius percunctaretur, ego nihil dolisuspicatus, necesse est inquam, vt qui scribere ipse morbo implicitus nõ potest, librarium habeat, qui dictata excipiat, ac pro se scribat, quo vt principes ferè solent, semper vsus est Albertus Pius, etiam in valetudine firmiore. Sed tu videlicet hominem intelligebas, cuius doctrina & ingenio conficeretur opus, aut certe qui dictionem ipsius expoliret. Cũ hoc igitur tempore, me Placentiæ fuisse scires, & ante, ac post perseuerasse Romæ, credibile sit te non ignorasse, quid tibi venit in mentem, vt mea opera vsum esse Albertum Pium, in opere illo conficiendo, aut expolienda dictione asseuerares? Neque enim hoc ad epistolarem librum, quem ille Romæ ante vrbis direptionem elucubrauerat, de quo mox dicam referre potes, qui sic scribis in calce libelli: *Recte facit, quod agit gratias*

Deo, cuius ope tam mirificum opus absoluerit, sed ingrate facit, qui nō agat gratias Hispano dictionis expolitori, operis collectioni præfectis, &c. Quo in loco de opere Lutetiæ confecto te locutum esse certum est, in eo enim extremo, quas dicis gratias Albertus egit Deo. Nec dubitari potest, quin Hispani nomine eūdem Sepuluedam, de quo vno nominatim memineras, designaueris. Cōstat enim Albertum Pium, multos annos antequam decederet, Hispanū, qui literas didicisset, domi suæ habuisse neminē, præter Genesiū Sepuluedam, quem ad te suspicor, appellatione varia delatum esse, quin etiam corrupto vocabulo. nam pro sepuluedo, sepuluelum habet tuus libellus, nisi forte culpa librarij vna litera mutata fuit. Ex quo factum est fortasse, vt eundem per obliuionem duos esse homines credideris. Ita cūnō ignorares Genesium Romę agere, Sepuluedam putasti eodem tempore Lutetiæ cum Alberto Pio in te scribente fuisse: qui cum neque ineruditus, neque Latinæ linguæ ignarus (vt ipse scribis) haberetur, eundemque constaret in Alberti Pij domesticis fuisse, maxime idoneus visus est istis Sycophantis, qui ex confictis operis vnus potissimum nominaretur: quorum ipse calumnijs inconsulte creditis, scripsisti agendas esse gratias Hispano, qui libri Lutetiæ lucubrati dictionem expoliuisset: cum neq; ego, quem eo loco designas, nec quisquam alter Hispanus, non expers literarum, eo tempore cum Alberto fuerit. cuius rei testes appello, quotquot Lutetiæ Albertum Pium, eiusque domesticos cognouerunt, omnibus enim notissimum est, Alberto Pio Lutetiæ commenti neminem prorsus affuisse, cuius opera iuuaretur, præter vnum a-manuensem Italum adolescentulum, qui vnus multorum ministerio fungebatur; idem namque in Alberti morbo propemodum continenti libros euoluebat, idem loca suo labore, Alberti ingenio, memoria, vel reminiscentia inuestigata legebat, idem excipiebat dictata. quod mihi ex alijs etiam exploratum, ipsemet adolescentulus his paucis diebus exposuit Romæ, dum suos ingentes labores in quorundam inuidiam commemoraret. Quid igitur de cæteris, quos nullos potuisti nominare, credi par est, cum me, quem vnum isti putauerunt non improbabiliter posse ad suæ calumniæ fidem faciendam nominari, constet ne potuisse quidem, etiam si maxime illi opus fuisset, & vterque cuperemus, quam isti confingunt operam nauare. cum ille Lutetiæ, ego Romæ commorarer, nec mihi (quod maxime doleo) post vrbis direptionē ipsum videre contigerit. vt illud interim taceam, quam diuersus sit meorum scriptorum stilus à librorum Alberti charactere.

Nam illud ne fingi quidem potest, librum de quo agitur, Romæ iam lucubratum, post editum fuisse Lutetiæ: cum tuus apologeticus, ad quō refellendum ille rescripsit, editus à te fuerit, postquam Albertus Lutetiam peruenit, vbi librum epistolarem Romæ factum honestissimorum quorūdam theologorum impulsu, euulgari passus est. De quo si quæris, an eum viderim, dum ab ipso scribebatur, dica equidem (calumniā nihil

nihil veritus)vt res est,aliqua vidi dum esset in ipsius manibus, confectum perlegi totum, sed ita perlegi, vt non indocti homines, doctissimorum virorum,quos amant & colunt, scripta solent, vt fructum aliquem,vel doctrinæ vel iocunditatis legendo caperẽ, non vt in viri eloquẽtis,summaq; eruditione libro,homo cunctis in rebus inferior, quidquam vel sensus, vel dictionis emendarem. quanquam ille, cum librum daret, mihi non interdixerat, quominus se, si quid in eo parũ probassem admonerem: ille verò me ad hoc pro sua humanitate adhortatus erat,idem ipse pollicitus se facturum, in meo libello de fato, & libero arbitrio, quem aduersus Lutheri furiosum de seruo arbitrio librum, eodem tempore à me scriptũ, quo Albertus ad tuã epistolã respondebat,vt ipse vicissim legeret,quẽadmodũ mea solebat, facilè impetraui,& quidquid displicuisset, annotaret orauí:quod nec imprudenter,nec præter doctissimorũ hominũ morem,ab vtroq; factũ esse crediderim.neq; si vel maxime cõstaret,illum mea, aut me illius admonitione,iudicioue ductum,aliquo loco,aut etiam locis paucis verba quædã, vel fortassis etiã sensa adieciſſe,detraxisse,vel commutasse,protinus verer,ne apud doctos, prudentesq; viros, quidquã alterutrius famæ,ac eruditionis opinioni decederet. Hoc enim veteres factitasse certum est,quorũ nunc ingenia, & scripta demiramur. nisi fortè puduit Plinium Secundum,virum eloquentissimum, eam inprimis epistolam euulgare,qua rogat virum doctissimum Arrium,vt librum, quem edere cogitabat, & illi miserat accuratè lectum & relectum emendaret. qui ad Scaurum quoque scribens,sic ait:*Recitaturus oratiunculam, quam publicare cogito,aduocaui aliquos,vt vererer:paucos,vt verum audirem.Nam mihi duplex ratio recitandi:vna,vt sollicitudine incendar:altera,vt admonear,siquid fortè me vt ineum fallit,tuli quod petebam,inueni qui mihi copiam consilij sui faceret*. Neque verò solum Plinius vir sapientissimus,id officium ab alijs sui similib. poscebat, sed alios ab ipso idẽ postulasse,cũ alię eiusdem epistolę declarant, tũ ea inprimis,qua Maximo viro doctissimo,quid de libris suis sentiret, exponit.ac ne singulos memorem, Brutũ virum doctissimum, & eloquẽtissimum orationes suas,etiam in senatu cum omniũ admiratione habitas, ad Ciceronem,qui eius ingenio hoc eruditionis,& facundię tribuebat, quod paucissimis suorum æqualium,antequã ederentur, huius rei gratia mittere solitũ,eiusdẽ Ciceronis epistolæ testãtur. quin etiã ipse Cicero,ne cæteros miremur, scripta sua emendãdi gratia mittebat Põpo. Attico,& quidẽ eo animo,vt ceras eius miniatulas, quibus ille quæ nõ probasset annotabat,vt idẽ nõ vno loco ad ipsum scribẽs profitetur,extimesceret.huc.n.pertinet illud Horatianũ præceptũ,

si quid tamen olim
Scripseris, in Metij descendat iudicis aures. *in arte poet.*

quorum cautam diligentiam si tu Erasme fuisses imitatus, nec indulge-

re mal-

re malles ingenio tuo, quàm imperare, magnam tibi laudem peperisti, sed multo maiorem fuisses consecutus, non modo eruditionis, sed etiam eloquentiæ.

Perlegi ergo epistolarem librum Romæ, fateor, & illum fortassis aliquid admonui, quod mihi minus arrideret, vt ipse fecit in meo libello. Statímne igitur librum aliena opera, non suo marte (vt aiunt) confecisse argui debet Albertus Pius? Nam à quopiã alio præter librarium, ne lectum quidem fuisse librum, antequam perficeretur, si mihi affirmanti non credis homini nó vano, & testi oculato, quem latere nihil poterat, crede iurato, nam testem appello Deú immortalem, me nõ mentiri. Sed redeo ad librum Luteriæ inceptũ, & peractum, qui te plus offendit, & quem ipse acrius accusas. Quid habes argumenti, quando testem nullũ habes illum fuisse multorum opera confectum. *Ex varietate* (inquis) *characterũ apparet.* Vbi est acumen tuum Erasme? An non vides te dictionis varietatem allegando, tibi non constare, criminationisque vanitatem prodere? Quomodo enim vera esse possunt, quæ pugnãt? Aut qui cõuenit Albertum Pium dictionis expolitorem habuisse, & characterem esse diuersum? Nisi forte id munus affingatur per summam stultitiam compluribus fuisse per partes iniunctum, vt dolus omnino latere nequiret. Sed si vnus erat expolitor, vt etiam sycophantæ detulerunt ad te, qui vnum Hispanum expolitorem memoras, expolitor iste tam præclarus, quomodo vnus potuit, nisi fortè ex industria, diuersis characteribus dictionem expolire. An commortuum illum videri vis Alberto Pio? vt si quid supereset expoliendum, perficere non potuerit. Non est igitur opus extrinsecus allatis argumentis, ad criminationis malitiam conuincẽdam, ipsa per se, suaque inconstantia ruit. Quòd si vrgeas, rogesque, quomodo tam diuersus stylus potest esse vnius Alberti Pij? ego te vicissim, & verius percunctabor, quomodo potest diuersorum esse character, qui tam sui similis est? Nam quòd pauca quædam verbula, quibusdam in locis annotaueris, quæ magis theologicam simplicitatem præferant, quàm cultum Ciceronianum, candidius erat, id festinationi mortis interuentu nou recognitæ tribuere: quàm ex leuissima coniectura, cum cætera simillima sint, operarum diuersitatem velut argumento certissimo colligere, in vulgusque prodere. Albertus enim Pius quãquã elegans esset, & latinæ linguæ doctissimus, cui studio, ætate ingrauescente multo etiam magis, quàm in adolescentia se dediderat, ita se tamen à puero cõparauerat, vt semper rerum maiorem haberet curam, quam verborum, quo fiebat, vt sæpe cum quæstionem aliquam physicam, aut theologicam disputaret, mallet idem ad nodum quempiam explicandũ, minus latina, sed nota verba, à Thoma vel Scotõ, Alexandroue interdum mutuari, vt clarius, significantiusq; loqueretur, quàm Ciceronianis vti, si orationis insolẽtia philosophis, aut theologis, ad quos verba faceret, obscuritatẽ pari-

paritura videretur. quod in aliquo eius libri loco, quem mortis iniuria polire non potuit, ipsi de sensu magis, quam de oratione sollicito vsu veniisse, non debuit esse tam criminosum, vt ob id quasi de possessione totius libri deijceretur.

Quod porrò quasi probrosum iactas, *Albertum Pium scripta tua non legisse, sed ad decerpenda loca, quæ carperet, monachorum quorundam, aliorumque laboribus vsum fuisse*, id quidem fortasse non male coniectas. sic enim existimo, dũ ex meo instituto melior illius animum, ipsum antequam necessitate duceretur, nonnihil de scriptis tuis animi causa legisse, nihil enim est eis argutius, nihil festiuius: sed horas seueriores sacris literis, Hieronymoque, & Augustino, & his similibus, interdum etiam Aristoteli, vel Ciceroni libentius impendisse. Non quòd non sint multa in tuis libris, quæ horis etiam matutinis legi possint, & legentium operæ pretium absoluere. Sed quòd eorum authorum, qui Erasmum quantus est effecerunt, quàm Erasmi monumentis lectitandis vberiorem fructum capere se posse, non stulte (vt opinor) existimaret. Postea verò quàm, nescio quo fato, in eam necessitatem adactus est, vt consulere famæ suæ non posset, nisi quæ audita de tuis scriptis damnabat, scribendo refelleret, haud equidem credo ipsum tam hebetem fuisse, vt non intelligeret, nisi perlectis tuis libris non posse sparsas in eis sententias cognosci, nec incognitas refutari, putasse tamen parui interesse, ipsene per summum laborem inuestigasset, an ab alijs accepisset, qui huius rei gratia diligentissime libros tuos sponte sua perlustrassent. Sed locis indicatis, dum singula examinaret, certum habeo, omnia, quæ ad cuiusque intellectum facere possent, perlegisse virum prudentissimum, nec ignarum non aliter posse de ipsis, sine summa cæcitate iudicari. quod mihi non solum certa cõiectura, ab altissima viri prudẽtia ducta persuasit, sed illius etiam adolescentuli, quo lectore vtebatur, testimonium indubitatum, cui maiorẽ hac in causa fidem habendam censeo, quàm tibi, qui dum acrioris censuræ dolorem æquo animo ferre non potes, ipsum credidisse modo aliorum relationi, ijs verbis cauillaris, quæ me referre suppudet. *Nam non erat* (inquis) *viri prudentis, cacatis schedis fratrum, ac famulorum, tam virulenter in proximum debacchari.* Quod tibi verbum excidit Erasme? Quove theologici decori respectus abierat? vt vir grauis, religionis, morumque magister in eo libro, quo de religione agitur, de Christo ipso, deque Triade differitur, sustineres tuam orationem ijs verbis fœdare, quæ vix Epigrammatariorum licentiæ permittuntur, nec vnquam à Comœdiarum liberrimis authoribus vsurpantur, nisi fortè cum personæ cuipiam illiberali seruiunt, mancipij simillimæ. Quanto melius consuluisses nomini tuo, si conuicijs, tam fœdisque vocibus vitatis, modeste, ac cum maximo pudore respondisses. ne dares ansam liberis hominibus cauillandi, te dum causa laboras (vt miseri quidam solent) ad maledicta confugere. Quid

Obiectio tertia.

re.Quid enim conuitia iuuant,si obiectis non satisfacias?Quid prodest comminisci præter omnem fidem, nedum veritatem, librum non Alberti Pij doctrina,sed aliorum ingenio,& labore confectum fuisse, si quæ magnis ille argumentis in te colligit, refelli nisi debilissimè non possunt? Quo tamen in loco(vt dicam quod sentio) non equidem miror tibi tam velociter commentanti aliqua non satis fuisse animaduersa.Maius est enim humano captu,vt quisquam velocissimo, nec reperito cursu delatus,obuia quęque perinde notet,perspiciatq;,ac si quis lẽto gradu procedat, & regrediatur,eadẽ sæpe obiens,oculisq; retractãs. Cũ igitur ipse libros tanta celeritate conficias,vt vni dare solidum mẽsem longum tibi videatur,tantumq; absit, vt velis eos ante editionem amicorũ iudicio more veterũ perpendi,vt sæpe ne ipse quidem satis repetita lectione recognoscas,nihil mirum est,nec tu debes indignari,aliqua in tuis scriptis doctissimorum virorũ lento iudicio examinata refelli,quę ipse si nondũ emissa,interiecto tẽpore,velut aliena relegisses, aut ab amicis fuisses admonitus,haud dubie mutasses in melius, aut expunxisses omnino:cum sit illud multo mirabilius, te tãta festinatione, tam multa,quæ iure laudentur prodidisse. Nam nec illud patitur natura rerum,vt magnæ res,ac perdiu duraturæ celeriter adolescant, vt in stirpium genere diuturniores,ac firmiores, longissimo tẽpore perficiuntur.& animaliũ viuacissima,eademq; perfectissima homo & elephãtus,tardissime omnium ad iustam magnitudinem perueniunt : cætera verò,quò festinatior est cuiusque maturitas,hoc celerius abolẽtur.Cuius rei non ignari viri prudentissimi, in perficiendis,edendisque libris magistram naturam adhibere censuerunt, vt quos diu velimus approbatione hominum durare,his tempus addamus, & sæpius recognoscẽdi diligentiam:dum probe scirent,non quàm multos quisque libros faciat,ad laudem interesse,sed quàm bonos: nõ quã cito scribat,sed quàm docte,& eleganter.Plurima scripsit Marsus poẽta, Persius quã pauciss-ima,sed notum est carmen doctissimi poẽtæ de vtroque. Iam illud quis nescit?Luciliũ itidem poẽtam tanta celeritate versus facere solitum fuisse,vt stans pede in vno (quẽadmodũ Horatius ait) ducentos dictaret: Vergilium contrà(quem pauciss̃imos versus die cõposuisse scripsit Varus)tam tarde perficere,vt tanquã vrsa catulos suos lambendo, sic ipse sua carmina sæpe retractando formasse memoretur.At hic sua diligentia principatum inter Latinos poẽtas sine controuersia consecutus est, ille sua facilitate,quã videlicet cũ retractare pigebat, hoc tulit nominis,vt lutulentus cum flueret,esse diceretur. Sed ne poẽtarum solũ exẽplis agamus,nónne Sallustium,cuius prima laus est in historia Latina, veterum monumenta testantur,nihil scripsisse,quod nõ diu,ac diligentissime retractauerit?Platonem quoque illum doctrina, & eloquentia diuinum, quẽ Cicero cum multis facile principem philosophorum appel-

appellabat,constat scripta sua tam accurate recognouisse,vt ipsa pectinare diceretur.Eadem namq; rescribebat sæpe,addendoq;,& subtrahẽdo mutabat. Itaque post obitum eius,exordium librorum,quos scripsit de rep.repertum esse iterum,atq; ter ab eodem scriptum Laêrtius Diogenes est author.Quando igitur periculum est,ne rei bene gerendæ per moram elabatur occasio, festinatio in cũctis actionibus laudatur. cum verò res & postulat,& patitur lenta consilia, & diuturnam considerationem, sine causa properare,quis non videt,neque grauitatis esse, neque prudentiæ? Nec enim si exercitatissimos quosdam oratores, vt ex tempore dicerent causarum necessitas coêgit, protinus id philosophum,aut theologum decere putandum est, vt in librorum confectione,quos ad vitam hominum instituendam, de moribus, ac religione scribunt, quibus summa grauitas, summumque iudicium adhiberi debet,celerrimi stili laudem affectasse videantur.Sed ista præcepta, dicet aliquis,rudibus fortasse,ac tardioribus data sunt, Erasmus homo doctissimus, ac disertissimus, eam facilitatem exercitatione consecutus est,vt multi per summum laborem,quod ipse quasi ludens facit,equare non valeant:fateor quamplurimos longo tempore,magna diligentia, minus efficere posse,quàm paucis diebus Erasmum:at si quis neque doctrina,neque ingenio,nec denique exercitatione cedens Erasmo, diligentiam adhibeat,negabimus ne hunc meliora, quàm Erasmum præstiturum? Ad summam,si Erasmus ipse imperet ingenio suo,vt accuratius scribat,& scripta sua diligenter recognoscat, nónne ipsemet maiora,doctiora,elegantiora,& quæ minus incurrant doctorum reprehensioné efficiet? Age verò,si ipse,quæ iam in vulgus festinanter edidit, hactenus integra sibi reseruasset,& nunc iterum,ac sæpius relegeret,ac vt diligentiores,lentioresque facere solent,accuratè retractaret, nihílne illũ nunc damnaturũ putamus,quod initio placuisset?nihil quod tũc eũ latuisset,inuenturum?Hæc igitur cum ita sint,miror Erasme, qui sit iste tam impatiens animus tuus,vt cum eius æquitate ferre non possis,multorũ eruditissimorum accuratam diligentiam,quibusdam in locis oculatiorem esse,tua vnius in perpendendis,ac recognoscendis,quæ incredibili velocitate scribis negligentia. At erat prudentiæ, modestiæque tuæ,quando longioris examinis,recognitionisq; tædium ferre non potes,saltem aliorum admonitiones patienter ferre : & si quid probi, ac eruditi viri,in tuis libris minus se probare profiterentur, in bonam partem accipere, non odio vertere, aut calumniæ, tum si qua recte in te notata essent(vt aliqua esse necesse est)in his nõ pertinaciter repugnare,si qua secus,ea moderate &sine stomacho refellere.Nã hoc in primis Christianum decet,hoc virũ graue,hoc philosophum. Nunquam enim philosophia tanto in honore habita fuisset in Græcia,nisi doctissimorũ cõtentionib.dissensionibusq; viguisset, vt grauissim° author Cicero testatur.itaq; de philosophia scribẽs,*tantũ*(inquit) *abest, vt scribi cõtra nos nolim°* *Tusc.quæst. vi Lac.2.*

vt id etiam maximè optemus.cuius ſummi viri inſtitutum,ſi tib(ivt par erat) imitari placuiſſet, magnis te tuoſque concertatores moleſtijs, & ſollicitudinibus liberaſſes,dum æquo animo te redargui patereris, & cæteros ſine pertinacia,ſine iracundia,ſine contumelia refelleres. Nunc enim quiſquis in te ſcribit,ſtatim inuidus eſt,indoctus eſt,nugator eſt:ac ſi paulo acrius vrgeat,vt Albertus Pius,mendax etiam,& impudens calumniator. Quòd ſi talem videri vis, quicunque damnat quidquam in libris Eraſmi, ipſe quoq; Eraſmus in primis inuidus erit ſui, atque calumniator.Nemo enim plura damnauit in Eraſmo, quàm Eraſmus, qui nullum propemodum ſcripſit librum,quem non ſemel emiſſum, iterũ & tertio emendatum ediderit,quoſdam etiam ſæpius, vt librum adagiorum,ac conuerſionem noui teſtamenti, & adnotationes in idem, quas à te iam quarto editas eſſe, mihi primus Stunica retulit.In quo nuper iacturã non mediocrẽ fecerunt literæ, virtuteſq; omnes,mortuus eſt enim Neapoli,quam vrbem vt inuiſeret, paulo ante profectus erat Roma,dehortantibus amicis,ne alieno, & periculoſo tempore cœlum mutaret:morienſq; nobis,id eſt amicis, magnum ſui deſideriũ reliquit, homo,vt reliquam eius inſignem græce latineq; doctrinam taceam,ſacrarum,eccleſiaſticarumq; hiſtoriarum,quæ ſtudia potiſſimum æmulatus fuerat peritiſſimus, ingenij candidi, & ſupra quàm credi poteſt, vrbani:& quod his multo maius erat,innocentiſſimæ vitę,ſummę nõ morum tantum, ſed etiam verborum honeſtatis, veri (ſi quis vnquam) amantiſſimus, & perquam egregius pietatis cultor, qui quo animo ſcripſiſſet in te,moriens non obſcure declarauit : nam cum non pauca collegiſſet, quæ ne in quarta quidem editione tua noui teſtamenti probaret, mandauit hæredibus, ne commentarium, quod nondum poſtrema manu recognouerat,euulgarent, ſed ad te mitterent, vt illis ſuis laboribus admonitus poſſes,ſi velles,libros tuos emendare: nihil tale haud dubie mandaturus,ſi ambitione ductus,non ſtudio veritatis, eam prouinciam ſuſcepiſſet.Cur enim,ſi ſibi cõſcius erat,parũ,aut nihil in chartis illis contineri,prętер ambitioſas calũnias,quas tu libenter in te ſcribentib.obijcere ſoles, opus nondũ editioni maturum dare flammis nõ potius mandaſſet?Sed ad rem. Cum ipſe ſcripta tua toties emendando, teſteris aliqua in eis eſſe,quæ limã,& cenſuram patiantur, non debebas tam obſtinatè negare alijs,quod ipſe tibi paſſim permittis, nec tam pugnaciter ſemel dicta tueri in aliorum admonitiones, vt te nihil vnquã erraſſe concedas.At erat fortaſſe non ſolum theologo,ac omnino Chriſtiano homine dignius, ſed etiam ad humanioris ingenij,maioriſq; doctrinę fidem faciendam accommodatius,vt cum à multis multa peccaſſe arguaris,culpam aliquam agnoſceres,vt manifeſtiſſima quæque confitendo,cætera de quibus magis ambigitur, te non ſuperba pertinacia, ſed recto iudicio tueri,quamplurimis probares.

Stunicæ morsi.

Sed

Sed quoniam satis ad calumnias, quas isti sycophantæ in tuam gratiam impudentissime cõmenti sunt, respondimus, & dolos, quibus Alberti dignitati, famæque insidiabantur detexim us, simulque conuicia, quibus eius manes insectaris, temere, ac præter omne meritum iactata esse docuimus: superest, vt obiecta in te ab Alberto Pio cum tuis refutationib. aliqua ex parte conferamus. Nam singula persequi, nimis esset longum, & putidum fortassis, cantilenam (vt ipse ais) toties cantatam recinere, eoque magis quòd iam non id agitur, vt quę tu asseris, falsa esse, vel etiam hæretica conuincantur, sic enim ad obiecta respondes, vt vbique te id sensisse profitearis, quod neque religioni Christianæ sit contrarium, neque sanctorum patrum, aut conciliorum decretis aduersetur. in quo iam illud est, quòd Alberto Pio, & cæteris, qui in te scripserunt, gratiam habeant catholici Christiani, quòd quanquam te non adegerint, vt te perperã scripsisse confitereris aperte, tamen illud perfecerunt, vt ancipitia, suspectaque tuorum librorum loca, & quæ poterant ab hæreticis Lutheranis in suam sententiam, haud sanè improbabiliter detorqueri, sic interpretationibus temperaueris, vt si quid sit, quod temere, aut minus catholice dictum fuisse videri possit, pœnitentiam præ te feras, & errorem tuum si non aperte, vtcunque tamen testificeris. vt ipsa (qualiscunque est) tua confessione, veniam ab æquis, nec nimis seueris iudicib. merearis. Non igitur iam de tua mente disseritur, quam te optimam semper habuisse, vel si scripta tua maxime reclamarent, tibi tamen credendum esset, vbique id asseueranti, sed de constantia dictorum tuorum, & acumine, nonnihil etiam de prudentia tua disputatur. de quo tamen Albertus Pius, qua erat grauitate, & sapientia (crede mihi) nunquam fuisset sollicitus, nisi eam tuam culpam putasset (qualiscunque est) posse ad multorum nocumentum redundare, qui dum libros tuos simplici animo leguht, te cui omnia tribuunt, longe aliter multa sentire putant, quã ipse factus reus (dum pro te dicis) ingeniose interpretaris. quos etiam atque etiam admonendos putauit vir publicæ pietatis studiosissimus, quo cautiores essent, nec libros tuos oscitanter lectitarẽt. Cæterum quia tu factum institutumque illius longe aliter interpretaris, quasi studiose vexauerit scripta tua, nec habuerit satis magnam causam, ad ea loca, quæ commemorat ex tuis libris, velut lubrica, & suspecta denotandum, res ipsa postulare videtur, vt rationibus vtriusque vestrum collatis, aliquot eorum discutiamus. nec enim erit difficile, ex parua velut indicatura, rem totam citra magnum errorem æstimare.

Conferuntur Erasmi respõsiones ad obiectiones Alberti Pij.

Primum omnium cum obijcitur tibi Moria, in qua non solum cætera omnia omnium hominum studia, etiam honestissima derides, verùm & sacerdotum, monachorumque institutis, viuendique rationi, ad summã ipsi religioni Christianæ videris illudere, caput tuæ responsionis est, *scriptionem fuisse iocularem, non seriam, seruitumque fuisse personæ Moriæ, à qua nihil*

Obiectio prima cum responsione.

ſani poſtulari debet, nihil non ſtultum & ineptum expectari. Quod eſt maxime contra te, affers in tuam excuſationem: An poteſt eſſe quidquam magis criminoſum, quam (vt cætera omittam) rebus iocularibus religionẽ Chriſtianam, eiuſq; miniſtros, & cum diuis, deiparaq; virgine Chriſtum ipſum admiſcere? Nam qui, dum de vanis hominum ſtudijs ſtultiſq; opinionibus agitur, mentionem facit de indulgentijs, anathemate, ceremonijs, de diuorũ ac beatæ virginis cultu, de Chriſti vita, ad ſummam de omni parte religionis Chriſtianę, quid hic aliud videri poteſt, quàm hæc omnia eodem loco habere, quo cætera, quæ ſine controuerſia ſunt vana & deridenda? præſertim poſt illa verba, *Vſque adeo Chriſtianorum vita iſtiuſmodi delirationibus vndique ſcatet, quas ipſi tamen ſacrifici non grauatim admittunt & alunt, non ignari quantum hinc lucelli ſoleat accreſcere.* quæ verba cum latiſſime in Moria pateant, tu tamen in reſponſione laborans, ad ſuperſtitioſum cultum diuorum, & magicas preculas, aliaſq; id genus nænias contrahere conaris. An tibi videris obiectis ſatisfacere, ſi quæ in vniuerſum dicta ſunt, ad paucos, paucaq; referri debere, ſine vlla ratione contendas? Omnem vndique Chriſtianorum vitam dicis, & vis à Pio paucos religionis cauſa peregrinantes, & deliras quaſdam anus intelligi? Geſſiſſet tibi forſitan morem, niſi illud ex eodem ore prodijſſet, *videtur omnis Chriſtiana religio, quandam habere cum ſtultitia cognationem.* qua voce quid hoſtilius religioni noſtræ ab ipſo theomaſtige Luciano, vel Auerroi, quem ipſe merito blaſphemum appellas, expectari poſſet? Ad quod nihil reſpondes Alberto Pio nec profecto quid reſpondere valeas intelligo, niſi fortè ad illam inanem & perquam frigidam excuſationem confugias, non eſſe dandum crimini ſtultitiæ, ſi ſtultiſſimè garruletur. quæ excuſatio poterit haud dubiè culpam ſtultitiæ nonnihil, atque adeo plurimum ſubleuare: at qui tam effrenatam beſtiam talibus verbis ſubornatam, non contentus profanis omnibus locis, etiam honeſtiſſimis, in templa itidem, & ſacraria produxerit, vt in ſacerdotes, ac monachos, ſacrorumque ritum procaciter debacchetur, ac ipſam religionem Chriſtianam ſibi cognatam, hoc eſt ſtultitia, & erroribus plenam eſſe iactet, hunc quis valeat vel à crimine vel ab imprudentia ſaltem vendicare? A cuius rei conſcientia, ipſe videlicet non abhorrens, inextricabilibuſq; difficultatibus implicitus, cogeris homo ſapiens, & grauis, deliranti ſtultitiæ præter omne decorum patrocinari, vt tibi nó liceat conſtanter in ſententia permanere, qui præfatus ſtultitiam ſtultiſſime locutam, rurſus eandem quæ omnium ſtultiſſimè dixit, ea ſapienter dixiſſe probare niteris, vt fieri poſſe doceas, quod naturam non pati, veteres crediderunt, vt cum ratione quiſquam inſaniat. Itaque mirabilem latebram excogitaſti, quo confugeres accuſatus, *quòd Chriſtum dixeris, delectatum fuiſſe pueris & morionibus. Nam te de ſtultis huius mundi locutum*
1. Cor. 1. *eſſe videri vis, non de ſtultis apud Deum.* Ingenioſum inuẽtum, ſed nihil ad rem.

Nam

Nam quos Paulus ſtultos huius mundi vocat, nemo vnquam moriones vocauit,imò nulli magis ſunt à morionib. diuerſi,ſunt enim ſtulti mũdo,quæ diuitias,gloriã,voluptates,ac cætera, quæ mundus admiratur, pro nihilo habentes,virtutem,& religionẽ colunt, viri ſcilicet pietate in Deum,magnitudine animi,prudentiaq; præſtãtes, & quibus certè cũ fatuis,quos moriones vocamus,nihil eſt commune, imò nihil non diuerſum.Sed faciamus à viris doctis,& ſacrarũ literarũ peritis, hos quoque poſſe ratione aliqua nomine morionũ intelligi, ſtatímne ſine magna culpa dictum putabimus, Chriſtum morionib. fuiſſe delectatum? in eo præſertim libro, qui non doctis theologis ſcribebatur, ſed imperitæ multitudini,quæ ficus(vt aiunt)ficus, & ligonem ligonẽ appellare ſolita,tale verò ſtultorum diſcrimen ne ſuſpicata quidem,cum moriones audit,homines intelligit,quos natura fatuos finxit, & à pecude parum rationis vſu diſcrepantes,quibus lauti leueſq; homines delectantur,riſum captantes ex eorum ſtupore,& miſeranda calamitate. Cũ hãc igitur leuitatem Chriſto Deo tribuere Moria videatur, nónne ſtultiſſimè facit,& præter omnem reuerentiam,ac pietatem,quæ filio Dei optimo,& maximo,debetur?Sed dices fortaſſe : *Iam non moriones loquitur Moria, ſed pro his piſcatores vſurpat* . agnoſco clara indicia pœnitentis animi, atq; vtinã ſic in cæteris Moria reſipiſcat, præſens tamen pœnitentia nõ tollit,ſed augit potius peccati prioris argumentũ. quãquam nõ eſt opus indicijs,cum ipſe peccatum agnoſcas,vel in eo, quòd fueris ſacræ ſcripturæ verbis parum reuerenter iocatus,niſi quòd factũ excuſas aliorum exemplo,à multis enim id fieri dicis.quaſi verò qui latrocinantur,non poſſint iſto modo, longe plurium exemplo culpã ſui ſceleris excuſare.Multo igitur magis è tua dignitate fuiſſet in ea reſpõſione perſtare,ſtultitiam ſtultiſſime res ſacras,& religionẽ, atq; Chriſtum attigiſſe(de reliquis enim nihil laboro) & in eo tuã culpam ingenue confiteri,quam temere factum,non ſine maioris pertinaciæ ſuſpicione quapiam,frigidiſſime,ac debiliſſime tueri.

Sed iam moriam ſuo quodã modo,iure inſanientem dimittamus,ne ſi graui,iuſtaq; Alberti Pij cenſura taxatam,nec reſipiſcentẽ diutius vrgeamus,ipſi quoq; operam ludentes ſtultè facere exiſtimemur, & monachorũ cauſam,qui ſe ab Eraſmo,tum ioco, tum etiã ſerio paſſim læ- *Obiectio ſe-*
di,ſummaq; iniuria affici cõqueruntur,parumper differamus, pro qui- *cunda pro*
bus cum tibi Pius obtrectat, quòd varijs in locis totum ipſorum ordi- *Monachis*
nem,ac inſtituta damnes,ſumma tuæ reſponſionis eſt, *te non monachos accuſare,ſed prauos,ac ſuperſtitioſos monachos,non ipſorum inſtituta damnare, ſed vitia* *contra Eraſmum cum eo*
quod ſi vere affirmas,non ſolum iniuria negotium tibi faceſſit Pius, *iuſdem reſp.*
verùm,eſt quòd omnes monachi tibi gratias etiam atque etiam agant, teq; ſumma beneuolentia proſequantur. Nulli namq; homines tam ſeuere vel caſtigant, vel puniunt malos monachos, quàm boni monachi:

nachi:nulli sunt acriores omnium vitiorum, ac flagitiorum censores. Cur igitur omnes,propè dixerim, monachi vno nomine oderunt Erasmum?& quo quisq; sanctior est,ac pietatis amantior, hoc etiam magis ad nomen Erasmi commouetur: ac vicissim nulli ipsorum sunt,qui minus de te male loquantur,quam qui à monachatu defecerunt, aut defectionem(si qua ratione detur) moliuntur. quod contrà fieri oportebat, si vitia, prauosque ipsorum mores, non etiam ordinem, ac statum improbares *Sed tardi sunt*(inquis,)*aut malitiosi monachi,& qui monachis patrocinãtur, in verbis meis interpretandis*.Quib. verbis? Miror enim quenquã ingeniosũ esse in suam contumeliam.*Monachi* ais *viuunt in otio,& aliena liberalitate saginãtur,possidentes quod citra sudorem illis obuenit,nihil interim dicam de vitiosis*. Quid est,quod monachi,ipsorumve patroni in ista oratione non intelligunt, aut malitiosè interpretantur? Nam te de bonis monachis hoc in loco fuisse locutũ,ipse (quod negare non potes)cõfiteris.*Non vident* (inquis) *aut se videre dissimulant,me non accusare monachos,sed ipsorum probos cum probis ciuibus comparare*. imo verò quoniam istud maximè vident,idcirco tibi non iniuria etiam atque etiam irascuntur. At *confero* (inquis)*non æquo,neque dico nihil interesse,sed non adeo multum*. Iam hic quoque gratiam debemus Pio, quòd Erasmum adegit, vt monachatum, quem improbare passim putatur,vita ciuili potiorem esse confiteretur. Sed an isthæc professio cum verbis modo recitatis conueniat,videamus. *Omisit* (inquis) *malitiose Pius verba illa cohærentia,isti id est ciues,quod sua pepererunt industria, pro suis quisque facultatibus impertiunt egentibus*. quasi verò hoc, quod studens breuitati Pius tacuit, non inprimis augeat monachorum iniuriam. At conferre alteros cum alteris, non est iniuriam facere monachatui, & tu nihil aliud, quàm confers. Confers,quis non videt?sed ita confers, vt nihil aliud agere videaris,quàm vt in monachos etiam probos, omnium laicorum, ac ciuium inuidiam,& odium quam maxime concites. *Non dixi*(inquis) *lasciuiunt,inguini & veneri indulgẽt.sed viuunt in otio,& aliena liberalitate saginãtur* O pulchra excusatio,& quæ facile possit optimorum monachorum cõtumelioſæ plagæ mederi, si constet, eos à te non scortatores appellari, sed fieri duntaxat fucis,altilibusque porcis simillimos. Est igitur vero verius,quod ais,te ipsos conferre,non æquare. comparas enim, & monachorum vitam,statui ciuium longo interuallo postponis: postponis dico, imò verò ciues laudas in monachorum inuidiam, velut mutuæ charitati, & reip.seruientes, & quidquid in eis vitij est, omnino taces: monachos vituperas,quòd otio torpeant,ciuiumque benignitate, si nõ & veneri,certe gulæ,atque ventri indulgentes abutantur, de monachorum ieiunijs,vigilijs,lucubrationibus,patientia,irrequietis,dum sacra, remque diuinam peragunt,laboribus, ne verbum quidem facis. An quia non arant,vel metunt,otiosi esse,& nihil agere tibi videntur? quibus(vt euangelicarum concionum, confessionumque magnos & fructuo-

ctuosos labores omittam)mane euigilandum est,intempesta nocte surgendum. Ad summam,qui noctes & dies in faciendis rebus diuinis, canendis hymnis,fundendisque precibus sunt occupati. Aut putas,officia quæ pie religioni,quàm quæ reip.ciuiliter impenduntur,minus vel fructus habere,vel dignitatis? Hæc igitur cum taceas,& otium monachis, saginamque obijcias,iubes Pium meridie caligare,vt te non cernat,aut quam maxime suspicetur,odisse monachorum ordinem, ac studio se vitam ipsorum incusare? Quid,si nesciret, qualia de ipsis scripseris in funere,&quam multa fueris commentus,vt omnibus cũ risu persuadeas, monachos auaros,& sordidos esse,procaces, petulantes, & impudentes. Aut ignoraret,te eosdem solitum esse histriones appellare,ad quos pharisæi collati,simplices videantur,atque synceri? Quorum tamẽ verborum inuidiã sic putas depelli posse, si te non monachos omnes histriones,& fictæ sanctimoniæ ostentatores vocasse, obiurganti Pio respondeas,sed hypocritas duntaxat. in quo quis est tã hebes,aut tardus, vt tibi repugnet eandẽ rem varijs nominibus, sed eiusdem intellectus appellanti? Aut quis nescit hypocritam græce, hoc esse, quod histrionẽ aut simulatorem latine? intelligebat igitur, te hypocritas tantũ monachorum histriones,& fictæ sanctitatis simulatores dicere:sed illud non ignorabat,te passim eã opinionem præ te ferre, vt omnes vel perditos, & dissolutos esse,vel certe simulatores, & hypocritas existimare puteris.quod cum aliàs,tum eo loco aperte declaras,vbi sic scribis:*Quòd vigilias,quòd ieiunia,quòd silentia, quòd preculas, quòd reliquas id genus obseruationes non prætereunt,nihil moror:in spiritu tamen non credam eos ambulare, nisi videro fructus spiritus.* Quorum verborum inuidia pressus,ad hũc modũ respondes Pio: *Quid illis verbis indico? non statim eos ambulare in spiritu,qui ieiunant,aut preculas præscriptas absoluunt,si absint fructus spiritus*. Istud te dicere nemo dubitat, sed quorsũ tandẽ? percũctabitur Pius,vtrũ id agis eo loco,vt nos dialecticã doceas,& quid rẽ quamq; sequatur, aut secus,ostendas? An quemadmodum omnes, qui ea legunt interpretantur, aperte significas te de monachis tam male sentire, vt etiam optimus ipsorum quisque suspectus tibi sit,ne quam præfert sanctitatem,hypocrisis sit,atque pietas simulata:nec aliter te monachos timere, etiam ad monachatus præscriptum viuentes,quã Laocoon ille Vergilianus *Danaos,& dona ferentes* metuebat, nequis.n. dubitare posset, te de optimis loqui, illud addis paulò pòst: *Non ego nunc loquor de his monachis,quorum mores etiam mundus detestatur,sed de ijs, quos vulgus miratur,non vt homines,sed vt angelos.* Ad hæc ne fortè erraremus, putantes à te homines solum, non instituta etiam taxari, in eorum morem, qui fraudem quampiam, aut occultum facinus detegere volunt,exordiens ais:*Cæterum verũ fateri fas est, nònne videmus arctissimũ quodque monachorum genus,religionis fastigium. aut in ceremonijs, aut in certa lege psalmorum,aut labore corporum ponere? quorum vita laboriosa Iudaicis superstitionibus est plena,nec*

Aeneid.2.

ua nec ab vllis laicorum vitijs immunis, imò in nonnullis magis contaminata. quo in loco, quis non ſuſpicetur, te damnare monachatum? cum etiam in ijs, qui arctiſſime, hoc eſt maxime omnium ad normam ipſius viuũt, monachatum nil aliud eſſe ſignifices, quàm vitam laborioſam (licet parum conſtanter eadem otioſa dicatur & laborioſa) plenam Iudaicis ſuperſtitionibus, nullius criminis cæterorum hominum expertem, quibuſdã etiam peccatis laicos omnes ſuperantem? Qua oratione monachis atrociter laceratis accurris idem oleo frigidiſſimo, quo linas ipſorum cõtrita capita. præfatus enim te non de perditis ac diſſolutis agere, ſed de his, quos vulgus miratur, vt angelos, ſubijcis, *quos ip'os tamen offendi nõ oportet hoc ſermone, qui vitia notat, non homines.* quod perinde eſt, ac ſi quis egregio cuipiã, & innocẽti viro, ſed cuius authoritatẽ intelligat conatibus ſuis obſiſtere, periculoſũ ex induſtria vulnus infligat, deinde poſtulet ab eodẽ, ne ſe putet offenſum, nam eo telo non ipſum, ſed alios de quorũ crimine conſtaret, fuiſſe petitos. Tu tamẽ calumniatorẽ vocas Pium, quòd plagæ meminerit, & tã ſalutiferã medicinã fuerit oblitus, & illud nõ abſimile tacuerit: *Nec clam mi eſt, inter eos eſſe plurimos, qui literis, & ingenio adiuti ſpiritus myſteria deguſtarunt.* Quibus verbis ipſe putas omnẽ reliquæ orationis inuidiam declinari, cum ea tamen conſter, nihil ad monachatus commendationem pertinere, ſed ad ingenij laudem, & fauorem literarum: quibus qui fuerit præditus, etiam in monachatu probari poſſe ſignificas. vt ſi q̃d laudis tulerint huiuſmodi monachi, doctrinę referatur acceptum, non monachatui: quem tu negare ſoles pietatem eſſe, ſed vitæ genus, pro ſui cuique ingenij, corporiſque habitu, vel vtile, vel inutile. Cæterum hoc quanquam ſit (vt eſt) contra monachatus dignitatem, tolerabilius tamen fuerit, quàm quod eundem appellas *naſſã*. velut perinde ſit adoleſcentẽ ad monachatũ allicere, atq; piſces ad naſſam. ſi hoc enim eſt monachatus adoleſcentibus, quod piſcibus, naſſa, certe naſſam nemo ignorat decipulam eſſe piſcibus mortiferam & inſidias perniciosas. Quorum dictorum non immemori Pio, te monachatũ magnopere ſublatum velle ſuſpicionem addidit, hoc quod ſcribis idem in principe Chriſtiano, *Et forſitan expediret reip. monaſteriorum eſſe modũ.* Nam quem ſemel, & repente tolli non poſſe intelligebas, ſenſim paulatimq; decreſcendo, penitus aboleri poſſe, forſitã illic videbaris ſperare. Sed tu dictũ excuſas Deus immortalis, quàm negligenter. nam primum ſic ais, *quidicit fortaſſe, non aſſeuerat.* quod verum eſſe facile tibi dediſſet Pius, qui vim (puto) talium verborum non ignorabat. Sed quid prodeſt aduerbium fortaſſe non adhiberi teſtimonijs, quibus quæ viderint iurati homines teſtãtur, nec cum aliquid aſſeritur, de quo dubitare nemini liceat, quales ſunt articuli fidei, & mathematicorum axiomata, ſi conſtet id paſſim ab eis vſurpari, qui in re controuerſa ſuam proferunt ſententiam, & quid maxime probent, enunciant? quod ab Ariſtotele ſũmo phi-

mo philoſopho fuiſſe inprimis factitatum, cum alij eius cuiuſque generis libri teſtantur, tum ij maxime, quos de moribus ſcripſit, quorum doctrina non proxime abeſt, à certitudine mathematica. vbi nulla ab eo frequentius vſurpantur vocabula, quã fortaſſis, & videtur. Quæ quoniam non tam cunctationis, quàm modeſtię notę ſunt, idcirco vulgo ab eruditis tẽperamenta philoſophica nuncupantur. Deinde negas te ſimpliciter dixiſſe *expedire*: vt ſit monaſteriorũ mod⁹, ſed *expedire reip.* Addiſque te *principi ſcribere, non epiſcopo* quaſi verò reip. poſſit quidquam expedire, quod ſit contra religionem, eiuſúe quoquo modo maieſtatem, vel authoritatem minuat, aut principis Chriſtiani religionis cura, non debeat eſſe prima, atque omnium longe maxima. Sed de monaſteriorum modo haud equidem credo, Albertum Pium fuiſſe tecum magnopere depugnaturum. Nemo eſt enim tam monachorũ ſtudioſus, qui velit omnes vel pleroſq; ciues eſſe monachos, aut tot eſſe in vrbe monaſteria, vt ciuium domibus numero atque opibus adæquentur. Sed cũ à te videret monachos iam hiſtriones, ac hypocritas, iam velut fucos, tum quaſi porcos ſaginæ deditos appellari, interdum etiam pediculoſos, velut ex probrante ipſis paupertatem à Chriſto inprimis commendatã: Ad hæc monachatum affimari non eſſe pietatem, ſed vitæ genus, & hanc vitam etiam in arctiſſime viuentibus plenam eſſe Iudaicis ſuperſtitionibus, & nullis non vitijs laicorum implicatam: Item ad monachatum non aliter adoleſcentes rerum imperitos allici improbiſſimis hortamentis, quàm piſces ad mortiferam naſſam: ad ſummam, cum animaduerteret te paſſim in monachos inuehi velut perditos, diſſolutos, auaros, & impudentes, aut certe ſimulatores, & quaſi phariſæos, vel proxime accedentes ad Iudęorum ſuperſtitiones, nihil mirum eſt, ſi te cum monaſteriorum modum præcipere audiebat, aliquid præterea grauius, & monachatus abolitionem moliri ſuſpicabatur.

Tertia de cultu Diuorum.

Sed à monachorum cauſa ipſa nos res admonere videtur, vt ad quæſtionem de culto diuorũ tranſeamus, Nec enim deſunt homines nõ inurbani, qui tuis colloquijs perlectis, te cauillentur in eis potiſſimũ Lucianum magiſtrum, non ſolum ſcribendi, ſed argumenti etiam genere imitari voluiſſe. Lucianus enim (quod tu maxime noſti) homo natura feſtiuiſſimus, ſed philoſophis magnopere infenſus, & à cultu deorum, quos nullos eſſe putabat (ſi quis vnquam) alienus, dialogorũ ſeueritatẽ quibus ante ipſum res duntaxat ad naturam, aut mores pertinentes tractabantur, ita remiſit, vt eos coegerit luſibus, & iocis comœdiarum inſeruire, & dialogum cum comœdia primus omnium (quod ipſe gloriatur) copulauit: Quo genere ſcribendi in nullos magis per riſum, & iocum inuehitur, quàm in Deos & philoſophos. Te igitur videri dicunt, certare voluiſſe cum Luciano, ne ille feſtiuius græce Deos & philoſophos, quàm tu Latine, eodem ſcribendi genere, diuos & monachos,

res quæ videri possunt non penitus absimiles, exagitare existimetur. à qua suspicione haud longe videlicet abhorrens Pius, non temere rationem à te poscit, cur qui pium te, & maxime Christianum esse profiteris, ea cum aliàs, tum maxime in colloquijs scribas, quæ cultum diuorum beatæque virginis superuacaneum esse significare videantur. Quæ tu primum sic excusas, *colloquia, opus esse in hoc comparatum, vt illecebra voluptatis pueri veluti per lusum discant Latine, nimirum vt hac ratione doceas, iniqui esse, & morosi iudicis, exacte in ludo puerili rationem dictorum, ac seuere postulare.* Nemo à te petit Erasme, vt quãdo ex fastigio theologiæ, & sacrarum literarũ enarratione in istam curam, vt pueros Latine doceas, te demittere non grauaris, ea porrigas legẽda pueris, quæ ipsos, vel seueritate orationis, vel materiæ obscuritate à legendo deterreant. Sed illud quis probet, talibus fabulis informes puerorũ animos imbuere velle, vt ab ineunte ætate discant religionẽ si non contẽnere, certe minus reuerẽter colere, nec diuos venerari, ad quorũ imitanda exẽpla, cunctis rationib. accẽdi, prouocariq; debebãt. Nec enim ignoramus, quid Aristoteles & cæteri philosophi, magniq; viri præcipiant de puerorũ educatione, & quanti referat ad virtutes, & pietatẽ, ac his opposita, quib. rebus homines vel delectari, vel dolere, à teneris assuescant. Ducuntur maxime fabulis, & lusibus pueri, quis ignorat? sed nullus ne iocus, aut statim frigidus erit, in quo monachi, sacerdotes, diui, Christi mater, ipsa deniq; religio Christiana materiæ non bonam partem suppeditauerit? Aut minus habebitur blasphemus, qui res diuinas, & sacras riserit, quam qui iratus maledixerit? in quarum rerum cultu, siue administratione, si quid esse putabas, quod propter simplicium hominum ineptias, & superstitionem, aut fortassis sacerdotum quorundam cupiditatem, merito taxari posset, parcius erat agendum, & serio, nec vspiam minus, quàm in iocosis libellis, quos puero dicatos, pueris etiam scribebas, nequid ei simile faceres, quod de Lucilio tradit Horatius,

lib. 1. sat. 4. *Dummodo risum* (inquit)
Excutiat sibi, non hic cuiquam parcet amico.
Et quæcunq; semel chartis illeuerit, omnes
Gestiet à furno redeuntes scire lacuq;
Et pueros, & anus.

Sed quanquam cerebrosos appelles eos, qui huiusmodi iocorum rationẽ à te seuerius reposcunt, pergis tamen illud tuum admirandũ, plerumq; pietatis naufragiũ ab omni culpa defendere. *Nam pingũtur illic* (ais) *varij vulgarium hominum affectus, quorum suos quisque prodere solet in tali discrimine.* Sed priusquam dico de naufragij dialogo, quid sentiam, indicabo tibi Erasme meam negligentiam, profiteor enim me ad id vsq; tempus, quo hanc scribendi curam suscepi, reliquorũ scriptorũ tuorũ perpauca, & carptim, colloquiorũ aũt ne verbum quidem legisse. eadẽ nimirũ

ratio-

ratione, quã de Alberto Pio memoraui, quod theologiã ex sacris & literis, & doctorib. philosophiã ex Aristotele, eloquentiam ex Cicerone, quàm ex libris Erasmi, licet sint (vt sunt) eloquentes, & eruditi, vberius mihi contingere posse existimabam. Sed hoc labore suscepto, ne mihi vere obijcere posses, q̃ de Alberto Pio leui sanè ex causa suspicaris, voluisse me de tuis libris antequam legerẽ, iudiciũ facere, & alia vidi, quæ opus esse putaui, & aliquot colloquia perlegi, sed illa inprimis, in quibus de funere agitur, de naufragio, de peregrinatione religionis causa suscepta. Quæ cum legerem, Deus immortalis, quantum ego risi, quàm mihi præ te visus est ipse quoque facetiarum pater Lucianus frigere: sed illa iocorum, atque salium iocunditate (quæ sæpe mentem obcæcat, quo minus videat, si quid mali sub ea latitat) refrigerata, rem paulò seuerius intentioriq́ animo recolere cepi, vbi cum ea quæ de affectibus ab animo pio profectis edisseris, sine risu perpendissem, da veniam Erasme, non potui non magnopere in eam suspicionem venire, in qua erat Albertus Pius, te cum ea scriberes, longe aliam mentem habuisse, quàm ipse nunc affirmas dum improperantibus satisfacere laboras. in quo si forte falsus sum opinione mea, difficile est enim Erasmo maximo viro, de animi sui sententia in causa pietatis testificanti non credere: illud certè confirmare possum, te maximam occasionem dedisse, vt quicunque ea tua colloquia legerit, putet, te de monachatu in funere, de cultu diuorum in peregrinatione, de hoc ipso, & vocali confessione, ac de votis nuncupatis, non rectè sensisse in naufragio. Nam (vt redeamus vnde fueramus digressi) quòd ipsum excusas, quasi in eo nihil aliud, quàm varios vulgarium hominum affectus descripseris, nihil affers, pios enim religionis affectus sic depingis, vt ipsos planè irridere videaris. *At non statim* (inquis) *probo, quidquid ibi gestum est, vt rursus nec improbo si probo omnia, commemoratur illic confessio sacramentalis: si improbo omnia, damnata est inuocatio Dei.* Non erat opus tibi tam pulchro dilemmate, vt nobis fidem faceres, te non omnia improbare, quæ gesta narrantur in naufragio, de hoc enim neminem ambegisse puto. Illud tamen nullis vnquam argumentis persuadebis, te non Adolfi personam probare, qui functus periculo totam fabulam enarrat. Hunc enim facis prudentem hominem, & ab omnibus ineptijs, ac superstitione alienum. At hic nec confessus rite est, vt alij, cum esset copia sacerdotum, nec in summo discrimine de voto nuncupando, vt cæteri cogitauit, nec denique diuorum quenquam, quod alios inepte facere putabat, sed solum Deum inuocauit, licet qua ratione inuocandi sint diui, nimirum vt apud Deum pro nobis intercedant, se nouisse apertissime declaret. Erras igitur Erasme, si te nullam putas in eo naufragio iacturam opinionis, quæ de tua singulari pietate habebatur feciſſe, apud viros graues, & egregiè pios, quorum sententiam semper est secutus Albertus Pius.

Examinatur Erasmi dialog. de peregrinatione.

Nã quid ego de peregrinationis dialogo dicam? quo si quis (nõ prorsus obesus, & tardus) accuratius perlecto, te non putauerit diuorũ cultum deridere, velut planè superstitiosum, & inanem, nulliſq; nisi sacrificis fructuosum, qui per huiusmodi figmenta plebeculæ Christianæ, simplici ruditate ad suum quæstum abutantur, nihil recuso, quo minus ipse per me viceris, & Albertus Pius mendax, & calumniator habeatur. in quo de cęteris diuis nihil est quod conqueramur, cum ipsi beatissimæ virgini Christi matri tuus ille dialogus videatur insultare, conficta Epistola ipsius ad Glaucoplutum, qua facis eandem primum Glaucopluto, ac potius Luthero gratias agentem, quòd superuacaneum esse docuerit, diuos inuocare, deinde omnia propemodum pia, & impia vota mortaliũ damnantẽ. Quid enim habet vel impietatis vel ineptitudinis, si clamet grauida, da mihi facilẽ partũ: nauta, da prosperos cursus: agricola, da tempestiuã pluuiam? Aut quantum abhorrent ista, à quotidiano pane, quem Christo authore, pie petimus à patre cæleſti? Cuncta enim hæc ex eorum genere sunt, quę vt (Augustinus ait) non appetuntur propter se, sed propter salutem corporis, & congruẽtem habitum personæ hominis, quo habitu non sit inconueniens eis, cum quibus honeste viuendum est. Quam orationem sic concludit Augustinus: *Ista ergo cũ habentur, vt teneantur: cum non habentur, vt habeantur orandum est.* Iam ea petitio ne quid potest esse honestius? aut magis pium? si clamet Aulicus, da vere confiteri in mortis articulo? Et Episcopus, serua meam Ecclesiam? At hæc omnia virginem Dei matrem facis velut inepta, & inania fastidientem. Sed tu rursus, vt Epistolam excuses, ad iocorum latebram recurris, velut ioci, & lusus nulla sit reddenda ratio. quod perfugium, quàm parum habeat præsidij in sacris diuinisq; rebus, abunde (vt arbitror) dũ de Moriæ stulte dictis ageretur edocuimus. Sed cum tu Moriæ dicta, quibus piorum aures offenduntur excuses, quod personæ stultitiæ in ea maxime fuerit inseruitum, quo modo vel crimina vel ineptias excusabis eius Epistolę, quã idẽ tribuis virgini matri? cuius personæ nihilo secius erat seruiendum. An cum decoro laudabit Christi mater hęreticorum impietatem, quæ tollit diuorum cultum? sacris doctoribus (vt docet Pius, neq; enim hic actum agere oportet) reclamantibus? Cum decoro damnabit mortalium vota, etiam quæ Christus probaret? Cum decoro ambitiosam leuitatem præ se feret, & conqueretur, quòd solita gemmis, & auro vestiri, mutatorijs, aureisq; & argenteis donarijs abundare, iam vix tegatur dimidiato pallio, eoq; à muribus corroso? *Non probat* inquis *virgo, quòd Lutherus damnarit inuocationem sanctorum*, at tu cogis ipsam, vt Epistola sua se probare fateatur. Cui magis quã ipsi de sua sententia credendum est? quæ velut cauens, ne posset ignorari, quo tempore Christianorum vita beneficio Lutheri fuerit ea superstitione liberata, diem adscripsit calend. Augusti, anno filij sui passi 1524. Quo in loco

loco cum talem tu orum dictorum excusationem nemini probari posse perspiceres, eam orationem vsurpasti, qua multi significare solent, quæ aduersarij, vt verissima, & indubitata opposuerint, ea se pro falsis ducere, vel admodum incertis. Exclamas enim, *ô blasphemiam*, & mox addis, *inuocatio sanctorum non est articulus fidei*. At ne peccata quidem confiteri inter articulos fidei cõmemoratur, si quis tamen peccatorum confessionem ab Ecclesia, sacrisque doctoribus receptam tollere velit, an non is protinus & erit, & habebitur hæreticus? Sed pergis. Quid sequitur? *commemoratur intolerabilis superstitio hominum omnia expostulantium à virgine, quasi posset imperare filio cum patre regnanti, nec illi fas sit, quidquam negare præcipienti, cum nondum sit emancipatus*. Quisquámne tam tardus est, & à communi sensu hominum alienus, vt hoc animo accedat ad virginem matrem exorandam? Aut si cui fortè deliræ anui, quæ prorsus iam desipuerit, tale quidquam posset accidere, proptereáne cæterorum preces, quæ piam interpretationem habent calumniabimur? quales hæ sunt, quas paulo ante memoraui, & nautarum acclamationes, quas rides in naufragio, *Salue regina*, *stella maris*, *regina cæli*, *domina mundi*, *porta salutis*, quas cum Pius optimam, & commodissimam interpretationem habere doceat, ipse vrges, & periculum esse ais, ne istæ commodæ interpretationes, inducant nobis pro religione superstitionem. Sed tibi Pius vicissim, & verius fortasse dicat, periculum esse, ne istæ iocosæ cauillationes, pro risu pariant nobis impietatem, præsertim cum eo licentiæ processerit iocus, vt ausus sit, virginem Christi matrem Veneri in maris præfectura sufficere. Quãquam ego non video, cur tantopere acclamationibus illis nautarum virginem matrem inuocantium Erasmus offendatur, cum Chrysostomus vir sanctissimus, & idem doctissimus, multo pluribus, maioribusque titulis crucem prosequatur, cunctis Christianis, etiam eruditissimis, & maximè pijs approbantibus. *Crux* inquit *spes Christianorum*, *crux dux cæcorum*, *crux nauigantium gubernatrix*, *crux periclitantium portus*, *crux debellatio diaboli*, *crux lumen in tenebris sedentium*, & item centies crucem in eadem homilia talibus vocibus appellat. Sed ad Epistolam redeo, qua si tibi bellum videbatur, hac quoque in parte Lucianum imitari, qui Saturnum facit simili Epistola sibi Luciano pro pauperibus respondere, saltem illius diligentiam, atque curam non neglexisses. Saturnus enim Lucianicus, nec gratias agit Diagoræ, aut Atheo cuipiam alteri, quòd sui, cæterorumque deorum cultum submouisset, & ea solum vota pauperum reijcit, quæ nemo non videt esse ridenda: quale illud, vt omnes homines pares opibus fierent, & facultatibus: at Erasmica virgo primùm gratias agit tollentibus sui, ac cæterorum diuorum cultum: deinde pleraque vota hominum incusat, quæ honestissimè à diuis, tanquam apud Deum intercessoribus petuntur. Postremò suam ambitionem, & auaritiam fassa, haud obscurè

docet

docet diuorum cultum sine vlla alia, quam sacrificiorum quæstus iactura posse ab hominum mentibus aboleri. Quæ cum talia sint, & tam scãdali plena, tu tamen ferre non potes, quòd tibi obijciantur à Pio, & satisfactum putas si dicas: *Sunt hæc ludicra, fateor, sed non minus ludicra sunt, quæ docet Beda.* Ego quid doceat Beda nescio, neq; .n. mihi cupienti, dum hæc proderem, contigit ipsius scripta videre: illud scio, ista Epistola vt matri virgini, & cæteris diuis contumelioſa, omnium , non dico egregiè piorum, sed honestissimorum grauiumq; virorum aures animosq; vehementer offendi.

Sed quoniam quibus in colloquijs visus es Alberto Pio de cultu, & inuocatione diuorum non satis religioſe sentire, in his de votis, ac votorum nuncupatione , suspectam eidem mentionem non semel facis, haud erit alienum post diuorum cultum , aliquid de votorum nuncupatione dicere, & qualis sit hac in parte illius censura, parumper disputare, qui cum proferat multa loca ex varijs tuis scriptis decerpta, quibus votorum nuncupationem videri potes improbare, respondes primùm, *te non improbare vota, sed vota non necessaria, vel inutilia*. Rogatus autem à Pio, quæ sint vota inutilia vel non necessaria, *ire* inquis *Hierosolymam, nulli necesse est , qui non vouit, cum possit Christi vestigia melius in Euangelicis literis viſere. est etiam inutile, si domi relinquit vxorem, & liberos, quibus ipso præsente est opus, nec fortasſis inutile tantum, verum etiam perniciosum*. Plus respondes interroganti, quàm ipse cupiat à te doceri Quærit à te quod sit votum non necessarium, & inutile, ipse pro exemplo subijcis, quod est non modo inutile, sed etiam perniciosum. talia enim vota nemo non videt stultissime suscipi, si præstari sine magno crimine non possunt. quod his accidit, qui naturę atque diuinis legibus neglectis, quibus adesse vxori, eandemque & liberos alere nostris laboribus, si non detur aliunde , iubemur, voluntarijs votis in suorum perniciem obligantur . Non igitur quærit Pius, quæ sint etiam damnosa vota, sed quæ solum non necessaria vel inutilia; non quòd nulla putet esse inutilia duntaxat vota, multa enim à theologis gratia exempli memorantur, vt si quis voueret, se panem gladio nunquam diuisurum, aut caput nunquam die veneris lotum, quæ nec opere, nec exemplo pietatis , sint cuiquam profutura. Sed quia tu quoties in hanc mentionem incidisti, sic scribis de votorum nuncupatione, vt omnia vota velut inutilia, & superuacanea, si non etiam stulta & perniciosa, damnare videaris, quod aperte facis in naufragio, & in colloquio peregrinationis : Sed agedum respondemihi pro Pio, si à votis non necessarijs, aut etiam inutilibus abstinendum censes omnibus Christianis, quæ tandem putas esse suscipienda? Aut illud potius respondę, à quibus votis vt abstineant admonendos esse censes omnes Christianos, ea vtrum suscipere bonum esse putas, an secus? & certè negabis. Nam cur si suscipere malum nõ sit, ab ipsis iubeas abstinere?

Quarta de nuncupatione votorum.

At per

At per te abſtinendum eſt ab omnibus, per te igitur quodcunque votum ſuſcipere malum eſt. *Non ab omnibus* inquis *abſtinendum dico, ſed à non neceſſarijs, vel inutilibus, & hæc temere ſuſcipi à Chriſtianis affirmo.* Audio, ſed quod tandem putas eſſe votum, quin ſit vel inutile, vel certè non neceſſarium? An poteſt eſſe quidquam magis cõtra voti rationẽ, quã ſi neceſſitate aliqua nũcupatio eius extorqueatur, cũ votũ à theologis definiatur, teſtificatio quædã promiſſionis ſpontaneæ, quæ Deo, & de ijs quæ Dei ſunt fieri debet. Nec enim puto eam in te leuitatem cadere poſſe, vt vota neceſſaria dicas, quæ de rebus ad æternam ſalutem neceſſarijs ſuſciperentur, quæ res præceptis contentæ aut nullo modo votis quaſi materiam ſubminiſtrant, aut certè nimis impropriè, & hoc quatenus eædem ſunt voluntariæ. Ire Hieroſolymam nulli, qui non vouit, neceſſarium eſſe dicis, & recte dicis. Nam neque omnino eſt neceſſarium, nec ad bene, beateque viuendum: citra hoc enim poteſt fœlicitas cõtingere, ſed eadem ratione, nec virginitatem, aut quoquo modo caſtitatem ſeruare, alioquin nuptiæ, damnarentur, atque cætera eodem modo. Omnia igitur vota temere ſuſcipiuntur. porrò temerè ſuſcepta idem pro nullis ducenda eſſe confirmas, ex quo fit, vt nullo voto poſſit quiſquam obligari, quod eſt dogma Lutheranum, & à peſſimis quibuſque monachis, & preſbyteris maximo plauſu receptum. Cur ergo Pium incuſas, quod talibus tuis dictis, offendatur? *Sed loquor* inquis, *de vulgaribus votis.* At multa vulgaria vota ſanctè, & pie ſuſcipiũtur, & hoc ipſum inprimis, quod pro exemplo poſuiſti. Si quis incenſus deſiderio ea loca videndi, & adorandi, vbi Chriſtus natus, educatus, atque mortuus eſt, vt genus humanum redimeret, voueat ire Hieroſolymam, nullo officio, quod præſtare cuiquam debeat, tali voto refragante: quod votum tam ſanctum eſſe voluerunt maiores noſtri, ſanctique patres, vt eius cum pauciſſimis relaxationem ſoli Pontifici Maximo, Eccleſiæ decreto detulerint. Si hoc igitur votum, nihil veritus authoritatem Eccleſiæ, temerè ſuſcipi conſtituis, propterea quòd non ſit neceſſarium, ac proinde habendum eſſe pro nullo: quid de alijs putandum eſt, quæ quanquam ſint pia, & ſancta, minus tamen grauitatis habent? *Sed melius* inquis *veſtigia Chriſti in literis Euangelicis viſuntur*, fateor. Sed cur his piam diligentiam inuideamus, qui lectis & fortaſſe relectis Euangelijs, loca viſere cupiunt, vbi quæ legerint, geſta ſunt? *Sed morem gerat* inquis *animo ſuo, ſi cui cordi eſt Hieroſolymam, aut Compoſtellam viſere, votum interponere non eſt neceſſe.* Audit verba Pius, ſed quorſum ſpectes, attendit. Nam primùm ſentire videris opus pietatis melius libere agi, quàm ex voto, reclamantibus theologis. Deinde pergis, & talia vota temerè ſuſcipi dicis, tum addis, *temerè ſuſcepta pro nullis eſſe habenda*, quod nihil eſt aliud, quàm omnium talium votorum obligationem tollere. Age verò ſi à vulgaribus tantum, & non neceſſarijs votis abſtinendum eſſe, & ea temere ſuſcipi putas: de reliquis, quid

tandem censes? de continentiæ inquam, religionisque votis, quæ nihilo magis sunt necessaria? hæc enim potissimum à votorum vulgari turba videris eximere. *Plurimum* (inquis) *conduceret ad expediendam causam matrimonij, si statuerit Ecclesia, votum castitatis irritum esse, nisi cum authoritate præsulis suscipiatur, quem oporteret in hac re esse difficillimum: deinde inter simplex votum, & solenne non esset tantũ discrimen.* Iã hic quis nõ videat, tibi non magnoperè placere, vt suscipiatur votum castitatis? nam de religionis seu monachatus voto quid sentires, abundè quæ supra diximus declarant. *Cæterum quid hic* (inquis) *aliud agitur, quàm ne coniugati voueant continentiam sine authoritate præsulis, quem in suscipiendis talibus votis nolo esse facilem: & tamen addo, si statuerit Ecclesia.* Agnosco Erasmi responsionem, qui vt in multis alijs, sic hoc loco ad partem reuocat accusatus, quod ante dixerat in vniuersum: sine exceptione scripseras votum castitatis, nunc de tali coniugatorum voto, te vis intelligi locutum, propterea quòd agitur de matrimonio: diceres aliquid, si vota castitatis ante nuptias suscepta nihil obessent matrimonio: nunc cum simplex libertatem impediat sollicitandi coniugem sine peccato ad liberorum operam, solenne distrahat etiam secutas nuptias Ecclesiæ decreto, cur te putaret Pius de coniugatorum, non de quorumcunque talibus votis locutum? *Nec tamen* (inquis) *damno decretum Ecclesiæ, sed plurimum dico conducturũ, si sic statuerit Ecclesia, hoc enim potest Ecclesia.* Potest, quis ignorat? si satius esse iudicauerit. Potest enim & longe maiora. Nunc cum summa ratione, atque duce Spiritu Sancto, qui legibus Ecclesiæ sapientissimè pro temporib. moderatur, aliter Ecclesiæ visum sit: non potest æquo animo ferre Pius, quòd tibi non satisfaciat, & cupias discrimen tolli, inter simplex & solẽne votum: quo sublato, quid oberit monachis, aut presbyteris, quo minus ducere possint vxores, quod non facile summoueatur? cum matrimonium non dirimatur simplici voto, nec secuto, nec antegresso. An te non vides maximam ansam præbuisse Luthero, vt cum alia, tum inprimis votum continentiæ damnaret, & monachos, ac presbyteros ad nuptias inuitaret? qui nec illud prodere dubitasti, *eos malo afflari spiritu, qui clam, aut inuitis parentibus sese dedunt in monasterium, vnde se extricare non valeant, propter votum videlicet solenne.* quo loco recitato, velut cuncta sint cum summa pietate dicta, queris, quid in his non probet Pius? An impiè dictum putet, eos malo afflari spiritu, qui inscijs, aut inuitis parentibus dedunt sese in monasterium? An illenon putaret opus pietatis, cuius si non semper, certe plerunque Sanctus Spiritus est author, malo spiritui acceptum sine exceptione impiè referri? quam contumeliam constat minime omnium tulisse Christum. *Sed illud* in quis *à me dictum non est.* Quid igitur? verisimilius esse multos malo afflari spiritu. Recita totum locum: *Atqui palàm est, quod multos afflauit spiritus stultitiæ, temeritatis, phreneseos, ambitionis, auaritiæ, libidinis, & luxus certè eos, qui clam aut inuitis parentibus, quibus lex diuina iubet obediri, dedunt se in id vitæ genus,*

te genus, vnde nō queant sese in posterum extricare, verisimilius est, malo afflari spiritu.
Hic verbum multos non video additum esse in parte orationis posteriore, sed absolutè dictum, certe eos, quod planè significat consuetudine sermonis latini, exceptionem statim in vniuerso factam, in ea parte nullam esse, tu tamen verbum multos quod statim præcesserat, subaudiendum esse contendis. Hoc si cuiquam mediocriter perito sermonis latini persuaseris, falso (vt ipse vis) & calumniosè collegit Pius. Sin aliter, quod certum habeo, ne tergiuersemur Erasme, sed cōfiteamur summo nos iure ab Alberto Pio, quod neque grauiter hæc, neque satis piè locuti fuerimus incusari: præsertim memores quid doceat Christus in Euangelio. *Nam qui amat* (inquit) *patrem aut matrem plusquam me, nō est me dignus.* Matth. 10.
quæ verba planè sententiam istam redarguunt, qua factum horum condemnas, ea potissimum ratione, quòd patris aut matris voluntatē, pietati in Christum non anteponant. merito igitur increparis, quòd ea de votis prodideris, quibus omnia vota videris improbasse. Aut certe (quę non leuis est culpa) publico de ipsis Ecclesiæ, & Christianorum decretis obmurmurare. quasi plus videat vnus Erasmus in rep. Christiana, quàm tot oculatissimi, grauissimi, sapientissimiq; viri: quorum sententia, & authoritate, suggerente Spiritu Sancto, hoc statuit Ecclesia, quod Erasmus vellet emendari, non de votis solum, sed etiam de plerisq; rebus alijs: vt in negotio matrimonij, de quo item scribis, tibi videri multo minus perplexum fore, si quæ de cognatione spiritali cōstituta sunt, exhortationis vim habeant, non præcepti.

Quinta de ceremonijs Ecclesiasticis.

Nec longè aliter differis de cæremonijs, quarum encomium satis impudenter suo more Pium assumpsisse, non satis ipse modestè cauillaris, quem locum, qui nobis erit vltimus in hac causa, vbi Pius alio tamē ordine vrget, respondes, *te de hac re iam sæpe, atq; multis respondisse*: quod quid habet argumenti, nisi te sæpe, & multis non satis feciſſe? *Non damno* inquis *ceremonias ab Ecclesia constitutas, sed hominum superstitiosas tantum, aut homines his fidentes, & in his conquiescentes.* Hoc si verum est, miror tot, tamq; oculatos viros in re non obscura hallucinasse. Recita igitur loca, in quibus cum Pio tam multi cæcutiunt. *In methodo* inquis *scripsi, euolue testamentum omne nouum, nihil vnquam inuenies præceptum, quod ad ceremonias pertineat.* Hic cum te Pius citatis locis apertissime redarguat, recipis te ad notissimum, sed debile inprimis perfugium, vt anguste reuoces ad partem, quod latissimè dixeras & in vniuersum. Nam *te de cibis duntaxat, & vestibus ac inedia, & talibus locutum esse videri vis*, non de alijs, de quibus docet Pius factam esse mentionem in nouo testamento. Ingeniosa nimirum responsio, & quæ ad plurimos nodos explicandos facilè possit accommodari. Si quis igitur Aristoteli omne animal pulmone præditum esse præfatus pisciũm & insectorum exemplo redarguatur, quibus negat idem philosophus eam partem à natura datam, strenuè expediet Erasmo

authore difficultatem,si non de aquaticis, sed te terrestribus duntaxat animalibus, eisq; spirantibus dictum suum intelligi se velle reclamet. Ita cum te vrgeat tua definitione, qui ceremoniam esse definis, quidquid externè geritur,ad cultum diuinum, vel religionem pertinens, vt per te sacramenta quoque sint ceremonijs annumeranda, de quibus plurima mentio est in Euangelio.cum igitur te Pius tuis armis ad hunc modum oppugnet, confugis idem ad Aristotelis doctrinam, qui verba interpretari iubet secundum materiam subiectam: quasi huic præcepto sit locus, vbi interuenit definitio. quam idem philosophus nullam esse docet,si vel tantillam exceptionem patiatur.Nã quod ais,*te de sacramentis non ambigere,& ea in multis tuorum operum locis probare*: hoc Pius dicat non erratum tolli,sed indicari potius tuorum dictorum inconstantiam.vt Marcus Tullius de Epicuro tradidit. qui cum summum bonum voluptate metiretur,interdum tamen continentiam,& cæteras virutes haud quaquam sibi constans laudabat, & sine his negabat fœlicitatem posse contingere.Sed demus,Erasmum mente sacramenta,quæ oratione complectitur,excluisse,& de ceremonijs; quæ ab Apostolis, sanctisque patribus ad nos quasi per manus traditæ peruenerunt, non fieri apertam mentionem in nouo testamento, & verba Methodi quo pertineant videamus. *Non statim* inquis *damnatur, quod in Euangelio non præscribitur*. Istud(opinor)non ignorabat Pius,sed spectabat, quo caneres nobis istam cantilenam.Nam paulò post scribis,& *nos ad hæc omnia penè surdi plus quàm Iudaicis constitutionibus oneramus Christi sanguine liberos*. qua oratione significas ceremonias inductas esse contra libertatem Euangelicam: quæ cum ducta sint in vniuersum de ceremonijs, rursus dictum contra his ad quorundam peculiarem superstitionem,qui ob escam carnium, aut ieiunium,adigunt fratrem ad capitis periculum, homines periculose superstitiosi, nam de constitutionibus publica cum authoritate traditis,negas fieri mentionem.Sed rogo te Erasme,si ceremonias dicis, neque inter has,& illas distinguis, cur alterutras alteris minus à te damnari existimemus?præsertim cum alijs in locis, haud dubiè de ceremonijs Ecclesiasticis simillima conscripseris: vt in Epistola ad Episcopum Basilienssem,vbi & alia, quibus delectum ciborum vehementer accusas:& sine delectu,& illud in primis habetur: *Paulatim irrepsit consuetudo, quæ diem veneris piculentum nobis reddidit: deinde vbi hoc successit, adiuncta est & sabbati dies: nunc & mercurij periclitatur, ob idque genus obseruatiunculas videmus homines affligi,& denique mori,sibique Christianos videri,cum sint Iudæi. In ciborum enim delectu,& ieiunijs,nostrum onus durius videtur, quàm illorum, & tamen Iesus dominus dixit, quod intrat in os non coinquinat hominem*. Quis enim nõ videat, hic te de institutis Ecclesiasticis loqui,vbi nõ solũ de sabbatho,sed & veneris die,quo Ecclesiæ præcepto ab esu carniũ abstinemus,cõquereris? An nos hic quoq; iubebis imperiose,vt de Carthusianorũ, aut aliorũ peculiaribus

Matth.15.

liarib. constitutionib⁹ hæc dicta esse intelligamus? Quo in loco apêrte redarguit obliuionẽ tuã Pius, qui cũ scriberes, *paulatim irrepsit consuetudo, quæ diem veneris piſculentum nobis reddidit.*& c.non memineris Augustini etiã tempore quarta, & sexta feria ac sabbato ieiunare solitam esse plebem Romanam,vt ipse Augustinus scribit ad Cassulanum. nisi forte ieiunantes carnibus tum vesci solitos (quod temere & sine ratione dixeris)contendas. Vbi cum scribas,onus nostrum,dubitari non potest,quin de Christianis vniuersis,& communibus ecclesiæ decretis verba facias: ac perinde cum ais in eadem epistola: *Quòd si pietas non periclitatur ex ceremoniis,cur Paulus tanto ardore pugnat aduersus ceremonias Mosaicæ legis?* Quo in loco te Pius apertissime conuincit,male colligere ceremonias in vniuersum à Paulo damnari,propterèa quod Mosaicas damnet obsistentes euangelicæ liberalitati:tu tamen ridendo te posse putas hanc inuidiam declinare:sic enim cauillaris, *hic docet nos Pius dialecticam,male ex particulari colligi vniuersalem.*& mox addis,*Non dico vir acutissime,quod dãnarit ceremonias, sed quòd aduersus illas contra Christi gratiam inualescentes pugnarit.* Imò verò dicat Pius, quòd Mosaicas damnauerit Paulus,argumentum ipse facis, ceremonias quascunque obesse pietati,ac proinde has, quibus nunc vtũtur Christiani.Sed quæris quomodo damnaret Paulus has nostras ceremonias, quas non nouerat?difficilis quæstio.tu tamen vicissim respondе, Quomodo cum nostri temporis simoniam taxamus, hanc dicimus à Petro damnatam? Viderãtne Petrus, huius temporis peccata? An quod in genere damnatur,id non magis in præsens, quàm in futurum damnatum oportet intelligi? In eundem sensum dictum est, quod Pius improbat, ex epistola ad Vuolzium:*Si mediocris* (ais)*religionis pestis latreret in ceremoniis, Paulus non tam acriter in omnib. Iuis epistolis,in eas destomacharetur.* Quæ verba sic nunc interpretaris,*latet in illis pestis* non ex ipsarum natura,sed ex hominum vel superstitione,vel hypocrisi.Quod si ita est,superstitio, & hypocrisis accusanda erat,nõ tuxãdæ ceremoniæ: sine quibus aut vix, aut nullo modo religio cõsistit.sacrificia enim qualiacunque,atque piæ obseruationes,quæ magna pars est religionis,quid aliud sunt, quàm ceremoniæ. Certe nulla natio paulo modo humanior vnquã fuisse legitur, quæ religionem absque ceremonijs coleret:licet quidam, vt Mahumetæi,pauciſſimis sint contenti.quo planè intelligitur, ceremonias natura comites esse religionis. *At non offendor* (inquis)*ceremonijs, sed multitudine ceremoniarum indies glisentium: nec dico eas abolendas,sed contrahendas.* Acquissima profecto sentẽtia, si quid nimium esset in ecclesiasticis ceremonijs, in cunctis enim rebus extrema esse vitiosa,mediocritãtem laudari, rata sententia est philosophorũ:qui & illud præcipiunt,vt cum vnum extremum nimis inualuerit, declinemus ad alterum, vt hac ratione medio gaudere,eoque contenti esse incipiamus. quod præceptum non solum in ceremonijs,sed in plerisque alijs rebus taxandis Erasmum fuis-

se secutum, cum tibi contra tuos obtrectatores adesse nitimur, affirmare solemus. Nihil enim video, quo possit honestius tuum institutum excusari. Sed laboramus, cum nobis occurritur magnis documentis, quibus argueris, in hoc præstando tam valide modum excessisse, vt quantum in te fuerit ipsum velut lignum fregeris, quod Aristotele authore in diuersum flectendo, dirigere cupiebas: quibus documentis plenus est liber Alberti Pij. quod igitur immodicas ceremonias tibi placere negas, nõ tibi succenset Pius, sed quòd immodicas facias, quæ ab ecclesia sunt optima ratione constitutæ, tibi fortiter aduersatur. Sed tu illius epistolæ ad episcopum Basiliẽsem, qua toties vexare ceremonias incusaris, pharmacum esse putas in illis verbis: *Non probo contumaciam istorũ, qui palàm & insultantes velut in ludibrium publicæ consuetudinis carnes edunt: sed hactenus damno, vt docendos, admonendos, & si res poscat, etiam increpandos existimem, non vt paricidij reos deferendos apud magistratus.* Nam hæc te scripsisse profiteris in eos, qui tum Basileæ cœperant palàm vesci ouis, & carnibus, in Quadragesima. Quàm periculosũ debet esse malum, cui cogeris mederi, tam ancipiti remedio? Aut enim ego, quid dicas, prorsus nõ intelligo: aut ista oratio, quàm minimum fauet ecclesiasticis ceremonijs. *nõ* (inquis) *eorũ factũ, qui carnib. in ve cũtur probo quadragesima.* Isto sermone nihil honestius. Sed quorum tandem id factum te non probare dicis; An omnium, qui carnes edunt in quadragesima? Nihil minus, sed eorũ, qui palàm id faciunt, & insultantes, velut in ludibrium publicæ consuetudinis. Propter scandalum igitur, & contumaciam, tibi displicere ais istorum consilium, non quia faciant contra ceremonias, & mores ecclesiæ, aut legem potius firmissimam. Nam si præcepta maiorum in singulis prouincijs (vt Hieronymus ad Licinium scribens est author) pro legibus apostolicis habenda sunt, & in omnibus, in quibus nihil certi definit sacra scriptura (vt Augustinus ad Cassulanum scribit) mos populi Dei, atque instituta maiorum pro lege tenenda sunt: quanto firmioris legis vim, consuetudo habere debet, quæ maximo totius orbis Christiani, ecclesiæque in concilio Laodicensi consensu recepta, confirmataque est, & (vt ferè constat Hieronymo & Ignatio, Ioan. Euangelistæ discipulo, authoribus) ab ipsis vsque Christi vel apostolorum temporibus repetita, ad nostram vsque manauit ætatem? Qui ergo moderate idem, in occultoque, etiam sine necessitate fecerint, horum institutum, quis non putet à te haud admodum improbari? Præsertim cum in eos ipsos, qui palàm faciunt, & in ludibrium ceremoniarum, & vetustissimæ consuetudinis ecclesiæ, non aliter animaduertendum esse censeas, quàm vt admoneantur, vel cum seueritissime, etiam increpentur. cum tamen constet eos pro hæreticis habendos, qui peruicaciter, & insultantes contẽnunt huiusmodi sanctas, & ecclesiasticas cõsuetudnes, & sanctiones. Sed iã finẽ huic quæstioni faciamus. Nam de festis, de cantu, de

tu,de cereis,de ornatu templorũ,& alijs id genus ceremonijs, cæteriſq; rebus longum eſſet,& ineptum fortaſſe,ſingulatim,quę tu ſcripſeris,& quid ſumma in eis ratione reprehendat Pius cõmemorare. cum facilis ſit de cæteris omnibus cõiectura ex his ipſis paucis,quæ inuitãte materia pluribus verbis,quàm inſtitueram diſſerui,ſummatim tamẽ. neq; enim mihi propoſitũ fuit(quẽadmodũ ſupra dixi)vt ſententias Pij magno ipſius ingenio atq; doctrina accuratiſſime confirmatas,nouis ipſe argumentis per inanẽ operã corroborarẽ, cũ nulla ſit inter vos de reb⁹ ipſis controuerſia.Sed vt dilutis calumnijs,& criminationibus,quæ in Pium intendebantur, excuſationes, reſponſioneſq; tuas, quibus illius cenſuram velut iniquam excludere conaris,parum eſſe validas, quam breuiſſime poſſem edocerem.Summa igitur culpa, quam tibi Pius cũ multis aſſignat,non in eo eſt, quòd quæ recte vereque ſunt à maioribus vel inſtituta vel tradita, ea te dicant aperte clariſque vocibus improbare: ſed quòd de nonnullis ita diſſerueris periculoſis ſcrupulis ſerendis, vt nunquam hæreſis Lutherana exoritura fuiſſe videatur, niſi Eraſmi vel ioci, vel moroſæ quærimoniæ præceſſiſſent:aut ſi fuiſſet exorta, non tã facile præparatis hominum animis excipienda,nec tam late manatura. Sic enim nonnulli aiunt,quod ioco dictum fuerit ab Eraſmo,hoc paulo poſt ſerio Lutherum aſſeueraſſe:quod ille dubitauerit,hunc ſine cũctatione aſſeruiſſe.Ad ſummã(inquiũt)quicquid ille innuit,hic ſtrenue,ac diligenter exequitur. Offenditur multitudine monaſteriorum Eraſmus,Lutherus omnia monaſteria demolitur. Muſſat ille,neſcio quid, de cultu diuorum,Lutherus cultum diuorum execratur. Alter vult ceremonijs,cantibus,feſtis modum imponi, alter ſummouet hæc omnia. De primatu Petri,& eccleſiæ Romanæ,neſcio quid,quęrit Eraſmus,Lutherus Petrum redigit in ordinẽ, &omnes apoſtolos pares facit,eccleſiamque,& epiſcopum Romanum,nihilo cæteris dignitate præfert. Videt aliquid Eraſmus, quo decreta quædam eccleſiæ poſſent in melius emendari,Lutherus eccleſiæ, & conciliorum decretis omnem adimit authoritatem : & ad hunc modum de pleriſque alijs Lutheri dogmatis loquũtur. *Sed cur*(inquis) *impia Lutheri malitia fraudi ſit Eraſmo, qui bona, & pia mente de his omnibus diſſeruit?* Hic metuo,ne non deſint incredduli,ijdemque liberi homines,qui ſe de tali tua mente nõnihil dubitare dicant, pœnitentiæ magis, quàm animi conſtantiæ tribuentes, quòd poſtea ſcripſeris in Lutherum:tamen Albertus Pius nunquam te cum impijs, aut hæreticis conſenſiſſe putauit : ſed hoc egit toto libro, vt te aliqua nec conſulte, nec grauiter ſcripſiſſe doceret, quæ Luthero homini turbulento,ac impie factioſo occaſionem præbuerint,tam magnos tumultus in Dei eccleſia concitandi, dũ inſeruires partim ambitioni,quo ſingularẽ quandã doctrinã oſtentares:partim ſtudio rerũ nouarũ, quas

non:

non tam longe proceſſuras in ipſarum exordio putaſſes, ſed nimiam,& præpoſteram multorum, vel ſuperſtitionem, vel morum corruptelam in diuerſum agendo temperaturas. Quam prouinciam ſi (vt ſupra docui) non ambitione ſuſcepit Albertus Pius, vt cum Eraſmo contenderet,quem magnum licet,& præſtantem virum, tamen ne vincere quidem vir princeps, & ſingulari doctrina, acerrimoq; ingenio,& maioribus rebus aſſuetus,ad ſummam,ab huiuſmodi ambitione alienus,putaſſet ad ſuam gloriam magnopere pertinere:ſi non item odio tui,quem amabat potius propter eximiam eruditionẽ,& eloquentiam:ſed vt à te prouocatus,incuſatuſque, quòd temere de tuis ſcriptis talem opinionem concepiſſet, ſimul ſuam famam tueretur, ſimul ſimplices Chriſtianos,ſuſpectorum in tuis ſcriptis,lubricorumque locorũ admoneret,haud debebas illi tãtopere ſuccenſere,vt non ſolum crederes impudentiſſimæ calumniæ de conductijs, aut precarijs operis : ſed etiam virum doctrina, genere rebuſque geſtis clariſſimum, conuicijs, & ipſo,&te iudicio cunctorum prudentium indigniſſimis mortuum etiam lacerares,qui te vel nullo,vel leui admodum maledicto,idq; prouocatus laceſſiuerat.Quanto eſſet humanius,digniuſq; homine & chriſtiano,& religioſo, vt quando vides, multa loca tuorũ ſcriptorũ à pleriſque omnibus theologis,non ſolum à Pio,tum ſcholis,tum libris improbari,partim vt ſuſpecta, & ancipitia, partim vt quiddam grauius præferentia,pareres amicis,ſanctiſque monitis Pij,ac omnis contentionis oblitus cuncta ſcripta tua,ſed tanquam aliena ſedato animo, & de veritate ſolum, publicoque Chriſtianorum doctorum iuxta & indorum commodo ſollicitus,accuratiſſime recognoſceres,omnia lubrica, ſinuoſa, vel quoquo modo impedita loca, quibus aliquos non temere offendi poſſe exiſtimares,ſic in optimum ſenſum confirmares,explicares,ac expedires, vt nemo poſſet talium tuorum dictorum ſiniſtra interpretatione, vel labi in minus pias opiniones, vel quæ bona mente ſcripſeris,quaſi malitioſe tradita criminari. Nam licet *omnia munda* eſſent,tamen authore Paulo *malum eſt homini,qui per offendiculum manducat.* Iubet Deus per apoſtolum, à cibis etiam haud dubie mundis abſtinere, ſi periculum ſit,nequis fratrum ſcandalizetur,nos ab ijs,quæ pleriſque videntur immunda,ne complures offendamus,non abſiſtinebimus? quãquam enim hoc varijs Apologijs iam bona ex parte præſtiteris, quibus obiecta loca ingenioſè interpretando, à te nihil non bona mente ſcriptum eſſe profiteris,ac probare contendis,difficile tamen factu eſt, nimiſque longum,tuas Apologias multas,& diſperſas perlegere.& alioquin ab homine Chriſtiano, cui publica ſynceræ pietatis ratio, longe antiquior eſſe debet,quàm omnis mũdana gloria, ſimplicius quiddam deſideratur,& illi ſimile,quod Auguſtinus pia ſimplicitate præſtitit in ſuo libro retractationum.qui maluit cum aliquo ſuæ laudis dispendio,

ad Rom. 14.

veritati

veritati non satis prius animaduersæ, & Christianæ pietati inseruire, quàm publicam religionis causam, ne quam humanæ gloriolæ iacturã faceret, deserere. cuius sanctissimi, eiusdemque sapientissimi viri exemplum, vt imiteris, illud te etiam atq; etiam adhortari debet, quod iam tibi per seueram, grauissimamque Parisiensis academiæ censuram, familiare præsidium ablatum est, quo in singulos tuos obtrectatores, cum applausu nonnullorum vtebaris, dum eos vel ambitione ductos, qui cum Erasmo contendere ad suam laudem pertinere putarent, vel ira, & odio censuræ tuæ concitatos, in te scribere asseuerares. Quis enim credat, si tibi forte hoc veniat in mẽtem affirmare, tot, tantosque viros, tam doctos, tam pietatis publicæ studiosos, non tumultuario cõsensu, sed longo tempore, & diligenti consideratione adhibita, dicatis in hoc opus diebus, in Erasmum vel odio, vel ambitione conspirasse, vt temere tam multa loca improbarent in tuis scriptis, aut sine suumma ratione, libro paulo post Alberti operis editionem publicato damnarent? Quorum cum multa sint eadem, & quæ Pius annotauit, cæteraque simillima: tuæ prudentiæ, æquitatiq; fuerit, vt illorum, sic & huius admonitiones in bonam partem accipere, & à bono, pioq; animo, non ab ambitione, aut maleuolẽtia profectas fuisse putare. quod si feceris, multo profecto commodius, tutiusque (nisi me sententia fallit) tuo nomini apud omnes bonos, & pios atq; conscientiæ animæq; tuæ prospicies. Præsertim cum iam ea ætate sis, ad quam cum peruenimus, nihil magis vel decet, vel expedit, quàm spretis rumoribus popularibus, qui ambitiosis contentionib. interdum colliguntur, ea cunctis viribus, atq; opibus curare, quibus paulò pòst nostram causam summo iudici probem⁹, cui nihil magis inuisum est peruicaci, aut sui amante: nihil gratius modesto animo, & errata sua, vtcunque fuerit admonitus, agnoscente. Nec illam curam negligere debet vir prudens, & posteritati seruiens, quique minime velles, tuarum vigiliarum lectionem cuiquam interdici: ne si hac ratione, quæ vel sola in id, vel potissima tibi patere videtur, tuorum obtrectatorum conatibus, dum licet, non occurreris, quod illi te viuente, qui tuos libros gratia, & authoritate tueris, assequi nequiuerint, id mortuo perficiant: scis enim quos crabrones, & quàm interdum propositi sui tenaces irritaueris. Quod vero ad me attinet, qui causam honestissimam summi viri, & de me optimè meriti patroni, aduersus iniustas tuas criminationes, & querimonias, quam sine magno meo crimine negligere mihi non licebat, egi quàm potui modestissimè, iniustè profecto ages, si meum officium, aut pietatem potius in demortui memoriam, ambitionẽ quampiam, tuiúe maleuolentiam interpretaberis. Nam si quid esset in me vel ingenij, vel eruditionis, quod scribendo vellem ostentare, non deerant vberiora, & minus inuidiosa argumẽta. hic enim quid habet gloriæ aliena inuenta confirmare? Odij porrò aut

maleuolentiæ nulla nobis interceſſit cauſa:amoris, & beneuolentiæ duplex, & magna.Primum quoniam tu quoties de me in tuis ſcriptis mentionem facis,hoc,quod ego neque poſtulo, neque agnoſco, mihi laudis impartiris:quæ quo maior eſt tenuitate ingenij mei, hoc pl° me debere intelligo ſingulari tuæ in me liberalitati. Deinde quoniam cũ ſtudiorum communio,non parum aut ſoleat,aut debeat ingenuos animos conciliare,nos eadem via ingreſſi ſimus literarum,niſi quòd tu ſuperato monte iam tenes cacumen,ego adhuc in radicibus hæreo.Neq; enim ſi aſſentior Alberto Pio,quædam in tuis libris improbanti,protinus te non ſummum eſſe virum exiſtimo. Nam ſis licet quamlibet magnus,homo tamen es;vt neque te quiſquam mirari debeat alicubi fuiſſe lapſum;nec ipſe magnopere moleſtè ferre, ſi tot à te,tamq; varijs libris editis,aliquæ tuæ incuriæ aliorũ accurata diligentia redarguãtur.

FINIS.

INDEX RERVM MAXIME MEMORABILIVM, QVAE IN HIS IOAN. GENESII SEPVLVEDAE OPERIBVS CONTINENTVR.

A.

Actio

Bona vel mala niſi voluntaria ſit non eſt laudãda vel vituperãdà 404. actiones hominum voluntariæ ſunt 474. agere liberè non eſt idẽ quod libenter agere 560.

Admonitio

Qua barbari ſunt inſtruendi inutilis eſt 434.

Adulterium

Eſt cauſſa repudij 492.504.adulteram vxorẽ maritus quibuſdam ex cauſis retinere tenetur 505. adulteriũ ſpiritale 506.adulterium quid 499.

Aduocati.

Aduocatorũ & procuratorũ fraudes. 87.

Aegidius Albornotius

Bononiæ collegium Hiſpanienſe cõdidit.1.eius gen° &natales.4.in Tholoſanũ gymnaſium mittitur.4.Alphonſo Caſtellanorũ Regi fuit à ſecretis 5. donatur archiepiſcopatu Toletano 5. Auenionẽ ad Clemẽt. VI.P.M.proficiſcitur 5 Card.creatur 6.põtificij exercitus dux eligitur 6. Mediolani Archiepiſcopi Ioannis Matth. F. opẽm implorat 7. quinis denis caſtris Florẽtiam peruenit 8. Senã cõtẽdit cuius primores tumultuabant 9. Meuaniam & Montem Faliſcorũ præſidijs muniuit 9. Germanos,qui Mõtẽ Regalẽ & Comitẽ Lãdinũ duces ſequebãtur,conatur à Ioanne

à Ioanne Vico ad exercitũ Eccleſia ſticũ auertere 10. Peruſiæ tumultũ ſedat 10. legatos mittit ad Ioannẽ vicum 9. in mõtem Faliſcorũ hyemandi cauſſa contendit 11. Epiſcopum Pacenſem ad Pontif. ablegat vt pecuniã ſuppeditet 12. templum S. Laurẽtij prope vrbẽ veterem expugnat 13. Corſidium vi capit 14. Toſcanellam capit 14. Cornetum oppugnat 16. per legatos Almerianos ad ſe adduxit 18. legatos mittit ad graſſantes Germanos 18. Sutriũ cum arce recipit 23. Interamnam recipit 23. Veientanã vrbẽ obtudet & expugnat 23. apud Põtif. falſo inſimulatur, quod cũ Malateſtis foedus percuſſiſſet 25. Carolo Cæſari obuiã profectus, ducentos equites auxiliares obtinuit 30. Romã vocatur vt imponat coronã Carolo IV. Imperatori 29. eius oratio ad milites in agro Ariminẽſi 31. Galeotũ à militib. ſuis emit 34. mittit literas ad Barnabouẽ ne auxilia ferat Ordelaphio 42. Auenionẽ cõtẽdit ad Põtificẽ 44. in Hiſpaniã cogitat, vt cognatos diſſidẽtes cõponat 46. eius laudes 46. denuo belli curã ſuſcipit 46. Neapolim proficiſcitur vt fraticellos cõprimat 48. Ioannã Reginã cũ principib. conciliat 48. à Bononienſib. lętè excipitur 51. Bononienſib. mittit ſubſidiũ 53. febri laborat 55. Bononiẽſẽ legationem deſerit 58. leges ſtatuit, quę cõſtitutiones Aegidianæ appellãtur 59. ſibi mortuo, monumẽtũ cõdit Aſſiſij 61. ipſi iuſta perſoluũtur in ſingulos annos Aſſiſij & Bononiæ 61. inuiſit corp⁹ S. Frãciſci 61. collegiũ Bononiẽſe teſtamẽto condi iubet 62, Viterbij teſtamentum cõdit 62. 63. moritur 62, eius oſſa ex Aſſiſio Toletum deportantur 62.

Aegyptij

Rationẽ tẽporũ repetebant ab anno, quo venerunt in ditionẽ pop. Rõ. anno principatus Auguſti. 14. 308.

Aequitas.

Eſt ſummo iuri anteponenda. 88.

Aera.

Numerum non ſignificat cõtra Hermolaum Barbarum 306. eius initiũ 304. apud Hiſpanos origo 307. nomen vnde ductum. 308.

Affinitas.

Definitur 502. eius genera quæ olim matrimoniũ infirmabant 502. quę iã impediũt 503. in affinitate Põtifex diſpẽſare poteſt 530. in affinitate facilior diſpẽſatio quam conſanguinitate. 531.

Albertus Pius Princeps Carpenſis

Propter quas cauſſas ſcripſerit in Eraſmũ 601. eius præceptores & ſtudiorũ ſocij 602 legat⁹ ad tres põtifices 603. eius ſtudiũ 603. ei⁹ obiectiones cõferuntur ad reſponſiones Eraſmi 613. & ſeq.

Albornotius Richaſulo.

Cum præſidio in vrbe veteri relinquitur. 19.

Aldus Manutius

Præceptor Alberti Pij in humanioribus. 602.

Alexander Magnus.

Illius ſtudium gloriæ 330.

Alexander VI

Fernãdũ & Iſabellã Hiſp. reges anno. 1493. hortatus eſt, vt barbaros ſuo imperio ſubijcerent 432 eius decretum ſuper expeditione in barbaros noui orbis 442.

Alphonſus

Rex Caſtellanorum moritur. 5.

Alphonſus Toletanus, Pacenſis Epiſcopus.

Aegidij belli ſocius 7. maiori exercit⁹ Põtificij parti pręfectus, Arimĩnẽſẽ agrũ populatur 31 fines Cæſenatiũ vaſtat 37. recipit Sanctum Angelũ & Sauignanũ 38. pugnat prope Fauentiam cũ Ioanne Manfredo. 40. Fauentiã oppugnat & occupat 41.

Ambitio.

Varia Reipub. genera excogitauit 92. quid 326.

Ambrosius Vicecomes.

Dux latronum exercitus 593.

Amor.

Gloriæ, maximum incitamentum ad res præclarè gerendas 318.

Anchinns Bongarbus.

Exercitus Barnabouis dux tria oppida agri Piceni occupat 53. oppidis relictis fugit 53. pacem impetrat 60.

Andreas Salamoncellus.

Cum Ioanne Vico congreditur 14. Arcē Abbatis obsidet & capit 15.

Androinus Abbas Cluniacensis.

Custos Cæsenæ relinquitur 43. in Aegidij Albornotij locū ab ipso suffícitur, 44. Cardin. factus, mittitur à Pontifice ad Barnabouem, vt cedat iure Bononiæ 58.

Animal.

Quomodo vtatur libero arbitrio 560.

Animus.

Eius facultas duplex 84. vis animi maior in paruis corporibus. 107.

Annus.

Eius initium 156. & seq. dupliciter vitiatus 297. quomodo corrigi possit 300. deprauati incōmoda 290. emēdādi duplex ratio 291. apud priscos varijs spacijs claudebatur 292. Romanus 365. diebus cōstituitur 293. deprauationis causſæ 294. ex anni correctione secuturę vtilitates 300.

Antonius Philaretus.

Vrbinum occupat 6.

Antonius Nebrissensis.

Grammaticus 66.

Antonius de Burgis.

I. C. professor Bononiæ 66.

Antonius Augustinus.

Approbat libellum Genesij Sepulucdæ de iustis belli causſis 225.

Appetitus.

Gloriæ, ingenuos animos in omnii virtutum studio exercet 320.

Aqua

Aquarum commoditas salubris 115.

Arbitrium

Eius libertas 387. arbitrio hominum exæquo & bono multa dijudicanda 86. arbitrium liberum consistit in assensione rationabili 561. arbitrij libertas per peccatum primorum parētum læsa est & imminuta, non sublata 579. arbitrium liberum nō solum potest conari bonum sed etiam efficere 583. arbitrij liberi efficacissima probatio 586. arbitrij liberi causſa naturalis 593.

Arbor.

Arbores quę glandem ferunt non omnes gallam proferūt, contra Plinium. 180.

Aristides

Eius animi magnitudo. 394.

Aristoteles

Eius laus 71. 261. etica politicis præferenda 132. princeps philosophorū 368. à Pythagorica παλιγγενεσία abhorruit 234. quod saluatus sit probatur 260. multos inuidos habuit 261. eius patria 273.

Arx

Arces præsidijs muniendæ 112.

Asiani

Ingenio excellunt 114. eorum in bello ignauia 454.

Assisium

Se tradit Aegidio Albornotio 23. ibi est corpus S. Francisci 61. quid ipsi legatum ab Aegidio 63.

Astrologi

Non semper de futuris vere iudicare possunt 564.

Athenienses

Eorum Imperatores 94. primi statuas publicè erexerunt 336. 379. annum incipiebāt post solstitium æstiuum 160.

Augustus Cæsar

Quo anno orbem descripsit 304. Augustas

gustas tabulas confici iussit de situ orbis 305.

Aula

Aulicorum incommoda 204.

B.

Bætis fluuius

Duobus ostijs emittitur in Oceanum Atlanticum 189.

Barbari

Armis cogendi 73. definiuntur 426. antequam bellum ipsis inferatur, necessario nō sunt per legatos admonendi vt resipiscant 433.

Barnabos

Ioannis Archiepiscopi Mediolanensis successor 38. Ordelaphio auxilia mittit 42. Ioannis Archiepiscopi Mediolanensis ex fratre nepos 42. literas mittit ad Aegidiū pro Ordelaphio 43. queritur apud Aegidium de Bononia occupata 50. bellū mouet contra Aegidium 53. cum exercitu Bononiensem agrum infestat 53. bellum instaurat 56.

Bellum

Bella ciuilia Romæ 96. belli finis pax 108. eius iustæ causſæ 108. 112. 268. 329. 349. 355. 425. 447. contra Barbaros 109. an à Rege an à Ducibus gerendum 110. extra fines melius ab alijs geritur 111. bellum gerere non est contra instituta Christiana, neq; ius diuinum 345. 353. 354. 450. bella iniusta quæ 357. 447. bello legitimè suscepto nihil interest apertè pugnetur, an ex insidijs 358. contra Indos iustè suscipitur 240. argumenta eorum, qui negant cōtra Indos bellum iustè suscipi 425. eorum qui probant esse iustū 426.

Bernardinus Poletanus

Rauennæ tyrannus 38.

Blasius Fernandus

Aegydij belli socius 7. præficitur potiori exercitus parti 28. Phalatonē oppidum expugnat 29. Aesim vrbem expugnat 34. cum vna partè exercitus contra Gentilem mittitur 37. Firmum capit 37. cum exercitu in Aprucium properat 38. occiditur & Bononiæ sepelitur 55.

Bona

Ab Hispanis in Indiam allata 73. 437. bonum publicum priuato antepo-nendum 522. summum bonum in quo consistit 365.

Bonifacius Vrbeuetanus

Tertiæ parti exercitus Ecclesiastici præficitur 37.

Bononia

Aegidij opem implorat 48. qua ratione ad Mediolanenses deuenerit 49. de recipienda deliberatio 49. 12. Cal. Iulias Bononiæ equorum pernicitate certatur, in memoriam partæ victoriæ 55. collegium Bononiæ testamento condi iubet Aegidius 62. Bononiæ præses habet vtrumq; iustitiæ gladium 465.

Britannī

Et Pānones in agrum Camerinatem debacchantur 59. eorum perfidum consilium 60.

C.

Cæsena

Expugnatur 43.

Calor

Nimius corpora debilitat 115.

Carolus

Aduadula, præfectus præsidij montis Falisscorum 13. IV. regis Vngariæ filius, à Pontif. Imperator creatur 30. V. Tunetum expugnauit 111. eius decimatio 103.

Cerimoniæ

Ecclesiasticæ probantur contra Erasmum 627.

Certamen

Singulare apud antiquos infame 413. apud varias gentes nunc est in vsu 414. quando Christiano militi permittitur 415.

Christophorus Colon
Primus nouas insulas inuenit 442.
Christus & Christiani.
Christianis bello nō est interdictum 112. à Iudæis differunt in celebrando paschate 298. Christus natus est initio anni Augusti XLII, 307. Christiani hominis perfectio 393. Christiani principis summa importunitas mitissimo Turcarū dominatui præferenda 447. Christi aduentus cur fuerit necessarius. 580.
Ciuis.
Ciuium diuisio 74. ciuis, quis propriè 74. bonus, virtute præditus 75. ciuis iudici, si ab ipso interrogetur de crimine manifesto, indicare debet quid sciat 464. 482. ciuilis facultas quantum differt à iudiciaria 510.
Ciuitas
Ciuitates plerēq; quæ tyrānis seruiebant, per legatos se tradunt Pontificis potestati 15. ciuitatibus imperium est necessarium 74. earum origo 74. finis 74. definitio 75. ciuitatis felicitas versatur in optimis legibus 82 ciuitas necessitate naturæ consistit 516.
Clementia
Clementiæ principum exempla 24.
Cœlibatus
Confertur cum matrimonio 198.
Cognatio
Spiritalis impedit matrimoniū 504. triplex est 504.
Collegium
Bononiense testamento cōdi iubet Aegidius 62. hęres ex asse Aegidij 64. describitur 64. quo tempore conditum 66. eius priuilegium 69. cōstitutiones 69. *Societat.* Iesu Corduba ædificauit Ioannes Corduba Decanus 272.
Columbæ
Columbas educare licet, quę sese ipsę pascunt agrestibus seminibus 237.
Comes Landinus
Italiam infestat. 9.
Cometæ
Romæ visi 147. cometa quid sit 148.
Complutum
Complutensi academiæ iudicium de Sepuluedæ Democrate secundo 423. non condemnauit Democratem secundum 424.
Concilium generale
Optima ratio hæreticos conuincendi 162.
Consanguinitas
Definitur 500. quibus consanguinitatis gradib. connubia prohibentur 500. 501. quare matrimonia inter cōsanguineos olim permissa, post sunt prohibita 501. cum consanguinitate pontifex dispensare potest 529.
Consiliarij
Sunt regi adhibendi 104.
Constantinus
Lege prohibuit idololatriam sub pœna capitis 430.
Consultatio
In quibus reb· versatur 571. si fati necessitas admittatur, est superflua & inutilis 570.
Consuetudo
Habitum ingenerat 85.
Conuiuium
Quale esse debeat 208.
Corban Marci 7.
Quid significet 131.
Corduba
Cordubæ situs & soli bonitas 116. Cordubēsium ingenia 117. Cordubæ conditor 243. Cordubensium res bello præclarè gestæ 284.
Cornetum
Ab Aegidio oppugnatur 16.
Corsidium
Vi capitur ab Aegidio Albornotio 14.

Crimen

Occultum proximi celare tenemur lege diuina & naturali 462. celare licet, non autem inficiari 466 licet indicare in alterius periculo 462. non est credendum nisi certis indicijs comprobetur 463 celandi & vicissim indicandi ratio 481, *quæ* crimina matrimonium impediūt 499.

Crudelitas

Regi fugienda 103.

D.

Defendere

Defendens turpem caussam, si in pugna occidatur, peccat in Spiritum S. 420. in tali pugna mortuus non sepelitur in loco sacro 420.

Deus

Maiorem habet curam regum & principium quam priuatorum 509 homines humano more alloquitur 588. vtitur regibus tanquam instrumentis ad gubernandos homines 589. Dei futurorum præcognitio nullam inducit in rebus necessitatem 590.

Dij

Deorum apud Ethnicos præcognitio qualis 563. dij ignorabant futura 564. eorum responsa qualia 564.

Dispensatio

Definitur 507. 523. eius necessitas 508. 518. dispensandi facultas quare penes illos tantum, quorum est summa reip. administratio 509. dispensatio duplex 519. vtrum cadat in præcepta decalogi 519. & seqq. decreta Sanctorum patrum contra dispensationem quomodo interpretanda 525. dispensatio quæ precibus aut precio impetratur irrita est 526. dispensandi præcipuæ caussæ 530.

Dines & Diuitiæ

Diuites cur plures vitiosi quam pauperes 397. Diuitiæ per se non sunt malæ 397. nimiæ non sunt expetendæ 400. non sunt abijciendæ 402 diuitiarum non est culpa sed morum quod male expendantur 402.

Dominus

Quis sit 72.

E.

Ecclesiastici

Quomodo census suos debeant expendere 402.

Educatio

Liberorum qualis 107.

Egestas

Excludit otium & animi tranquillitatem 401.

Electio

Regū, quare iuri hæreditario sit posthabēda 99. an actio præstet in virtute 404.

Epigramma

In obitum Stunicæ 140.

Episcopus

Episcopi sunt administri Pōtificis 92. eorum officium 356.

Epistola

Pontificis ad Aegidium de ineunda pace cum Malatestis 36. earum varia genera 120.

Erasmus Roterodamus

Reprehenditur in Ciceroniano suo 137. eius obiectiones in Albertum Pium 599 in Italia non fuit tantæ authoritatis quam in Germania 599. eius in scribendis libris velocitas 610. non vult ab alijs iudicium ferri de suis scriptis 611. eius moria reprehenditur 613. cōfertur Luciano 619. eius dialogus de peregrinatione examinatur 622.

Error

In bonis matrimonij impedit matrimonium 496 cum errore in bonis matrimo-

matrimonij pontifex dispensare non potest 528.

Eugubium

Sese dedit Aegidio 19.

Exercitus

Pontificius fame laborat 11. in tres partes diuiditur 37. *iustus*, quis apud Romanos 457.

F.

Fatum.

Quid 549. de fati necessitate argumenta Stoicorum 558. & seqq. ex fati necessitate quæ sequantur incommoda 570 & seqq.

Februarius

A Februo dictus 293.

Felicitas

Quam Peripatetici statuunt, quantum differat à doctrina Christianorum 365.

Ferdinandus Toletus

Garsiæ Toleti filius 343.

Fernándus Pincianus

Corrigit Pomponium Melam 177. Plinium castigauit 179. in Plinij obseruationibus reprehenditur 183.

Fides

A rege data seruanda 104. data hostibus, seruanda 358. quæ necessaria ad salutem 259. ad fidem nemo cogi debet 430. 435.

Firmum

Capitur à Blasco 37.

Fœnerari

Quando permissum 519.

Fortis & Fortitudo

Fortitudo Christiana quæ 367. quæ militi necessaria est, qualis 371. & magnanimitas, non sunt contrariæ Christianę philosophiæ 371 fortes viri qui censendi 373. fortitudo virtus, quid 375. fortitudini vitia contraria 376. eius species commentitia, quinq; modis accidit 376. fortes honestatis caussa, pericula subeunt 377. forti viro mors potius expetenda quam turpiter faciendū 417. fortis viri officium 421. vitia fortitudini contraria 376.

Fortunius Garsias.

I. C. professor Bononiæ 66. eius laus 282.

Forum Liuij

Se dedit Aegidio 43.

S. Franciscus

Eius corpus Assisij 61.

Franciscus Ordelaphius.

Fauentiæ tyrannus 38. agros populatur 39. à Quilianensibus irruptione facta fugatur 39. pugna victus 42. Foroliuij expulsus, Mediolanū ad Barnabouem confugit 43.

Franciscus Estensis.

Dux exercitus Barnabouis 55. viuus capitur. 55.

Fraticelli.

Fraticellorum hæresis in Italia 47. publicè punitur 48.

Furtum.

Non est, si quis in extrema inopia alienam rem auferat ad sustentationem 477.

G.

Galeotus Malatesta.

Orationem habet ad milites in agro Ariminensi 32. in prælio capitur 34. Ariminensibus in subsidiū mittitur 31. ab Aegidio veniam & pacē petit 35.

Garsias Albornotius.

Aegidij belli socius 7. Aegidij ex fratre nepos, interficitur. 57.

Gaspar Contarenus.

Eius iudicium de libello Sepulueda de correctione anni. 156.

Genizari.

Qui sunt apud Turcas 449.

Gennadius.

Laudatur quod gentes bello redegerit in Christianorum ditionem vt facilius inducerentur ad fidem 431.

Gentes.

Per legem naturę ſaluari poſſunt 347 multifariam fidem impediunt 431.

Gentilis Molianus

Omnia ſua reddit pontifici & cũ Aegidio paciſcitur 26. eius ad tyrannos defectio 30. Blaſcum, Firmum admittit 28. ipſi finibus Eccleſiaſticis interdicitur 37. Picenum agrũ infeſtat 41. moritur 41.

Germani

Germanorum ſocietas in Italia prædatur 18. vaſtant agrum Picenum 38. cum Aegidio fœdus percutiunt 40. eorum laus in gerẽdis bellis 456.

Gloria

Definitur 76. 407. gloriæ ſtudioſi optima regna & reſpublicas condiderunt 317. gloriam non eſſe appetendam probatur 324. glorioſum eſſe & gloriam appetere, quid differunt 328. gloriæ appetendæ definitio 330. religioni Chriſtianæ non eſt contraria 332. quæ ſit fugienda 333. 408. gloria eſt præmium virtutis 336. gloria mundana 406. inanis triplex 406. gloria eſt appetenda 408. gloriam cum ratione petere, eſt virtutem colere 409. argumenta de contemnẽda gloria refutantur 325.

Gometius Albornotius Carillus, Conchenſis.

Eccleſię theſaurarius 3. ad Bononienſes habet orationem 54. vulneratus Petrum Farneſium ſubſtituit 55 ipſi diſcedenti donum à Bononiẽſibus offertur 58. eius ad Britannos legatio 59. Anichinum & Ambroſium tyrannos bello perſequitur 60 fugat & vincit Britannos 61. Romam mittitur ad Vrbanum vt antiquam ſedem repetat 62.

Græci

Græcarum literarum defenſio cõtra zoilos 211.

Guarelinus

Latro famoſiſſimus 41.

Gubernare

Gubernandi forma optima 75.

H.

Habitus

Quomodo ſint in noſtra poteſtate 567.

Hæres & Hæreditas

Hæreditarium ius regni melius ac tutius 99. hæreditarij reges tyranni non ſunt, licet ad tyrannidem proclives 78.

Hæretici

Hæretici etiam occultiſſimi, ſunt excommunicati 210.

Hebræi

Annum incipiebant poſt æquinoctium vernum 160.

Henricus VIII.

Rex Angliæ, diſpenſante Põtifice duxit vxorem fratris Catharinã, Fernandi & Iſabellæ Hiſp. regum filiam 533. propter quas cauſſas iuſta fuerit iſta diſpenſatio 534.

Hidalgi.

Apud Hiſpanos vnde orti 169.

Hiſpani & Hiſpania.

Hiſpanorum reges occiſi 100. hiſpania quare Italia ſalubrior 115. hiſpani ab anno 1372. annum à Chriſti natali computarunt, non ab Auguſti imperio 303. hiſpanorum præclarè in bello geſta 314. 456. hiſpani quæ bona in Indiam adferant 73. 437. in Hiſpania prætores ſine prouocatione 106. in Hiſpania pueri à regibus hæredes relicti 98.

Hiſpellum.

Aegidio ſe dedit 23.

Hiſtoria.

Hiſtoriæ ſcribendæ difficultas 254. hiſtorias olim proceres ſcripſere 170.

Homo.

Hominū tria genera 72. hominis Christiani ꝓfectio 353. homo quo honoratior hoc sit ditior 401. hominis duæ propriæ actiones 403. de homicidio licet iudici inquirere, & testes examinare 464. perniciosissimꝰ animaliū est homo si iustitia vacet 538. hominis status deterior quā brutorū, si omnia necessitate fati fiāt, 559. 569. quid sit esse hominem rationis participē 560. hominē tollit qui liberū arbitriū tollit 561. homo principiū est & causa suarū actionū 561 homo cæteris animantib. natura præstātior 568.

Honor.

Est virtutis præmium 1.

Humilitas.

Quæ 390. pars magnanimitatis 391. 395. non est referenda ad tēperantiam 392.

I.

Iacobus Pontinus de Leon.

Rector collegij Hispanorum Bononiensis 3.

Iacobus Stunica.

Eius mors 139. 612. eius laudes 612.

Ianuarius.

A Iano nominatus 292.

Idololatria.

Idololatriam grauissimè punit Deus 426 satis iusta causa est ad bellū idololatris inferendum 427.

Imperium & Imperator.

Imperandi duo genera 72. imperiū ciuile 72. herile 72. imperatores Athenienſiū 94. imperator Turcarū in omni hæreditate tanquā vnus ex filijs succedit 448.

India & Indi.

India iure debellatur 73. indorū barbaries 73. indi quæ bona ab Hispanis acceperint 437.

Indulgentia.

Indulgētiæ datæ ijs qui lecticā Aegidij portabant 62. indulgentia improbos inuitat ad peccatum 268.

Ineptitudo.

Ad copulā coniugalē irritū facit matrimonium 497. duplex est, naturalis & accidentaria 497.

Ingenium.

Ingenij liberi officium 23.

Iniuria.

Iniurias vlciſci nō obstat Christianorum institutis 267. cōdonare bono militi & simul Christiano licet 410. iniuriæ legib. vindicādæ 420. iniuriam propulsare licet 421. iniuriam à socio cū nō repellit qui potest, tā est in vitio quā qui facit 482

Innocentius VI.

Pontifex, succedit clemēti VI. 6. eius ad Aegidium epistola de pace cū Malatestis ineunda 36. moritur 56

Interamna.

Se dedit Aegidio 23.

Ioannes Alerianus.

Ameriæ tyrannus 17.

Ioannes Cancutius.

Præfectus Eugubij 19.

Ioannes Manfredus.

Foroliuij & Cesenæ tyrannus 38. Fauentia cum familia eiectus, pacem ab Aegidio impetrat 41.

Ioannes Geneſius Sepulueda.

Alumnus collegij Saguntini 68. compluti operā dedit philosophiæ sub Xantho 69. Caroli V. historicus 71. 134. 161. 193. Romæ pontificis, & in Hispania regis aulicus 71. natus Sepulvedæ 115. quare suas epistolas ediderit 120. 121. familiaris fuit domui Mendoziorum 121. mittit Erasmo antapologiam pro Alberto Pio 123. hortatur Erasmum vt scripta sua purget 124. promittit commentarios in etica Aristotelis 132. alumnus collegij Bononiensis 134 meteorologica à se conuersa Carolo V. dicauit 138. non vt obtrectator scripsit antapologiam in Erasmum

rasmum 146. mittit Parisios commentaria Aphrodisei in Aristotelis metaphysicam à se conuersa 150. qua ratione ductus scripserit libellum de correctione anni 290. Democratem secundum defendit 219. epitaphium sibi statuit 248. sibi sepulturā designat 248. eius laudes 275. viuendi ratio 276. iudicium de Sleidani commentarijs rerum Germanicarum 280 eius Marianum describitur 244 quare defendat Albertum Pium contra Erasmum 596.

Ioannes Luppus de Mitina.

collegium statuit in suburbano Saguntiæ 68.

Ioannes Matth. F.

Archiepiscopus Mediolanensis, Pontifici opem suam addicit 8. Aegidio auxilia mittit 14.

Ioannes Montesdoca.

Philosophię professor Patauij 66. & Pisis 602.

Ioannes Olegius.

Bononiæ præfectus 48. Bononiā tradit Aegidio 50.

Ioannes Vicus.

Viterbium occupat 6. Ioannis Vici exercitus in prælio inferior 14. eius insidiæ ad montem Falisci non cesserūt optato 16. Aegidij conatus prope Viterbium reprimit 17. vnam ex filiabus suis Anibaldo Montis regalis fratri cum dote spopondit 18. legatos mittit ad Aegidium de se dedendo 20. Ioanni Vico cum tota familia Viterbio 12. annis interdicitur 22. Corneti vicarius creatur 24. Vrbeuetanos expugnat 12. eius equites 500. ad Aegidium deficiunt 13. cum parte exercitus Aquampendentem proficiscitur 14. in itinere multis suis amissis fugatur 14. 15.

Iris.

Noctu Romæ apparuit 147. quod nocte fieri possit, cōtra Plinium probatur 148.

Italia.

Italiæ pars, quę Ecclesiasticę ditionis erat, opprimitur à Tyrannis 6. Italia pacata 62. Italorū laus in bellis gerendis 456.

Iudex.

Iudicare qui dicūtur 74. iudex occultorum criminum solus Deus 463. iudici licet occultum crimen inquirere, si crimen sit manifestum, aut aliqua indicia pręcesserint 465 486. iudici responderi debet isto sensu quo iudex accipit, non quo interrogatus intelligit 467. iudex si testes interrogat absq; exceptione, animū suū explicare debet 470

Iudicium.

Iudicia doctorum virorum de libello Sepuluedæ de iustis belli caussis 439. *iudicium rectæ rationis*, si inter duas leges contentio sit, litem dirimet 479. quod sit 479.

Iulius Cæsar.

Calendas Ianuarij reiecit in diem octauum post Brumam 295.

Ius.

Gentium vel naturæ quid 82. 349. 354 511. naturæ, duplex 511. ius ciuile quid 511. diuinum 511. pontificium 511.

Ius Iurandum.

Accipiendum eo animo, quo proponit ille cui iuratur 472. iuramenti in visitatione clericorum formula 466. datum de permissis tantum & iustis reb. leges interpretantur 483. si turpe quid iureiurādo pollicit⁹ fueris, præstare nō teneris 483.

Iustitia.

Iustum & iniustum natura quid 348. 514. iustitia duplex 380.

L.

Latro.

Latrones Flaminiã depopulantur 59.

Ledesma.

Romanis Bletisa fuit 281.

Leges.

Legũ vtilitas 82.87. leges duplices 82. legũ latori quæ considerãda 82. leges quando ferendæ 85. de reb. singulis statui nõ possunt 86.508.517. litiũ causa non submouẽdæ 87. legũ verbis non semper inhærendũ 86. 88. leges pro ratione temporũ moderari possunt 114.507. legũ finis 205. legib. sancitũ est, vt quædã causæ testib. non suppetentib. singulari certamine dijudicẽtur 414. lex vetus Iudæorũ abolita est 346. lex naturæ quę 452.511.548. duplex 511. legũ omniũ interpres, est recta ratio & moderatio 477. legũ summa est, vt semper fiat quod iustũ & ęquũ est 478. si inter duas leges vna sit transgredienda, prætermittẽda est illa, quæ minus habet mali 479. lex dicitur à ligãdo 510. eius varia genera 510. leges sunt malorũ vindices 516. leges diuinæ quæ 516. lex æterna quid 518. leges semper & in omnib. causis seruire non possunt 521. leges diuinæ, quæ non itẽ sunt naturales, mutari & moderari possũt 534. leges omnes si admittatur fati necessitas sunt inutiles 572. legis cognitio absq; operibus nullius est emolumenti 579.

Leuca.

Cõstat quatuor millib. passuum 169.

Liberalitas.

Est fructus diuitiarum 401.

Ligerius Androinus.

Viterbij prętor loco Ioannis Vici 20. Viterbiensib. conuocatis ipsos ad pacem hortatur 20.

Lites.

Litiũ prorogatio ex culpa legislatoris 88.

Ludoicus Auila Stunica.

Commentarios scripsit rerũ à Carolo V. in Africa gestarũ 144. scripsit commentarios de reb. Caroli Cæsaris in Germania gestis contra fidei desertores 171.

Ludoicus Bauarus.

Imperator, hostis Ecclesiæ 6. in Italiã irruit 29. Antipapã creat Romæ 31.

Lupus de Luna.

Archiepiscopus Cęsaraugustus Aegidio belli socius 7. auunculus Aegidij 56. præficitur exercitui contra Barnabouem 57.

Lusitani.

An rectè Aethiopes in seruitutem redigant 109.

Lutherani.

Lutheranorum superbia 369.

Lycurgus.

Lycurgi error in scribendis legibus 85.

M.

Magistratus.

De legibus & rebus singulis decernere potest 86. gestæ Reip. rationem reddere debet 106. sortiri magistratum reip. popularis est 105.

Magnanimus & Magnanimitas.

Magnanimus quis 379.380.394.421. magnanimitati cõtraria vitia 379. magnanimitas reddit cæteras virtutes augustiores 381. magnanimitatis exẽpla 393. magnanimus potest esse aliquis & simul humilis 395. magnanimitas aliquando tolerantia appellatur 451.

Malatesta de Malatestis.

Fanum occupat 6. eius legati occurrunt Aegidio Albornotio ad Furnum nouum 9. pacem cupit cum Aegidio 26. conatur Molianum ab Aegidio abducere 27.

Manlius Torquatus.

A torque ablato ita appellatꝰ est 414.

Marapetinus.

Nummus.

nummus Castellæ 63.

Martinus Garsias.

Barcinonensis episcopus 66.

Martinus Lutherus.

Scripsit librum de seruo arbitrio contra Erasmũ Roterodamũ 537. monachus religionẽ abiecit 539. Germanorũ animos alienos reddit à Põtifice 540. Germanos ad libertatẽ suscitat 544. quomodo progressus in noua religione inducẽda 537 & seqq. monialẽ ex monasterio sibi copulauit 545. qua ratione dict' fati necessitatẽ asseruit 546. eius genitura 565. quales habuerit cõmilitones 574. quomodo explicet locos S S. de libertate arbitrij 575. & seq. arrogans eius iudiciũ de Hieronymo & Origine 583. nihil excogitauit quod à veterib. non fuerit damnatũ 585. argumenta eius contra liberũ arbitrium 586 & seq. cal. Aug. 1524. abrogauit cultum diuorum 622.

Matrimonium.

Definitur 493. eius dignitas antiquitas & finis 493. & seq. est sacramentum 493 495. matrimonij impedimenta 495. & seq. eius forma est liber consensus 496. eius bonũ triplex 496. matrimoniũ quod propter vim initur, ratũ fit, si postea liber assensus cõsequatur 496. 497.

Mediolanum.

Mediolanensis principatus, nullo iure successionis datur Luchino à Benedicto XII. 42.

Mentiri & mendacium.

Non licet vel pro vita hominis 466. 473. 486. est contra mentẽ ire 471. mendaciũ est falsa significatio cũ intentione fallendi 471. officiosũ addito iuramẽto fit perniciosũ 491.

Mercator.

Mercatores magistratũ ne gerãt 105.

Miles.

Qualis esse oporteat 362, militis boni virtutes 363, miles fortis in certamine propter gloriam suscepto, antequã se dedat mortem eliget 416.

Mille passus.

Millia passuum Romani per colũnas distinxerunt 168. columnæ in milliari positæ inscriptio 170.

Moderatio.

Est adhibenda post victoriam 113.

Modus.

Habendus in omnibus rebus 400.

Monachi.

Monachorũ vita omnibus vitæ generib. præstat 399. monachi ex suo viuũt non alieno 399. defenduntur cõtra Erasmũ 615. eorũ labores 616.

Monarchia.

Monarchiã Romani retinuerunt 97.

Mors.

Quando pro alijs subeunda 270. honesta 375. viro forti potius expetenda quã turpiter faciendũ 417. in certamine, quãdo vitari potest, non est expetenda 419. mors gloriose appetenda 319. duplex est, naturalis & spiritalis 506.

Morus.

Oppidum ejecto præsidio se dedit Blasco 29.

Musæ.

Solitudinem amant 135.

N.

Narnienses.

Et Spoletani se dedunt 23.

Natura.

Paruo contenta 199. natura humana similis agro 385. natura contingẽs, non est materia laudis 568.

Necessarium.

Esse aliquid, quinque modis dicitur 436. necessariæ quomodo sint causæ coelestes 558.

Nicolaus Acciaolus.

Conatur inter Aegidium & Malatestas bellum dirimere 31 legatus Cæsaris contendit apud Aegidiũ Albornotium vt cum Malatestis foedus cũ conditione feriat 35.

Nobilitas

Nobilitatis quatuor genera 74. nobiles sæpe à maiorum virtutibus degenerant 339.

Nucerini

Se dedunt 23.

Numerus

Impar, Romanis faustus 293.

Numantia

Eius situs 195. O.

Officium

Officia omnia extremũ finẽ spectare debent 365. officiũ quo ad salutis viam barbari ducuntur, duplex 429. 435. officium perfectũ quod 405.

Optimates

Optimatum status quid 75. 80. quare melior videatur alijs reip. formis 89. optimatũ status & paucorũ potentia in quo differunt 80.

Ordo sacramentum

Impedit matrimonium 498. in ordinis sacramento dispensari potest quãtum ad matrimonium, si subsit grauis caussa 528.

Orosius

D. Augustini auditor 195.

Orospeda

Orospedæ montis situs 188.

P.

Parcere

Parcendo malis fit bonis iniuria 103.

Patriarchia Aquilegiensis

Rauennam & Cerusiam recipit 38.

Paucorum potentia

Et status optimatum conferũtur 80. paucorũ potẽtia quid 81. ei respublica popularis contraria 81.

Pax

Pacis fœdera ab Aegidio inita cũ Malatestis 36.

Pax Augusta

Bætica colonia Romanorũ 169. iam Badaioz appellatur 169.

Peccare

Peccandi nulla vnquã est necessitas 477. peccatũ est legis trãsgressio 578.

Pelagius

Primus Hisp. rex deuictis Gothis 99.

Peregrinari

Peregrinantium incommoda 198.

Peripatetici

Peripateticorum de summo bono sẽtentia 350.

Persæ

Quatuor viros eligebant qui regis hæredem instituerent 108.

Perusini

Aegidio Albornotio ducentos equites mittunt 11.

Petrus Arueus

Qui & magister Epillæ, theologus 67. Martyr ibid.

Petrus Corbariensis

Franciscanus, antipapa contra Ioannem XXII. 30. moritur 30. 47.

Petrus Crudelis

Moritur 79. 100.

Petrus Farnesius

Vulneratur 55.

Petrus Frius

In collegiũ Bononiense beneficus 68.

Petrus Pomponatius

Præceptor Sepuluedæ 602. Bononiæ philosophiam docuit 602.

Petrus Sotus

Dominicanꝰ, Caroli V. cõfessariꝰ 440.

Petrus Vicus

Veientanã vrbem vendidit Lucæ Sabellio 23 Viterbij præfectus 13.

Philippus II.

Quadragesimꝰ quartus rex Hispaniæ post Gothos 99. nuptias parat cũ Maria filia Ioãnis Portugalliæ regis 168.

Philosophia & philosophi

Philosophia docet timere mortẽ 77 quid sit 213. philosophis solitudo cõmodissima 202 philosophi quales reijciẽd' 367. & seq. philosophorũ libris vsi antiqui Ecclesiæ patres 369 philosophi diuitijs non egent 401. philosophi qui fati necessitatẽ asseruerunt 547. philosophi Ethnici salutem consecuti sunt 257

Pisaurus

Occupat Ariminum.

Plebs

Plebis diuiſio 74.cũ trecentis equitib. Aegidio pecuniam ſub mittit. 14.

Pontifex

Aegidium Abornotium literis conſolatur ob mortem Garſię nepotis 57.Romam redijt 62.habet poteſtatem cogendi gentes ad ſeruandã legem naturæ 428.pontificem, in ijs quæ non ſunt apertè contra Deum,tanquã ipſum Chriſtũ audire debemus 433.põtifex diſpẽſare poteſt cum omnib.perſõnis in matrimonio,exceptis,patre &matre503. eius poteſtas 510. 512. dignitas 518. 523.&ſeq.pontifex facultatẽ habet oẽs lẽges moderandi512 quomodo moderari poſſit leges naturæ 513. quomodo diſpenſare poſſit in legibus diuinis 516 quod pontifex decernit,Deus decernit 517.518.

Præcepta

Ad actionẽ pertinent non cognitionẽ 580. præceptum eſt oratio qua quid ſit agendũ aut ſecus præcipitur 580.ſecundũ Lutherũ prẽcepta, non ſunt præcepta 580.

Primogentura

Primogenituræ ius Bononiæ& in Hiſpania 90.

Princeps

Principis boni officium 356. principi neceſſariæ virtutes 101.

Prudentia

Imperatoris virtus 75. definitur 385. 574. à ſcientia quomodo differat 574. cõceſſa fatali neceſſitate, perit. 574.

Pugna

Commttitur inter Eccleſiaſticũ exercitũ & Ioannẽ Vicũ 14.cum latronibus temeraria 39. *pugna commiſſa* cũ Ioanne Manfredo prope Fauentiã 40.propeBononiã 55.ad Salatolũ 57.

Q.

Quintilianus orator

De Quintiliani patria cõtrouerſia 272.

R.

Ratio

Duplex 85. omnium legum interpres eſt 477. rationis rectæ iudiciũ quod ſit 479. ratio recta quid 479.

Rauenna

Per vim ſe dedit Aegidio Albornotio 38.

Regnum

Quid 75. regnorũ duo genera præcipua 76.regnũ probatur eſſe cæteris reip.formis præſtantius 89 90.cũ alijs rebuſp.cõparatur 92.regni felicitas 101.regnũ duplex, ſpiritale & ciuile 451.obiectiones propoſitę cõtra regnum diluuntur 92.

Religio & religioſi

Religioſorũ vitæ gen⁹ 401.religio diſpar impedit matrimoniũ 498.religioni ſe deuouere licet trib.modis 506.

Reſpublica

Reipublicæ formæ duæ 74.reip.rectæ tria genera 75.reſp vel Timocratia quid 75.reip.deprauatę genera ibid. popularis quę 81.vnius an pluriũ arbitrio melius regatur 89. cõtinetur præmio & poena 101.reip.benegerendæ modus 205.

Rex

Proprie dictus 76.regis &Tyranni diſcrimẽ 76. reges hæreditarij tyrãnõ ſũt,licet ad tyrãnidẽ proclues 78.reges cõſtituẽdi varia ratio 90. 91.regis definitio 91.reges dupliciter creãtur 97.rex natus an electus præſtet 98.regi qui finis propoſitus 101.regis exẽplũ tota reſp.imitatur 101.rex nõ debet eſſe nimis liberalis 101.regi ſuperbia fugienda 102. rex ſi perſtet in ſententia probabili & cõfeſſor contrariã probet, an rectè ab eo poſſit abſolui 438. regi ducenda procera vxor 107.

Robur arbor

Roboris natura 180.

Rodulphus Camerinas

Obũiã procedẽs Blaſco ipſi ſe dedit 28.

Romani

Quare Romanis nomẽ regis inuiſum 78. Romanorũ reges occiſi 99. romani an orbẽ iure ſubegerint 109. apud Romanos quod fuerit anni initiũ 295. Romani victis gentib. argentũ in tributis imperabãt, nõ aurũ aut aliud metallũ 306. Romani excludebãt ab hæreditate qui natꝰ 25 annos vxorem nõ duxiſſet. 495.

S.

Sacerdos

Sacerdotes prius vitã ſuam emendẽt antequã alios reprehendant 154. ſacerdoti interrogato licet negare quæ in cõfeſſione audiuit 467.

Salmantica

Salmãticẽſis academia nõ cõdẽnauit Geneſij Democratẽ ſecundũ 424.

Sancti

Sanctorum cultus defenditur contra Eraſmum 619.

Scientia

Ciuilis, præeſt reliquis omnibus diſciplinis 509.

Seditio

In caſtris Aegidij Albornotij 16. interitum adfert reipubl. 94. ſeditiones in regno facilius extinguuntur 95.

Segobriga

Olim, iam Sepulueda dicitur 169.

Septentrio

Septentrionis incolæ cęteris nationibus animo præſtant 114.

Sepulueda

Oppidum, olim Segobriga dictũ 115. 169. eius deſcriptio 116.

Seruus

Quis ſit 72.

Sibutus

Rex Hiſpaniæ Iudæos ad Chriſtianã dem coegit 430.

Sol

Iſtitium brumale quando incidat 159. ſol vmbras parallelas iacit 238. ſolis motu ignorato quæ ſequantur incommoda 291.

Solertia

Quid 385.

Solimannus

In bello Panonico fugit aduenientẽ Caroli V. exercitu 342.

Stoici

Argumẽta ſtoicorũ de fati neceſſitate 558. & ſeqq. ſtoici factis proprijs redarguunt fati neceſſitatem 573.

Stulti

Huiꝰ mũdi qui apud Paulũ 1. Cor. 1. 615.

Superbia

Regi fugienda 102.

Supplicare

Supplicandum non eſt niſi pro bonis 103.

Sylla

Syllæ crudelitas omnium aliorũ crudelitate maior 97.

T.

Tarquinius

Romæ tyrannus 94.

Tatiani

Tatianorum hæreſis 494.

Tempus.

Eſt motus ſolis 292.

Teſtis

Si teſtis à iudice interrogetur de crimine prorſus occulto, non tenetur reſpondere etſi iuratus, inficiari tamen non licet 483. 489.

Timocratia

Quæ 81. triplex 81.

Theodorus Gaza

Libellum edidit de menſibus Græcorũ 301. errauit in cõuertendis latine græcorum menſibus 302.

Theologia

Omnium ſcientiarũ nobiliſsima 352.

Toletum

Puteis caret 16. regia ſedes Hiſpaniæ 116.

Tribunus plebis

Tribuni plebis quare creati 95. aliquot propter ſeditionẽ Romę cæſi ſunt 95.

Tributum.

Imperatum non est, cum orbis ab Augusto describeretur 305. tributa principibus cur pendantur 307.

Tudertini.

Se dedunt Aegidio Albornotio, ipsique ducentos milites subsidio mittunt 28.

Turca.

Turcarū miserrimus status 448. Turcarum imperator in omni hæreditate tanquam virus ex filijs succedit 448.

Tusculani.

Se dedunt Aegidio Albornotio 17.

Tyrannis.

Regno contraria 76. eius cum rege collatio 76. tyrannus quare ciues extenuet 77. tyrannicidæ apud Græcos laudati 78. tyrannus quousque tolerandus 78. eorum infelix exitus 79. tyranni quidam facti humaniores 79. tyrannus in regem quo modo transeat. 80.

V.

Veientana vrbs.

Venditur Sabellio 23.

Venetiæ.

Venetorum respubl. non legibus, sed principis prudētia gubernatur 508.

Veritas.

In rebus agendis non ex verbis, sed factis iudicatur 418.

Vincentius Laudensis.

In prælio obtruncatur. 55.

Vindicta.

Pars est iustitiæ 421.

Vir.

Viri probi cuadunt tribus rebus 114.

Virtus.

Duplex 82. 350. virtutes principi necessariæ 101. virtutes adquirere situ est in potestate hominis 567. & seq. virtutes ita sunt inter se connexæ, vt sublata vna omnes tolli sit necesse 364. virtutes sunt expetendæ propter se 366. virtus moralis duplex 384. naturalis quid 385. virtus ad officiosa munera fungenda externis bonis iuuari debet 398. & seq. virtutis ratio nō in opere posita est, sed animo & voluntate 400. virtus definitur 407. vitium fit abutendo 407.

Vis

Si per vim cogitur aliquis ad matrimonium, matrimonium dissolui potest 496. cum vi qua homo cogitur ad matrimonium papa dispensare nō potest 528. vim vi quomodo repellere licet 513.

Vita

Actiua vtilior contemplatiua, sed nō dignior 83. actiua & contemplatiua comparātur 231. 351. actiua necessaria est ad vitam degendam 352. contemplatiua præstantior actiua 352.

Viterbium

Viterbij tumultus excitatur 13. testamentum condit Aegidius Albornotius & moritur 62. 63.

Vitium

Vitia possunt mutari in cōtrarios habitus cura & consuetudine 50.

Vlricus Huttenus

Cum propter homicidium Italia cederet, fugit ad partes Lutheri in Germaniam 543.

Voluntas

Est actionis forma 404 cogi nō potest 435. 559 libera est 549.

Voluptas

Actionem reddit perfectiorem 385.

Votum

Simplex nō dissoluit matrimonium 498. votorum nūcupatio asseritur contra Erasmum 624.

Vrbanus V.

Succedit Innocentio VI. pontifici, dictus primo Guilielmus Chrysaurus 56.

Vrbeuetani
Se tradunt Aegidio Albornotio 17.
Vrbs
Vrbium condendarum situs & ratio 114. locus aptus vrbi condendæ deligendus 115, vrbium maritimarum commoditas 117.
Vxor
Quãdo ducenda 107. procera regi ducenda 107.

X.

Xanthus Miranda.
Compluti Sepuluedæ præceptor 69.
Xerxes.
Xerxis pugna ad Termopylas 454.

FINIS

07140

BA 602
S 479 c